24-C-3.

i11921791

Nº 3
21-87

SOL VERITATIS,

CVM TRITVRATIONE,

ET VENTILABRO SERAPHICO,

PRO SACRATISSIMÆ

MARIAE IMMACVLATA

CONCEPTIONE.

BIBLIOTECA PUBLICA U. L. DE GRANADA.

Biblioteca Universitaria GRANADA
Sala A
Estante 30
Número 126

SOL VERITATIS,

CVM TRITVRATIONE,

ET VENTILABRO

SERAPHICO,

PRO SACRATISSIMÆ

MARIÆ IMMACVLATÆ

CONCEPTIONE.



Ego posui te quasi plaust = habens rostra serrantia: et comminues: & colles VENTILABIS eos, turbo disperget eos.

rum TRITVRANS nouum, TRITVRABIS montes, quasi puluerem pones. & ventus tollet, et *Isaiæ, capit. 41. ver. 19.*



R-10666

SOL VERITATIS, CVM VENTILABRO SERAPHICO;

Compuesto el Dr. Pedro de Montenegro

pro candida Aurora MARIA in suo Conceptionis ortu Sancta, Pura, Immaculata, & à peccato originali præseruata.

TRITVRANDO

Auctores opinionis aduersæ SEXAGINTA antiquos atque modernos, Opuscula omnia, Libros, Tractatus, Sermones, atque Quæstiones.

VENTILANDO

Opera allegata TRECENTORVM QVINDECIM Ecclesiæ Doctorum Stylo Positiuo, Scholastico, Historico, necnon Apologetico.

SEPARAT

Ab ipsorum SEXCENTIS QVADRAGINTA auctoritatibus lucem à tenebris, granum à paleis, & triticum à zizaniis, &c.

Studio, ac labore.

R. P. F.

Petri de Alva & Astorga, Ordinis Minorum Patris; Sanctæ, ac Supremæ Inquisitionis Qualificatoris; Lectoris iubilati, patria Carvajalensis, Prouinciæ Duodecim Apostolorum in Regno Peruano, & Conuentus Limensis Filii, & in Romana Curia quondàm Procuratoris Generalis, &c.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE GRANADA

UNIVERSITARIA GRANADA

R-10666

SOL VERITATIS CVM VENTILABRO SERAPHICO.

pro candida Aurora MARIA in suo Conceptionis ortu Sancta, Pura, Immaculata, & à peccato originali præseruata.

TRITVRANDO

Auctores opinionis aduersæ SEXAGINTA antiquos atque modernos, Opuscula omnia, Libros, Tractatus, Sermones, atque Quæstiones.

VENTILANDO

Opera allegata TRECENTORVM QVINDECIM Ecclesiæ Doctorum Stylo Positiuo, Scholastico, Historico, necnon Apologetico.

SEPARAT

Ab ipsorum SEXCENTIS QVADRAGINTA auctoritatibus lucem à tenebris, granum à paleis, & triticum à zizaniis, &c.

Studio, ac labore.

R. P. F.

Petri de Alva & Astorga, Ordinis Minorum Patris, Sanctæ, ac Supremæ Inquisitionis Qualificatoris; Lectoris iubilati, patria Carvajalensis, Prouinciæ Duodecim Apostolorum in Regno Peruano, & Conuentus Limensis Filii, & in Romana Curia quondam Procuratoris Generalis, &c.

SANCTISSIMO
ECCLESIAE SVMMO PONTIFICI
ALEXANDRO VII.

BEATISSIME PATER.

DOminus ille omnipotens, qui vbi vult ſpirat, vt ex lapidibus ſuſcitet Abrahæ filios, ad cuius voluntatis nutum oſſa arida reuiuiſcunt; quique in ara Crucis pro antè ſæcula præfinita à Patre humani generis redemptione, emiſſo ſpiritu, fecit, vt multa corpora Sanctorum, qui dormierant reſurgerent, & apparendo multis in Sancta Ciuitate, ſuæ deificæ, ac glorioſæ reſurrectionis in multis argumentis irrefragabile præberent teſtimonium: dignatus eſt nouiſsimè diebus iſtis, fœliciſsimis tamen, quando in pace cuncta compoſita, Sanctitudo tua ſecundùm ſibi datam à Deo ſapientiam, Eccleſiam ſuam moderatur, ac regit; in medio populi ſui, (ſiquidem in veſtra Romana Curia ſumpſit initium) ſuſcitare ſpiritum rectum VERITATIS, Minoris, cùm iam Deus dederat illi honorē ſenectutis, vt ad iudicium cauſam innocentiſsimam tumultuatim, decurſu temporis, ad Babylonicam cōfuſionem inſenſibiliter delatam, circa puritatis Sacratiſsimæ Virginis Mariæ in myſterio ſuæ immaculatæ Conceptionis antiquatam controuerſiam, ad examen iterum reuocaret.

Sedens igitur inter Seniores ſcriptores ſcientia, doctrina, atque etiam dignitate omnibus aliis præſtantiores, Cardinales, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Generales; Sacri Palatii Magiſtros, alioſque Doctores clariſsimos, necnon Presbyteros Dominici gregis, qui vno ore, æquali voce, confidenti, ac aſſertiua conteſtatione, lingua, & calamo proclamare cæperant, & vſque modo dicere non ceſſabant, incuſando puriſsimam Patrum innocentiam; omnem Scripturam, ſcilicèt ſacram, œcumenica Synoda, Officia pariter Eccleſiaſtica, omnes Eccleſiæ Catholicæ Sanctos, fidei noſtræ primarios Patres, Canonicos interpretes, veteres ſimul, & poſteriores Doctores, ac denique omnes, & ſingulos Chriſtianæ Religionis Scriptores, qui hac de re ſcripsère, ſenſiſſe, & affirmaſſe non tantum in communi generaliter, & abſolutè, ſed expreſsè, clarè, diſtinctè, nominatim, atque in indiuiduo, hanc propoſitionem, ſeu concluſionem: Beatiſſima Virgo Maria in primo ſuæ animationis inſtanti contraxit originalis peccati maculam. Huiuſcemodi rei teſtes abinuicem procul inuentos, ac ſeparatos, ſecundùm annorum ſeriem, & Alphabeti ordinem ſigillatim interrogat, ſub quo arbore, opere, libro, capitulo, & verbis viderint, aut comprehenderint eam; atque vnicuique in particulari diceret, quid eſt hoc, quod de te audio, redde rationem aſſertionis tuæ. Et ſic poſtquam ſcrutata eſt totius Europæ quàm plures Bibliothecas, om-

nes ferè libros impreſſos, & non paucos reconditos manuſcriptos recognouerit; edere curauit, & opere compleuit hoc ſanguinis innoxii euidens ſcrutinium; vbi non coram pueris (vt aiunt) & ignobilibus vulgi, neque occultè in angulis, aut cauernis; ſed ad auram ſpiritus vehementis in Area publicæ typographiæ, loquendo, ac clamando ad litteratos, doctiſsimos viros, Principes, Cardinales, ac Reges excelſos, adque Magnum Imperatorem, vſque ad te, ſupremum Apoſtolicæ dignitatis apicem, ſummum Eccleſiæ paſtorem, ac Pontificem Maximum triturat, ac ventilat more Scholaſtico, Hiſtorico, Poſitiuo, & Apologetico; an quæ hucuſque ſcripta fuère de Sacratiſsimæ Virginis contaminata (vt appellant) Conceptione, ſint in generali vera, vel falſa; certa, aut dubia; clara, vel obſcura; vel non iudicantes rectè, neque quod verum eſt cognoſcentes, falſum teſtimonium loquuti ſint aduerſus eam? & præſertim, vtrum Auctores in hac materia allegati, fuerint in rerum natura, vel ficti, fantaſtici, & multiplicati? an Doctores graues, & claſici, præclariſsimi (prout etiam dicunt) ac famoſiſsimi, aut ignobiles nullius momenti, famæ & oppinionis? Porrò quoad auctoritates, an reperiantur in locis citatis integræ; vel corruptæ; in toto, aut ex parte, vel ſint ſuppoſitæ, & intruſæ? Similiter de verbis in ipſis auctoritatibus relatis, an ſint fideliter tranſcripta, legitima, nothave, ſpuria, corrupta, atque adulterata?

In-

Insuper, quasi incidenter indigitat, quomodo Doctores antiqui loquebantur de hac Conceptionis materia? quid v.g. sentiebãt de peccato originali? Circa cui⁹ quidditativam constitutionem fuerunt inter eos quot capita tot sententiæ; qua significatione dicebant, Virginem Mariam fuisse sanctificatam, tàm in Conceptione actiua, quàm passiua? quid inter ipsos sonabat vox ista, Conceptio? quo moti discursu affirmarunt aliqui, festiuitatem illius non esse celebrandam? quomodo vocabant quidvè complicabant affirmando, Mariam à peccato fuisse purgatam, atque liberatam, quid exprimebant asserentes: solus Christus immunis, liber, & innocens fuit à culpa, in natura humana? & alia quàm plura his similia; ex quibus pars aduersa suum erexerat ædificium; cernens nullo in sancto, aut aliquo primitiuo Ecclesiæ Patre inueniri formalia, ac protestatiua suæ opinionis verba, scilicet, Beata Virgo Maria in primo suæ Conceptionis instanti, vel animationis puncto, contraxit, habuit, vel fuit infecta, aut maculata originali culpa, vel peccato; quorum in antiquis nullus extat apex, aut minimum cernitur jota, vt ex ipsorum auctoritatibus, in medium legaliter adductis, euidenter demonstratur. Hic scopus est totius præsentis laboris, vtpotè cardo, vbi tota circumvoluitur quæstio, & difficultatis vltimus punctus, à cuiusque intelligentia pendet vera, ac legitima Auctorum, & auctoritatum, propositionum,

atque

atque resolutionum comprehensio, quæ hucusque pavidos terruerunt animos; quia cùm eorum dicta non vidissent facie ad faciem, sed crederent ex auditu, illic trepidauerunt timore horribili, vbi non erat timor; sed nimia deceptionis fallacia.

Qua propter Sol iste VERITATIS, Sanctissime Pater, gyrans per omnia, abscondita hæc abinitio producit ad lucem, nec tantùm loquitur quod patres illi narrauerunt nobis; sed quod vidit, testatur, & quæ manus suæ cõtrectaverunt de verbo scripto (dicta ex ardore contradictionis, tumultuatim prolata, & tenaciter credita, tantùm in fide seniorum Parentum) sine vllo tergiuersationis fuco, ad propriam mensuram regulata, fidelissimo calamo transcribit, proponit, ac patefacit; vt ab illo pomarii falso introducto Schini prino excutiatur folia arida, præcindat tortuosos ramos, stipites intrusos frangat, inueteratum scindat truncum, ac ipsasmet radices à fundamentis auellat, nè amplius ad communem seditionem introductum virus, reuirescat. Et quemadmodum in Area materiali Ventilabrum separat granum à palea, triticum à zizaniis, ac pretiosum frumentum à vilibus herbusculis, vt vnũ in horreo custodiatur, alia verò ad ignem mittantur; sic ex agro isto Dominico studio continuo, assiduoque labore, post longas vigilias, vt SOL clarificat intrusas tenebras palpabiles, & illustrat eligendum bonum; & vt VERITAS pura, cla-

ra,

ra, ac ſyncera purgat, reprobando malum patratum contra Eccleſiaſticæ doctrinæ decorem, Sanctorum Patrum integritatem, ac Virginis Dei Matris incontaminatam, ac puriſsimam Conceptionem.

Hoc vtique examen tremendum, & ex omni parte inquiſitio terribilis eſt, ſed æquiſsima, vtilis, ac neceſſaria pro præſentis controuerſiæ vltimo, atque finali iudicio; vbi omnia, ac ſingula deteguntur opera, & ad intuitum oculi quaſi in nouiſsima tuba, reſurgunt mortui Auctores, ac reuiuiſcunt oſſa arida in terra oblivionis ſepulta, monumenta Patrum, & Libri omnes aperti ſunt, atque ſolùm Romanum iudicem expectãt: vt veniens in poteſtate magna, & ſedens cum principibus populi ſui, collocet innocentes ad dextram, reis ad ſiniſtram proiectis, reddat vnicuique iuxta opera ſua, diſcernens cauſam & proferens vltimam ac diſinitiuam ſententiam: ergo ſurge Domine iudica cauſam tuam, & vt vincas cùm iudicaris; deſtinare priùs miniſtros tuos, in ſcientiæ plenitudine Angelos, vt ſecus littus ſedentes, videant hoc mare magnum, vbi reptilia, quorum non eſt numerus, iam in ſagena iſta deprehenſa, eligendo bona, mala foras mittant, & cognita recolligant in faſciculos hîc de ſignata ſcãdala, in agro tuo, doctrina, ſcilicet Sanctorum Patrum, ab aliquo inimico homine, ſuperſeminata zizania, quæ purum ſuffocabat granum; quia iam hyems tranſiit, imber abiit & receſsit, & tempus putationis aduenit: obſer-

uent

uent repercuſas tenebras, vt nitidus eluceſcat ortus ſurgentis auroræ: recognoſcant denique arcum prauum in obſcuro paratum rectis corde confractum, & amputatis extremitatibus Auctorum, & auctoritatum truncum ad limen iacere: ſicque Sanctitas veſtra, vtpotè primus Sacerdos, ſupremuſque Pontifex, cui ſolo, & vnicè data eſt hæc poteſtas, & imperium, diſcernat inter lepram & lepram mundam, & immundam; bonam, vel malam doctrinam; atque extenſa virga virtutis ſuæ, vt ſaluet pulchram, innocentem, oppreſſam, exclamantem voce magna, intendat operi, proſperè iudicet, procedat ad perpetuam rei memoriam, regnet fœliciter, factus magnus coram Deo, & inconſpectu populi ſui à die illa, & de inceps, &c.

Ad V.B. ſanctiſsimos pedes ſuplex, & orans.

Frater Petrus de Alua, & Aſtorga
Ordinis Minorum Reg. Obſer.

APPRO-

APPROBATIONES.

Ex Seraphica Minorum Religione.

OPVS hoc qualificarunt R. P. F. Petrus Ordoñez Flores, quondàm Lector, Sanctæ Inquisitionis censor, nostræ Limensis Prouinciæ, Duodecim Apostolorum in Peruano Imperio olim Prouincialis, ac S. Iacobi Salmanticensis perpetuus Pater. Necnon R. P. F. Martinus del Castillo Lector iubilatus, Prouinciæ S. Euangelij in Mexicano Regno Pater, & Proministe, atque illius Crysis Danielicæ: siue Susannæ illustratæ doctissimus Auctor. Præstiterunt autem facultatem primò Reuerendiss. P. F. Iulianus Perez Lector iubilatus, S. Inquisitionis Qualificator, & totius Ordinis Minorum Vicarius Generalis; secundò Reuerendiss. P. F. Michael Angelus à Sambuca, eiusdem Seraphicæ Religionis nunc meritissimus Minister Generalis.

Ex Ordinario Toletano, & Matritensi Vicario.

INSIGNIS pietate, virtute, atque litteris per totum terrarum Orbem notissimus venerabilis P. Ioannes Eusebius Nierembergius, Societatis Iesu (ex speciali delegatione eminentissimi S. R. E. Cardinalis, & Archiepiscopi Toletani D. D. Balthasaris à Moscoso) vidit, ac recognouit.

Congregatio pro immaculata Conceptione.

VNANIMI consensu reuisionem, & approbationem huius operis commisit Reuerendiss. P. F. Ildephonso Perez Lectori olim Salmanticensi, Supremæ Inquisitionis Qualificatori, suæ Cistercensis Religionis S. P. N. Bernardi etiam Generali, nunc verò dignissimo Almeriæ Episcopo: cuius subscriptione toto approbante cætu (præcipuè Reuerendiss. & Illus. D. D. Ludouico Crespi, & Borgia ex Episcopo Oriolensi, iam Placentino, & Catholicæ Maiestatis ad Romanam Curiam extraordinario Embaxiatore; & Reuerendiss. P. Ioanne Antonio Velazquez, cuius calamus apud litteratos notissimus est, qui priuatim iam opus perlegerant) applausu, & consensu assumptum laudat, fauet, & fouet.

Pro Regali, ac Supremo Consilio Regio.

VLTIMAM fidem fecit nunquam satis laudandus, præstantissimis elogiis, R. P. Magister. F. Michael de Aguirre Ordinis S. P. N. Augustini, S. Inquisitionis Qualificator, ac in Regno Peruano variis decoratus dignitatibus, cuius censura expeditum fuit commune priuilegium Regale: ac pro operis commẽdatione, & typographiæ expensis ab insigni zelo & deuotione eximia Regis nostri Catholici Philippi IV. (cuius vitam augeat cœlum) particulare decretum emanauit, expeditum die 23. Iulii, anni 1659.

MEMORIAL

Que se diò al Rey N.S. Philipo IV. quando se le presentò este libro; y ponese aqui, como Prologo al Lector, porque en èl se dà suficiente noticia del motiuo, y principio que tuuo esta obra, con todo lo que en suma contiene, y el fin que della se pretende.

SEÑOR.

FRay Pedro de Alva y Astorga, del Orden del Serafico P.S. Francisco, natural de la villa de Carvajales en Castilla la Vieja, hijo de habito de la Santa Prouincia de los Doze Apostoles de Lima, en el Reyno del Perù, su Procurador, y Custodio para el Capitulo q̃ se celebrò en Toledo el año passado de 45. Lector jubilado, Calificador de la Suprema, y General Inquisicion; Padre de la Orden, y su Procurador General que fue en la Curia Romana, como tambien de la Canonizacion del gran sieruo de Dios el Venerable P. F. Francisco Solano, Patron, y Apostol de las Indias; y que assimismo estuuo nombrado por Comissario de todas las Prouincias del Perù, por dos Generales, &c. Dize:

Que auiendo gastado casi los 57. años que tiene de edad en continuos estudios, y dado à la estampa ocho libros de diuersas materias; de los quales, los dos son del Mysterio de la Immaculada Concepcion de N. S. y tener manuscriptos, y acabados otros 42. que poder imprimir: 18. que faltan à la Bibliotheca Virginal, de la qual ha estampado solos tres pertenecientes à la letra A. por no tener con que proseguir los demàs; otros 10. del Bullario de su Religion; otro con titulo de Arcana elogia Sancti Francisci; otro sobre los dos Euangelios de su festiuidad, y de las Llagas; otro en romance, de las Glorias Seraficas, en que no cuenta aquel insigne librito de la vida de Iesus en el vientre de Maria, por ser solo traduccion. Y pertenecientes al Mysterio de la Concepcion, tiene los siguientes: El Tomo segundo del Armamentario Serafico; dos de la Milicia de la Concepcion, contra la malicia del pecado original; seis de vna Bibliotheca de la controuersia de la Concepcion; de la qual el año passado de 49. diò à Vuestra Real Magestad vna Idea impressa en tres pliegos: otro Tomo de todas las Bullas, y Breues que han dado los Summos Pontifices tocantes a la Cõcepcion: y otro finalmente, cuyo titulo latino es: Antiqua monumenta Immaculatæ Conceptionis.

Y auiendo estado quatro años y medio en la Curia Romana, perficionando estos, y otros trabajos, procurò con particular diligencia, y solicitud, lleuado de su afecto, y deuocion, el inquirir, y aueriguar el punto en que consistia, el que en aquella Santa Curia no se adelantasse, y creciesse el Mysterio de la Immaculada Concepcion, como el deuoto zelo, y assistencia de V. Magestad, sus Reynos, y la Christiandad toda desean, piden, y aclaman; y hallò por ciertas,

tas,y euidentes noticias, assi oydas de palabra, como vistas por escrito, ser la causa vnica,y total el estar esparcida en aquella Suprema Curia, como si fuera verdad infalible, ò principio firme, y assentado entre los Cardenales, Monseñores,sus Auditores,y oficiales,y algunas personas Eclesiasticas, y de conocida Religion:el que todos los Santos Padres de la primitiua Iglesia,como tambien los demas Autores clasicos,y Theologos antiguos,tuuieron por indubitable sentencia,y constante resolucion, y aun por establecido, y difinido articulo de Fè, el que la Virgen Maria, y Madre de Dios auia sido concebida con la culpa,y macula del pecado original; y que assi clara, y expressamente lo dixeron,y enseñaron en todos sus escritos,y obras,sin que huuiesse alguno de los antiguos que dixesse,ni se atreuiesse à sentir lo contrario, hasta que en estos siglos modernos,añaden,la nouedad, y poca inteligencia de la Sagrada Escritura,y Santos,inuentò esta maquina,que solo ha seruido de ruido,y escandalo; y à esta comun voz echan la llaue, diziendo: Que la Iglesia Catholica en sus determinaciones solo sigue las pisadas,y ha de abraçar la doctrina solida, y antigua de los Santos Padres; y no los conceptos, y sofisticas agudezas, ni las torcidas,y violentas explicaciones que los Autores destos tiempos dàn à las Escrituras,y à sus primitiuos,y verdaderos Interpretes · y concluyen con otras proposiciones,acerca de la veneracion que se deue tener à la doctrina de los Santos,y antiguos Padres de la Iglesia, tan verdaderas, y concluyentes en general, que aplicadas à esta materia particular de la Concepcion Immaculada de N.Señora,no le hallan correspondencia,ni ajuste;antes quanto mas empeñados,y feruorosos se muestran en aquellos principios ciertos,è infalibles, tanto mas tibios,y remissos hablan de la conclusion;con que parece que totalmente por esta parte (que es la principal, y à la que mas atiende la Iglesia) cierran la puerta al progresso deste Santo Mysterio.

A todo lo qual assienten algunos con tanta tenacidad, que en quiriendoles persuadir à lo contrario, ò reducir à que no es como piensan, y que estàn mal informados;como lo que se les dize, no es ponerles delante de los ojos vn desengaño euidente,ò lo atribuyen à piadosa deuocion, ò à poca leccion de los Santos, y lo mas ordinario es,echarlo à otros fines, y causas, como es à ignorancia de vulgo, tema nacida de la oposicion, &c. como le sucediò al suplicante con Leon Alacio, persona conocida por sus escritos, en la antesala del Cardenal Francisco Barberino; concluyendo siempre, para confirmacion de su dictamen,remitiendonos à Turrecremata, y Cayetano Cardenales doctissimos de la Santa Iglesia, à vn Vincencio Bandello, General de su Orden, à Bartholomè de Espina, Maestro del sacro Palacio, y à otros assi, todos del Orden de Predicadores; para que en sus libros,y escritos se desengañe nuestra poca razon, y se abran los ojos à nuestro extrauiado modo de sentir en esta materia de los Santos Padres; que en los demàs y à conceden à la mas pia senten-

cia

cia la deuocion comun, el aplauſo general, con las demàs circunſtancias nacidas de la piedad Catholica.

Deſeando, pues, aueriguar de raiz, y ſacar en limpio el fundamento que tenia eſta tan intruſa opinion en los que han de ſer juezes de la cauſa; y reconocer haſta donde ſe eſtendia la fuerça de tan grande, encarecido, y repetido eſtoruo; ſe reſoluiò el dicho Fray Pedro de Alua à juntar eſtos, y los demàs Autores de la ſagrada Religion de Predicadores, que con mas extenſion trataſſen eſte punto; y hallando haſta ſeſenta, como por el orden de los años en que florecieron, empezando del mas antiguo, ſe podràn ver en la Trituracion, leidos, y examinados, como alli ſe verà, reconociò, que deſtos tuuo, y tiene ſu origen todo lo arriba referido, por hallarſe en ellos las meſmas palabras formales, y aun otras ſemejantes de menor eſfera que ſe callan, por no ofender los piadoſos oydos de V. Real Mageſtad, pero hallaràn ſe en eſte libro à folio 145. porque de los mas antiguos à los menos, todos ſe fundan, abraçan, y defienden con eſte vnico, y total eſcudo, y argumento de los Autores, y ſus autoridades, poniendo en ſolo èl todas ſus eſperanças, y hablando con tal confiança, y reſolucion, como ellos miſmos dizen en ſus autoridades trasladadas à la letra, à que ſe remite; y juntamente hallò, que entre todos, para comprobacion de ſu propueſta gloria, y triunfo, deſte numeroſo ſequito que ha tenido en la Igleſia, y tiene ſu opinion, traen, y citan no menos que 315. Santos, Padres, y Doctores antiguos, cuyos nombres, y calidades ſe hallaràn, ſegun el orden del Abecedario, en la Era con toda breuedad, y en la Ventilacion mas à la larga, ſe determinò con firme reſolucion à buſcarlos todos, y mirarlos vno por vno, poſponiendo infinitas dificultades que ſe le ofrecieron, por el gran trabajo à que ſe exponia, auiendo de juntar 315. Autores, todos antiguos, y muchos dellos incognitos, recoger ſus eſcritos, y originales, aſsi los ya eſtampados, como los manuſcriptos; buſcar, y hallar todas las autoridades que dellos ſe traen, que ſon 640. y auerlas de regular por clauſulas; palabra, por palabra; y aun letra, por letra: Mas auiendo emprendido tan nueuo, y dificil aſſumpto, para gloria de la incontaminada pureza de la ſiempre Immamaculada Virgen Maria; por el credito, y honor de los Santos Padres, y demàs Doctores de la Igleſia; por el vltimo eſfuerço, y mas eficaz diligencia que pudo imaginar ſu Serafica Religion; y tambien para que ſea vn autentico deſengaño (quiera la Diuina Mageſtad que ſe reciba por tal) de la parte contraria; y finalmente, para la paz, quietud, y vniuerſal deſempeño de todos; con el ayuda, y fauor del cielo (que para eſtas coſas poco ſuele auer en la tierra, antes ſi muchas opoſiciones) al cabo de ocho años de continuo eſtudio, ha llegado à verlo acabado, y pueſto en vueſtras Reales manos, à cuya vnica deuocion lo dedica, y conſagra, con la aueriguacion de vna firme, y conſtante verdad, que es en ſuma.

Que

Que de los 315. Autores que se alegan por la opinion contraria, entre los quales apellidan sesenta Santos, cinquenta Padres, quinze Summos Pontifices, y à los restantes los aclaman, y ensalçan por Theologos insignes, Predicadores clarissimos, Expositores ilustrissimos, y Canonistas grandes; muchos dellos son Escritores incognitos en los nombres, de ningun credito, ni opinion en la doctrina, algunos nunca vistos, ni oydos en las Escuelas, y literatura Ecclesiastica; y aun dellos se hallan que fueron sospechosos en la Fè. Otros traen multiplicados, haziendo de vn Autor quatro, y cinco distintos; dandoles diuersos nombres, y renombres, para que desconocidos en los apellidos, pareciessen ser otros en las personas; con las quales transformaciones han introducido à algunos siete, nueue, y aun quinze vezes, cosa que sino es vista, y tocada, pareciera imposible. Otros son Auctores supuestos, y fingidos, porque ni los ay, ni los ha auido en el mundo, de que se haze con algunos euidente demonstracion, y para otros sirue de probança eficaz, el no estar tales libros impressos, ni hallarse manuscriptos en las librerias mas insignes de la Europa, donde se han buscado; y la mas concluyente razon es, que siquiera de sus nombres no se haze mencion en las Bibliothecas, y Nomenclaturas vniuersales, y particulares que ay de todos los Escritores que ha auido hasta aora en la Iglesia; que todas se han visto, y recogido para este fin, como se relatan en el Ventilabro à folio 223. A otros traen sin autoridad alguna, sino solamente los nombres, argumento cierto de que no hallaron en ellos palabra contra el Mysterio, como en realidad de verdad no la ay. De otros relatan autoridades, pero tales, que en los lugares, capitulos, ò libros que citan no se hallan, y lo que es mas, que ni estàn en todas las obras del Autor que proponen. A muchos ponen contra toda razon, y verdad; porque los Doctores que alegan, estuuieron tan lexos de lleuar su opinion, que expressamente siguen, y defienden la sentencia mas pia; y à este modo discurriendo vno por vno, y apartando de todos lo cierto de lo confuso, y dudoso; sacando en limpio el grano, y ajustando cada cosa à la verdad, se vienen à reducir los 315. Santos, y Doctores à solos veinte; de los quales, los catorze son de la sagrada Religion de Predicadores, y entre todos no se halla mas Santo que San Antonino de Florencia del mismo Orden. Y si en estos veinte no se haze reparo (como no se deue hazer) en la corteza de las palabras, sino que se mira al sentido, y à la materia que tratauan, à lo antecedente, y consequente, y al estilo, y modo que tenian de hablar los antiguos, apenas quedan, ni son onze los que con suficiente fundamento se pudieron traer por la parte contraria.

Y aunque este engaño introducido en los Autores ha sido grande, mucho mayor sin comparacion es el que se halla en las autoridades de los Doctores notorios, y subsistentes; porque siendo estas 640. reguladas con sus

pro-

proprios originales impressos, y manuscriptos: se han descubierto en ellas tantos vicios, ficciones, y adulteraciones, por auer quitado en vnas, y añadido en otras, no solo palabras, sino clausulas, y sentencias enteras, variando, y trastrocandolo todo, para torcer àzia su intento el parecer, y sentir del Autor, que solas las falsedades cometidas mayores, y capitales llegan à trenta y tres mil: y si se huuieran de contar diccion por diccion; y palabra, por palabra, con las menores, y comunes que alteran, y corrompen lo legal de la autoridad, passan de ciento y veinte y seis mil; siendo todas ellas otras tantas trazas, y nubes con que hasta aora se ha pretendido embarazar, y obscurecer la verdad, y manchar la purissima Concepcion. Y en defectos tan dignos de reprehension en ninguna manera ha tenido, ni tiene culpa la Religion en comun (que antes de ella se hallan 290. Autores, que han defendido la sentencia pia, que se verán en el Ventilabro à fol. 198.) sino solos tres, ò quatro Escritores della, que por la oposicion, tema, ò mal afecto sembraron esta zizaña, como consta de sus libros, de los quales trasladando à ciegas los que despues los siguieron, ò lleuados de la buena fe, y credito que dellos tenian, ò por ahorrar del trabajo de reboluer libros, vino este error à echar tan hondas rayzes, que en el hoyo que hizieron los primeros cayeron todos los otros, por no auer hasta aora vno proprio, ni estraño que se lo aya aduertido. Achaques, que no se hallan en las autoridades que se traen por la mas pia sentencia, como se podrà ver en seis mil, que en el libro: Milicia de la Concepcion, &c. aprobado para dar à la estampa (si huuiere con què) saldrà presto à luz.

El libro, Señor, en que estas, y otras muchas cosas, hasta aora ocultas à los ojos de los Escritores, assi antiguos, como modernos, se descubren, y manifiestan, aueriguadas punto por punto, sale al Teatro publico del mundo en tiempo de V. Magestad, debaxo de su proteccion, y amparo, con titulo del SOL DE LA VERDAD, como à manifestarla tambien à defenderla à cara descubierta, y sin aquel rebozo de colores retoricos, frases, y cadencias en las palabras; ò panegyricos elogios, assi actiuos en las elegantes Dedicatorias, como passiuos en las encarecidas Aprobaciones, con que suelen entrar los libros: porque este solo pretende, que la pura sencillez hable, y la verdad desnuda enseñe, persuada, y obre lo que Dios fuere seruido, en los supremos coraçones del estado Eclesiastico, y Secular en esta comun causa de entrambos; que para este fin se haze otro Memorial à la Santidad de Alexandro VII. Summo Pontifice Maximo, que và tambien al principio del libro, como à quien solo compete por suprema cabeça de la Iglesia, examinar la doctrina si es buena, ò mala; verdadera, ò falsa; sana, ò sospechosa, como à V. Magestad corre la precisa obligacion en conciencia, de procurar enterarse de la verdad, conocer de los agrauios hechos, y estoruar defendiendo con la espada de su recta justicia, hasta derramar la sangre; si necessario fuesse, el

que

que à ningun vaſſallo de ſu Reyno, por humilde, y minimo que ſea, ſe le quite con informes ſupueſtos, ò teſtimonios apocrifos, el honor, credito, y reputacion que legitimamente poſſee: y que fuera, Señor, ſi algo deſto, ò todo junto tocaſſe en la que es ſoberana protectora de todos ſus Reynos, vnica abogada de peccadores, Señora de todo lo criado, y Madre de aquel Dios que nos redimiò con la ſangre recibida en ſus puriſsimas entrañas, y pechos virginales, y en el Myſterio que por eſpecial voto tiene V. Mageſtad obligacion à defender?

Y aunque es aſsi, que eſta obra (en que tanta celeſtial, y ſacroſanta Mageſtad leſa ſe defiende) ha paſſado por todas las cenſuras, y tiene las calificaciones neceſſarias, con la de la junta de la Concepcion doctiſsima, y graue deſta Corte, y la de otras perſonas particulares de toda ſatisfacion, y ſe diò à la eſtampa con la vltima licencia de vueſtro Real priuilegio; y con otro Decreto digno de vueſtra heroyca piedad, y ſeñalada deuocion à eſte ſoberano Myſterio; mas eſtas diligencias ſolo han ſeruido para que ſalga à luz, y ſe publique: pero no ſon baſtantes para lo que agora ſe trata, y pretende en la Curia Romana; porque como lo que en dicho libro ſe auerigua, y deſcubre es de lo mas arduo, y mayor peſo que ſe ha viſto en Catholicas controuerſias, ni ſucedido en diſputas de Religion, ni ſemejante exemplar ſe halla en la Igleſia deſde ſu origen, y las coſas que en el ſe refieren, viſtas ſe han de dudar; y aun tocadas con euidencia han de parecer impoſsibles: y ſer en el punto, y materia que oy mas carga los robuſtos ombros de la ſanta Sede Apoſtolica: que venera, y tiene la Chriſtiandad ſobre ſu cabeça: y es las niñas de los ojos del piadoſo zelo de V. Mageſtad, neceſsita de todo ſu poder, fauor, imperio, y eficacia, para que coſa tan nueua, y grande quede deſta vez aueriguada, y concluſa por todos caminos, y eſta verdad campee à todas luzes, con la viſta, y reuiſta de mas Iuezes, y Exploradores della; y para que calificada ſin excepcion, ò tacha alguna, pueda parecer en todo juyzio, auiendoſe hecho todas las diligencias neceſſarias, y oyendo lo que dizen, y alegan en ſu fauor, ò deſcargo las partes, ò parte intereſſada.

Por tanto, à V. Real Mageſtad propone: que ſeria vtil, y neceſſario, el que por medio de las perſonas de que en eſta materia, y Corte ſe tiene mas ſatisfacion, ſe remitan ſeis libros à la Religion, que haſta aora ha ſido parte, y ſe ha moſtrado intereſſada en eſta controuerſia, para que como tan ſanta, docta, y atenta, vea, y reconozca los muchos yerros que han cometido todos ſus Eſcritores contra la verdad, en perjuyzio notable de la Immaculada pureza de la ſiempre Virgen Maria, y contra el credito, y honor de los Santos Padres, y demàs Doctores de la Igleſia, y ſu doctrina: Y juntamente reſpondan al principal punto deſte libro, que es, el que ſeñalen donde vieron las obras, ò donde hallaron los eſcritos, ò por lo menos digan quienes ſon los

Auto-

Autores incognitos nunca vistos, ni oydos, que citan por su opinion, puestos en la primera, y segunda classe del Ventilabro à fol. 162. porque de los tales, ni sus libros, ni aun siquiera los nombres se hallan, ni parecen oy en el mundo: y assimismo de los restantes en las seis classes siguientes, muestren, ò digan donde estàn los originales de donde sus Escritores trasladaron las autoridades como ellos las traen, y pusieron en sus libros; porque las que oy tiene, y de que vsa la Iglesia, y se hallan en los originales manuscriptos, y impressos aun entre Hereges, todas (exceptuando solas tres) y totalmente en lo essencial dessdizen con suma distancia de las que ellos han traido, y proponen por su parte. Que el obligarles, Señor, à responder à esto aqui, y con termino señalado, como no es tocante à la opinion, ò doctrina, sino à la comprobacion legal de los Autores, y autoridades; ni està à vuestra Real potestad vedado por Derecho, ni à ellos por las Constituciones Apostolicas prohibido. Y aunque se presume, que en esta materia no se ha de hallar mas luz, ni verdad autentica, que la que en este libro se propone; y que no han de sacar la cara, ni empeñar su credito, reputacion, y autoridad tan benemerita en tantos siglos, y por tantos, y tan heroycos actos positiuos comprobada en la Iglesia de Dios, à querer defender cosas que no se les halla siquiera apariencia de disculpa, se puede tener por cierto, que si buscada no la encontraren, su mesma rectitud, y zelo los ha de trocar en fiscales de los culpados, y en protectores, y defensores deste Mysterio. Y juntamente hecha esta publica citacion, ò notorio requirimiento, con interuencion de vuestra Real autoridad, se cerrarà la puerta à los papeles ocultos, y extrauiados, que sin nombre de Autor se derraman cada dia por el mundo, como se ha hecho estos años con el de Fray Pedro de Vincencia, reimprimiendolo en Tolosa de Francia, en Palermo, y Venecia, siendo este el origen, y principio de todas las falsedades que hasta aora se han obrado, y en este libro se demuestran: por las quales el rectissimo, y Santo Tribunal de la Suprema Inquisicion, por edicto publico lo prohibiò à 30. de Nouiembre deste año passado de 59. con que se echa de ver, que al cabo de tantos años, aun subsiste, y viue en algunos el engaño en que han caido, ocasionado deste, y otros semejantes escritos.

Item propone, el que tambien serà conueniente, que algunos libros destos se remitan à las Religiones, y Vniuersidades, para que supuesto que aqui se traen los Autores, y autoridades que por espacio de 400. años han podido recoger todos los Escritores de la parte contraria (con algunas mas que al Autor le pareciò añadir, para que en este punto quedasse totalmente agotada la materia) como tambien las correspondientes à ellas, verdaderas, y legitimas de los Santos Padres, y demàs Doctores, conferidas vnas con otras, califiquen, como personas doctas, y desinteressadas, si es verdad lo arriba propuesto; y assimismo vean, el que no ay vn solo Santo de la Iglesia desde su principio, ni

Sum-

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA

Summo Pontifice,y lo que es mas,que ni Padre, ò Doctor graue de los primitiuos,que aya dicho,ni dexado escritas algunas destas formales proposiciones, que son las proprias, vnicas, y protestatiuas de la opinion contraria,es à saber: La Virgen Maria en el primer instante de su Concepcion contraxo, ò tuuo el pecado original; ò esta: Maria en su animacion fue manchada con la culpa; ò estotra: Maria fue santificada en el vientre de su Madre, despues del primer punto de su animacion; ò finalmente esta: Maria no fue preseruada de la culpa;porque ninguna destas,ni otra alguna equiualente que suene lo mismo, se hallarà en Santo Canonizado, ni Beatificado de los que fueron antes de San Antonino de Florencia, ni tampoco en los que ha auido en la Iglesia, y han escrito despues del.

Y con lo que sintieren vnos, y otros, acerca de estos dos puntos, que han sido, y son los polos en que hasta aora ha estribado esta fantastica maquina de oposicion, informen por escrito dentro del termino señalado:que si los primeros no respondieren,proponiendo escusas, dilaciones,ò pretextos,serà euidente señal, y quedarà executoriado, el que no tuuieron los suyos fundamento alguno para tanta aglomeracion de Autores supuestos, y autoridades fingidas,como en este libro se demuestran, y con toda verdad; porque su Autor à sola ella ha atendido, que si como hombre huuiere caido en alguna falta, que llegue à ser descuido natural, pero ninguna que passasse à ser malicia; lo qual protesta en aquel Señor,que ha de juzgar viuos, y muertos; como tambien el que en sus palabras, y reconuenciones nunca tuuo la mira en el cuerpo de la Religiõ(à quien venerà,y estima por santa,y docta)sino en los particulares Escritores,por la poca atencion,y mucho arrojamiento,con que sin mirar lo que dezian, se apartaron tanto de la verdad, que de lo ciuil se han puesto en lo criminal. Pero si acaso respondieren(que se buelue à dudar)con su parecer,y el de las Religiones, y Vniuersidades, se podrà hazer el vltimo juizio en esta materia;y enterado V. Magestad de las verdades que se contienen en este libro,podrà con toda seguridad en su nombre, y en el de todos sus Reynos, alegar, el q̃ no es yà sola deuocion, y piedad, como hasta aora se ha dicho, sino zelo de la equidad,y acudir à la justicia,que à vozes pide la misma causa; y en esta cõformidad suplicar à su Santidad tome la vltima resolucion, y determine lo que mas conuenga al seruicio de Dios,credito de su Iglesia, y gloria de la Virgen Maria,en el Mysterio de su Immaculada Concepcion;que con este vltimo, y euidente desengaño,se puede esperar el fin que toda la Christiandad aclama,y V. Real Magestad desea: A quien guarde el cielo,como puede,&c.

AREA, IN QVA

SECVNDVM DISPOSITIONEM LITTERARVM Alphabeti, quasi per Manipulos proponuntur Spicæ, id est, Sancti, Patres, Doctores, Auctores, atque Scriptores ex omni Statu, ac Professione recollecti, citati, & adducti à sexaginta Messoribus Ordinis Prædicatorum (in sequenti Triturationе iuxta temporis seriem enumerandis) vt ex auctoritatibus, ac ipsorum verbis probent hanc conclusionem: Sacratissima Deigenitrix MARIA IN SVA CONCEPTIONE CONTRAXIT ORIGINALE PECCATVM.

A

1 Abel Doctor antiquus.
2 Abram Syrus, Sanctus.
3 Adam Anglicus, Doctor.
4 Ægidius Romanus, Augustinianus.
5 Ægidius Zamorensis, Minorita.
6 Alanus, Doctor antiquus.
7 Albertus de Brixia, Beatus Dominicanus.
8 Albertus Magnus, Beatus Dominicanus.
9 Albertus de Padua, Augustinianus.
10 Alcuinus, Magister Beatus.
11 Aldebrandinus de Tuscanella, Dominicanus.
12 Alexander de Alès, Minorita.
13 Alexander Nequam, incertus.

14 Aluarus Hiſpanus, Minorita.
15 Ambroſius Sanctus, Doctor.
16 Andræas Hieroſolymitanus, Beatus.
17 Angelus de Bononia, Dominicanus.
18 Angelus Bononia, Dominicanus.
19 Annibaldus Ciſtercienſis.
20 Annibaldus, Romanus, Dominicanus.
21 Anonymus, antiquus Doctor.
22 Anonymus, ſiue Ioannes Ciſtercienſis.
23 Anſelmus Cantuarienſis Sanctus.
24 Anſelmus Conturbienſis Epiſcopus.
25 Antoninus Sanctus, Dominicanus.
26 Antonius de Azaro, Dominicanus.
27 Antonius de Bononia, Dominicanus.
28 Antonius de Padua, Sanctus Minorita.
29 Armachanus, Primas Hyberniæ.
30 Armandus de Bello-viſu, Dominicanus.
31 Arnaldus Salernitanus, Minorita.
32 Athanaſius Magnus, Sanctus.
33 Auguſtinus de Ancona, Auguſtinianus.
34 Aurelius Auguſtinus, Sanctus Doctor.

B

35 Bartholomæus de Bononia, Dominicanus.
36 Bartholomæus Brixienſis, Canoniſta.

37 Bartholomæus de Piſis, Minorita.
38 Bartholomæus de Piſis, Ordinis Prædicatorum.
39 Bartholomæus de Spina, Dominicanus.
40 Baſilius Cæſarienſis, Sanctus.
41 Beda, Venerabilis Sanctus.
42 Beltrandus de Turre, Minorita.
43 Bernardinus Senenſis, Sanctus Minorita.
44 Bernardus Abbas, Sanctus.
45 Bernardus de Claramonte, Dominicanus.
46 Bernardus Oliueri, Auguſtinianus.
47 Bernardus Papienſis, Canoniſta.
48 Bindus, Ordinis Minorum.
49 Bonauentura, Sanctus Minorita.
50 Bombologimus Bononienſis, Dominicanus.
51 Bonifacius de Cremona, Dominicanus.
52 Bonifacius, Papa Primus.
53 Bonifacius, Papa Tertius, vel Nonus.
54 Brucardus, Epiſcopus Minorita.
55 Buchardus, Guormatienſis Epiſcopus.

C

56 Caſsiodorus Senator, Monachus.
57 Cæſarius Arelatenſis, Beatus.
58 Clemens, Papa Quintus.
59 Clemens, Papa Sextus.

60 Collectarius, Canoniſta
61 Compillator Speculi Iuris.
62 Conradus Saxo, Ordinis Minorum.
63 Conſtantinus de Monte-Budello, Dominicanus.
64 Cyprianus Carthaginenſis, Sanctus.
65 Cyrillus Alexandrinus, Sanctus.

D

66 Dominicus de Cathalonia, Dominicanus.
67 Dominicus de Dominicis, Brixienſis.
68 Dominicus de Soto, Dominicanus.
69 Durandellus, Ordinis Prædicatorum.
70 Durandus de S. Portiano, Dominicanus.

E

71 Elucidarius ſacræ Scripturæ.
72 Ephræm Syrus, Beatus.
73 Erardus, ſiue Bernardus Martyr.
74 Eugenius, Papa Quartus.
75 Euſebius Emiſſenus, Beatus.

F

76 Facinus de Aſt, Auguſtinianus.

77 Fran-

77 Franciſcus de Aſt, Minorita.
78 Franciſcus Ferrarienſis, Dominicanus.
79 Franciſcus Herculanus, Dominicanus.
80 Fulbertus Carnotenſis, Sanctus.
81 Fulgentius Africanus, Sanctus.

G

82 Galbaneus Bononienſis, Canoniſta.
83 Gabriel Barelete, Dominicanus.
84 Garricus, Doctor Pariſienſis.
85 Geraldus de Senis, Auguſtinianus.
86 Gerardus Odonis, Minorita.
87 Gilbertus, Doctor Canoniſta.
88 Gilbertus, Magiſter incertus.
89 Gilbertus Porrectanus, Epiſcopus.
90 Gloſſa Ordinaria.
91 Gotifredus Pariſienſis.
92 Græcus, Doctor approbatus.
93 Gratianus, Compilator Decreti.
94 Gregorius de Ariminio, Auguſtinianus.
95 Gregorius Magnus, Papa Sanctus.
96 Gregorius Nazianzenus, Sanctus.
97 Gregorius Nyſſenus, Sanctus.
98 Gualterus Anglicus, Dominicanus.
99 Guidus Archidiaconus, Canoniſta.

100 Guidus Gallicus Parisiensis, Dominicanus.
101 Guidus Maioricensis, Episcopus Carmelitanus.
102 Guidus Portugalensis, Cisterciensis.
103 Guillielmus de Alcona, Dominicanus.
104 Guillielmus Altisidonensis, Secularis.
105 Guillielmus Altisiodorensis, Episcopus.
106 Guillielmus, Canonista Doctor.
107 Guillielmus Durandi, Miniatensis.
108 Guillielmus Durantus, Canonista.
109 Guillielmus, Episcopus Metensis.
110 Guillielmus de Gannaco, Dominicanus.
111 Guillielmus Okam, Minorita.
112 Guillielmus Paraldus, Dominicanus.
113 Guillielmus Parisiensis, Cancellarius.
114 Guillielmus de Roma, Dominicanus.

H

115 Haymo Alberstadensis, Episcopus.
116 Henricus de Gandauo, Parisiensis.
117 Henricus Huri, Augustinianus.
118 Henricus N. Ordinis Minorum.
119 Henricus de Vrimaria, Augustinianus.
120 Heruæus Natalis, Dominicanus.
121 Hieronymus, Sanctus Doctor.
122 Honorius, Papa Tertius.

123 Hostien-

123 Hoſtienſis, Cardinalis, Canoniſta.
124 Hugo de Argentina, Dominicanus.
125 Hugo Ferrarienſis, Canoniſta.
126 Hugo Gallicus, Dominicanus.
127 Hugo de S. Theodorico, Dominicanus.
128 Hugo de S. Victore, Canonicus.
129 Hugutius, Doctor Canoniſta.
130 Hyrenæus Lugdunenſis, Sanctus.

I

131 Iacobus Ægidius, Dominicanus
132 Iacobus Anglicus, Ciſtercienſis.
133 Iacobus de Beneuento, Dominicanus.
134 Iacobus de Caſa, Minorita.
135 Iacobus de Lauſana, Dominicanus.
136 Iacobus de Loſona, Dominicanus.
137 Iacobus de Peruſio, Dominicanus.
138 Iacobus Pictauienſis, Minorita.
139 Iacobus de Viterbio, Auguſtinianus.
140 Iacobus de Voragine, Dominicanus.
141 Iacoponus, Ordinis Minorum.
142 Ildephonſus Toletanus, Sanctus.
143 Illarius Pictauienſis, Sanctus.
144 Innocentius, Epiſcopus Beatus,
145 Innocentius, Papa incertus.

146 Innocentius, Papa Primus, Beatus.
147 Innocentius, Papa Quintus, Beatus, Dominican.
148 Innocentius, Papa Secundus, Beatus.
149 Innocentius, Papa Tertius, Beatus.
150 Ioannes de Albauilla, Parisiensis.
151 Ioannes Andræas, Bononiensis, Canonista.
152 Ioannes Apistrin, Ordinis Minorum.
153 Ioannes Baconitanus, Carmelita.
154 Ioannes Balbus Ianuensis, Dominicanus.
155 Ioannes Beleth, vel Valeti.
156 Ioannes de Biblia, Dominicanus.
157 Ioannes Bosniensis, Dominicanus.
158 Ioannes Britius, Dominicanus.
159 Ioannes Calcar, Carthusianus.
160 Ioannes Calderinus, Canonista.
161 Ioannes Capreolus, Dominicanus.
162 Ioannes Cassianus, Beatus.
163 Ioannes de Ceruo, Cisterciensis.
164 Ioannes Chrysostomus, Sanctus.
165 Ioannes Cliukot, Secularis.
166 Ioannes Compilator, Canonista.
167 Ioannes Damascenus, Sanctus.
168 Ioannes Diukot, Augustinianus.
169 Ioannes Dominicus, Beatus, Dominicanus.
170 Ioannes de Francofort, Dominicanus.
171 Ioannes de Gallicis, Dominicanus.

172 Ioannes Gallicus, Auguſtinianus.
173 Ioannes Gallicus, Canoniſta.
174 Ioannes Gallicus, Minorita.
175 Ioannes Gallicus, Pariſienſis.
176 Ioannes à S. Geminiano, Dominicanus.
177 Ioannes Geneſius, Ordinis Minorum.
178 Ioannes de Herfodia, Minorita.
179 Ioannes de Linctimber, Dominicanus.
180 Ioannes Monachus, Ciſtercienſis.
181 Ioannes de Montenigro, Dominicanus.
182 Ioannes de Neapoli, Dominicanus.
183 Ioannes Pariſienſis, Dominicanus.
184 Ioannes de Poliaco, vel Policratis.
185 Ioannes Richardi, Minorita.
186 Ioannes Rigaldus, Minorita.
187 Ioannes de Rupella, Minorita.
188 Ioannes Scotus Minorita.
189 Ioannes Sernigacii, Dominicanus.
190 Ioannes Sterigatii, Auguſtinianus.
191 Ioannes Theutonicus, Auguſtinianus.
192 Ioannes Theutonicus, Canoniſta.
193 Ioannes Theutonicus, Dominicanus.
194 Ioannes de Turrecremata, Canoniſta.
195 Ioannes de Turrecremata, Dominicanus.
196 Ioannes de Verdiaco, Dominicanus.
197 Ioannes de Villa-Abbatis, Secularis.

198 Iordanus Theutonicus, Auguſtinianus.
199 Iſidorus, Hiſpalenſis, Beatus.
200 Iſidorus Mediolanenſis, Dominicanus

K

201 Katharina Senenſis, Sancta.

L

202 Landulphus, Ordinis Minorum.
203 Landulphus de Saxonia, Carthuſianus.
204 Laurentius Calcaneus, Brixienſis.
205 Laurentius, Canoniſta antiquus.
206 Leoanardus Manſuetus, Dominicanus.
207 Leonardus Statius, Dominicanus.
208 Leonardus de Vtino, Dominicanus.
209 Leo, Papa Primus, Beatus.
210 Linconienſis, Epiſcopus.
211 Lotharius Dominus.
212 Lucas, Beatus, Ordinis Minorum.

M

213 Marinus Ciſtercienſis, Magiſter.
214 Martinus Polonus, Dominicanus.

215 Mau-

215 Mauritius Beatus, Parisiensis Episcopus.
216 Maximus, Episcopus Sanctus.
217 Melchior Canus, Dominicanus.
218 Michael de Furno, Parisiensis.
219 Moneta, Magister Dominicanus.

N

220 Nicolaus Achiora, Cistercienſis.
221 Nicolaus Alexius, Dominicanus.
222 Nicolaus de Aqua-Villa, Minorita.
223 Nicolaus de Esculo, Dominicanus.
224 Nicolaus Gallicus, Cistercienſis.
225 Nicolaus Gorram, Dominicanus.
226 Nicolaus Liranus, Minorita.
227 Nicolaus Treuet, Dominicanus.

O

228 Odo de Castro Rodulphi, Cistercienſis.
229 Odo Cistercienſis, Abbas Murimundenſis.
230 Odo Gallicus, Doctor antiquus.
231 Officia Eccleſiastica.
232 Olympius Hiſpanus, Episcopus.
233 Origenes Adamantius, inter Sanctos.

P

234 Paganus de Pergamo, Dominicanus.
235 Paratus, Doctor antiquus.
236 Paulinus Bernardinus, Dominicanus.
237 Paulus Burgenſis, Epiſcopus.
238 Paulus de Perusio, Carmelitanus.
239 Petrus de Bruco, Canoniſta.
240 Petrus Calo Clugenſis, Dominicanus.
241 Petrus Capuanus, vel Capnanus.
242 Petrus Comeſtor, Magiſter Hiſtoriæ.
243 Petrus Damianus, Beatus.
244 Petrus Galdinis, Dominicanus.
245 Petrus Ieremias, Dominicanus.
246 Petrus Lombardus, Magiſter Sententiarum.
247 Petrus Mediolanenſis, Canoniſta.
248 Petrus de Palma, Dominicanus.
249 Petrus de Palude, Dominicanus.
250 Petrus de Parma, incertus.
251 Petrus Rauenas, Doctor incertus.
252 Petrus de la Scala, Dominicanus.
253 Petrus de Tarantaſia, Dominicanus.
254 Petrus Tripolitanus, Beatus.
255 Philippus de Monte Calerio, Minorita.
256 Phiſiologus, Auctor incertus.
257 Pictanus, Auctor incertus.

258 Polidophorus, Doctor antiquus.
259 Porchetus de Saluaticis, Carthusiensis.
260 Præpositus, vel Præpositiuus.
261 Prosper Regiensis, Sanctus.

R

262 Rabanus Fuldensis, Abbas Beatus.
263 Raphael de Parnasio, Dominicanus.
264 Raymundus Compillator, Beatus Dominicanus.
265 Raynerus de Pisis, Dominicanus.
266 Reginaldus Rothomagensis, Minorita.
267 Remigius Rhemensis, Archiepiscopus.
268 Rethicius, siue Reticus, Beatus.
269 Richardus Anglicus, Episcopus.
270 Richardus de Mediavilla, Minorita.
271 Richardus Rodulphus de Hybernia.
272 Richardus de S. Victore.
273 Robertus Anglicus, Dominicanus.
274 Robertus Contton, Minorita.
275 Robertus Holchot, Dominicanus.
276 Robertus Mediolanensis, Episcopus.
277 Robertus de Tornaco, dubius.
278 Romanus Magister, Dominicanus.
279 Rupertus, Abbas Tuitiensis.

S

280 Scriptura ſacra vtriuſque Teſtamenti.
281 Sedulius Presbyter, Poeta.
282 Seuerianus, Sanctus Epiſcopus.
283 Seuerinus Boetius, Sanctus.
284 Seuerus, Doctor Beatus.
285 Sicardus, Cremonenſis Epiſcopus.
286 Sinibaldus Romanus, Dominicanus.
287 Soccus Ciſtercienſis, vel Carthuſianus.
288 Speculator, ſiue Speculum Iuris.
289 Stephanus, Doctor antiquus.
290 Stephanus, Doctor Canoniſta.
291 Synoda ſacra, ſeu Concilia.

T

292 Theodorus, Epiſcopus Beatus.
293 Theodorus Teuthonicus, Beatus.
294 Theophilus Alexandrinus, Beatus.
295 Thomas de Ales, Minorita.
296 Thomas de Aquino, Sanctus Doctor Dominic.
297 Thomaſinus, Ordinis Prædicatorum.
298 Thomas de Linchino, Dominicanus.
299 Thomas de Suetonia, Dominicanus.
300 Thomas de Vio Caietanus, Dominicanus.

301 Thomas de Vvalleis, Dominicanus.
302 Titus Boſtrenſis, Beatus.

V

303 Vbertinus de Caſali, Minorita.
304 Vgo, Doctor antiquus.
305 Vgolinus de Vrbe Veteri, Auguſtinianus.
306 Vincentius Banchellus, Dominicanus.
307 Vincentius Bandellus Caſtronouo, Dominican.
308 Vincentius Herculanus, Dominicanus.
309 Vincentius Hiſtorialis, Dominicanus.
310 Vincentius Septarius, Dominicanus.
311 Vincentius Valentinus Sanctus, Dominicanus.
312 Vlricus Argentinenſis, Dominicanus.
313 Vviliermus, Doctor Canoniſta.

Z

314 Zacharias Cryſopolitanus, Epiſcopus.
315 Zozimus, Papa Sanctus.

FINIS AVCTORVM.

Con-

Conceptio tua Deigenitrix virgo gaudium annuntiabit vniuerſo mundo, ex te enim ortus eſt Sol Iuſtitiæ.
Ex Officio Romano.

Propter hoc legem dauid delinquentibus in via. Diriget manſuetos in Iudicio : docebit mites vias ſuas: vniuerſæ viæ Domini miſericordia & Veritas, requirentibus teſtamentum eius, & teſtimonia eius.
Pſalm. 24. *Verſ.* 9. & 10.

Diligite Dominum omnes Sancti eius : quoniam Veritatem requiret Dominus, & retribuet abundanter facientibus ſuperbiam.
Pſal. 30. *Verſ.* 24.

Miſericordia & Veritas obuiauerunt ſibi Iuſtitia & pax oſculatæ ſunt: Veritas de terra orta eſt, & Iuſtitia de cœlo proſpexit.
Pſalm. 84. *Verſ.* 11. & 12.

Neque profanabo teſtamentum meum: & quæ procedunt de labis meis non faciam irrita. Semel iuraui in Sancto meo ſi Dauid mentiar: ſemen eius in æternum manebit. Et thronus eius ſicut Sol in conſpectu meo: & ſicut Luna perfecta in æternum : & teſtis in cœlo fidelis.
Pſalm. 88. *Verſ.* 35. &c.

Granum purum excuſſa palea ſummi Regis intrat in horrea.
S. Bonauent. in Offic. S. P. N. Franciſ.

TRITVRATIO,

VBI AD SEPARANDAM LVCEM A TENEBRIS, ET granum purum à paleis ex CCC XV. Sanctis, Patribus, atque Doctoribus in ſuprapoſita Area congregatis, & adductis per Meſſores, ſeu Recollectores Prædicatoriæ Familiæ, circa ſuam opinionem de Sanctificatione Virginis Mariæ, poſt animationem, ac contractionem originalis maculæ, &c. Secundùm temporis, & annorum ſeriem, Meſſorum Nomina, & Dignitates proponuntur, eorumque Libri, Opuſcula, & Dicta radicitùs enucleantur: atque Verba, quæ Trituratione indigent, huiuſmodi maiuſculis litteris SIGNANTVR.

Num. I. *Anno* 1217.

VINCENTIVS de Caſali, Mõferrinus, Ordin. Prædicatorum, ad annum 1217. ſcripſit Tractatũ de Cõceptione B. Virginis Mariæ, ſecundùm Anton. Senẽſem in ſua Biblioth. fol. 265. cuius verba ſunt: *Frater Vincentius de Caſali, &c. ſcribendo* TRACTATVM *de Conceptione B. Virginis* ERVDITVM, *vt Auctor Supplem. Chronic.* DICIT, *quo etiam teſte claruit anno* 1217. Sed iſta Senenſis verba, ò Lector, ficta abſolutè, & à veritate prorſus aliena inueniuntur. Primò: quia Auctor Supplemẽti Chronicarum, qui fuit Iacobus Bergomenſis, Ordin. S. Auguſtini, nec verbum habet de tali Vincentio de Caſali, in illo anno 1217. ſed neque in aliquo alio totius ſui libri: legimus enim totum. Secundò: quia ex eodem libro Supplementi conſtat, quòd ad annum ſequentem, ſcilicèt, 1218. fuit inſtitutus, & approbatus Prædicatorum Ordo: inquit enim lib. 13. fol. 199. *Hoc anno* (ſcilicèt, 1218.) *velut nouum ſydus, &c. à B. Dominico diuinitùs excitatus &c. Ab Honorio auctoritate Apoſtolica tandèm approbatur, & confirmatur, &c.* Et infrà ad annum 1224. ponit confirmationem Ordinis Minorum: quomodò ergò antè ſuam inſtitutionem, & ortum in Eccleſia per vnum annum poterat Religio Dominicana habere in Monferrato illum Vincentium de Caſali, ſingularem Philoſophum, ac Theologum, qui ſcripſerit eruditum Tractatum de Conceptione? Tertiò: quia Ioann. Mich. Pius in lib. de Vir. illuſ. Ord. Prædic. part. 2. lib. 3. col. 121. recognoſcens hunc Senenſis impoſsibilem, & incompatibilem errorem, cupiens illum emendare, reduxit Auctorem iſtum Vincen-

tium ad annum 1517. sic Italicè dicens: *Fra. Vicenzo da Casale, Monferrino, segnalato Filosofo, è Theologo, scrisse vn trattato della Concettione della B. Vergine. Fiorina del 1217. secondò il soplemento delle Croniche, per testimonio del Lusitano, ma vi è errore nel Centenario senz altro, & è facilmente errore nel, impressione, se bene nō trouo il tempo prefisso.* Ab illo eadem verba transcripsit Alphons. Fernandez Placentinus in Concert. fol. 439. sed ambo *senza altro* multiplicarunt errorem Anton. Senēsis, non videndo Supplementum: nam si illud recognoscerent, non inuenientes suum Vincentium, in illo centenario, & anno, neque in aliis, simul viderent, non fuisse errorem impressionis, sed intentionis; *quo etiam teste* corrigerent, Senensem prætermitendo Auctorem; & si nolent, ne tam strenuus miles Monferrinus Philosophus, ac Theologus deesset à concertatione sua contra Immaculatam Conceptionem, saltem non reducerent illum ad annum 1517. intercalando per syncopam 300. integros annos, & in materia prorsus impossibili; nam historia illa Bergomensis non peruenit ad annum 1517. sed cō cluditur anno 1490. Fuit ergo error istorum peior priore; & Auctor Vincentius, quia à parte ante, & à parte post venit ante tempus, & exortus fuit sine luce veritatis, cecidit in foueam, atq; reuersus est per iter, quo venerat.

Veritas est, quòd talis Vincentius de Casali fuit fictus propter superiùs dicta, & quia nullus Nomenclator antiquus, vel modernus de ipso mentionem facit, nec eius Tractatus impressus, aut manuscriptus hucusque comparuit: nisi mitiùs iudicando velimus dicere: quòd hic Vincentius de Casali fuit Vincentius de Castronouo, qui etiam extitit Monferrinus, & scripsit non vnum, sed tres Tractatus diuersos (si eruditos, videbimus num. XXIII. & in ventilatione num. 307.) non ad annum 1217. neque 1517. sed ab anno. 1470. vsque 1502. Nomenclatores ergo Dominicani, vt multiplicarent Auctores suos, atque Tractatus contra Virginis Mariæ puritatem, mutando Castrum in Casali, & variando annum, alterum finxerunt Vincentium. Item potest esse, quòd hic Vincentius de Casali, Ordinis Prædicatorum, cum suo Tractatu de Conceptione, sit ille, quem Aduersarii appellant Iacobum de Casa, Ordinis Minorum cum alio Tractatu de Conceptione, vt videbimus in ventil. 134. sic que ex vno castro vero, vt darent casum in Maria, finxerunt Casam, & Casalem, & verificatur hìc illud: Sarra sterilis virtutē in Conceptionem accepit, etiam præter tempus ætatis, &c.

Num. II. *Anno* 1262.

DOMINICVS de Panthaleonibus, Ordinis Prædicatorū, Florentinus; ad annum 1262. Secundùm Anton. Senensem in Biblioth. fol. 68. Ioann. Mich. Pium, part. 2. lib. 1. col. 58. Alphon. Fernan. Placent. fol. 351. inter alia scripsit TRACTATVM *de peccato originali*, alium de Corpore Christi, & alterum super Auerruem de substantia orbis, quam notitiam desumpserunt (vt ipsimet dicunt) à Iacobo de Susato. Thom. Maluenda in lib. de Paradys. cap. 60. fol. 191. loquens de illo libro communiter adscripto S. Do

mini-

minicō de Corpōre Chriſti. *Cum de Conceptione B. Mariæ Virginis diſſeritur, &c.* proſequitur ſic. *Iacobus de Suſato in Chronico Ordinis Prædicatorum, & Antonius Senenſis in Bibliotheca Vir. illuſ. eiuſdem Ord. referunt, F. Dominicum de Panthaleonibus inter alia ingenii ſui monumenta compoſuiſſe Tractatum de Corpore Chriſti: quem claruiſſe memorant circa annum ſalutis 1262. nempè annos 41. poſt obitum S. P. N. Dominici. Illius ergo potiùs quàm S. Dominici videtur fuiſſe Tractatus ille de Corpore Chriſti, quem Galatinus, & alii citant, &c.* Michael Pocciantius, Florentinus, in ſuo Cathalogo ſcriptorum Florentinorum fol. 47. inquit: *Dominicus Panthaleonus, ex Ordine Diui Dominici Pater, Philoſophiæ cultor perpetuus, &c. Compoſuit de Conceptione per modū dialogi,* CONTRA *Fratres Minores. Itē aliū* TRACTATVM *de eadem materia, &c. Hæc autem omnia apud Bibliothecam Cœnobii S. Mariæ Nouellæ, cuius erat alumnus, commorantur: interiit Florentiæ 1376. die 28. Auguſti.* Ex iſto tranſcripſit Hyppol. Marrac. quæ dixit in ſua Biblioth. Mariana, fol. 348. At Lucas Vvading. in Cathalog. ſcrip. Seraph. Relig. pag. 104. iſtū Dominicum Panthaleonem Florentinum adducit inter Minoritas, cum eiſdem tractatibus de Conceptione B. Mariæ, Dialogo de eadem. De ſubſtantia Orbis, de forma Conſecrationis ſanguinis Chriſti, &c. Hæc ſunt omnia quæ extant in Nomenclatoribus Eccleſiaſticis de hoc Auctore, & nihil ampliùs.

Ex quibus omnibus dico: quòd Auctor iſte videtur fictus, & duo illi Tractatus de Conceptione ſuppoſiti. Primò: propter has genericas rationes; quia nullus Nomenclator antiquus de illo mentionem facit, & ex iſtis moderniis iam vides, quòd non conueniant in Religione, nec in tempore, cum dicāt aliqui, floruiſſe ad annum 1262. alii verò ad annum 1376. neque conueniūt in Tractatibus; nam aliud eſt, ſcribere Tractatum vnum de peccato originali, & aliud, ſcribere duos de Conceptione Virginis, & contra Minoritas. Secundò: magis ſpecificè, quia ſiuè ſcripſerit ad annum 1262. vel 1376. Auctor iſte præceſſit Turrecrematam, cuius tempore Patres Prædicatores ſcrutati ſunt omnes Bibliothecas ſuas, & non ſuas, ad faciendam relationem pro ſua opinione coram Patribus Concilii Baſilienſis; præceſſit etiam S. Antoninum Florentinum, qui in eadem Ciuitate, & Conuentu S. Mariæ Nouellæ confecit ſuum Cathalogum de Auctoribus pro ſua opinione, vt infrà videbimus. Non ergo prætermitteret iſtum Dominicum de Panthaleonibus, & idē dico de Bandello, Vincentia, & aliis etiam Italis, quorum nullus vel minimam de ipſo mentionem facit. Tertiò probatur in indiuiduo: quia egomet anno 1651. fui Florentiæ, & in ipſa Bibliotheca S. Mariæ Nouellæ; ſed nec talem Auctorem, auc Tractatum inueni, niſi forte eſſent in alio ſecretiori loco, vel recondito Archiuio. Quartò: quomodò ad annum 1262. quando S. Thomas habebat triginta quatuor annos, & S. Bonaventura quadraginta, & nulla erat controuerſia de Conceptione, iam Patres Prædicatores, duplicata manu armata, à dextris, & à ſiniſtris dimicabant contra Conceptionem, & Minores? Sunt ergo omnia iſta teſtimonia & inter ſe non conuenientia, & à via veritatis deuia.

Num. III. Anno 1280.

GERARDVS, vel Georgius Adæ, Ordinis Prædicatorũ, Archiepiſcopus Antibarienſis, compoſuit Oficium de Sanctificatione Virginis Mariæ, circa annum 1280. Accipe verba Alphon. Fernand. Placentini de Scriptor. Prædic. Familiæ, fol. 363. inter ſcriptores Gallos Auctore 1. *Frater Gerardus (aliis Georgius) Archiepiſcopus Antibarienſis, vir doctus, & pius ſcripſit officium vndecim millium virginum, officium B. Georgii Martyris, officium B. Thomæ; atque officium de* SANCTIFICATIONE *B. Virginis circa annũ* 1280. Hęc verba, vt ipſemet fatetur, ad marginem tranſcripſit ex Anton. Senenſi, qui in ſuo Chronic. ad ann. 1260. fol. 115. inquit. *Tres viros lego per hæc tempora claruiſſe, &c. ſunt autem illi, F. G. Adæ Archiepiſcopus Antibarienſis, &c.* & in Biblioth. fol. 91. *Frater G. Adæ, Archiepiſcopus Antibarienſis, &c. compoſuit officium Sanctificationis B. Virginis Mariæ, officium B. Thomæ de Aquino, &c. claruit circa annum Domini* 1280. Hæc ſunt ſolummodò, quæ extant de hoc Auctore in tota litteratura Eccleſiaſtica antiqua, & moderna Dominicana, & non Dominicana, & quæ, vt ficta, & falſa reiicienda eſſe affirmo, & probo, diſcurrendo per ſingulas partes ſic.

Primò, nomen *Gerardus*: adductum à Placentino, eſt fictum, atque ſuppoſitum, vt de ſe patet: quia Senenſis vtrobique tantummodò vocat illum G. & ex hac mera littera finxit Placentinus illa nomina, *Gerardus*, & *Georgius*; ſed eadem facilitate poterat dicere, Guillielmus, Gualterius, Garricus, Gabriel, Gregorius, Gelaſius, &c. Secundò: etiam eſt fictum illud: *aliis Georgius*: ſupponit enim, quòd de nomine huius Auctoris fuerint inter Scriptores diuerſę opiniones; ſed cùm ſolus, & vnicus Senenſis de hoc Auctore mentionem faciat, & iſte nec appellet ipſum, Gerardum, nec, Georgium, ſed ſolùm G. quomodò verificabitur illud, *aliis Georgius*? Tertiò: nomen *Adæ* etiam fuit fictum, quia in tota Nomenclatura Ordinis Prædicatorum nullus eſt Auctor cognominatus Adam, licèt fuerint tres nominati Adam. Quartò: Archiepiſcopatus Antibarienſis etiam eſt fictus, quia neque in Gallia, nec alia Chriſtianitatis parte fuit, nec eſt talis Archiepiſcopatus Antibarienſis, vt conſtat ex vtroque Prouinciali Eccleſiarum antiquo, & moderno. Quintò: quia non conſtat de tempore, quo Floruerit; nam Senenſis in Chronicon facit ipſum Archiepiſcopum ad ann. 1260. & in Bibliotheca ad ann. 1280. Sexto: ex officio S. Thomæ: quia Angelicus Doctor deceſsit à vita ann. 1270. & in Sanctorum numero fuit relatus anno 1322. decimoquinto Kal. Auguſti: quomodò ergo potuit S. Thomas habere officium proprium antè decem annos à ſua morte, vel ſit poſt decem annos ab illa ſaltem, ſemper erit antè ſuam canonizationem ad minus quadraginta duos? Patres mei, quid dicemus, ſuppoſitis his, ad officium de Sanctificatione? Ego dicerem pro veſtræ Sacræ Religionis honore, quòd aliquis inimicus homo iſtud ſuperſeminauit figmentum in veſtro agro Dominico. Et ratio eſt: quia quando Bernardinus de Buſtis edidit officium de puritate, & innocentia Mariæ, ſtatim ſurrexit homo, qui edidit alterum officium ſub hoc deteſtando titulo. *De contaminatione,*

&

& corruptione Mariæ; vt dicit ipse Bustos Serm. 9. & nos latè in Ventilabro clas. 9. Quando Leonardus de Nogarolis disposuit officium de Immaculata Conceptione, statim etiam surrexit alter homo, qui edidit officium de Sanctificatione, seu maculata Conceptione, vt videbimus in Ventilatione num. 201. ad finem; sic similiter, quia ad annum 1263. fuerat per quandam Constitutionem statutum, vt in Religione Minorum recitaretur officium Conceptionis, vt dicemus num. 49. ad finem: fuit etiam aliquis inimicus homo, qui sub littera G. & cognomine Adæ, & Archiepiscopatu ficto, ad annum 1260. finxit hoc officium Sanctificationis, vt opinio minus pia semper anteiret, & in nullo cederet, &c. sed in vanum, quia cecidit, & tale officium nec visum, neq; auditum fuit in rerum natura. Hęc dicit veritas, si fortè audiãt, & quiescant.

Num. IIII. [*Anno* 1303.]

THOMAS Iorsius, de Vvalleis, Gualensis, Theobaldus, Anglicus, Ordinis Prædicatorum, & S.R.E. Cardinalis S. Sabinæ, de quo latè agimus in Ventil. num. 301. secundùm Nomenclatores Dominicanos scripsit inter alia LIBRVM *de Conceptione B. Virginis Mariæ*: ita Anton. Senensis in Biblioth. fol. 243. Mich. Pius part. 2. lib. 1. colum. 128. & alii post istos. Sed quàm parua fides sit præstanda Senensi primo prædicti libri inuentori, latè etiam in dicto numero demonstratur; ideò hìc pro Trituratione solùm statuimus pro certa, ac indubitata conclusione, Auctorem fuisse in rerum natura, & scripsisse plura; sed quòd ediderit librum de Conceptione, existimo prorsus esse à veritate alienum. Primò: quia nullus Nomenclator antiquus de tali libro Conceptionis mentionem facit, nec ab scriptoribus de hac Conceptionis materia nominatur. Secundò: quia Aduersarii, Turrecremata, Bandellus, Vincentia, &c. qui ipsum adducunt pro sua opinione super Psalterium, propter quædam æquiuoca verba, parum, vel nihil exprimentia suum intentum, potiori iure ipsum introducerent ad Aream, si talis liber Conceptionis, vel saltem illius notitia fuisset suo sæculo. Tertiò: quia impressus certissimum est, quod non extat, manuscriptum nullus vidit, nec adhuc Nomenclatores ipsi Dominicani dicunt, quomodo incipiebat, aut vbi extabat, quòd in aliis libris verè existentibus ferè semper obseruant. Quartò: quia in huius Auctoris operibus, quæ modò extant, quorum ego vidi, & legi aliqua, nullibi de tali Conceptionis libro mentio fit. Istæ solùm sunt coniecturæ, licèt efficaces, vt existimemus, prædictum librum nec esse, nec fuisse: credemus autem contrarium, quando ipsum ostenderint; sed si hoc in tribus antecedentibus erit dificile, de hoc quarto via penitùs ignoratur.

Num. V. [*Anno* 1309.]

GVILLIELMVS de Gannaco, vel de Ganco, Ordinis Prædicatorum, circa annum 1309. vel 1335. edidit Tractatum, sub titulo: DE

VERA *innocentia Matris Dei:* in quo recollegit Doctores,& Auctores pro ſua opinione,ſi credendum eſt Ioanni Capreolo,& Paulo Soncinati in 3. diſt. 3. quæſt. vnica,artic. 1. Poſtquam enim Capreolus retuliſſet quadraginta Doctores pro ſua opinione, ſic concludit: *Richardus de Mediavilla, & MVLTI alii; quorum* DICTA *recitat Frater Guillielmus de Gannaco, in* TRACTATV, *quem ſuper hac materia edidit, & intitulatur de* VERA *innocentia Matris Dei, &c.* Dixi: ſi credendum eſt Capreolo, quia nullus alius ſcriptor antiquus, aut modernus, extraneus, vel proprius Ordinis Prædicatorum, nec ipſimet Aduerſarii, Turrecremata, Bandellus, Vincentia, Gryſaldus, &c. qui copioſiſsimos cõfecerunt Cathalogos pro ſua opinione, de tali Guillielmo de Gannaco minimam faciunt mentionem. Cùm ergò opus Capreoli ſuper ſententias commune ſemper fuerit apud Scholaſticos,& inter Thomiſtas communiſsimum (quia ante Cayetanum pro primo diſcipulo, ac vnico interprete Angelici Doctoris habitus fuit) quare autem nullus Aduerſariorũ adduxerit Guillielmum de Gannaco expreſſum in Capreolo,& Soncinate, mihi penitùs abſconditum eſt myſterium. Nam dicere, quòd tot, tantique doctiſsimi Patres non legerunt ſuum Capreolum, vel ſaltem Soncinatem, videretur temeritas: dicere, quòd viderunt, ſed conſultò prætermiſerunt, cognoſcẽtes Capreolũ finxiſſe Auctorem Gannacum, & opus de vera innocentia, redoleret audaciam, ſed vtrunque eſt poſsibile. Patres mei in re tam dubia, hoc vnum affirmo, quòd nullus Nomẽclator, nec vllus ex Aduerſariis, Turrecremata, S. Antoninus, Bandellus, Vincentia, Deza, Gryſaldus &c. adducunt Gannacum, neque Capreolum, vt videbimus infrà num. XI. Cauſam verò vos tacitè ruminate; quia pro nunc ſupponendo, quòd talis Guillielmus de Gannaco fuerit in rerum natura, & ſcripſerit Tractatum illum de vera innocentia Matris Dei, triturare opportet illa.

Primum: *& multi alii*: igitur non tantùm illos quadraginta adductos à Capreolo, ſed multos alios Doctores, referebat ille Gannacus pro ſua opinione? & ſic iam ſæculo 13. id eſt, ad annum 1300. non ſolùm quadraginta, ſed etiam *multi alii* ſuſtinuerant opinionem Aduerſariorum? Capreolus non exprimit, quales fuerint illi *multi alii*; quare exiſtimo, verbum hoc fuiſſe additum ſine fundamento ad inanem oſtentationem, & fantaſticam multiplicationem Auctorum; nam ſi in illis quadraginta adduxerat Guillielmus de Gannaco S. Thomam, S. Bonaventuram, Albertum Magnum, Alexandrum de Ales, Richardum de Mediavilla, & alios huiuſmodi vſque ad numerum quadragenarium, ſupra quos cadere poterat, illud: *& multi alii*? Secundum ſit: *Quorum dicta recitat*, ergo Gannacus non ſolùm adduxerat multitudinem Doctorum pro ſua opinione, ſed etiam ipſorum auctoritates,& verba; Capreolus omnia iſta prætermiſit, & ego dicerem ad excuſationẽ aliorũ, quòd iſte Gannacus incognitus, & deperditæ memoriæ inter Eccleſiaſticos ſcriptores finxit Auctores, & vitiauit omnes auctoritates infrà Ventilandas: at huic piæ conſiderationi clauſerunt ianuam, Turrecremata,& Bandellus, affirmãdo, quòd ipſi ſuis propriiſmet oculis viderunt Auctores, & auctoritates in

pro

proprio fonte, & originalibus, & ſic præcluſerunt omnem viam ad quamcunque charitatiuam, atque Religioſam excuſationem. Tertium eſt illud, *de vera innocentia Matris Dei*. En, ò lector, ab hoc Auctore Gannaco incipit veritas cum innocentia; ſed exiſtimo, quòd ſicut in Conceptione Matris Dei fuerunt incompatibiles *vera innocentia* cùm macula, & peccato originali, ita nec fuit *vera*, neque *innocentia*, neque innocens veritas in Auctoribus, & auctoritatibus contra ipſam adductis. Finis coronabit opus, & exitus acta probabunt. Alia, quæ hìc deſunt de Guillielmo de Gannaco, & eius Tractatu, vide infrà num. XI. & in ventilatione num. 110.

Num. VI. *Anno* 1314.

DOMINICVS, vel Iacobus Ægidius de Barchinona, vel Cathalonia, Ordin. Prædicatorum, ac Magiſter Sacri Palatii, ſcripſit Tractatum, vel Tractatus de Conceptione Virginis Mariæ, ab anno 1314. vſque 1500. & ne mirereris Lector ex iſto noſtro loquendi modo; nam ab hoc ſcriptore incipiunt confuſiones, & multiplicationes ſine modo, ordine, nec fine. Anonymus in Claſſe de Prædicatoribus circa finem ſic inquit: *Idem tenet Magiſter Iacobus de Cathalonia vir famoſiſsimus, Magiſter Sacri Palatii in Tractatu* GLORIOSO, *quem de Conceptione compoſuit*. Et infrà concludit illam Claſſem ſic: *Idem tenet Frater Dominicus de Cathalonia in quodam* PARVO *Tractatu de Conceptione*. Qui poſt Anonymum ſcripſerunt, vt Bandellus, Vincentia, & Deza ſic vnanimiter dicunt: *Idem tenet Magiſter Iacobus Ægidius de Barchinona, Magiſter Sacri Palatii in* TRACTATV, *quem de Conceptione B. Mariæ compoſuit*. Et infrà: *Idẽ tenet doctiſsimus Pater Frater Dominicus de Cathalonia in* TRACTATV *de Conceptione B. Mariæ Virginis*. Ecce, lector, habemus in iſtis quatuor, tres famoſiſsimos, atque doctiſsimos Auctores diſtinctos, Iacobum de Cathalonia, Dominicum de Cathalonia, & Iacobum Ægidium de Barchinona; ſed ij tres vnum ſunt, & ille vnus non fuit in rerũ natura. Proſequere, quia multò maiora videbis.

Nomenclatores Dominicani omnes, ex hac Aduerſariorum confuſione aliam longe maiorem machinati ſunt. Proponam vnicum tantummodò exẽplum, relinquendo alia pro Ventilatione. Ioann. Michael Pius, qui ſcripſit noſtris temporibus, de homin. Illuſ. Ordin. Prædicat. anno, ſcilicèt. 1607. ſic inquit. par. 2. lib. 2. col. 181. ad annum 1348. *Fr. Domenico Spagnuolo, Cathalano di natione, ſcriſſe vn libro, ouero trattato dalla Concettione della B. Vergine*, & allegat Vincen. Bandellum & Anton. Senenſem (ſed Senenſis adducit iſtum, vel ſequentem ad annum 1314.) Infrà in eadem part. colum. 227. ad annum 1406. inquit: *Fra. Giacomo, ignoto di Patria, Catalano, & Spagnolo di natione, compoſe vn libro de la Concettione della B. V. chie viene citato dal Bandello, nel libro che gli racolſe da molte ſentenze de Padri, in queſta materia*, & citat Senenſem Luſitanum, & Amb. Gozeum. Infrà lib. 3. col. 24. ad ann. 1444. inter Magiſtros Sacri Palatii inquit: *Fra Pauolo Egidio Aragoneſe, vedi ſotto tra li ſcritori a Fra Giacomo*

como de Ægidio. Infrà col. 27. ad ann. 1447. iterùm sic: *F. Giacomo d' Ægidio Spagnolo, che alguni Chamano F. Paulo Ægidio, Prouinciale de la Prouincia de Aragonia, & poi Maestro di sacro Palacio, sotto Nicolao V. &c. Compose vn Tratato del Sangue de Christo. Vn libro della Verita della Concettione della B. Vergine, & ad instanza di Calixto III. l' Vfficio de la Transfiguratione del Signore, &c.* Et citat Senensem Razzium, & Gozeum. Infrà col. 31. ad annum 1451. inquit: *Fra Giacomo di natione Cathalano, buon scolastico, scrise vn libro della Concettione de la B. Vergine.* Et citat Amb. Gozeum, & Vinc. Bandellum. Denique infrà col. 86. ad annum 1500. *Fra Giacomo Spagnolo ignoto de Patria, è Catalano di natione, compose vn libro della Concettione della B. Vergine, che vene citato dal Generale Fra Vicencio Bandello, nel libro della Sanctificatione, &c.* Et allegat Senensem. Si omnia, in quibus hic Nomenclator Dominicanus discessit à veritate in relatis verbis, essent à radice examinanda, procederemus sine termino; nam hìc Auctor vltimus, qui vixit ann. 1500. quomodò potuit citari à Bandello, qui scripsit anno 1481. Sed omnia ista prætermissa, & ad principale punctum respiciens; si Aduersarii ex vno Cathalano fecerunt tres, ipse ex eodem fecit sex iam relatos, spargens illos per diuersa sæcula ab anno 1314. vsque 1500. quando nec sex, nec tres, imò nec vnus fuerit, qui scripserit librum, Tractatum glorioſum, nec Tractatum paruum de Conceptione; vt latè ostendimus in Ventilatione. Retuli enim ista summatim hìc, vt ex hac trituratione cognoscatur, quòd alibi sæpè ostendemus, scilicèt, quòd in hac Conceptionis materia, nulli, nullibi, & nunquam est credendum.

Num. VII. *Anno 1348.*

DOMINICVS de Monteluporum, Italus, Ordinis Prædicatorum, ad annum 1348. scripsit TRACTATVM *de Conceptione B. Virginis.* Ità Ioann. Mich. Pius, par. 2. lib. 2. colum. 181. Alphons. Placentinus, in Concertat. fol. 351. Pius, à quo Placentinus transcripsit, allegat Amb. Gozeum, addens, quòd prædictus Tractatus inuenitur in Conuentu Raguſino: sed cùm de hoc scriptore, atque Tractatu nulla alia magna, aut parua reperiatur notitia inter Nomenclatores, adhuc Dominicanos, nimis dubito de Auctore, & multò magis de Tractatu: nam Auctor Italus, & Tractatus in Raguſia, potest esse; sed credat hoc, qui voluerit; quia ego solùm affirmo, Auctorem esse incognitum, Tractatum nunquam fuisse typis mandatum, & manuscriptum à nullo alio visum fuisse, nisi tantummodò post trecentos vndecim annos, ab vno solo Gozeo Dominicano; & væ soli quia cùm ceciderit, &c. Vidi omnes Nomenclaturas, excrutatus sum non paruas Bibliothecas, legi quidquid hucusque scriptum est de Conceptione, per agraui Europam, sed numquam mihi occurrit Mons iste Luporum.

Num. VIII. *Ann. 1355.*

HENRICVS de Heruodia, vel Esfordia, Saxo Mindensis, Ordinis Prædicatorum optimus Philosophus, ac Theologus insignis, ad ann. 1355. scripsit inter alia: *Tractatum de Conceptione B. Virginis, eam in peccato originali conceptam* PROBANDO. Ita Antonius Senensis in Bibliot. fol. 103. à quo posteà Mich. Pius par. 2. lib. 2. col. 191. Placentin. fol. 373. Posseuinus, fol. 697. Hunc Auctorem, atque Tractatum antè Senensem adduxit Leander Alber. lib. 4. fol. 153. Sed non habet illa vltima verba: *Eam in peccato originali probando*: quæ gratis addita fuisse non dubito: quia Senensis non vidit illum Tractatum, vt ex eius verbis constat. Sed quidquid sit de additione Senensis, & Tractatus Alberti, Auctor penitùs incognitus est, quia Ioannes Trithemius in Bibliot. fol. 90. mentionem facit de quodam Henrico de Esfordia, qui floruit ad annum 1350. & scripsit de factis memorabilibus; at nihil dicit de eius statu, seu Religione: & in Cathalogo illust. viror. Germaniæ, fol. 145. iterùm eundem adducit, & commemorans aliqua eiusdem Opuscula, scilicèt, de Memorabilibus, Summam, & Sermones, concludit sic: *Et alii diuersi Tractatus, ex quibus eum religiosum fuisse coniicimus, quamquam Ordinis sui differentiam ignoremus: claruit anno* 1350. Ex nomine, patria, & anno videtur esse vnus, & idem; sed non ex Religione, neque ex Tractatibus; quia sunt valdè diuersi relati à Senensi ab istis Trithemii. Ego existimo, neque istum fuisse Dominicanum, neque scripsisse Tractatum de Conceptione, sed de hoc Auctore dicta esse, sicut alia, quæ Leander, & Senensis adducunt sine vllo fundamento, & veritate, passim infrà detegenda; quod verò non existimo, sed affirmo, illud est, quòd Tractatum de Conceptione, nec natum, aut conceptum, impressum, scilicet, aut manuscriptum nunquam ipsi viderunt, nec ostendent, quia si fuit in partu, occubuit.

Num. IX. *Ann. 1383.*

IOANNES de Montesono, Doctor Parisiensis, Ordinis Prædicatorum, Hispanus; sumpta occasione ex eò quòd ad annum 1383. Vniuersitas Parisiensis determinarat, Mariam Matrem Domini per nullum instans, vel momentum originali culpæ subiectam, sed singulari priuilegio ab omni macula immunem extitisse: in quibusdã Vespertinis Sorbonicis coram omni Academia fecit RESVMPTAM, seu potiùs inuectiuam contra Immaculatam Conceptionem; inquisitus verò propter hãc, edidit TRACTATVM, seu deffensorium suæ Resumptæ; postquam autem conclusiones aliquæ in prædicta Resumpta, ac Tractatu contentæ ab Episcopo, & tota Facultate Parisiensi, vt falsæ, hæreticæ, & erroneæ, fuissent damnatæ, & Montesonus excommunicatus; recurrens ad Curiam Romanam, dedit Summo Ecclesiæ Pontifici SVPPLICATIONEM, seu querelam, in qua, vt

di-

dicitur in Tractatu de Erroribus Parisiis condemnatis, fol. 423. *ferè tot sunt* MENDACIA, *quot sunt verba.* Contra hæc tria opuscula Montesoni iussu eiusdem Vniuersitatis scripserunt Ioannes Vitalis, Ordinis Minorum, Hispanus (distinctus ab alio Ioanne Vitali de Furno, Gallo, & Cardinali S. R. E. qui diem clausit extremum ann. 1327.) Deffensorium, quod incipit: *In hoc primo libro referatur de dono originalis iustitiæ, &c.* Atque Ioannes Alanus, etiam Doctor Parisiensis librum, qui incipit metricè: *Temporis in motu quondã anfractu diurno.* Ex his enim Tribus testibus oculatis transcribam hìc aliqua pertinentia ad Tritutationem de illis, quæ continebantur in relatis tribus opusculis Montesoni; nam ipsius originalia, vt reproba, atque damnata penitùs interierunt.

Dicebat igitur Montesonus in illis suis opusculis, vt refert ipsamet Facultas Parisiens. *Primum est: quòd aliquæ conclusionum suarum trahuntur ex doctrina S. Thomæ: quam facultas Theologiæ alias* EXPRESSE *commendauit, & Dominus Stephanus Episcopus Parisiensis, per suas litteras* APPROBAVIT. *Secundum est; quòd Dominus Vrbanus Papa V. per eius Bullam Vniuersitati studii Tolosani scripsit, & voluit eiusdem Sancti doctrinam tanquam* BENEDICTAM, *&* CATHOLICAM, *sequi, &* TENERI *à Christicolis, & studiosis, & eam pro viribus* AMPLECTI. Hæc sunt vniuersitatis verba. (Sed vt ista de approbatione doctrinæ S. Thomæ, quæ hucusque tot iurgiorum, atque scandalorum causa extiterunt, & adhuc de præsenti sunt, deinceps sub perpetuo maneant silẽtio, detegendo à radice ipsa, rem propono sub hac nuda veritate, vt ad finem iudicet Lector secũdùm iustitiam.) Videns enim prædictus Montesonus, aliquas propositiones suæ primæ Resumptæ fuisse à Facultate Parisiensi damnatas, vt erroneas, & hæreticas, in Tractatu, seu Deffensorio sequenti fecit hoc argumentum: Vniuersitas ista Parisiensis non potest condemnare, vt falsum, temerariũ, vel erroneũ, &c. Illud, quod iam ab eadẽ Vniuersitate, & ab Stephano suo Episcopo, ac denique à Pontifice supremo Ecclesiæ capite est approbatum, vt verum Catholicum, &c. Sed doctrina S. Thomæ, in qua cõtinẽtur meæ propositiones, est ab istis tribus approbata, vt Catholica, & vera: ergo Vniuersitas non potuit damnare meas propositiones. Maiorem demonstrabat; quia inferior non potest in superiorem; item, quia approbatio doctrinæ, vel eius damnatio solummodò pertinet ad supremum Ecclesiæ caput, &c. Minorem verò probabat ex ipsismet approbationibus doctrinæ S. Thomæ, quas hìc transcribo, vt nulla sit nostræ veritati tergiuersatio:

Litteræ Vniuersitatis Parisiensis Doctrinam S. Thomæ de Aquino, Ordinis Prædicatorum approbantes.

Ad perpetuam rei memoriam. Ad laudem, & honorem, & gloriam B. Thomæ de Aquino, Ordinis Prædicatorũ. Nouerint vniuersi has litteras inspecturi, quòd nos Stephanus, permissione diuina Parisiensis Episcopus, vna cum venerabili Decano Ecclesiæ nostræ, ac viginti tribus Magistris in Theologia, & triginta nouem Bacchalariis in Theologia, sicut veritatis zelatores, attendentes, quòd sacrosancta Romana Ecclesia, ita magnificauit Sanctum

ctum ſuum Thomam benedictum,& colendum, dederit vniuerſis cupientes glorioſum Deum in ſanctis ſuis apud fidelium deuotionem in terris glorioſiùs exaltari,ac Sanctiſsimæ Matris noſtræ deſiderantes veſtigia ſancta pro viribus imitari,dictumque Confeſſorem apud terrigenas deuotiùs, ac celeriùs honorari, præſertim cùm fuerit, & ſit Vniuerſalis Eccleſiæ lumen præfulgidum,gemma radiãs Clericorum,flos Doctorum, Vniuerſitatis noſtræ Pariſienſis ſpeculum clariſsimum,& inſigne,claritate famæ,vitæ,& doctrinæ velut ſtella ſplendida,& matutina refulgens. Et cùm inuenerimus luce clarius,eum nunquam ſenſiſſe,docuiſſe,ſeu ſcripſiſſe quod ſanæ fidei, vel bonis moribus aduerſetur;propter quæ tam mirifica,& inſignia,& laudabilia de prædicto ſancto inuenta,eum Sancta Romana Eccleſia Sanctorũ Confeſſorũ Cathalogo feliciter aſsignauit. Nos cùm tota Vniuerſitate Pariſien, vt prædictum eſt,& cum ſigillis noſtris huic approbationi appenſis, inter ſummos Eccleſiæ Doctores locum habere feliciter approbamus. Datis Pariſiis 1324.

Aliæ litteræ præfatæ Vniuerſitatis quandam condemnationem contra doctrinam B. Thomæ annullantes.

Stephanus permiſsione Diuina PariſienſisEpiſcopus: Vniuerſis præſentes litteras inſpecturis,ſalutem in omnium Saluatorem. Magiſtra rerum experiẽtia certis iudiciis euidenter demonſtrat multa,quibuſdam temporibus ordinata;nouis emergentibus cauſis,ſuccedentibus temporibus in contrarium debere conſultiùs immutari: dum quidam prædeceſſores noſtri quoſdam articulos,ne fortè eos malè intelligentes, caderent in errorem,tanquam erroneos per excommunicationis ſententiam damnauerunt, quorum nonnulli eximii Doctores B. Thomæ de Aquino doctrinam tangere à quibuſdam aſſeruntur,quam articulorum condemnationem venerabiles viri Decanus,& Capitulum Eccleſiæ noſtræ Pariſien. ſicut veritatis zelatores intimiùs conſiderantes,nec non doctrinæ,ac famæ B. Thomæ iniuſtam denigrationem, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ aliqualem dehonorationem ſupplicauerunt, quatenùs vocatis omnibus ſacrę Theologiæ Doctoribus cum aliis, qui de talibus ſcire poſſunt,veritatis viam aperiremus,per quam in prædictis articulis,in quantùm doctrinam B. Thomæ tangere poſſunt, & S. R. Eccleſiæ, & prędicti Sãcti honorem,& reuerentiam ſeruaremus. Nos ergò attendendentes cum eis, quòd S. R. Eccleſia fidelium omnium mater, & magiſtra in firmiſsima Petri Chriſti Vicarii cõfeſsione fundata,ad quam, velut vniuerſalem regulam Catholicæ veritatis,pertinet approbatio,& reprobatio doctrinarum, declaratio dubiorum, determinatio tenendorum,& confutatio errorum,præfatum Doctorem venerabilem, cuius doctrina fulget Eccleſia, vt Sole, & Luna,nuper Sanctorum Confeſſorum Cathalogo aſcribendum decreuit,diligenti diſcuſsione,& examinatione præhabita ſuper vita ipſius, & doctrina ipſum,quòd ad vitam puram, & doctrinam ſalubrem Orbi terræ prædicauit comendabilem. Cupientes,Deum in ſanctis ſuis exaltari, ac ſacratiſsimæ Matris Eccleſiæ deſiderantes pro viribus ſancta veſtigia imi-

tari;

tari; dictumque Confessorem feliciter in cœlis regnantem apud terrigenas deuotiùs,& celebriùs honorari,præsertim cùm fuerit,& sit Vniuersalis Ecclesiæ lumen præfulgidum, Vniuersitatis nostræ Parisien. Speculum clarissimum,vitæ,famæ,& doctrinæ veluti stella splendida, & matutina refulgẽs; per venerabiles,& dilectos Consiliarios nostros fideles, inquisitione facta super dictis Articulis apud Doctores Theologicæ facultatis in eorum cõgregatione Generali regentium, & non regentium;sæcularium, & regularium ad hoc specialiter conuocatos,comperto per Dei gratiam, præfactum Doctorem sanctum nihil vnquam sensisse, docuisse,seu scripsisse,quòd sanæ fidei,aut bonis moribus aduersetur;de consilio venerabilium virorum Decani, & totius Capituli Parisiensis, & venerabilis Patris D. Guillielmi Archiepiscopi Vienensis, Sacræ Theologiæ professoris, & aliorum viginti triũ in Theologia Magistrorum,vna cum R.P. prædicto in litteris sub sigillo per præfatos Commissarios nobis missis,nec non,& triginta nouem Bachalariorum in Theologia,super hoc per litteras eorum propriis subscriptionibus, & sigillis communicatis nobis super hoc consulentium,& rogantium humiliter,& deuotè;& aliorum discretorum solemni, & maturo consilio super hoc habito,supradictam articulorum condemnationem, & excommunicationis sententiam,in quantum tangunt,vel tangere asseruntur doctrinam B. Thomæ prædicti,ex certa scientia tenore præsentium totaliter annullamus. In cuius rei testimonium sigillum nostrum est præsentibus appensum. Datũ apud Gentilicum 1324.die Iouis ante cineres sacros:

Litteræ Vrbani Papæ.

Vrbanus Episcopus seruus seruorum Dei. Venerabili Episcopo Tolosano, & dilectis filiis,Cancellario Ecclesiæ Tolosanæ,vniuersisque Magistris, & Doctoribus in ciuitate,& Prouincia Tolosana commorantibus,salutem, & Apostolicam benedictionem. Sanè cùm sacrum, & venerabile corpus B. Thomæ de Aquino, Ordinis Fratrum Prædicatorum Tholosam de proximo transferendum sit. Nos attendentes,quanta à Deo scientia dotatus Ordinem Fratrum Prædicatorum, & vniuersalem Ecclesiam illustrauit, ac B. Augustini vestigia insequens, eandem Ecclesiã doctrinis, & scientiis quàm plurimis adornauit;volentesque propterea idem corpus speciali honorificẽtia atolli; Vniuersitatẽ enim requirimus,& hortamur in Domino Iesu Christo, nihilominùs per Apostolica scripta mandantes,quatenùs dictum corpus cùm ad partes easdem transferretur,benignè,& honorificè suscipiẽtes, eumque deuotè, ac venerabiliter pertractantes,facietis ab aliis quantum in vobis est,cum debita honorificentia,ac deuotione suscipi,& tractari; volumus insuper, & tenore præsentiũ vobis in iungimus,vt dicti B. Thomæ doctrinam,tanquã veridicã,& Catholicã sectemini,eamque studeatis totis viribus ampliare. Datum apud Montem Flasconem 2. Kal. Septẽbris, Pontificatus nostri anno 6.

Tribus istis litterarum,seu testimoniorum clypeis, Vniuersitatis, Stephani,& Vrbani sese protegere conabantur Montesonus,& eius discipuli, aut

se-

ſequaces Montiſoniſtæ communiter dicti contra facultatis Pariſiẽnſis repetitos cenſurarum ictus; ſed immeritò, nam in prædictis litreris non extãt illa tria verba; *benedictam, teneri, & amplecti*, nullaque datur approbatio doctrinæ S. Thomæ in particulari, neque in communi, ſed eſt ſolummodo quædã illius ſimplex comendatio, ſeu, vt veriùs loquamur, abſolutio, annullatio, & reuocatio primæ ſententiæ ab Stephano, & tota Vniuerſitate cõtra aliquos ipſius articulos promulgatæ; nec adhuc hoc parũ admittere voluit Academia Pariſienſis in illa acri controuerſia; nam reputando omnes prædictas litteras fuiſſe falſas, fictas, atque ſuppoſititias, inſtabat, requirebat, ac premebat Aduerſarios Montiſoniſtas, vt illas iuridicè, aut ſaltem aliquod authenticũ teſtimonium manifeſtarent: at nunquam tales litteræ comparuerunt; quin potiùs Ioannes Thomæ, eiuſdem Ordinis Prædicatorum, ac frater etiam ſecundùm carnem Ioãnis de Monteſono, & eiuſdem in tali lite armiger ſubſtitutus (de quo num. ſequenti) in reuocatione ſuæ opinionis publicè facta coram tota Vniuerſitate in Conuentu Fratrum Minorum, ſub præſtito iureiurando declarauit, ſe nunquam tales litteras vidiſſe; neque aliquẽ alium ſuæ Religionis Magiſtrum, quia ſi fuiſſent Maiores Ordinis, hoc ſciuiſſent, &c. Cuius depoſitionis fidem faciunt Vitalis, & Alanus teſtes oculati, vt dicemus, num. 158. Item obiciebatur illis, quòd Stephanus Epiſcopus in prædictis litteris introductus (cuius proprium cognomẽ fuit de Borreto, electus anno 1320. & mortuus, anno 1326.) cum tota ſua Facultate Pariſienſi condemnauerat aliquos articulos ad ſenſum S. Thomæ, ideoque aſtutè introductũ fuiſſe illud in narratiua: *Magiſtra rerum experientia certis iudiciis euidenter demonſtrat multa, quibuſdam temporibus ordinata, nouis emergentibus cauſis, ſuccedẽtibus tẽporibus in contrariũ debere conſultiùs immutari. Quidã prædeceſſores noſtri quoſdã articulos (ne fortè eos malè intelligẽtes caderent in errorẽ) tanquã erroneos per excomunicationis ſententiã dãnarunt, quorũ nonnulli eximii Doctoris B. Thomæ de Aquino doctrinã tangere à quibuſdam aſſeruntur, &c.* Cùm ergo iſti Articuli (dicebant Pariſiẽſes) non fuiſſent damnati à prædeceſſoribus Stephani, ſed ab ipſomet Stephano, cum tota facultate Pariſiẽſi; quommodo ipſemet in tàm breui ſpatio potuit reuocare ſuã dãnationẽ? Sed cuiuſcũque fuerit illa dãnatio, ſaltẽ cõſtat ex hoc irrefragabili ipſorũ adducto teſtimonio, aliquos articulos tãgẽtes doctrinã S. Thomæ fuiſſe, vt erroneos, ſub excõmunicationis ſentẽtia à Facultate Pariſiẽſi aliquãdo prohibitos, de quibus ipſa Academia erat ſatis certiorata.

Quapropter deſiderabat eadem Facultas (vel ad indagãdã veritatem, vel vt non redargueretur de incõſtãtia ſuũ primũ iudiciũ) videre illas tres clauſulas: *Et cũ inuenerimus luce clarius, eum nunquã ſenſiſſe, docuiſſe, ſeu ſcripſiſſe, quod ſane fidei, vel bonis moribus aduerſetur, &c. Inter ſummos Eccleſiæ Doctores locũ habere, feliciter approbamus.* Et illã: *Solẽni, ac maturo conſilio ſuper hoc habito, ſupradictã articulorũ condemnationẽ, & excommunicationis ſententiã, in quantũ tangunt, vel tãgere aſſerũtur doctrinã B. Thomæ prædicti, ex certa ſciẽtia tenore præſentiũ totatiler annullamus.* Et illã Vrbani: *Et tenore præſentiũ vobis iniũgimus, vt dicti B. Thomæ doctrinã tanquã veridicam, & Catholicam ſectemini, eamque ſtudeatis totis viribus ampliare.*

Iſtas approbationes requirebant Pariſienſis Doctores, ſed Montiſoniſtæ in iudicio, nec extra auſi fuerunt illas manifeſtare; cauſam Deus ſcit. Res certè mira videtur, quod cum illa reuocatio, ſeu approbatio, non fuerit clandeſtina, ſed ab Epiſcopo, cum Decano, & toto Capitulo Pariſienſi, coram viginti tribus Magiſtris, triginta nouẽ Bacchalariis, Archiepiſcopo Vienẽſi, Comiſſariis, Diſcretis, Regẽtibus, Regularibus, ac Sæcularibus ſolẽni, ac maturo cõſilio, ad petitionẽ partis, & cũ ſigillis appenſis ad annũ 1324. & cõtrouerſia excitata fuerit circa annũ 1390. poſt ſexaginta annos nullũ inuenirent Patres, nec Doctores inſtrumẽntũ in Cathedralis libris, Academiæ prothocolis, aut ſaltẽ ſuæ Religionis Archiuiis? Itẽ etiam mirũ eſt, quòd nullus ex ſcribẽtibus antè annũ 1390. adhuc ex ipſis Dominicanis, de prædictis litteris Stephani mentionem faciat? Hoc dixi pro veritate, pro iuſtitia iudicet Lector.

At quid dicemus de litteris Vrbani, quæ maiorẽm vidẽtur claudere difficultatem, nam Montiſoniſtæ non exprimebant, cuius Vrbani eſſent illæ litteræ; & ſic ex ſcribentibus poſt illos vnuſquiſque ad libitum abiit per viam ſuam; aliqui afirmando fuiſſe Vrbani IV. qui regnare cæpit anno 1261. viuente ad huc S. Thoma, & cuius iuſſu Sãctus Doctor fecit officium Corporis Chriſti, & qui ipſi obtulit Archiepiſcopatum. Ideò alii dicunt fuiſſe Vrbani V. qui ſedit anno 1362. At iſte in rei veritate potuit eſſe; nam Vrbanus VI. de quo alii, regnare cæpit anno 1378. id eſt, octo annis poſt translationem factam; quare Scriptores moderni, ex Ordine Prædicatorum fugientes ab extremis vitioſis, & repugnantibus, per locum intrinſecum; ſiſtunt firmiter in Vrbano V. tamen nullus ſignat, quo anno ſui Pontificatus expeditæ fuerint prædictæ litteræ; attamen vt conſtat ex Regeſto iſtius Summi Pontificis, ipſe fuit electus Auinione, & anno quinto ſui Pontificatus tranſiens per Viterbum, & Montem Fraſcionem Valneoregien. Diœceſis (vbi dicunt litteras fuiſſe expeditas) Romam venit, vbi fuit vſque ad annũ 8. Et ipſo anno rediit Mõtem Fraſcionem, & eodem mortuus eſt: ſi tũc expeditæ fuerint litteræ, ipſi videant. Aſſertiuè autem ſolùm affirmare poſſum, in vita, & geſtis Vrbani V. apud Odoricum in continuatione Annaliũ Baronii ad ann. 1368. num. 15. nullam fieri mẽtionẽ de tali Bulla, tantum enim dicitur: *Eodem anno ex ordinatione Apoſtolica, & volũtate dicti Vrbani Papæ corpus S. Thomæ de Aquino, quod à tempore obitus ſui tumulatum remanſerat in Monaſterio Foſſenouæ. Ordinis Ciſtercienſis, vbi deceſsit, translatum fuit ad Conuentũ Prædicatorum Toloſæ.* Et nihil de Bulla. Nec ipſi Scriptores Dominicani antiqui de prædictis litteris memoriã faciunt: Nam S. Antoninus par. 3. hiſtor. tit. 21. cap. 10. fol. 374. loquendo de Vrbano V. ſic dicit: *Mãdauit autem ipſum corpus deferri Toloſam, ſcribens ſtudio Toloſano Sãcti extollens gloriam, & approbãs Apoſtolica auctoritate doctrinam.* Ex quibus conſtat, ipſum loquutum fuiſſe ex relatione, quia ſi vidiſſet Bullam, nullibi reperiret approbationem, ſed recomendationem: Turrecremata, licet latiſsimè ſcripſerit, de hac materia ad Concilium Baſilienſe, nec verum auſus eſt proferre de omnibus ſupra dictis: idem affirmo de alijs ſcribentibus excellentias Doctrinæ Sancti Thomæ

Abrah

Abrah. Bzouius ad ann. 1370. adducit integram Bullam, quæ incipit: *Laudabilis Deus in ſanctis ſuis.* Sed de iſto, ſicut & de Dom. Grauina in Proleg. Præſcript. cap. 6. Caſtill. lib. 3. tom. 2. cap. 38. fol. 151. & Ioan. Flamin. parum eſt curandum; quia ſunt moderni. Barelete ſerm. de S. Thoma, fol. 198. ſic inquit: Tertio, &c. Vrbanus IV. in epiſtola canonizationis, quam mittit Archiepiſcopo Toloſano, quæ incipit: *Laudabilis Deus in ſanctis ſuis: volumus, & tenore præſentium iniungimus, vt B. Thomæ doctrinam, &c.* Nota qualiter iſte diſentit à veritate: nam Vrbanus IV. ſedit ad ann. 1261. & obiit ann. 1264. S. autem Thomas mortus fuit poſt decem annos, id eſt 1274. quomodo ergo litteræ poterant eſſe Vrbani IV? Anonymus tranſcripſit litteras de verbo ad verbum ab illa clauſula: *Sanè cum ſacrum, &c.* Fortè quia ſic illas inuenit in libris Montiſoniſtarum. At iudicans illas non eſſe ſatis efficaces ad ſtabiliendam prætenſam approbationem doctrinæ S. Thomæ, decreuit alium fingere Pontificem indiuiduum, vagum, & pariter auctoritatem ſic dicens. Innocentius Papa in ſermone B. Thomæ, qui incipit: Ecce pluſquam Salomõ hic; ſic dicit: *Huius Doctoris ſapientia, præ cæteris excepta canonica habet propietatem verborum, modum dicendorum, veritatem ſententiarum, ita vt nũquam, qui eam tenuit, inueniatur à tramite veritatis deuiaſſe, & qui eam impugnauit, ſemper fuit de veritate ſuſpectus. Hæc ille.* De his tribus litterarum generibus Stephani, Vrbani, & Innocentii, de duabus primis iudicet lector, iuxta dicta, ſed de vltimis Innocẽtii ego afirmo, fuiſſe falſiſsimas, vt dicam infrà num. XIX. ad finem.

Propoſitiones ergò Monteſoni inter alias contra immaculatam Virginis Conceptionem fuerunt iſtæ: *Decima: non omnem hominem, præter Chriſtum, contraxiſſe ab Adam peccatum originale; eſt* EXPRESSE *contra* FIDEM. *Vndecima Beatam Mariam Virginem, & Dei genitricem non contraxiſſe peccatum originale, eſt* EXPRESSE *contra* FIDEM. *Duodecima: tantùm eſt contra ſacram Scripturam, vnum hominem eſſe exemptum à peccato originali, præter Chriſtum, ſicut ſic* DECEM *homines ponerentur exempti. Tertia decima: magis eſt* EXPRESSE *contra Scripturam Sacram, B. Virginem non eſſe conceptam* IN PECCATO *originali, quàm aſſerere, ipſam ſimul fuiſſe beatam, & viatricem ab inſtanti ſuæ Conceptionis, vel ſanctificationis.* Hæc, & alia poſt magnam controuerſiam fuerunt damnata à tota Vniuerſitate, vt erronea, falſa, ſcandaloſa, piarum aurium offenſiua, & præſumptuosè aſſerta. Vide reliqua in Ventilat. num. 185.

Num. X. [*Anno* 1390.]

IOANNES Thomæ, Ordinis Prędicatorum, Doctor Pariſienſis, Hiſpanus, & Frater vterinus antedicti Ioannes de Monteſono, in defenſione ſui Fratris poſt eius excõmunicationem, damnationem, & fugam à ciuitate Pariſienſi ad Romanam Curiam, circa ann. 1384. vel ſecundùm alios 1400. ſcripſit Tractatum contra immaculatam Virginis Conceptionẽ, cuius initiũ erat: MALEDICTA *dies, in qua natus ſum; Ieremiæ* 20. Sub tali maledictionis titulo, iudica, ò lector, quale poterat eſſe opus? Plura ex ipſo tranſcirbunt

Vitalis,& Alanus,quorum nos aliqua damus in Ventilatione,num. 158. quia hic eſt, quem Aduerſarii adducunt ſub nomine Ioannis Brizii, cum enim nomina Ioannis Thomæ,& Ioannis de Monteſono eſſent ſuſpecta, & in reprobũ ſenſum data à Pariſienſibus,noluerunt ſub his odioſis nominibus præbere occaſionem, vt in illis,ſeu ex illis detegerentur ſcandalorum antiquorum latentia vulnera. Sed quidquid ſit de nomine Ioannis Brizii,certum,atque indubitatum eſt, quòd nullus Aduerſariorum in ſuis Cathalogis nominat Ioannem de Monteſono,nec Ioannem Thomæ, quando eorum ſcripta antè damnationem fuerint diuulgata per totum terrarum Orbẽ, & ab iſtis tranſcripſit Anonymus Bandellus ſupra poſitas litteras numero antecedẽti, Vniuerſitatis, Stephani,& Vrbani: & etiam eſt certum, quòd Ioannes Thomæ, cum multis ſuis ſequacibus Montiſoniſtis,tandem tandem ab Vniuerſitate, & veritate victi præſente tota Academia publicè in Conuentu Fratrum Minorum ſuam abiurarunt opinionem. Vide præallegatum, numero 158.

Num. XI. *Anno* 1409.

IOANNES Capreolus, Toloſanus, Ordinis Prædicatotum, celebris apud Scholaſticos ſcriptor, atque Magiſter Pariſienſis, cuius opera in compendium redegit Paulus Soncinas, vt videbimus infrà; & Sylueſter Pieranus commentariis illuſtrauit, vt conſtat ex lib. impreſſo Cremonæ, ann. 1494. Et poſteà Matthias Aquarius caſtigauit, ac roborauit auctoritatibus ſacræ Scripturæ, & ſanctorum Patrum, & quàm plurimis aliis opinionibus Theologorum, tùm antiquorum, tùm Neothericorum auxit; vt patet ex lib. imp. Venetiis 1588. in fol.de quo etiam ridiculas decantat laudes Mauritius à Gregorio,vt videbimus infrà num. LVII. Hìc ergo Capreolus, circa annum humanæ ſalutis 1409. vel ſecundùm alios 1424. in ſuo 3. ſentent. diſt.3.quæſt. vnica, fol. 15. lib. excuſſo Venetiis ann. 1483. & 1484. & 1514. ac denique ibidem 1589. inquirens; vtrum B. Virgo Maria in peccato originali fuerit concepta ? quam in tres diſtinxit Articulos,ſic inquit: *Quantum ad primum Articulum eſt vnica concluſio, ſcilicèt, quòd B. Maria fuit concepta in peccato originali. Hanc concluſionem* TENET *S. Thomas, &c.* Et pro huius Aſſerti comprobatione dicit infrà: *Eiuſdem ſententiæ fuerunt illi* SANCTI DOCTORES, *quos nominat Auguſtinus, &c.* Et infrà. *Hanc concluſionem* TENET *Origines.* Et ſic enumerat continuò, ac ſucceſsiuè,vſque ad quadraginta Auctores, referendo ſolummodò ipſorum nomina,abſque auctoritatibus; extractos (vt ipſe affirmat, & nos num. V. diximus) à quodam Guillielmo de Gannaco, eiuſdem Ordinis Prædicatorum,ex Tractatu *de* VERA *Innocentia Matris Dei:* Nomina autem Auctorum in aliquibus ſunt vitiata;ſed hìc potuit eſſe error Typographiæ. Ad marginem habet Capreolus hanc notulam: MVLTORVM *Doctorum tenentium B. Virginem fuiſſe* CONCEPTAM *in peccato originali.* Triturabit

bit Lector noſter Sol veritatis, illam multitudinem, & in Ventilatione apparebit fuiſſe multitudinem tantummodò paleārum. Obſerua tamen, quòd cùm Capreolus fuerit ex Doctoribus primæ claſsis inter Dominicanos, & in propoſita quæſtione (quæ latiſsima eſt à fol. 15. vſque 24.) expreſsè affirmet, ac pro viribus doceat Aduerſariorum opinionem, & ſcripſerit ante Turrecrematam, S. Antoninum, Anonymum, Bandellum, atque Vincentiam, &c. Nullus iſtorum in ſuis Cathalogis adducit, ſeu nominat Capreolum, niſi ſolùm Spina, & hoc incidenter, & ſine auctoritate.

Huius omiſsionis cauſam à priori demonſtratiuè nunquam inuenire potui, quia dicere, affirmare vè, quòd tot; tantique inſignes Doctores, ac Theologi peritiſsimi fuerint adeò ignaui, quòd adducendo contemptibiles alios Scriptores Montebudellum, Sterlingacium, Galdinum, & alios quàm plures huiuſmodi, non viderunt ſuum Capreolum primum, ac præcipuum S. Thomæ diſcipulum, & antè Caietanum vnicum oraculum, à Magiſtris, & Studentibus notum, videretur pluſquam temeraria impoſtura: vndè neceſſe erit pro honore tantorum virorum aliquam rationabilem excogitare ſuæ omiſsionis cauſam; ego duas inuenio. Primam: quia fortè ipſum adducunt ſub aliquo incognito nomine, & poteſt eſſe, quòd hic ſit, quem appellant Ioannem Gallicum, de quo in Ventilatione, num. 175. Scio, quòd hæc ratio non concludit; nam quo fine, intentione, vel quare derelinquentes proprium, & cognitum nomen Capreoli, ſub quo ab omnibus citatur, recurrerent ad incognitum appellatiuum nationis? Secunda ratio eſt: quòd in originali proprio, ac legitimo Capreoli, non extabat prædicta quæſtio de Conceptione, ſed tempore impreſsionis fuit ab aliquo malignante addita; & ſimul illud de Guillielmo de Gannaco, cum ſuo Tractatu: De Vera innocentia Matris Dei, & ſic inuitos introduxerunt innocentes Capreolum, & Gannacum ad ſuam Aream; vnde cum tempore Turrecrematæ, S. Antonini, Anonimi, ac Bandeli, non eſſet quæſtio iſta in operibus Capreoli; ideò illas non adduxerunt inter alios: nec caret ſuo ſpeciali fundamēto hæc ratio: nam in quodam manuſcripto exiſtente in Bibliotheca S. Eccleſiæ Toletanæ, contra Immaculatam Conceptionē, Auctore Vincentio Bandello, cum additionibus ſui Correctoris ad finem, cum quadam Relectione Didaci Deza de peccato originali, extat etiam hæc quæſtio Capreoli indiuidua, ac ſola nullo alterato verbo; ergo videtur, quod poſt Bandellū fuerit hæc quæſtio Capreoli elaborata, & intruſa in eius operibus. Patres, hanc excogitaui, vt liberem Capreolum ab opprobrio, & veſtros Scriptores ab incuria; ſed ſi non placet, expecto donec veniat immutatio mea in altera ratione, quia in hoc libro vias veritatis, & iuſtitiæ eligo rectas, omnes alias amouere, atque amputare deſiderans. Vide ſuprà num. V. & infrà, in Ventilatione, num. 161.

Num. XII. *Anno* 1415.

IACOBVS de Susato, Ordinis Prædicatorum Theutonicus Coloniensis; ad annum 1415. inter alia quàm plura scripsit : TRACTATVM DE VERITATE *Conceptionis B. Virginis Mariæ.* Ita Leander Albertus, lib.4.de Viris Illuſ.Ordin.Præd.fol.136.à quo Anton.Senensis in Bibl.fol. 126.Alph. Fernand.Placentinus in Concert. fol.388. Sed nimis dubito de veritate huius Tractatus. Nam Ioann. Mich. Pius,part. 2.lib.3.col.9. refert huius Auctoris varia opera; sed nihil dicit de Tractatu isto. Item quia Ioann. Trithemius diligentissimus Nomenclator litteratorum Germaniæ solùm facit mentionem in lib.de illust.Germ.Scrip.fol.154. de quodã Nicolao de Susato sæculari,qui scripsit sermones,& quęstiones ad ann. 1417. In anno,& cognomine videntur conuenire,sed non in Religione, neque in tractatu de Veritate Conceptionis. Denique Ioann. de Turrecremata ad annum 1437.scripsit suum librum de Veritate Conceptionis in Basilea vna ex præcipuis ciuitatibus Germaniæ,si ergo ibi esset talis Susato Scriptor præ dicti Tractatus etiam de Veritate Còceptionis,ipsum adduceret in suo Cathalogo,aut Bandellus, Vincentia,&c. Sed cum à nullo ex Aduersariis nominetur,existimandum est,vel fuisse fictum,vel istum Susatum fuisse aliquẽ Amanuesem, & coadiutorem Turrecrematæ,dum laborabat in Germania suum Tractatum de Veritate Conceptionis,& vt multiplicarent Auctores, & Tractatus contra Immaculatam Virginis Conceptionem ex Scriptore materiali fecerunt Scriptorem formalem,& ex vna veritate in recto, alteram semiveritatem in obliquo; sed quidquid sit de his:talis Tractatus nec impressus,nec manuscriptus hactenus ab aliquo visus fuit.

Num. XIII. *Ann.* 1418.

IOANNES Dominicus de Florentia,Ordinis Prædicatorum, Archiepiscopus Ragusinus,& S.R.E.Cardinalis, circa annum 1418. scripsit TRACTATVM GLORIOSVM *de Conceptione Virginis Mariæ,* secundùm Anonymum,Bandellum,Vincentiam,Dezam,& Grysaldum, vt dicetur in Ventilatione,num. 169.vbi etiam euidenter videbis esse fictum,falsum, & suppositum;recurre ad prædictũ numerum,vt cognoscas,quanta mala operatus est inimicus in sancta,pura,& immaculata Domina.

Num. XIIII. *Anno* 1435.

IOANNES de Montenigro, Ordinis Prædicatorum, atque Prouincialis Lombardiæ in Concilio Basilienſi,circa annum 1435. in nomine totius suæ Religionis primum proposuit RESCRIPTVM, seu ALLEGATIONEM pro sua opinione de sanctificatione Virginis Mariæ,post contra-

ctionem originalis maculæ, petens inſtanter, vt Patres declararent hoc eſſe de fide; ſed cùm iſte etiam adducatur ab Aduerſariis, ſicut præcedens, vide ipſum in Ventil. num. 181.

Num. XV. *Ann.* 1437.

IOANNES de Turrecremata, Ordinis Prædicatorum, Magiſter ſacri Palatii, ac poſteà S.R.E. Cardinalis, ad annum 1437. iuſſu Patrum Cõcilii Baſilienſis recollegit in vnum omnes Sanctos, Patres, atque antiquos Doctores, pro ſua minùs pia opinione; & de hoc edidit magnum librum, qui per integrum ſæculum, & ampliùs ſub tenebris latuit, quouſque tempore Concilii Tridentini, ad annum 1547. Romæ cura, ac ſollicitudine R. P. F. Alberti Duimi de Cataro, eiuſdem Ordinis Prædicatorum, ac ſacræ Theologiæ Lectoris, iuſſu, ope, ac diligentia R. P. F. Bartholomæi de Spina, tunc ſacri Palatii Magiſtri, Turrecrematę liber prodiit in lucem, ſub hoc titulo: *Tractatus de* VERITATE *Conceptionis Beatiſsimæ Virginis, pro facienda relatione coram Patribus Concilii Baſileæ, anno Domini M. CCCC. XXX. VII. menſe Iulio, de mandato Sedis Apoſtolicæ, Legatorum eidem ſacro Concilio Præſidentium. Compilatus, per R. P. F. Ioannem de Turrecremata, ſacræ Theologiæ Profeſſorem, Ordinis Prædicatorum, tunc ſacri Apoſtolici Palatii Magiſtrum, poſteà Illuſtriſsimum, & Reuerendiſsimum S. R. E. Cardinalem, Epiſcopum Portuenſem. Nũc primò impreſſus Romæ, apud Antonium Bladum Aſſulanum, M. D. XL. VII.* Hucuſque libri titulus editi ſub nomine Turrecrematæ, poſt integrum ſæculũ ab eius morte: De quo agimus latè in hac Trituratione num. XLII. & latiſsimè in ventilatione, num. 195. vide ibi: nam hìc ſupponendo; quòd fuerit Turrecrematæ (vt dicitur in titulo) ſolùm Triturabimus illud: *De* VERITATE *Conceptionis*, propoſitum in fronte, & millies repetitum in corpore operis. Thema ergo propoſitum in libro, eſt de Veritate, vt vides, ſed proh dolor! quia ſermo videtur eſſe nõ de veritate, ſed de oppoſito. Turrecrematæ ergo Prohæmium incipit: *Laus eius in Eccleſia Sanctorum, &c.* Vbi inter alia ſic dicit: *Tertia Laus huius clariſsimæ Virginis refulget pulchritudine* VERITATIS: *Quoniam cum ſit mater* VERITATIS: *non niſi* VERARVM *laudum venit prædicanda, & laudanda præconiis. Non enim virgo Regia (inquit douotiſsimus Bernardus in Epiſtola ad Lugdunenſes) falſo non eget honore,* VERIS *honorum titulis cumulata, & infulis dignitatum. Quantũ enim* VERA *laus ornat, tantùm falſa caſtigat (vt ait Eſiodus in Epiſtolari ſuo) planè tunc laudes exhibitæ alicui ſplendore* VERITATIS *fulgere dicuntur, cùm nihil* FALSI, *aut ſuperſtitionis habent* ADMIXTVM, *quod maximè in cultura Dei, & veneratione ſanctorum, obſeruandum eſſe videtur. Cùm dicat Hieronymus ſuper Epiſtola ad Philemonem, & habetur in cap. ſi quis 2. quæſt. 3. Si quis ſanctum dicit nõ ſanctum, & rurſum non ſanctum aſſerit vt ſanctum,* ABOMINABILIS *eſt. Similiter, ſi quis dixerit iuſtum iniuſtum, & iniuſtum iuſtum,* ABOMINABILIS *eſt vterque apud Deum. Et Beatiſsimus Auguſtinus dicit:* PERHORRENDVM *eſt, aliquid* FALSI *de Deo dicere, etiam ſi ad laudem eius videatur pertinere, quia non minori*

for-

fortaſsis SCELERE *in Deo laudatur* FALSITAS, *quàm vituperatur* VERITAS. *Hæc Auguſtinus. Et non dubium, quoniam ſimile iudicium in exhibendis laudibus Virgini Beatiſsimæ, ac cæteris Sanctis accipiendum ſit. Quarè currente circa Conceptionem Sacratiſsimæ Virginis, tàm grauiſsima, ac periculoſiſsima varietate dicendi, quibuſdam in laudem eius aſſerentibus* SANCTVM *eam habuiſſe cõceptum; aliis verò affirmantibus hanc laudem non Virgini, ſed ſoli Chriſto, vtpotè omnium hominum Redemptori attribuẽdam fore: Prouidentiſsima conſideratione hæc Sancta Synodus diſpoſuit, vt viri Docti, & maximè Theologiæ Profeſſores, accurato ſtudio, & cura peruigili viderent, quid* DOCTORES SANCTI, & FAMOSI *in Schola Theologica ſentirent ſuper Quæſtione ſequenti, videlicèt: vtrum magis pium ſit credere* ANIMAM, *Beatiſsimæ Dei genitricis fuiſſe in inſtanti ſuæ* INFVSIONIS *in corpore præſeruatam à peccato originali, quã credere, ipſam Virginem fuiſſe* CONCEPTAM *in peccato originali, & ſacro Concilio* FIDELI *relatione explicarent. Sanctum planè, & Diuinum ſtudium, & ordo legitimus, Sanctum dico ſtudium: vt nec à laudibus debitis Virgini aliquid* DETRAHATVR: *nec laudibus eius aliquid* FALSITATIS *admiſceatur, aut ſuperſtitionis. Quoniam (vt ait Auguſtinus lib.* 10. *de Mendacio)* MENDACIVM *maximè pernitioſum eſt, quod ſit in his, quæ ad Religionem Chriſtianam pertinent, &c.* Et concludit ſic ſuum Prohœmiũ: *Verùm Patres Reuerendiſsimi, quia non Lectoris, ſed* RELATORIS *miniſterium, ad quod &* FIDELITATE *maxima, &* INTEGRITATE *opus eſt peragendum, impræſentiarum iniunxiſtis, vt* FIDELIVS, *ſecuriùs, atque compendioſiùs* PATRVM, & DOCTORVM *ſententias referam, relationem ipſam per cartulas legendo percurram.* Omnia verba hic ſignata maiuſculis characteribus indigent Trituratione, vt ventilata appareat, vtrum toties clamare pro veritate, & fidelitate, contra mendacium, & falſitatem, ſit idem in Turrecremata, quod illud: Pax, pax, & non erat pax.

Finito Prohœmio, ſit incipit opus, & librum ſuum: *Relaturus autẽ, Patres Clariſsimi, veſtrarum inſtitutione dominationum, Patrum, & Doctorũ* SENTENTIAS, *qui Quæſtionis propoſitæ partem illã tenent, videlicèt, quòd* MAGIS PIVM *ſit credere, Beatiſsimã Virginem in originali peccato fore* CONCEPTAM, *quàm quod non; vtpote (*VT DICVNT*) Doctrinæ* VERITATIS *magis conſonam, & vniuerſalis humanæ Redemptionis* PIETATI *magis innixam, &c.* Nota, Lector, quòd non ſolùm affirmat Turrecremata, Patres, atque Doctores dixiſſe, Virginẽ Mariã fuiſſe Conceptam in originali peccato, ſed inſuper hoc eſſe magis piũ, & veritati, ac pietati magis conſonum. Quod in Ventilatione demonſtrabitur non eſſe verùm. Infrà autem poſtquam multa alia de ſua propoſita veritate, ſic proſequitur. *Quarè, vt Auguſt. ait lib. de Doct. Chr. Titubat* FIDES, *ſi diuinarũ* SCRIPTVRARVM *vacillet Auctoritas. Et ad Hieronym. & Ponitur, in cap. ſi ad Scripturas Diſt.* 9. *Si ad Scripturas* SACRAS, *vel officioſa* MENDACIA *admiſſa fuerint, quæ in eis remanebit* AVCTORITAS? *quæ tandẽ de Scripturis illis ſententia profertur, cuius põdera cõtentioſæ* FALSITATIS *obteratur* IMPROBITAS? *hæcille. Quaſi diceret: nullum remanet. Patet ergo* VERITAS *regulæ antepoſitæ, videlicèt, quòd in diffinitiuo iudicio, fiendo per Eccleſiã, in cauſis Fidei* CVIVSMODI EST PRÆSENS *materia, de qua ſermo noſter eſt, neceſſario, principaliter, & maximè conſideranda venit,*

&

& ponderanda auctoritas SCRIPTVRÆ SANCTÆ. *Ex qua concluſione ſequitur corolarium, quod licèt locus ab auctoritate in humana ratione fundatus, ſit infirmiſsimus (vt ait Boetius) locus tamen, qui fundatur in* AVCTORITATE *diuina, efficaciſsimus eſt, omnique genere argumẽtationis, & ratiocinationis iudicio præferendus, cùm iſtius auctoritas totius humanæ intelligentiæ capacitatem tranſcendat, & ſupergrediatur virtutem, &c. Quod cùm apud omnem Catholicum Doctorem indubitatum hoc eſſe debeat, ſequitur, quòd ſuppoſitio prima, qua Collega meus, venerabilis, ſcilicèt, Magiſter Ioannes de Montenigro, Prouincialis Lombardiæ, in ſua Relatione poſuit: videlicèt, quòd ſacrum* CONCILIVM *in diſcuſsione præſentis Materiæ* FIDEI, *magis inniti debeat* AVCTORITATIBVS, *quam rationibus,* VERA *ſit, & per conſequens ſalua pace Relatoris, ex aduerſo ſuperſedendum fuerat ab omni* IMPVGNATIONE *eius, &c.* Hæc, & alia ſatis confidenter proponit Turrecremata, quaſi ex ſacræ Scripturæ auctoritatibus euidenter conſtaret, Virginem Mariam in ſua Conceptione contraxiſſe originale peccatum, & quod hoc velle impugnare, procedebat à mendacii improbitate. Clamabat pro iudicio ab auctoritate, ſentiens, quòd omnia alia, rationes, congruentiæ, & pietas pro noſtra extabant ſententia, ſed iam adeſt tempus, vt videantur ſuarum auctoritatum quanta ſit longitudo, latitudo, & profunditas.

Deindè parte 6. cap. 14. fol. 107. poſt alia inquit: *Ecce quam* AMPLISSIMA, *& quam multa* SPECIALIA *teſtimonia, auxiliante Patre luminum, habemus, quòd Virgo Maria concepta fuerit in originali peccato.* TESTIMONIA *quidem dico* SANCTORVM PATRVM, *videlicet Auguſtini, Euſebii, Leonis Papæ, Ioannis Damaſceni, Maximi, Boetii, Anſelmi, Gregorii, Bernardi, & S. Thomæ, qui in ſuperioribus dictis eorum, aut* FORMALITER, *aut ſaltem* EXPLICITE, *per æquipollentia verba, aut* ARGVITIVE, *illatione* NECESSARIA, *confitentur, Beatiſsimam Virginem in* CONCEPTIONE *ſua originali peccato obnoxiam extitiſſe, &c.* Et adductis aliquibus ſanctis Patribus, ſic proſequitur: *Quibus etiam annumerari poſſent omnes alii* SANCTI DOCTORES, *quorum dicta commemorata ſunt ſuperiùs, qui* VNIVERSALITER OMNES *Chriſtum* SOLVM, *dicant habuiſſe ab originali peccato mundam* CONCEPTIONEM, *&c. Cæterum ex prædictis patet, quod habemus etiam in* SPECIALI *teſtimonia* CLARISSIMA *ipſius noſtræ ſanctæ Matris* ECCLESIÆ, *quæ in diuerſis Eccleſiis per orbem* DIFFVSIS, *de B. Virgine commemorans, quæ ſuperiùs inducta ſunt* CLARISSIMA *luce profiteri videtur id quod prius. Quibus omnibus conſideratis, tam quæ in præcedenti capite, quam in præſenti dicta ſunt, cognoſcere poſſumus, quantum* VERITATIS *habeat ſermo ille, qui tam repetitis vicibus, ex aduerſo ſuggeritur audientibus, videlicet quod doctrina hæc, horum* DOCTORVM, *quorum* RELATOR *ſum, & quæ (vt videtur ex prædictis colligi) antiquiſsimam* FIDEM *ſapiat Eccleſiæ Dei, ſolum ex vniuerſalibus propoſitionibus procedat, nec habeat ſpecialia aliqua teſtimonia. Planè ſic loquens,* PARVM *conſiderauit fundamenta huius* DOCTRINÆ. *Habet enim hæc* DOCTRINA *nedum* VNIVERSALES *regulas* FIDEI, *in quibus radicatur, & fundatur, ſed etiam* SCRIPTVRÆ, *&* SANCTORVM *ſufficientia teſtimonia, ſicut patet ex inductis. Habet in ſuper* IRREFRAGABILES *rationes,*

nes, de quibus (diuina luce comite) in proximo erit sermo. Sed hæc est rei VERITAS, *quod doctrina ex aduersu, nulla testimonia* SVFFICIENTIA *habet* SCRIPTVRÆ, *aut* SANCTORVM, *nec in* GENERALI, *nec* IN SPECIALI, *quæ* FORMALITER, *aut* ARGVMENTATIVE, NECESSARIA *illatione sibi faueat, sicut patebit infrà, &c.* Nota, & Triturare lector, hanc rei veritatem, scilicèt, quod aduersariorum opinio omnia habeat pro se, clarissima, ac irrefragabilia testimonia, tam Scripturæ, quã sanctorum Patrum, Doctorum, Ecclesiarum, adhuc fidei vniuersaliter, & specialiter, formalia, atque necessaria illatione euidentia argumenta, &c. Et quod nostra sententia nihil horum habet, quod sibi faueat. Si hęc est rei veritas, vel non, nostra ventilatio demonstrabit: est enim hoc parare sagittas, vt sagittent in obscuro simplices, & rectos corde.

Accedit denique Turrecremata ad suum propositum assumptum, & à parte 5. cap. 9. cuius inscriptio est: *In quo ponuntur* SANCTORVM DOCTORVM *auctoritates, qui in* SPECIALI *testantur, B. Virginem* ORIGINALE PECCATVM CONTRAXISSE, *& primo B. Augustini, &c.* Et sic refert Doctores, provt in Ventilatione apparebũt, vsque ad part. 6. cap. 1. vbi concludit sic: *In quo ponuntur ad idem auctoritates aliorum sanctorum post Augustinum, & aliorum Theologorum* EXIMIORVM, *&* EXCELLENTIORVM *Canonistarum in* MVLTITVDINE *copiosa.* Hæc autem copiosa multitudo Canonistarum reducitur solùm ad sexdecim, quos ibi propriis nominibus enumerat, à quibus, si demas fictos, multiplicatos, & sine fundamento adductos, solùm restant sex Auctores, & ex his quatuor in suis auctoritatibus nihil dicunt: alii verò duo sunt ex Ordine Prædicatorum, vt in Ventilatione euidenter demonstrabitur latissimè; breuiter autem in Horrea: vide ergo quam depopulata manet hæc multitudo copiosa? Caput verò 25. eiusdem sextæ partis habet hanc inscriptionem: *In quo ponuntur dicta, & testimonia* MVLTORVM *venerabilium* PATRVM, *&* PLVRIMORVM *aliorum Antiquorum* DOCTORVM, *qui aut in expositione sacræ* SCRIPTVRÆ, *aut super textum* SENTENTIARVM, *siue* DECRETI *scribendo, aut in Tractatibus, & Sermonibus* FAMOSIS, *dixerunt, & docuerunt* FORMALITER, *& verbis* PROPRIIS, *aut* ÆQVIVALENTIBVS *verbis, in summa dicunt, B. Virginem* IN ORIGINALI PECCATO *fuisse* CONCEPTAM. Postquam ergo Turrecremata à fol. 87. vsque ad 126. annumerasset Auctores, & Doctores per diuersas classes, & capita, adducendo ad litteram ipsorum auctoritates, & verba, incipit septimam partẽ sic: *Ecce* SACRA *Sinode* CENTVM *testes, qui in* IVRE DIVINO, *&* CANONICO *profundissimi* DOCTORES, *siue* PARTES, *plurimum eruditi existentes* CLARISSIMVM *testimonium præbent parti quæstionis, pro qua mihi ministerium credidisti, pro hac videlicet, quòd virgo Beatissima* IN CONCEPTIONE SVA ORIGINALI PECCATO OBNOXIA *fuerit. Quibus* MVLTOS *alios facilè addere esset, eo attento, quod ad eam quæstionem, partem ferè* OMNIVM *Expositorum antiquorũ Bibliæ, & Scholasticorum Doctorũ, qui* PER CELEBRIORIS *auctoritatis*

sunt

ſunt, famæ, & opinionis, fides tendit, ac doctrina. Sed hoc NVMERO *pro nunc contentus fui, eo quod* CENTENARIVS *numerus perfectus habetur in Sacris Litteris, vt habet Gloſſa, Deuter.* 22. *Tum quia viſitandi plures Librarias, temporis opportunitas, & occupationum multiplicitas, non permiſerunt. Tum quia etſi plures alios Doctores, tam* SVPER SENTENTIAS, *quàm in* EXPOSITIONIBVS *ſuper Bibliam, quam in* TRACTATIBVS *factis de laudibus Beatiſsimæ Virginis, reperi in Librariis, quas viſitaui, qui hanc Doctrinam* DOCVERVNT, *&* PRÆDICARVNT, *& pro erudiendo Chriſtiano populo, in Scriptis ſuis reliquerunt; verum tamen quia quæ eorum nomina eſſent, ſæpè ſcire non valui, ab allegandis* MVLTORVM *horum* DOCTORVM *dictis ſuperſedere decreui. Horum autem* CENTVM DOCTORVM, *ſeu venerabilium* PATRVM *teſtimonia, exceptis quibuſdam pauciſſimis, de quorum ſententiis, aliorum* FIDELI *relatu notitiam habui, in ſuis* ORIGINALIBVS *propriis intuitus ſum* OCVLIS, *qua in hoc præſenti Tractatu, cum eorum Propriorum Nominum expreſsione* FIDELIVS *quam potui annotare curaui, &c.* Ex his ſuis centum Doctoribus, à Turrecremata nunquam ſatis laudatis, in Iure Diuino, & Canonico clariſsimis, celebratiſsimis, ac venerabilibus, ſunt Armatharius ſuſpectus, & Ioannes de Poliaco damnatus Auctor. Alii ſunt adeò celebres in Eccleſia Dei, & venerabiles, vt nec Nomina eorum audita fuerint in terra, vt filii, nec vt Diſcipuli, vndè ergo extiterunt Eccleſiæ Patres, ac Doctores. Videlicet Præpoſitiuus Palma, Caſſalli, Theutonicus, Steringacius, Thomaſinus, Claramonte, Alcona, Beneuento, Verdiaco, Calcar, &c. Et ſi his addas fictos, & multiplicatos, & enormiter vitiatos, ex centum vix ſalui, ac ſani remanebunt octo animæ, vt conſtabit in ventilatione. Si ferè omnes Scriptores ſuper ſententias, Expoſitores Bibliæ, atque ſcribentes ſpeciales Tractatus de B. Virgine Maria, ferè omnes, inquam, ſunt pro tua opinione: quid ergo relinquis, ò Turrecremata, pro noſtra? Tu in tuo Libro *de veritate Conceptionis*, pro tua opinione, ex omnibus ſolùm potuiſti recolligere centum; ego ex *nullis* à te prætermiſsis, in meo Libro de *Militia Immaculatæ Conceptionis contra malitiam originalis peccati*, pro mea ſententia recolligo paucos, ſcilicet ſex Mille. Et exiſtimo, quod nullus illorum ſit multiplicatus, nec fictus. Tantum inter meos, & tuos, vna intereſt differentia; quia tui ſunt ſancti, Canoniſtæ, Ciſtercienſes, Carthuſiani, Prædicatores, Minoritæ, Auguſtiniani, & Carmelitani; mei autem ſunt Sancti, & non Sancti, Patres, & Matres, Monachi, & Monachæ, viri, & Fœminæ, Religioſi, ac Sæculares, ex omni ſtatu, ex omnibus Ordinibus, ac denique Catholici, & Hæretici, ſed de hoc latius in præallegato Libro, & ſolum incidenter pro nunc nota tuas tres euidentes cõtradictiones. Prima eſt: ſi *propriis oculis* vidiſti Auctores à te citatos, & ipſorum auctoritates, quomodo in maiori ipſarum parte, ſunt tot fictiones, & adulterationes peſsimæ? Si vero dicis, illas te extraxiſſe ab illis Scriptoribus fidedignis, ergo falſum dixiſti, quia non fuerunt, nec ſunt fidedigni, in quibus tot inueniuntur fictiones, & adulterationes. Secundò dicis: quod relinquis Anonimos, quia ipſorum nomina non potuiſti cognoſcere: quomodo ergo adducis quatuor Anonimos? Tertiò dicis: quod das

tan-

tantummodo centum ; quia est numerus perfectus in Scriptura : nam si hæc ratio scripturalis perfectionis non obstaret, alios quam plures posses facillimè adducere. Et deinde addis, quòd nõ adducis alios, quia illos non vidisti, propter temporis breuitatem, & occupationes varias, & quia Librarias reuoluere, aut videre non potuisti; dare ergo poteras facillimè, quod nec videras, nec habebas, nec dare poteras? Hæc & quamplurima alia huius generis, adducit Turrecremata in illo suo Libro *De veritate Conceptionis*, solum de veritate in titulo, quorum aliqua sigillatim expendimus num. 195. alia verò multa prætermittimus, nè cum Turrecremata Trituremus etiam Lectores.

Num. XVI. *Anno* 1450.

ANTONINVS, Archiepiscopus Florentinus, & Sanctus Ordinis Prædicatorum, qui Electus fuit anno 1446. & decessit è vita, secundum communiorem sententiam, anno 1459. Scripsit post Turrecrematam, inter alia, Summam impressam Lugduni, ann. 1542. & 1529. Venetiis 1487 & apud Iasonem Gallum, 1479. in qua titulo 8. de causa peccati originalis, & eius pœna, cap. 2. inquirens de quæstione, vtrum B. Virgo fuerit concepta in peccato originali, sic incipit : *Et quia de peccato originali facta est mentio, hic incidenter ponatur materia, seu quæstio de qua quotidie à curiosis disputatur, &* INFRVCTVOSE *scilicèt de* CONCEPTV *Virginis gloriosæ, ponendo ea quæ senserunt Doctores tam* ANTIQVI, *quàm* MODERNI : *ad hoc dimittendo determinationem Sanctæ Ecclesiæ. Quamuis enim non sit determinatum per Ecclesiam, Virginem non esse* CONCEPTAM *in peccato originali, vel non; propter quod absque præiudicio salutis, licèt vnicuique sentire alteram opinionem, quæ sibi placeat. Tametsi benè considerentur* SCRIPTVRAE, *& dicta* DOCTORVM *antiquorum, & modernorum, qui fuerunt deuotissimi Virgini gloriosæ,* MANIFESTE *patet ex verbis eorum, ipsam* IN PECCATO ORIGINALI CONCEPTAM *fuisse. Sed tenentes contrariam opinionem,* EXTORQVENT *dicta eorum contra* INTENTIONEM *dicentium. Et primo ostendit hoc Apostolus, &c.* Et adductis quatuor auctoritatibus sacræ Scripturæ, Rom. 3. Iob 3. Eccles. 7. & Psalm. 45. refert Sanctos, ac Doctores, pro sua opinione, vsque ad triginta quinque : In propositis autem, & signatis verbis S. Antonini, aliqua sunt Trituranda, v. g. illud: *Infructuosè*. Si enim hæc quæstio, & controuersia, erat infructuosa, quare illam adeò latè pertractat? Si infructuosa: ergo Doctores antiqui, & moderni infructuosè secuti sunt opinionem minus piam. Si infructuosa, quomodo dicit, quod si benè considerentur Scripturæ, dicunt in originali fuisse conceptam? Scriptura enim, & sancti Patres, nihil infructuosum habent. Dicere autem, quod inquirere veritatem de illis, quæ in Scriptura continentur manifestè, sint infructuosa, non potest esse fructuosa doctrina. Si infructuosè, quomodo ad Concilium Basilienſe, vt vidimus supra, dixit Turrecremata: *Sanctum plane, & diuinum studium, &c.* Et millies recomendat Patribus huius controuersiæ grauitatem? Deinde, si est infructuosa quæstio, quomo-

mo-

modo in eodem Concilio Basilienſi excitata fuit hæc quæſtio à Fratribus veſtræ Religionis, per latiſsimum Reſcriptum editum à F. Ioann. de Montenigro, & reduplicatum per F. Ioannem de Turrecremata? Si infructuosè, quomodo, quando ſolùm excogitabatur de Concilio Lateranenſi, tempore Leonis X. edidit Caietanus pro veſtra opinione ſuum *Opuſculum de Conceptione*, quando nullum fuit pro noſtra ſententia? Si infructuosè, quare ad faciendam relationem in Concilio Tridentino, F. Bartholomæus de Spina, & F. Albertus Duimius ediderunt opus illud, de quo infrà, nullo exiſtente, neque viſo pro noſtra opinione? Denique ſi infructuosè, quare ſexaginta Patres Dominicani tot ſcripſerunt Libros, Tractatus, & Opuſcula, pro ſua opinione de quibus in hac Trituratione? Et alii in Quæſtionibus, & Sermonibus protulerunt ſententiam, de quibus in Ventilatione? Niſi fortè hoc dixerit S. Antoninus de quotidianis diſputationibus ſuorum; quia ſic intellecta verba ſunt prophetica: nam infructuoſum exitum habit omnis ipſorum conatus, cura, & labor. Item dicit S. Antoninus, quod tenentes opinionem contrariam ſuæ, extorquent dicta, & intentionem Sanctorum, atque Doctorum, manifeſtè patentem in verbis ipſorum: huius aſſerti veritas conſtabit ex Ventilatione ſingulorum: vide etiam num. 25. in Ventil. vbi iterùm redibit S. Antoninus.

Num. XVII. *Ann. 1465.*

RAPHAEL de Parnaſio, Gannuenſis, Ordinis Prædicatorum, & Doctor Parienſis qui floruit ad annum 1465. ſcripſit TRACTATVM *de Prærrogatiua Saluatoris*, vt dicunt Aduerſarii adducendi in Ventilatione num. 263. At Nomenclatores Dominicani vnanimiter afirmant fuiſſe librum de Conceptione B. Virginis Mariæ: quæ quidem parua eſſet differentia, ſi liber, aut Tractatus apparerent, ſed cum tale opus neque impreſſum, nec manuſcriptum, aut aliquod aliud huius Auctoris ſcriptum nunquam fuerit viſum: exiſtimo non ſolùm opus, ſed & Auctorem fuiſſe ſuppoſitum à Bandello primo illius inuentore, & à quo ſubſequentes tranſcripſerunt.

Num. XVIII. *Anno 1470.*

GABRIEL Barlete, Ordinis Prædicatorũ Appulus, qui floruit ſecundum cõmuniorem opinionẽ ad annum 1470. ſed verius poſt Sixtum IV. ad ann. 1484. edidit ſolùm quoſdã Sermones de Tẽpore, ac de Sanctis, qui typis mãdati fuerũt Pariſiis ann. 1521. in 8. atque etiã ſub nomine S. Antonini Florentini, abſque anno, & loco impreſsionis, ac denique duobus Tomis Venitiis 1577. in quibus fol. 223. primæ impreſ. & ſecundæ Tom. 2. fol. 79. extat Sermo ſub hoc titulo: *In Feſto Conceptionis B. Virginis Mariæ; in quo Sermone* EXPLODITVR, *ac confutatur* IMPIA *opinio quorumdam* VVLGARIVM IGNORANTIVM, *& VERA aſſeritur,*

secundùm dicta OMNIVM *sapientium, & maximè* SANCTORVM DOCTORVM *Christianæ Religionis.* Et in corpore Sermonis sic inquit: *Non solùm Antiqui* DOCTORES, *sed etiam* POSTERIORES *tenuerunt, & in scriptis reliquerunt, quòd* VIRGO *Beata, & omnes homines (præter Christum) in sui* CONCEPTIONE *peccatum contraxerunt, &c.* Et discurrendo per distinctas Classes, adducit quinquaginta septem Patres, Doctores, atque Scriptores, pro sua opinione de Sanctificatione Virginis à peccato contracto, & in compendio 42. patres Dominicanos, & concludit suum Cathalogum sic: *Quid vobis videtur, ciues mei, super hoc? Quare omnes Religiones non pugnant pro* DOCTORIBVS *suis? Ecce quot* DOCTORES, *quot* SAPIENTES, *hoc affirmant? Sed dicunt* ÆMVLI *nostri, quod fuit priuilegiata, quia à peccato præseruata: ostendant illud* PRIVILEGIVM, *& eis fidem dabimus, &c.* Vide infrà num. XLIV. vbi ostendimus hoc priuilegium. Quid verò sentiendum sit de scientia, & auctoritate huius Barelete, & quid ipse dicat pro sua opinione contra nostram sententiam, vide Ventilat. num. 83. vbi aliqua risu digna inuenies: quod autem Barelete appellet nos vulgares, & ignorantes, & nostram sententiam impiam, & suam opinionẽ veram, & ab omnibus sapientibus, & maximè sanctis dictam, & scriptam, existimo, ab aliquo malignante fuisse addita, sicut alia multa quæ reperiuntur in illo Barelete libro, vt dicit Ioan. Michael Pius, suæ Religionis Auctor. Sed quidquid sit de verò Auctore, tamen sub hoc Bareletæ nomine semper adducetur in Ventilatione nostra.

Num. XIX. *Anno* 1475.

ANONYMVS, Ordinis Prædicatorum ad annum 1475. edidit librũ sine Auctoris nomine, DE VERITATE *Conceptionis*, cuius exordium in prima pagina sic se habet: *Incipit Prohæmium ad Inclytum, Generosumque Comitem D. Petrum de Gambara, in libellum de* VERITATE *Conceptionis gloriosæ Virginis Mariæ, ex auctoritatibus, & dictis* SANCTORVM *Doctorum* FIDELITER *confectum, per quemdam Religiosum in doctrina sacra non* MEDIOCRITER *instructum.* Hoc est libri principium; finis verò talis est: *Explicit valde* VTILIS *Libellus Recollectorius de* VERITATE *Conceptionis B. Virginis Mariæ, impressus Mediolani, dominante Felicissimo Galiæ Maria Vicecomite Duce Quinto; per Christophorum Valdarfer Ratisponensem, anno Domini* 1475. Et extat impressus in 4. Anonymus ergo iste ex Ordine Prædicatorum, vt posteà manifestè apparebit, non mediocriter (vt ipse dicit) doctus, procedit in suo libro per Partes, Vias, & Rationes. Et Via 3. Par. 2. vbi proponit: *Quod* IMPIVM *est tenere B. Virginẽ sine peccato fuisse* CONCEPTAM. Ratione 9. sic inquit: *Beatam Virginem in originali peccato fuisse* CONCEPTAM, DVCENTI QVINQVAGINTA *Doctores tenent* FAMOSISSIMI. Et distribuendo suos Doctores per diuersas Classes: In prima adducit Summos Pontifices: In secunda Doctores sanctos: In tertia, Patres Ordinis Prædicatorum: In quarta,

ta, Ordinis Minorum. In quinta, Ordinis Eremitarum S. Auguſtini. In ſexta, Ordinis Carmelitarum. In ſeptima, Ordinis Ciſtercienſium. In octaua, Presbyteros ſæculares. In nona, Canoniſtas. (Sed licet Anonymus promittat in titulo ducentos quinquaginta Doctores, in rei veritate ſolùm adducit ducentos, & gratis addidit, vel ad inanem oſtentationem, vel ad decipiẽdum nos illos quinquaginta, vt mathematicè demonſtrabimus num. 307.) Iſtũ Cathalogum complet ſeptẽ foliis; in quo nullam adducit auctoritatẽ, ſed nudè nomina tantum Doctorum. Infrà verò Ratione 11. ſub hoc titulo: *Qui dicit Virginem ſine peccato conceptam, affirmat quod Sancti negant, & negat quod Sancti affirmant, &c.* Adducit quadraginta ſex auctoritates ad litteram, & infrà Ratione 13. alias quadraginta tres. Et hæc de ſtructura materiali illius libri Anonymi.

Quantum ad formaliter contenta in ipſo pro ſua opinione, & contra noſtram ſententiam, aliqua dicemus præallegato num. 307. quæ pertinent ad Ventilationem: pro Trituratione autem notare debes ſequẽtia ſignata maiuſculis litteris. Præfationem ſuam ſic incipit Anonymus : VERITATEM *meditabitur cor meum, & labia mea deteſtabuntur* IMPIVM, *&c.* Et poſt pauca ſic inquit: *Omne ſiquidem hominum* STVDIVM, *omnis* LABOR, *omnis denique* INDVSTRIA *ad hoc ſe totum confert, vt in* VERITATIS *cognitionem deueniat, &c. Ideò* SAPIENTIS, *cuius eſt* VERITATEM *toto* CORDE, *tota* MENTE, *totaque virtute amplecti, ac meditari, eius etiam erit falſum* ERROREM, *qui* VERITATI *opponitur, impugnare, & tota animi fortitudine reffellere, &c. Nõ enim nobis ad ſalutem ſatis eſt, litterarum ſtudio* DILIGENTER *intendere,* VERITATIS *cognitionem acquirere, & per diuerſa mundi climata diſcurrendo doctrinam Euangelicam mortalium populis explicare, niſi etiam oblatrantes* HÆRETICOS, *contra diuinũ dogma* IMPIE GARRIENTES, *qui Chriſtianis pectoribus* LABEM *diabolici* ERRORIS *conantur infigere, viriliter oppugnantes exuberemus, eaſque veluti lupos à Chriſtianis gregibus procul expellentes, infirmiſsimos quoſque ab eorum* ERRORIBVS *liberantes, ad iter cæleſte dirigamus, &c. Inter cæteros autem* ERRORES *contra* VERITATEM *exortos, ille* LONGE *periculoſior eſt, qui Beatiſsimam Virginem à Chriſti redemptione ſegregare molitur; nam dum quidam* MINVS SAPIENTES *in ſuis editionibus, almam Genitricem, ab originali peccato in ſui* CONCEPTIONE *immunem fuiſſet affirmant, Redemptionis prætioſi ſanguinis Ieſu Chriſti præcium euacuant, & in* ERRORVM *multiplicitatem, Catholica virtute* DESERTA, *aufractè* LABVNTVR. *Eſt enim* ERRANTIVM *quaſi naturalis conſuetudo, vt quia in* VERITATIS *medio conſiſtere non poſſunt, dum vnum* ERROREM *intemperatè defendunt, in alium confeſtim dilabuntur. Sic & iſti Diuinarum litterarum* IGNARI, *dum Virginẽ Deigenitricẽ, ſub ſpecie pietatis,* FALSIS *honoribus extollunt, Chriſti dignitati* NEPHANDISSIME *detrahunt, ſanctas ſcripturas* PERVERSE *exponunt, ſanctorum Patrum ſententias ſpernunt, & tandem propter humanum fauorem, ac terrenum lucrum, nouos* ERRORES *confingunt. Hi ſecundum Hieronymum veluti* ADVLTERINI *filii à patrum ſuorum veſtigiis diſcedentes,* VERITATEM *vertunt in* MENDACIVM. *Et ſuperſtitioſa*

TEMERITATE *armati, terminos transferre præsumunt, quos posuerunt Patres eorum. Isti de domo Domini populos* SEDVCVNT, *& vt suum* PERTINACITER *defendant* ERROREM *diuinas Scripturas* PERNITIOSE DEPRAVANT, *Doctores antiquos* CONDEMNANT, *& imperito vulgo prædicantes, audent aliis edisserе, quod ipsi* NON INTELLIGVNT. *Nec fateri etiam verentur, se aliquid videre, quod eorum non intellexere Magistri. O stupendum prodigium! Vt quidam, vt ita dicam,* SCALCIATI *moderni vento* PLENI, *sapientia* VACVI, *tam facilè intellexerunt, quod Doctores antiqui, vita* SANCTISSIMI *ingenio præclari, fide feruentes,* VERITATE *perspicui ignorareuere: Hi profecto* IGNORANTIÆ *tenebris inuoluti, volentes sapere plusquam oporteat sapere,* NOVAS *non cessant* ADINVENTIONES *confingere, nec dignantur discere, quid* APOSTOLI, *quid* EVANGELISTÆ, *& quid sacri* DOCTORES *diuina gratia illuminati, de hac materia senserunt, sed sanctorum* VERITATEM *floccipendentes, ad* FABVLAS *se conuertant, & ad sensum,* ERROREM*que suum* PERNITIOSVM *incongrua adaptant testimonia, quasi grande sit, & non* VITIOSVM *dicendi genus,* DEPRAVARE *sententias, & ad voluntatem suam sacram* SCRIPTVRAM *trahere repugnantem. Hi præterea suos cumulatiùs* ERRORES *personantes, quosdam amplissimos* MAGNO*que, &* EXCELLENTI *ingenio viros, tum* VIRTVTE *animi, tum* OMNI *humana diuinaque sapientia* PRÆCLAROS, *non modo criminosè* DIFFAMARE, *verum etiam, & splendorem* RVTILLANTIS *doctrinæ, ac* NITOREM *vitæ, &* SANCTITATIS *ipsorum ausi sunt* TVRPITER *maculare, quorum profectò* CALCEAMENTI *fimbrias, non modo soluere, sed nec* TANGERE *quidem, apti sunt. Ne igitur tam* PERFLATIS *buccis* VERITAS *numinis almi insidere credatur, vt indoctum vulgus, tanquam quid pitissimum in Virginem personat. Hunc compendiosum libellum, de* VETITATE CONCEPTVS *virginalis, Diuino fretus auxilio, ex* SANCTORVM *dictis confecto, eumque tuæ amplitudini inclite Petre Comes, &c. In quo quidem mihi* PERFACILE *erit ipsum quem tam pompaticè sustentare conantur* ERROREM *tuis fretò auspiciis, ac* VERITATE *comite, pro cuius* AMORE *certandum duximus, vt* MORTALE, *vt* FVGIENDVM, *vt* FALSITATE *plenum refellere.* IMPIVM*que fore, ac* PROPHANVM, *vt pote* FIDEI, *diuinisque* LITTERIS *aduersatissimum, hunc* PERNITIOSVM ERROREM *obstinata fronte credere, aut* DEFENSARE, *tum ex* DIVINIS *oraculis, tum ex eorum* CODICIBVS, *tum etiam* VALIDISSIMIS *rationibus, quas Græci* CORNVTAS *appellant,* DEMONSTRARE *curabo. Sic enim cum ipsis agendum statui, vt* RATIONE, *ac* MANSVETVDINE *prouocati, sequi nos velint, non* FVGERE. *Quatenus ex eorum codicibus ostendentes quod dicimus,* EOS *ad* SINVM *matris Ecclesiæ, relicto* ERRORE *Deo posimus adiuuante* CONVERTERE. *Non enim indiget Deus nostro* MEMDACIO, *vt pro illo loquamur* DOLOS, *&c. Et virgo gloriosa, vt ait Bernardus, liberter illo caret honore, quo vel peccatum venerari, vel* FALSA *induci videtur sanctitas: quapropter* FABRICATORES *illos ostendā esse* MENDACII, *qui Beatissimā virginem* FALSO *extollentes*

ho-

honore; CATHOLICA VERITATE DESERTA *vulgi errantis ſecuntur conſuetudinem, & tot* GARRITVS, VLLVLATVS *in Æthera, quam clamores, dictam* DETESTANDO VERITATEM *inferunt, ac tam* PROPHANE, *tam* RABIDO *ore, in* SANCTISSIMOS, *claroſque viros deſæuiunt, vt nec auctoritate quidem freti, nec vlla* RATIONE *perſuaſi illam abſque originali peccato fuiſſe* CONCEPTAM *in* INIVRIAM *pretioſi Chriſti ſanguinis*, CONTRA *tot, tantoſque* DOCTORES, *propter popularem tantummodò fauorem* AVDEANT *prædicare. At nos clariſsimè Petre, qui* VERITATIS *lumen inſpeximus, relicta populari conſuetudine antiquorum* PATRVM *ſequamur* VERITATEM, *qui non ex ſcabellis, ſed ex ſacris* CODICIBVS *nobis offertur, &c.* Hæc Anonymus ille in exordio, & limine ſui libri de Veritate Conceptionis.

Cùm ergo omnia, & ſingula, quæ hic iſte ſapiens veritatis indagator expreſsè dicit, vel emphaticis verbis inſinuat, eſſet arduum negotium minutatim triturare; ſufficiat ſolùm in communi notare, quòd piam opinionem de immaculata Virginis Conceptione, non tantũ vocat millies errorẽ, mendaciũ, mortale, rabido ore prolatũ figmentũ, pernitioſum, deprauatũ, falſum, nefandum, peruerſum, fabulam fictã, doloſam, turpẽ, deteſtandã, atque etiã inter errores hæreticorum exortos hũc fuiſſe, & eſſe longè periculoſiorem, vt potè contra Doctores, Sanctos, Patres, Apoſtolos, Euãgeliſtas, Scripturã ſacrã, Eccleſiã, fidẽ Catholicam. Quid vltra! contra ipſammet Virginẽ Mariã, Chriſtum Dominum, ſanguinẽ, & redemptionem ipſius; ac per conſequens aſſertores, ac dicentes Deiparam fuiſſe conceptam abſque originali peccato appellat ſcalciatos, adulterinos, vento plenos, ſcientia vacuos, inſipientes, ignorantes, garrientes, falſos, mẽdaces, ſcabellarios, turpes, temerarios, ſeductores, pertinaces, obſtinatos, impios, deprauatores, pernitioſos, fabulatores, audaces, ignaros diuinarũ litterarũ, parum intelligentes, iniurioſos ſanguini Chriſti, &c. Sed ab omnibus his, piiſsimus, ac ſapiens iſte veritatis inſpector N. Ordinis Prædicatorũ ſuo labore, induſtria, ratione, manſuetudine, modeſtia, atque VERITATE vult nos reuocare ad ſinum Matris Eccleſiæ, ex auctoritatibus, dictis, ac ſcriptis in noſtris codicibus, ac ſacris litteris contentis, deſumptis à noſtris, & ſuis antiquis Patribus, ac ſanctiſsimis Eccleſiæ Magiſtris (quorũ fimbriã, aut calceamentorũ corrigiã, non modo ſoluere, ſed neque tangere ſumus digni) ſcilicet, Durandello, Polono, Hærueo, Vulrico, Lictẽberch, Claramõte, Alcono, Sterlingacio, Trabeth, Galdino, Biblia, Pruſio, Orlandino, Montinigro, Parnaſio, Thomaſino, Mõtebudello, & aliis huiuſmodi, de quibus in Vẽtilatione. Sed trãſeat, ò lector! totũ hoc, & ſolùm nota ſpeciali, ac ſingulari ponderatione, quòd quãdo iſte bonus vir ſcripſit, ac typis mãdauit ſupra relata, & infrà referẽda, nullus erat liber impreſſus pro noſtra Minorũ opinione, quod aſſertiuè, & ſciẽter affirmo: nã Antonius Chuccarus, Epiſcopus Azernenſis, & Ludouicus à Turri, ſcripſerũt poſt viginti annos, cõtra hunc Anonymi librũ; neque etiã erat aliquis manuſcriptus cõmunis, niſi ſolus liber Ioãnis Vitalis, qui quidẽ modeſtiſſimus eſt in omnibus ſuis verbis: vnde fallitur, quando dicit: *In ſuis editionibus.*

Sed vltra progredere, quia Anonymus adhuc non concluſit os ſuum.

Infrà verò iterum, atque iterum, & ferè paſsim proponit, quòd aſſerere B. Virginem fuiſſe conceptam abſque originali peccato, nõ ſit pium, neque licitum, ſed contradicere ſacræ Scripturæ, reſiſtere fundatiſsimæ fidei, ſubuertere fundamenta Chriſtianæ Religionis, & illi horrenda peruerſitate infeſtus eſſe, impiumque, ac temerarium aſſerere oppoſitum eius, quod ferè omnes Doctores tenent. Et hoc ſæpiſsimè repetit in toto ſuo libro: ita vt aliquando dicat, & affirmet illud nefandiſsimum videri. Omnia denique ſparſim ſeminata in toto illo libro, quaſi recollegit Anonymus iſte in 3. via par. 2. Ratione 13. fol. 146. col. 3. ſic dicens: *Ex his enim quadraginta tribus auctoritatibus* MANIFESTE *claret, B. Virginem in originali peccato fuiſſe* CONCEPTAM. *Omitto alias auctoritates, ex quibus poſſet idem* CONCLVDI APERTE, *ſed ſufficiant iſtæ, & quæ in ſuperioribus Rationibus adductæ ſunt, maximè in 13. Rat. 2. vię. Ecce quam clara, & aperta ſacræ* SCRIPTVRÆ, *&* SANCTORVM *Patrum teſtimonia, quibus* EFFICACISSIME *concluditur, B. Virginem in originali fuiſſe* PECCATO CONCEPTAM. *Aliter enim non pertineret ad Redemptionem, pacificationem, reconciliationem, ac mediationem per Chriſtum factam, qui ſolus ſine peccato fuit, & redemptione non indiguit. Sed quidam* FABRICATORES MENDACII *ſanam doctrinam non ſuſcipientes, ad* FABVLAS *ſe conuertunt, & ſententias ſermonibus* IMPERITIS *inuoluunt, dicentes, &* OBSTINATA *fronte prædicantes: Beatiſsimam Virginem nunquam originali peecato infectam fuiſſe, & tamen ad Chriſti redemptionem, ac ſaluationem pertinere. Tales profectò ſcripturas ſacras* PERNICIOSE DEPRAVANT, *&* HÆRESIM *Pelagii, Cæleſtii, & Iuliani, ſuis expoſitionibus* DEFENDVNT. *Aduerſus quos B. Auguſtinus in lib. Iponoſ.* FORTITER *clamans, dicit:* O MALVM *Dogma! quòd pacis inimicus adinuenit: O dogma* PESTIFERVM! *per quod ſcinditur vnitas matris Eccleſiæ. O dogma* PESSIMVM! *quod ſub nomine pietatis eũertere, & mutare nititur Eccleſiæ Chriſti fundamenta. O Dogma* NEFANDVM! *cui mille ſunt, & mille nocendi artes, quibus Euangelium ſubuertere conatur: O Dogma* DIABOLICVM, *quod in ſui pernitiem diuerſa* MENDACIA *fingens prouocat ad mendaciũ* VERITATEM, O CÆCA *noſtrorum ſenſuum corda,* O MAGISTRARIVM, *quod obuolutum mortali nebula vobis* DIABOLVS *propinauit. Quis hæc, quæ dicitis, Catholicorum ſapientiſsimus ferat? Quis vos non horreat potius nominare, quam cernere. Quis vnquam Chriſtianorũ dixit, non eſſe peccati vulnere ſauciatos omnes, qui aduentu Chriſti medicinali ſaluantur? Stulte* HÆRETICE *reſpice ad Ieſum, qui propterea vocatur Ieſus, ideſt, Saluator, quia ipſe ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum, &c. Quæ cùm ita ſint, oportet ſecundùm* CATHOLICAM *fidem, &* SANAM *doctrinam, & intelligentibus perſpicuam* VERITATEM *fateri, quòd nec quiſquam ſanari poteſt, non infirmus, nec aliquis poteſt dici redemptus, niſi fuerit ſub ſeruitute captiuus, quòd ſi quidem* ADVERSARII CATHOLICÆ VERITATIS *vellent ſine* PERNICIOSO *ſtudio defendendi* ERROREM *ſuum, cum Dei* TIMORE *cogitare, & oculo ſinceræ* VERITATIS *ſacras* SCRIPTVRAS *inſpicere, profecto non ita* SCELESTISSIME BLASPHEMARENT, *vt dicerent naturam humanã poſt Adæ peccatum, ante*

li-

liberam, & sanam fuisse, quam liberator, ac Saluator aduenirer. Ita enim ERRANTES, *ita* DELIRANTES, *imo ita* INSANIENTES *sunt, vt non aduertant in eo quod B. Virginem* ORIGINALE PECCATVM *non contraxisse asserunt, quod ipsam saluatam, aut redemptam fuisse abnegant, &c.* Ex his solùm ex duobus locis illius libri desumptis colliges, Lector, quot, quantaque erunt exparsa per totum. Sed vt omnia breuiter comprehendas, scias, quod nullum est folium, nulla pagina, nec columna, & fortè etiam neque linea, in quibus non sit aliquod vitium magnum, vel conuitium maximum; vide in Ventil. num. 307.

Contra Anonymũ istum scripserunt Ludouicus à Turri de Verona, librũ integrum, sub titulo: *Compendium Virginei honoris*, & Antonius Cucharo, Episcopus Azernensis, ad finem sui Elucidarii modestè quidem, à quibus nihil volo transcribere pro cẽsura Anonymi, quia sunt ex nostris Minoritis. Scripserunt etiam Petrus Montius Philosophus, in speciali tractatu, incipiente: *Quum nimium per orbem mortales, &c.* Existente in libro, cuius Titulus est: De dignoscendis hominibus, lib. 4. impress. Mediolani, ann. 1492. in fol. cũ additionibus G. Ayoræ Cordubensis. Isti ergo sic inquiunt de libro, ac doctrina Anonymi: *Quum iam nihil amplius supra rem hanc scribere existimarem, libellus quidam Mediolani impressus in manus incidit, qui Auctoris sui nomen palam proferre minimè audet: Qua sola in parte sagacitatis speciunculam retinere videtur, qui cũ manifestè, namque, & in tanti momenti negocio aberrat, vel audiri, vel inter homines nominari saltem nequaquam (quisquis is sit) dignus apparet. Neque vsquam aliàs inter tot tãtarum gentium turbas, quas me sensisse memini, quempiam tam prophane loquutum audiui, qui hic, & verborum, & sententiarum procacitate, petulantia, ac turpitudine non facilè cederet. Hic etenim, & si Religiosum fuisse, haud vno indicio colligitur: nemo vsquam aduersam sui istius generis partem ad tantam stragem, internitionemque cupiuit. Qui quidem etsi plura aliorum dicta tangere videatur, in iis omnibus imbecilla principia summatim, imò tumultuatim præponit, quamuis hac in parte ab illis degenerare nequaquam videatur, qui S. Thomæ Aquinatis partem hac in ipsa re tueri præsumunt. Neque nos vltra ad eosdem conuincendos procedere oportet. Ducem quippè suum non à nimium recta voluntate in hunc modum protegere moliuntur. Pollicẽtur enim in primis alios redarguere velle, neque id vel planis rationibus, vel multum speculatiuis argumentis agere dicunt. Sed auctoritatibus tantum freti, se certaturos fore promittunt, &c.* Et postquã aliquid de auctoritatibus Ambrosii, & Hieronymi, prosecuntur: *Conceptionis etiam opusculum ab Anselmi manibus detrahunt, atque surripiunt. Nam illico, cum sanctus aliquis à sua voluntate declinat, illius opera adulterina esse mentiri, ac comentari non timent. Sed eos qui secum assentiunt, amplissimis laudibus ad cælum vsque extollere summopere nituntur, &c.* Positis ergo aliquibus de S. Thoma, quæ singularis obseruationis digna erant, concludunt sic: *Inde Auctoris audacia, atque immodestia (ne inuerecundiam dixerim) potiùs quam vlla vel sanctitas, vel religio colligi potest, &c.* Et infrà: *Aliam præterea, vel natura, vel consuetudine validam rationem ab ipsis dari sperare non licet, quum illam neque hactenus, neque in præsentia habere visi sunt, quoniã demum maior durities, intellectionisque obligatio acriùs reprehendẽda est, &c.* Et infrà: *Verum hic patricius vir (quando sibi nomen vel turpe, vel hone-*

stum

ſtum vendicare non auſus eſt) ſed vel inter tyrannos, vel peruerſos homines loqui arbitratur, &c. Et concludunt ita: *Aiunt ſiquidem, nõ ſolùm de debito, ſed & de facto Mariam peccauiſſe, neque eam peccatum in corpore tantum radicitùs, ſed & formaliter in animam contraxiſſe aſſeuerant. Addunt deinde, imò replicant, Chriſti Matrem non ſolùm originale peccatum in animam habuiſſe, ſed & illud etiam formalem eſſendi modũ ibidẽ poſſediſſe, qui hoc tumultu, atque defrænato impetu procedit: quis tam vecors eſſe poterit, ſiuè Chriſtianus, ſiuè Moſaichus, ſiuè Mahumetanus is ſit, vt Scriptoris iſtius iniquitatem diſcernere nequeat, quum tam turpia indebite obiiciat, quòd nundum illic liceret, quum de inhoneſtis, atque inimicis perſonis ageretur, &c.* Hic eſt Anonymus, poſteà Bandellus, ac tandem ſuæ Religionis Generalis, talis ſuus liber, ac doctrina in eo contenta, quam poſteà ſecuti ſunt omnes Patres ſui Ordinis.

Suppoſita ergo hac vera, iuſtiſsimaque cenſura incogniti Anonymi, poſteà cogniti Bandelli, tandèm Venerabilis Generalis ſuæ Religionis; ſcire debet Lector, quòd hic Auctor occultus in præſenti libro Anonymo, impreſſo ann. 1471. ſciens ex experientia, in ſuis diſputationibus de Conceptione, de quibus dicemus infrà num. XXIII. litteras Stephani Epiſcopi, & Vrbani Papæ adductas à Montiſoniſtis, pro ſtabilienda approbatione Apoſtolica doctrinæ S. Thomæ, non fuiſſe efficaces, nec concludere formaliter intentum, pro falſiſque reputari ab omnibus, cùm nulla poſſent inſtrumenta oſtendere authentica, &c. Decreuit fingere aliam in indiuiduo vago, & Pontifice in abſtracto, vt ex occultis terminis à quo, & ad quem nullum inueniret veritas medium, nec reconuentioni de falſitate vllus maneret aditus. Et ſic in iſto Anonymo libro de Conceptione occulta facie, & ſuppreſſo nomine, via 3. part. 2. Ratione 11. cuius titulus eſt: *Qui dicit B. Virginem ſine peccato conceptam, affirmat, quod ſancti negant, & negat, quod ſancti affirmant*, fol. 113. à tergo poſt prædictas litteras Vrbani, & Stephani adductas à Montiſoniſtis, vt vidimus ſuprà num. IX. hanc addidit de nouo Apoſtolicam approbationem doctrinæ S. Thomæ: *Innocentius Papa in ſermone B. Thomæ, qui incipit: Ecce plus quam Salomon hic; ſic dicit: Huius Doctoris ſapientia præ cæteris, excepta Canonica; habet proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem ſententiarum; ità vt nunquam, qui eam tenuit, inueniatur à tramite veritatis deuiaſſe, & qui eam impugnauit, ſemper fuit de veritate ſuſpectus. Hæc ille.* Hoc primo fundamento ſuæ falſitatis ſupra innocentiam poſito, ad annum 1481. edidit idemmet Anonymus alterum librum ſub expreſſo nomine Vincentii Bandelli, & in ipſo, Ratione 12. fol. 90. à tergo, cuius titulus eſt: *Vniuerſitas Pariſienſis determinauit, quòd B. Virgo fuit in originali peccato concepta. Ergo ita eſt, &c.* Iam quaſi in aliorũ niteretur veridico teſtimonio, poſt auctoritates Stephani, & Vrbani, iterũ adduxit eadem verba ſic: *Et Innocentius Papa Sextus de B. Thoma ſic dicit: Huius Doctoris ſapientia præ cæteris (excepta Canonica) habet proprietatem verborum, modũ dicendorum, veritatem ſententiarum; ita vt nunquam qui eam tenuit, inueniatur à tramite veritatis deuiaſſe, & qui eam impugnauit ſemper fuit de veritate ſuſpectus. Hæc ille.* Nota, Lector, quòd hic iam expreſsit Innocentium, dicẽs, fuiſſe ſextum, ſed tacuit illud de ſermone S. Thomæ, incipiente: Ecce pluſquã Salomõ hic.

Ab hoc vnico Patre Dominicano Anonymo introducta, atque diuulgata fuit in tota Religione Prædicatorum excellẽtia ista doctrinæ S. Thomæ, & hinc tanquam si fuissent verba Apostolica, Catholica, Romana, oraculum, dogma, canon, & decretalis Pontificia transcripta in libris, prædicata in concionibus, in conclusionibus stabilita, atque vbique decãtata reperitur. Ego verò non curo, an propositiones contentæ in prædicta auctoritate, sint iniuriosæ, periculosæ, scandalosæ, ac temerariæ, & quælibet clausula illius enucleata, & radicitùs ventilata maiorem mereatur cẽsuram, quia de hoc satis doctum, atque eruditum edidit rescriptum R. P. F. Petrus de Sobreuilla, Pater Prouinciæ Burgensis, Lector Iubilatus, & Qualificator S. Officii Inquisitionis; dicatum D. D. Didaco de Arze, & Reynoso, quondam Episcopo Placentino, atque Inquisitionis Generalis Hispaniarum digniſsimo Præsidi; impressum Lugruñi, hoc ann. 1659. in fol. Et sic solùm ad Trituratione voco, iuxta meum institutum; vtrum auctoritas, & verba supra posita ex Innocentio Pontifice sint falsa, chimericè ficta, & suppositа; & respondeo absolutè, assertiuè, & affirmatiuè: quod probo sequentibus rationibus.

Primò ab origine, & exordio illius, hoc argumento: Primus inuentor, atque introductor præpositi elogii fuit Anonymus Bandellus, sed hic in illis duobus suis libris vitiauit Auctores, & auctoritates non sex, vel octo, nec sexaginta, aut octoginta, sed omnes 315. Auctores, & singulas 640. auctoritates, præcipuè Summorum Pontificum propter rationem infrà assignandã. Ergo hoc ipsum fecit cum Innocentio, & eius auctoritate. Maior est euidẽs, quam sic demonstro: R. P. F. Gundisaluus de Arriaga, Ordinis Prædicatorum typis mandauit Matriti anno præterito 1652. tomos duos de S. Thoma, Doctore Angelico, &c. in folio, quorum secundus integer habens, fol. 676. est de doctrina S. Thomæ, in quo à fol. 107. vsque 178. cap. 5. sub hoc titulo: *Tratase el testimonio de Inocencio Sexto, en recomendacion de la doctrina del Angelico Doctor.* Pro viribus nititur probare, hoc testimonium esse verũ, & subsistens contra aliquos modernos, cuius potissima, & vnica ratio est, quã proponit §. 2. sub his verbis: *Conuencese ser de Innocencio VI. el testimonio referido, con auctoridades de Põtifices, y Doctores, &c.* Et sic refert ferè triginta quinque Scriptores intra, & extra Religionem Prædicatorum, qui in suis libris adducunt prædictum testimonium, in quibus solùm omisit Carolum Pintum, in lib. de Carmin. S. Thomæ, fol. vltimo. Sed ex omnibus illis antiquiores, & primi sunt Petrus de Bergamo Italus, qui scripsit post annum 1480. Gabriel Barelete, Auctor qui scripsit etiam post Sixtum IV. vt constat ex eius libro, Bartol. de Spina, qui floruit ad annum 1530. Ambr. Catharinus, qui scribebat ad annum 1550. omnes isti sunt antiquiores; nam alii sunt moderniſsimi, & istius sæculi. Itaque eruditus iste Pater, qui in hac materia recollegit Auctores, & testimonia, quæ hucusque fuerunt, nullum inuenit ante annum 1480. erit ergo optima, ac infallibilis consequentia hæc: igitur ista Innocentii auctoritas, & S. Thomæ elogium introductum fuit, circa annum 1480. cùm anteà nulla esset ipsius notitia? Existimo, hanc esse mathematicam demonstra-

monſtrationem. Tunc ſic: Anonymus ſcribens ad annum 1471. & idem ſcribens ſub expreſſo nomine Bandelli ad annum 1481. adducunt hanc Innocẽtii auctoritatem, vt ſupra vidimus: ergo iſti, vel iſte fuit primus adductor, & ſeminator talis auctoritatis, cum nullus fuerit ipſo antiquior, qui illã adduxerit: P. Arriaga de his libris, ſeu Auctoribus, Bandello-Anonymo, atque Anonymo-Bandelliano nullam facit mentionem; & certè miror, quia in ſua Religione nullus liber eſt adeò communis, ſed potuit eſſe quòd ipſos nõ viderit, vel ſi vidit, noluit eos in medium adducere, timens propalationem totius machinæ, ſenciẽs libros eſſe paruæ fidei, & nullius veritatis. Confirmatur: Innocentius VI. fuit Gallus, & in Gallia aſſumptus anno 1352. & mortuus Auenione anno 1362. & anno 1390. exorta fuit illa acris controuerſia inter Patres Dominicanos, & Vniuerſitatem Pariſienſem circa approbationem Apoſtolicam doctrinæ S. Thomæ, vt vidimus ſuprà num. IX. Qui ergò ſe muniebant contra Facultatem Pariſienſem auctoritatibus Vrbani, & Stephani Epiſcopi: ſi eſſet tàm egregia auctoritas Innocentii, non illam omitterent. Item quia Turrecremata, qui ſcripſit anno 1437. Et in hoc puncto, nihil prætermiſit in illo ſuo libro de Conceptione. Et S. Antoninus ad annum 1450. qui 3. par. hiſtor. titul. 21. §. 8. fol. 313. & alibi loquitur latè de approbatione doctrinæ S. Thomæ, etiam adducerent hanc Innocentii; ergo Anonymus qui poſt illos immediatè ſcripſit anno 1471. illã introduxit, ſicut reliquas: ſed omnes aliæ, nulla excepta, ſunt falſæ; ergo & iſta. Hæc, & Minor de fictionibus excogitatis, ac intruſis ab Anonymo Bandello, in illis ſuis libris de Auctoribus præcipuè Summis Põtificibus, & ipſorum auctoritatibus conſtabit ex toto hoc libro; vbi mirabilia videbimus.

Secundò probatur falſitas ex adducto Innocentio: quia hactenùs ipſimet Patres Dominicani ignorant quis, vel qualis fuerit talis Innocentiùs. Cùm enim Baldellus in ſecundo Tractatu de Conceptione aſſeuerauerit, fuiſſe Innocentium VI. qui poſteà ex ipſo tranſcripſerunt in eodẽ VI. conueniunt: at cùm in primo libro Anonymo ſolùm diceret fuiſſe Innocentium nudè abſque alia nota, qui ex iſto tranſcripſerunt, tantùm vocant Innocentium præciſè; vt Barelete, Truxillo, &c. Alii volentes exprimere numerũ, & indiuiduare perſonam, dixerunt fuiſſe Innocẽtium V. vt Grauina, tom. 1. cap. 4. fol. 12. & alii affirmant, fuiſſe Innocentium IV. alii Innocentium VII. de quibus vide Nitel. Franc. fol. 42. & P. Sobreuilla, ne actum agamus: ſicque vacillantes inter quatuor Innocentios, neſciunt, ad quem porrigant manum, ſentientes quòd in nullo ſecundùm veritatem ſubſiſtere poſſunt; non in Innocẽtio IV. nam hic fuit aſſumptus anno 1243. & deceſsit à vita ann. 1254. per viginti annos ante mortem S. Thomæ, & nõ ſcripſit Sermones, quia fuit canoniſta. Neque in Innocentio V. nam hic fuit Petrus de Tarantaſia, Ordinis Prædicatorum, contemporaneus S. Thomæ, cuius doctrinæ fuit defenſor ipſemet Angelicus Doctor, & inter eius opuſcula extat reſponſio de articulis centum, & octo ſumptis ex opere Petri de Tarantaſia ad Ioannem Vercellenſem Generalem, &c. Atque electus fuit ad Sedem anno 1276. & in

eodem

eodem mortuus post quinque menses; sicque migrauit ferè cum eodem S. Thoma. Verba autem indicant fuisse dicta post Canonizationem eiusdem. Denique Tarantasia non scripsit Sermones, vt fatentur omnes Nomenclatores Dominicani. Nec potuit esse Innocẽtius VII. qui electus fuit anno 1404. & migrauit anno 1406. quia hic nullos edidit sermones, nec aliquid aliud scripsit, nisi in Consessu Cardinalium quandam orationem de Ecclesiastica vnione: ergo hæc auctoritas ex quatuor pedibus claudicat in tribus, & solùm potest subsistere in vno Innocentio VI.

Tertiò probatur; quòd nec iste stare possit ex sermone: quia licèt nonnulli moderni affirment, scripsisse aliquos Sermones, vt Ludouicus à S. Iacobo in Bibliot. Pontif. fol. 125. &c. Isti loquuti sunt in fide Anonymi, & Bandelli: nam nullus Nomenclator antiquus scribens ante istos de Sermonibus Innocentii VI. vel Stephani Auberti (sic enim vocabatur in minoribus constitutus) mentionem facit. Et in Bibliotheca Vaticana huius solùm extãt quædam Epistolæ. Pater Arriaga loco citato num. 3. fol. 111. de quodam Lamberto de Monte in principio lib. de Anima impres. Coloniæ 1494. inquit: *Refiere el testimonio de Innocencio de verbo ad verbum, y afirma auer sacado las palabras del sermon original del Pontifice, &c.* Sed Pater iste, vt liberaret reum, condemnat innocentem, quia nec ipse ostendet talem Lambertum Mõtem, nec in ipso illud testimonium de Sermone Innocentii: qui enim scripsit librum sub titulo: Paradysus Animæ, impres. Antuerp. ann. 1620. appellatur Albertus. Infaustus equidem sermo; nam cum de aliis approbationibus, seu elogiis doctrinæ S. Thomæ, Vrbani, Stephani, & Vniuersitatis extent instrumenta talia qualia, solus sermo iste periit. Sed quomodo potuit perire, qui nunquam fuit? Grauina præallegato cap. 4. §. 1. recensens omnia elogia doctrinæ S. Thomæ à Summ. Pontificibus tradita; signat partem, locũ, &c. At de hoc testimonio Innocentii in capite sui Kalendarii adducto, tanquam præcipuo, nullum dat signum suæ existentiæ; & idem dico de aliis Scriptoribus. Sed de hoc suspende iudicium, lector, vsque ad vltimam huius numeri probationem.

Quartò probatur ex verbis auctoritatis: quia non sunt Auctoris antiqui, sed ex stilo, dispositione, modo, ac substantia indicant esse Bandelliana, vt ex aliis quam plurimis similibus ab eodem fictis præcipuè de Summis Pontificibus in Ventilatione videbimus. Cùm enim eodem anno, quo Anonymus scribebat, scilicet, 1471. assumptus fuisset ad Supremum Petri solium Sixtus IV. Ordinis Minorum, timens confirmationem Decreti Concilii Basiliẽsis, agglomerauit decem Pontifices pro sua opinione, & cum illis pro sui Doctoris doctrina introduxit auctoritatem Innocentii, ac in illa istas quinque propositiones. Primam: verba quæ Ghristus Dominus dixit de se ipso: Ecce pluſquam Salomon hic, ex approbatione Apostolica cõueniunt, & debent intelligi de Angelico Doctore S. Thoma. Secundam: Doctrina S. Thomæ præ cæteris aliis Doctoribus, Augustino, Hieronymo, Ambrosio, &c. habet maiorem veritatem sententiarum. Tertiam: Excepta Scriptura sacra

Ca-

Canonica, doctrina S. Thomæ primum habet locum in Ecclesia, &c. Quartam: nullus tenens doctrinam S. Thomæ, hucusque deuiauit à tramite veritatis, nec potest deuiare. Quintam: omnis qui impugnat doctrinam S. Thomę in quacumq; materia Theologica, Physica, Morali, Naturali, Historica, vel Politica, semper fuit de veritate suspectus, vel de hæresi, vt alii dicunt. Hæc omnia comprobantur ex ipso P. Arriaga: nam huc dirigit singula auctoritatis verba (si verò ista contineant sanam doctrinam, iudicet, qui potest.) Et §. 14. n. 10. fol. 160. ad illud: *Semper fuit de veritate suspectus*, inquit: *Quizà no hablò el Papa en numero plural, porque no sospechase alguno, pudiera escaparse de sospechoso en verdad, pues no ay regla general, que no padezca excepcion: vsa de numero singular, para que sin descarte alguno sepan todos, vno por vno, que qualquiera que impugnare a S. Tomas, queda sospechoso de verdad, &c. A esta traça el Papa con voz soberana, mirando à su hijo Tomas, maldice a quien le impugna.* Et Pater Campomanes in Conclusionibus, de quibus infrà, cùm esset titularis: *Vtrum materia prima possit existere sine forma*; concluſit sic: *No se cansen, que quantos impugnan a S. Tomas en qualquiera materia, son sospechosos de heregia, &c.* Erat conclusio de *materia* prima, & sic illam impugnantes erant suspecti de hæresi, *en qualquiera materia*. Nota, Lector, quomodò apud Patres istos crescat doctrina: nã quæ in Innocentio fuit suspicio, in Arriaga anno 1652. est maledictio, & in Campomanes anno 1658. fuit hæresis.

Quinto probatur à simili ex supradictis, num. IX. vbi adduximus litteras Vniuersitatis, & Stephani Episcopi Parisiensis, vt adducuntur ab Anonymo, & antiquis pro approbatione doctrinæ S. Thomæ, quarum præcipua inuenitur, etiam posita in operibus S. Thomæ nouissimarum impressionum in vltimo Tomo indicis in principio (opus elaboratum à F. Petro Bergomensi, & quem Pater Arriaga loco supra citato, §. 3. num. 1. fol. 114. constituit inter suos primum, ac præcipum seminatorem auctoritatis Innocentii VI. ad ann. 1430. de qua noster est sermo) quæ ita vitiata, & adulterata in clausulis præcipuis adducitur, vt vix dignosci possit, an sit eadem, vel diuersa; sed vt vnico intuitu percipiat Lector omnes additiones intrusas, illas signabimus diuerso charactere, scilicèt *cursiuo*.

Epistola Vniuersitatis Parisiensis, in laudem, defensionem, atque fauorem doctrinæ eiusdem D. Doctoris S. Thomæ de Aquino.

Vniuersis præsentes litteras inspecturis. Stephanus permissione diuina Parisiensis Episcopus, salutem in omnium Saluatore. Magistra rerum experientia, certis indiciis euidenter demonstrat, multa quibusdam temporibus ordinata *consultè*, nouis emergentibus causis, succedentibus temporibus, in contrarium deberi consultiùs immutari. Dudum siquidem *fœlicis memoriæ* quidam prædecessores nostri *Parisienses Episcopi*, quosdam articulos (ne forsitan eos malè intelligentes, caderent in errorem) tanquam erroneos per excommunicationis sententiam damnarunt, *& interdixerunt expressè*. Quorum *tamen* nonnulli doctrinam eximii Doctoris B. Thomæ de Aquino *de ordine Fratrum Prædicatorum* tangere ab aliquibus asseruntur. Quam articulorum, *& senten-*

tia-

tiarum promulgationem, venerabiles viri Decanus,& Capitulum Eccleſiæ *Dominæ* noſtræ ſicut veritatis zelatores,intimiùs conſiderantes,nec non doctrinæ, ac famæ B. Thomæ *prædicti* iniuſtam denigrationem, *veritatis occultationem*,& Sanctæ Romanæ Eccleſiæ aliqualem dehonorationem, *per venerabilem virum, Magiſtrum Annibaldum Decanum, Attrabatenſem Archidiaconum, ſacræ Theologiæ Doctorem,& Dominum Petrum de Fagelo Pariſienſem Canonicum, eorum propter hoc Nuntios ad nos ſpecialiter deſtinatos,nos requiſierunt, nobiſque* ſupplicarũt, quatenus vocatis omnibus ſacræ Theologiæ Doctoribus, *ac cum eiſdem communicato conſilio,& deliberatione habita diligenti*,& cum aliis etiam, qui de talibus,*& in talibus* plura poſſunt, veritatis viam, aperiremus, per quã in prædictis articulis,in quantum Doctrinam B. Thomę,*prædicti*, *& Doctoris egregii* tangere poſſunt, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ,ac ſancti prædicti, *& Doctoris venerabilis* honorem,& reuerentiam ſeruaremus. Nos igitur attendentes cũ eis,quòd ſacroſancta *Romana* Eccleſia,*Mater* omnium fidelium,& magiſtra *fidei,& veritatis*,in firmiſsima Petri Chriſti Vicarii confeſsione fundata, ad quam velut ad vniuerſalem regulam Catholicæ veritatis pertinet approbatio *doctrinarum*, declaratio dubiorum,determinatio tenendorum, & confutatio errorum,præfatum Doctorem *eximium*, & venerabilem,cuius doctrina fulget Eccleſia,vt Sole,Luna, nuper ſanctorum Confeſſorum Cathalogo aſcribendum decreuit, diligenti diſcuſsione, & examinatione habita ſuper vita *ſancta*,& doctrina *clara* ipſius,ipſumque quoad vitam puram,& doctrinam ſalubrem,Orbi terræ *dignum,& commendabilem* prædicauit ; cupientes *glorioſum* Deum in ſanctis ſuis *apud fidelium deuotionem in terris glorioſius* exaltari,ac ſacratiſsimæ Matris *noſtræ prædictæ* deſiderantes veſtigia ſancta imitari, dictumque Confeſſorem, *& Doctorem glorioſum*, feliciter in cælis regnantem, apud terrigenas deuotiùs, & celebriùs honorari, *&* præſertim cùm fuerit vniuerſalis Eccleſiæ lumen præfulgidum,*gemma radians Clericorum,fons Doctorum*, Vniuerſitatis noſtræ Pariſienſis ſpeculum clariſsimum, *& candelabrum inſigne, ac lucens, per quod omnes, qui vias vitæ, & ſcholas doctrinæ ſanæ ingrediuntur, lumen vident, claritatis* vitæ, famæ *claræ*, *& ſcientiæ lucidæ*, velut ſtella ſplendida, & matutina refulgens,per venerabiles, ac dilectos Conſiliarios noſtros fideles, *Magiſtrum Agonem de Biſuntio, Cantorem Pariſienſem, Magiſtrum Stephanum de Nouauilla, & Dominum Odonem de Senonis, Canonicum Pariſienſem*, inquiſitione facta ſuper dictis articulis, apud Doctores Theologicæ facultatis, & eorum Cõgregatione Generali regentium,& non regentium,ſæcularium,& regularium ad hòc ſpecialiter conuocata, comperto per Dei gratiam,dictum *Confeſſorem B. & Doctorem egregium*,nil ſenſiſſe, docuiſſe,ſeu ſcripſiſſe,quod ſanæ fidei,vel bonis moribus aduerſetur,de Cõſilio Venerabilium Virorum Decani,& Capituli Pariſienſis, & Venerabilis Patris Dominici Guilielmi,*Dei gratia* Vienenſis Archiepiſcopi, Sacræ Theologiæ profeſſoris,& aliorum viginti trium Magiſtrorum in Theologia, vna cum Reuerendo Patre ſupra dicto in litteris, *cum eorum* ſigillis per præfatos Commiſſarios nobis commiſſos, nec non & tringinta nouem Bachalariorum

rum in Theologia, ſuper hæc per litteras eorum, propriis ſubſcriptionibus, & ſigillis munitis, ſuper hoc conſulentium, & rogantium humiliter, & deuotè, & aliorum diſcretorum ſolemni, ac maturo conſilio ſuper hoc habito, ſupradictam articulorum condemnationem, & excommunicationis ſententiam, quantum tangunt, vel tangere aſſeruntur ſanam doctrinam S. Thomæ prædicti, *& Doctores eximii*, ex certa ſcientia, tenore præſentium totaliter annullamus. In cuius *annullationis* teſtimonium, ſigillum noſtrum præſentibus eſt appenſum. Datum apud *Bertiliacum*, anno Domini 1325. die Iouis antè ſacros cineres. Hucuſque Epiſtola P. Arriaga, cuius principium, & originem quærens in illo magno libro de excellentia Doctrinæ S. Thomæ, cap. 7. fol. 564. non inuenit alium niſi in tabula Aurea operum S. Thomæ, impreſ. Romanæ anno 1571.

Patres mei, in hac Epiſtola regulata, cum eadem ſupra poſita num. IX. & adducta ab Anonymo omnia curſiuis characteribus ſignata ſunt addita in veſtris vltimis impreſsionibus operum S. Thomæ, indice, & tabula elaborata à veſtro Bergomenſi, & alia quã plura derelicta, nonnullaque immutata, præcipuè in titulo, & in data: nam in illa antiqua eſt apud Gentilicũ anno 1324. hæc verò apud Bertiliacũ anno 1325. niſi fortè variatus fuerit titulus, annus, & locus expeditionis, vt ſic exiſtimarent Lectores fuiſſe Epiſtolas diſtinctas, ſed ſi hoc fuit aſſumptũ, certè ridicula extitiſſet phãtaſia: nã quomodo in duplici anno diſtincto 1324. & 1325. in Gentilico, & Bertiliaco, in eodẽ die Iouis ante ſacros cineres poterat eſſe idemmet numerus viginti Magiſtrorum in Theologia, triginta nouem Bachalariorum, cũ Guilielmo Archiepiſcopo Vienenſi, & aliis indiuiſibilibus circũſtantiis, diſpoſitione, clauſulis, ac verbis indicantibus Epiſtolas eſſe vnã, & eadem? Conſiderate hæc, & alia, Patres mei in hoc libro detecta, & diſcite ab his euidẽtibus demõſtrationibus: nam qui vitiauit in tãtis Epiſtolã iſtam pro approbatione doctrinæ S. Thomæ, ſiuè fuerit Anonymus, ſiuè Nominatus; Antiquus, vel Modernus; Bandellus, aut Bergomenſis; finxit etiã ex proprio cerebro auctoritatem, & approbationem Innocentii VI. Nec eius veritas comprobatur, ex eo quòd reperiatur in Breuiario Ordinis Prædicatorũ; nam etiã in eodẽ extabat Officiũ Sanctificationis; habens tot vitia, fictiones, & adulterationes capitales, quot in eo erant auctoritates, clauſulæ, ac lineæ, vt demõſtraui in noſtro Armamentario à col. 220. vſque 278. ſed de hoc ſatis.

Sexto, & vltimo probatur ab effectu. Nã in ciuitate Lugduni ann. 1658. die 25. Iulii R. P. F. Ioannes de Campomanes & Oſſorio, Lector Theologiæ Moralis, Ordinis Prædicatorũ habuit quaſdã cõcluſiones Philoſophicas, cuius titularis erat, *Vtrum materia prima poſſit exiſtere ſine forma*, dicatas Angelico Doctori D. Thomæ Aquinati, cuius dedicatoria ſic incipiebat, *D. Thomæ Aquinati, &c. Cuius Aſſeclæ in fide tuti, cuius impugnatores ſemper ſuſpecti de veritate habentur, &c.* Quæ verba, vt cõſtat ex ipſis, fuerũt deducta ex propoſita auctoritate Innocentii, & die 26. Aprilis ann. 1659. fuit publicatum Edictum S. Inquiſitionis ſubſcriptũ à D. Petro Martinez de Coca, ſecretario eiuſdem

S. Tribunalis, in quo sub censorio præcepto interdicuntur sic: *Vnas conclusiones impressas en esta Ciudad de Logroño, por Iuan Diaz Balderrama, que defendiò Don Francisco Baltasar de Menuate, en la Iglesia Real de Santiago della, y las presidio Fray Iuan de Campomanes Osorio, Religioso en el Conuẽto de Santo Domingo de la dicha Ciudad, que empiezan: Diuo Thomæ Aquinati, &c. por contener el titulo en las dichas conclusiones palabras* SEDICIOSAS, ESCANDALOSAS, Y TEMERARIAS, *&c.* Extat apud nos authenticum testimonium Laurentii Castellanos, Notarii publici. Et hæc pro nunc sufficiant de Trituratione Anonymi.

Num. XX. *Ann.* .....

IOANNES Bricius, Ordinis Prædicatorum, composuit secũdùm Vincent. Bandellum, & Pet. de Vincentia, &c. TRACTATVM *de Conceptione B. Mariæ Virginis.* Ex quibus constat, quod vixerit antè ipsos, sed quo anno, vel quis fuerit Auctor iste sub hoc nomine Ioannis Britii, hactenus inuenire nõ potui, nec extat in Nomẽclatura Dominicanorũ, nec in qualibet alia totius litteraturæ Ecclesiasticæ. Vndè existimò fuisse fictũ à Bandello, sicut fecit de aliis multis, vel esse quendã Ioannem Thomæ Doctorem Parisiensem, de quo loquuti sumus supra num. X. & latiùs in Ventil. num. 158.

Num. XXI. *Ann.* .....

PETRVS de Vincentia, Ordin. Prædicatorum eodem tẽpore Bandelli, ideſt, circa annum 1480. edidit libellũ in 4. absque anno, & loco impressionis, continentem tantummodo folia 15. sub hoc titulo: *De B. Virginis Conceptione* DVCENTORVM ET SEXDECIM *Sanctæ Matris Ecclesiæ Doctorum.* VERA TVTA, *& tenenda sententia.* Opusculi verò initiũ sic se habet: *In hoc libello continentur dicta* DVCENTORVM SEXDECIM *Doctorum, qui* OMNES FIRMITER, FIDELITER *que tenent, B. Virginem in sui Conceptione contraxisse originalem maculam, &c.* Et positis quatuor breuissimis capitibus de peccato originali, & eius natura; sic prosequitur: *Incipiunt auctoritates* SANCTORVM *Doctorum,* & adducens primo in loco Petrum Lombardum sententiarum Magistrum. Componit suam Tabulam Doctorum per diuersas classes, & in prima collocat sanctos Doctores, licet aliquos ibi enumeret, qui vt sancti non venerantur, v. g. Eusebium, Origenẽ, Casianum, &c. In secunda classe ponit Romanos Pontifices; in tertia, iuris Canonici Glossatores; in quarta antiquos Theologos; in quinta, Patres Ordinis Cistercienſis, in sexta; Ordinis Prædicatorum; in septima Ordinis Minorum; in octaua Eremitarum S. Augustini; & in nona, Ordinis Carmelitarum, in quibus solùm notare debes hoc: Classem Ordin. Prædicatorum diuidit Auctor in duas partes, primam sub hoc titulo: *Dicta* SANCTORVM *Doctorum sacri Ordinis Prædicatorũ, de materia Conceptionis B. Virginis.* Secundã sic: *Idem tenẽt omnes* DOCTORES *qui sequuntur, &c.* In prima ergo classe sanctorum enumerat S. Thomam, S. Vincentium, S. Catherinam, S. Antoninum. B. Albertum Magnum, &c. Et inter hos sanctos enumerat etiam (vt sanctos) Ioannem de Turrecremata, Pe-

trum de Palude, Durandum, Iacobum de Voragine, Iacobum de Lausana, Ioannẽ Lictimber, Ioannem Bosinensem, Angelũ de Bononia, Martinũ Polonum, Vincentium Historialem, Thomã de Linchino, Peraldum, Hervæũ, Perusium, Bomboligimum, Bubliam, Ioannem de Neapoli, Durandellum, OlKotum, Romanum, & Leonardum Statium. Pater ex quo Kalendario transcripsisti istam cateruam Sanctorum? Concluditur autẽ Libellus ille sic: *Expliciunt auctoritates* DVCENTORVM SEXDECIM *Doctorũ cum quatuor capitibus præcedentibus de* VERITATE *Conceptionis Beatissimæ Virginis Mariæ: solicitudine Fratris Petri de Vincentia, Ordinis Prædicatorum.* Hoc ergo fundamẽto posito aliqua deducere opportet ex illo pro nostra Trituratione, atque exacta noticia Auctoris, & Libelli.

Primò ergo dicimus, quòd cùm Libellus iste non exprimat locum, nec annũ suæ impressionis, & ex characteribus, forma, ac dispositione typographiæ videatur excussus Bononiæ, aut Brixiæ viuẽte Sixto IV. vel parũ post mortem eius, existimandũ etiam est clam, & occulte fuisse prælo mandatũ, & quia sic primò fuit in mundo natus sub eadem vespertina constellatione viuit, nam anno præterito, scilicèt, 1649. mense Iulio Tolosæ in Gallia iterùm furtiuis, atque nocturnis typis, sine loci, nota, anni subscriptione, aut Typographi nomine fuit excussus; sed statim, scilicèt, mense Augusto vigilãtissimi Academiæ Tolosanæ, Rector Raymundus de Taillason, ac Doctores publica sententia, tanquam temerarium, scandalosum, & toti Ecclesiæ Catholicæ maximè iniurioſum ad æternam obliuionèm damnarunt, vt latè refert Petrus Posinus in Prologo sui libri: De Vincentia victo. Nec hìc quieuit ardor, nã, vt audio, hoc eodẽ anno 1653. Panormi sub nocturnis etiã tenebris tertiò, & clãdestinè excussus. Patres mei si in hoc vno Vincẽtiæ Libello habetis repositam spem, atque fidutiam exaltationis vestræ opinionis, ecce in hoc libro illum do vobis de primo ad vltimum verbum, vt recognoscatis, quã vana est spes vestra, quia in illo detexit veritatis Sol tot fictiones, quot syllabas; tot mendacia, quot verba: atque tot adulterationes, quot lineas.

Secundò dico, Auctorem huius libelli, seu Tabulæ Doctorum non fuisse Petrum de Vincentia, quia hic solùm fuit corrector Typographiæ, seu sõlicitator impressionis, cuius cura, ac diligentia opus hoc fuit excussum, vt exprimitur in illis verbis: *Solicitudine Fratris Petri de Vincencia, Ordinis Prædicatorum.* Nam licèt aliqui communiter allegent istum, vt Balleus hæreticus, & Ioann. Pitseus, &c. Atque sic citatur in toto hoc Ventilabro, est, quia ex libello illo non constat de alio proprio, atque legitimo Auctore; at ex Nomenclatoribus Dominicanis colligitur primum illius patrem, & Auctorem fuisse quendam Hieronymum Albertuccium Bononiensem, qui inter alia edidit hanc Tabulam Doctorum, pro sua opinione, & etiam Chronicon Mundi, & suæ Religionis, vsque ad annum 1490. de quo statim loquemur. Sed quidquid sit de Auctore (nam nobis parum refert, quod fuerit iste, vel ille, dum tamen constet fuisse Dominicanum, vt constat de hoc) vixit tempore Bandelli, & vnus transcripsit de verbo ad verbum ab alio auctoritates,

&

& etiam Auctores cum eadem diſpoſitione, & ordine: quod demonſtro hoc vnico exemplo. Auctor iſtius libelli, ſeu Tabulæ Doctorum, poſt titulũ iſtũ. Incipiunt auctoritates ſanctorum Doctorum: ſic inquit: *Quia Dominus Petrus Lombardus, Epiſcopus Pariſienſis, Doctor egregius, maximus diuinorum eloquiorum perſcrutator extitit: & veluti apis argumentoſa, omnium illuſtrium Doctorum antiquorum ſententias, atque flores in vnum volumen compendioſè redegit, & ob hoc Magiſter Sententiarum eſt appellatus iccirco eius teſtimonium primo loco adducere decreui, vt ipſe nobis referat, quid de Conceptione B. Virginis* SANCTI *Doctores, ſecundùm* FIDEM *Catholicam tenendum poſteros docuerunt. Hic igitur in 3. ſent. diſtinct. 3. quæſt. 1. tale de Chriſto, & de Matre eius profert teſtimonium, &c.* Bandelli verò verba cap. 8. fol. 13. ſic ſe habent: *Et quia Dominus Petrus Lombardus, Epiſcopus Pariſienſis, Doctor egregius, maximus diuinorum eloquiorum perſcrutator extitit, & veluti apis argumentoſa omnium illuſtrium Doctorum antiquorum ſententias, atque flores in vnum volumen compendioſe redegit, & ab hoc Magiſter Sententiarum eſt appellatus, id circo eius teſtimonium primo loco adducere decreui, vt ipſe nobis referat quid de Conceptione B. Virginis ſancti Doctores, ſecundùm fidem Catholicam tenendam poſteros docuerunt. Hic igitur in 3. Sententiarum diſtinctione. 3. quæſtion. 1. tale de Chriſto, & Matre eius profert teſtimonium, &c.* Et adducunt ipſiſsimam auctoritatem Magiſtri, & idem eſt de ſingulis Sanctis, atque Doctoribus, ita vt non dico in verbo, ſed neque in ſyllaba diſcrepent. Conſtat ergo euidenter, quòd vnus ab alio tranſcripſit. Et ſolùm reſtat dificultas, mihi hucuſque inſuperata, quis iſtorũ fuerit primus, nã ille fuit origo, & fontale principiũ omnium falſitatum, fictionum, & adulterationũ, &c. Ex vna parte videtur libellũ iſtum fuiſſe ſcriptum ante librum Bandelli, & ratio eſt, quia Turrecremata adduxit 100. Auctores, Anonymus aducit vſque ad 200. in iſto libello referũtur 213. (licèt ipſe promittat 216. tres remãſerũt in calamo) Bãdellus cum effectu adducit 268. hoc autem incremẽtum videtur gradatim, & decurſu temporis factũ, item quia ſi auctor iſtius libelli ſcriberet poſt Bãdellum, nõ relinqueret illos 55. id eſt à num 213. vſque 268. ex altera parte videtur, quòd Bandellus priùs ſcripſerit, quia ad annũ 1471. edidit alium librum eiuſdem farinæ ſuppreſſo nomine, de quo egimus ſupra num. XIX. Item quia, hoc opuſculum Vincentiæ, vel Albertutii, eſt quodam Compendium, & Epitome Bandelli: Ex his eligant Patres Dominicani quod voluerint: nam veritas ſemper eſt, & erit, quòd Petrus Vincentia, & Vincẽtius Bãdellus, ſi in nominibus fuerunt ſimiles, ſimiliores extiterunt in ſcriptis, & ſimilimi in fictionibus, adulterationibus, & falſitatibus, vt in Ventilatione apparebit, vide infrà num. LIII.

Num. XXII. *Ann.* 1480.

PETRVS Bergomẽſis, vel de Bergomo, Ordinis Prædicatorũ, qui vixit ad annũ 1480. edidit Tabulã, ſeu Indicẽ vniuerſalẽ operũ S. Thomæ Aquinatis, atq; elaborauit quodã opuſculũ cõciliãdo omnia, quæ in doctri-

ctrina Angeli Doctoris prima verborū facie discrepare videbantur, cōciliauit autē 1222. dubia cū totidē solutionibus; vt videre est in indice operū D. Thomæ. Ex his dubium 370. est circa Conceptionem Virginis Mariæ, vbi inter alia sic inquit: *Quintò, quia vbi exponit auctoritatem S. Anselmi, qui* VBIQVE *tenuit* EXPRESSE, *sicut* OMNES *sancti* COMMVNITER *affirmant B. D. Mariam conceptam fuisse* OMNINO *cum peccato originali.* Patres, hoc inquirit Sol veritatis in toto præsenti libro; an, scilicet, Anselmus vbique, & expressè tenuerit cum omnibus sanctis communiter Virgem Mariam conceptam fuisse omninò cum peccato originali. Triturare Lector illud, *omninò*, quia emphaticum est, sed si hic præcessit Bandellum, & omnes alios subsequentes, miror quare ipsum non adduxerunt pro sua opinione, fortè quia illū nō viderunt, vel si viderunt, iudicarunt Conciliatorem doctrinæ S. Thomæ, non esse Auctorem distinctum, sed quem Patres Dominicani omiserunt remissi, vel prudenter Pater Dominicus (de quo num. vltimo) diligenter introduxit ad Aream, at vtinam haberet in prōptu hæc Bergomensis verba, & suam conciliationem, quando Dubio 5. num. 204. fol. 636. dixit: *Legimus sæpènumero prædicta loca, seriem, verba, & apices attente meditati summus, summopere cupientes, & inquirentes viam, vt sine veritatis præiudicio enuntiare possemus, D. Thomam piæ sententiæ non refragari, &c.* Pater ad quid ista hypocrita verba, Petrus Bergomensis Dominicanus, non summopere cupiebat inquirire viam, &c. Et inuenit, quid conciliaret in operibus S. Thomæ, inter piam, & alterā opinionem, sine veritatis præiudicio; & tu nihil inuenisti pro pia, ò Pater à cuius oculis fugit pia, &c? Sed de hoc aliàs.

Num. XXIII. *Anno* 1481.

VINCENTIVS Bandellus de Castronouo Tordon. Vel Tortonensis, Ordinis Prædicatorum, qui ad annum 1501. fuit electus Generalis, Magister sui Ordinis Trigesimus, sextus in Ordine, & mortuus anno 1506. die 27. Augusti, cum esset septuaginta annorum: Cuius vitam scripsit F. Matthæus Bandellus de Castelnouo, eius nepos, ad annum 1513. vt dicit Michael Pius par. 2. lib. 3. col. 119. Cuius eximias laudes quantum ad præsens institutum attinent, sic decantat Leander Alber. lib. 1. fol. 47. Duas inter cæteras disceptationes, quas disputationes vocant, egregias egit. Quibus maxima interfuit litteratissimorum copia virorum: alteram corā Hercule Estensi, Ferrariæ Principe, de Conceptu Deiparæ Virginis Mariæ: alteram coram Ludouico Sfortia, postea Mediolani Duce, aduersus Iudæos, ex quibus omnium cum applausu hominum, & admiratione victorias reportauit. Hæc Leander, sed & F. Dyonisius Bononiensis, in quadam orat. Panegyrica, ad Bandellum sic inquit: Quid enim loquar de illa memoranda disputatione, quam Foro Cornelii Flaminiæ vrbe de Conceptione B. Virginis? Quid de illa, quæ Ferrariæ coram Hercule Estensi, fortissimo Principe, & tota ciuitate coram tot in omni scientia Doctores solus habuisti? Quis igno-

rat

rat illis omnibus te fuiſſe ſuperiorem? Probat enim hoc opuſculum quod à te compoſitum poſteà multis procurantibus, charecteribus impreſſum. In quo luce clarius licet inſpicere, quemadmodum omnes eorum argumentationes, ac ſophiſticas rationes diſſoluis, cõfutas, refellis friuolas, & quaſi nullius nerui oſtendis. Hæc Dyoniſius ad ſuum Bandellum, & diſputatorem egregium contra immaculatam Conceptionem, de prima diſputatione habita foro Cornelii, ideſt, Imolæ, nihil dicit Bandellus in ſuis libris, ſed fortè propter hanc diſputationem edidit ſuum primum Anonymum ad Comitem Petrum de Gambara, de quo ſuprà num. XIX. De aliis elogiis non curamus, quia iam refulſit Sol veritatis in clypeos aureos, & æreos Bandellianos. Hic ergo doctiſsimus vir anno 1481. edidit librum, ſeu Tractatum, ſub hoc titulo: *De ſingulari puritate, & prærrogatiua Conceptionis Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, &c.* Finis verò libri talis eſt: *Impreſſum in alma, & inclyta ciuitate Bononienſi, per Hugonem de Rugeriis de Reggio, editum per Fratrem Vincentium de Caſtronouo Tordon, ann. D. 1481. die 12. menſis Februarii.* Occaſio editionis huius Libri fuit, Diſputatio habita Ferrariæ, coram Illuſtriſsimo, ac Excellentiſsimo Duce D. D. Hercule Eſtenſi, & Epiſcopo Ferrarienſi, in quadrageſima illius anni, vt ipſe Bandellus dicit in Epiſtola dedicatoria ad præfatum Ducem, quæ incipit: *Cum excellenti tui animi magnitudinem, &c.* à qua tranſcribimus ſequentia, quæ ad præſentem pertinent Triturationem; nam alia dabimus in Ventilatione, num. 307. Inquit ergo: *Quam plures diuerſarum Religionum conuenerant, quorum quidam in ſuis declamatoriis Sermonibus, Beatiſsimam Virginem originalis peccati maculam non contraxiſſe, palam in pulpito* VOCIFERABANT. *Alii verò è contra, Dei Matrem Virginem puriſsimam, ex virili ſemine, ſicut cæteros homines propagatam, aſſerentes in originali peccato fuiſſe* CONCEPTAM, CONSTANTER *prædicabant, oppoſitamque partem, vt quid* NEFARIVM, DETESTANDVM SACRILEGIVM, *vt potè* FIDEI, *diuiniſque* LITTERIS, *ac ſanctorum* PATRVM, *& clariſsimorum* DOCTORVM *teſtimoniis* APERTE *repugnãs, è Chriſtiana Religione* EXTIRPANDAM, EIICIENDAM AVDACI *animo* VALIDISSIME *comprobabant, &c.* Vide, & nota Lector, qualiter hic fatetur Bãdellus, quod noſtri prædicabant ſolùm, Virginẽ Mariam fuiſſe conceptam abſque peccato originali; ipſi verò conſtanter, validiſsimè, atque audaci animo dicebant, noſtrum aſſertum eſſe nefarium, deteſtandum, ſacrilegum, atque extirpandum, eiiciendumque, vt potè cõtrarium fidei, ſcripturis, & ſanctis Patribus. En ſuæ modeſtiæ primum teſtimoniũ irrefragabile, & en cauſa quare Sixtus IV. expediuit Bullã: *Grauenimis, &c.* contra Prædicatores Lombardiæ, de qua numero ſequenti: & ſi hæc non fuit ſuficiens cauſa, audi ſequentia.

Quia ſic contra noſtram ſententiam proſequitur Bandellus: *Quod vbi eorum, quos ſupra memoraui, attigit aures clamoribus cæperunt tẽpla cõplere, &c.* INVERECVNDA *fronte prædicarent, O* SCELVS *inauditũ! O facinus* DETESTANDVM! *O* STVLTAS *mentes! O pectora* CÆCA! *O deliramenta* NEQVITIÆ! *vndè Æterne Genitor* FVNESTVM *hoc* VIRVS *eorum mentes obrepit, qui ca-*

ſtiſ-

ſtiſsimæ Matris Eccleſiæ laribus educati, à primis, vt aiunt, vngulis VERITATEM diuinarum rerum ſuxiſſe DEBVERANT. Quid porrò hac PESTE PERNITIOSIVS, quid tanta LABE EXECRABILIVS excogitari poterit? NEFANDVM ſanè eſt id alteri attribuiſſe, quod ſolum Redemptori Chriſto, in diuinas laudes FIDES Immaculata, donatum fuiſſe profitetur. Verum cum pro noſtra CONSVETVDINE, eorum FLAGITIOSIS DOGMATIBVS pro VERITATE Chriſtianæ FIDEI tutanda, illuſtrium virorum CLARISSIMAS ſententias obiiceremus, ad conſueta vulgi, popularium que confugia ſe conferebant, clamoribus, atque vociferationibus ſe ARMANTES, in quibus ſuæ ERRONEÆ opinionis fundamenta ieciſſe, atque OMNEM ſpem, & præſidium collocaſſe viderentur. Ex his ſingulariter notare debes, in illo: Pro noſtra conſuetudine, qualis fuerit ſemper conſuetudo Fratrum Prædicatorum, contra Fratres Minores, & ſuus loquendi modus contra ipſos. Proſequitur Bandellus: Nam in tuo Ducali Palatio, te coram, & tuorum Doctorum, ac aliorum eruditiſsimorum virorum conſeſſu, quibus ſemper ornatiſsimus extas, diuerſarum Religionum Magiſtros, & Theologos colligi iuſsiſti, collectiſque eis, quæ cuiuſque ſententia eſſet, & qui ſancti Doctores, de Conceptione B. Virginis ſentirent, adduci in medium imperaſti. Ex Prædicatorum Ordine, ego Frater Vincentius de Caſtro-nouo, omnium Minimus iis omnibus intereram, cui ab his Patribus, qui tunc Ferrariæ erant, quique me dignitate, doctrina, auctoritate longè præcellebant, exercitandi ingenii mei gratia, & onus totius Diſputationibus, & VERITATIS defendendæ cura commiſſa fuerat. Et cum primus mihi ad loquendum locus conceſſus fuiſſet, INNVMERAS ferè auctoritates Sacræ SCRIPTVRÆ, & SANCTORVM virorum adduxi, quæ nihil aliud aſſerebant, niſi B. & Sacratiſsimam Virginem, ex virili ſemine propagatam IN CONCEPTV SVO ORIGINALIS PECCATI MACVLAM CONTRAXISSE. Vbi etiam ſex horarum ſpatio, tum arguendo, tum reſpondendo, ex DICTIS clariſsimorum virorum, atque RATIONIBVS, COPIOSE, & ENVCLEATE probarim, id omnino fidelibus TENENDVM fore, tu teſtis, tu Iudex es, Illuſtriſsime Princeps, qui præſens rem hanc diſquiſitiſsimè palpare voluiſti. Plenè tu tuis auribus hauſiſti, non me loquentem, ſed per me SANCTOS viros eruditiſsimos VNO ORE, NEMINE DISCREPANTE, APERTE, CLAREQVE conteſtantes, B. Virginem IN ORIGINALI PECCATO fuiſſe CONCEPTAM Hæc omnia in medium adducimus, vt triturata, appareat in Ventilatione, quo fundamento, & veritate dicta fuerint in illa Diſputatione, quia ſi hic excuſa ficta, & falſa inueniuntur, dicta in voce, & prolata in feruore diſputationis quid eſſent?

Pergit Bandellus ſic: Sed quia id feciſſe non erat ſatis ad CONFVTANDAM Aduerſariorum PERTINACIAM, ideò eorum rationes, rationumque fundamenta, quæ in ſuperabilia ſibi conſtituerant, quibus ERROR illorũ fulciri videbatur, ita diuina mihi fauente gratia LABEFACTASSE, ita CONFREGISSE videor, vt ſi quid PENSI haberent, ſeque AGNOSCERENT homines, non nos tam crebro, apud inculcum vulgus, priuatis clandeſtiniſque colloquiis lacerarent, ſed CONFVSIONIS propriæ conſcii, conſpectum hominum, tanquam hoſtem accerrimum CONTREMISCERENT, &c. Proinde cum Aduerſarii me tanta mentis ſerenitate VERITATEM

CA-

CATHOLICÆ FIDEI, *pro cuius amore certabam, deffendentem concernerent, & reſponſionum noſtrarum fundamenta ſuis* TORTVOSIS *argumentationibus, vel ſaltem* LEVITER FÆDARI *non poſſe: eos illico tanta inuaſit* RABIES, *quòd in me* FREMERE *labiis*, STRIDERE *dentibus* BESTIARVM *more cæperunt, ita vt* SPVMANTES APROS PESTIFERO *telo percuſſos, aut certè* RAPACISSIMIS CANIBVS *vndique coarctatos, hos facilè fuiſſe putares, &c. Porrò iſta me cauſa impulit, quia verebar magnopere, nè* VERITAS *cæca inuolueretur caligine, ac rei geſtæ ſeries, ordoque* ABSENTES *lateret. Eo maximè, quia Aduerſarii noſtri longa iam* CONSVETVDINE *id agere ſoleant, quòd vbi ſe* VICTOS, CONFVSOS*que noſtris rationibus, in diſputationis certamine ſuccubuiſſe viderint, imperito poſtmodum vulgo prædicantes,* VICTORES *ſe ſtetiſſe gloriantur. Tales enim habemus* OBTRECTATORES, *qui dente* CANINO *nos* RODVNT, *vt niſi* ACERBE *inflicti* VERITATIS *baculo repellantur,* LATRARE *non ceſſant. Armantur* MENDACIIS, FALSITATIBVS *ſe muniunt, vt* VERITATEM *perdant, quam* PERSECVNTVR. *Hæc, inquam, memoriæ litterarum tradere volui, non vt meipſum efferendo iactitarem, ſed vt contra* ÆMVLOS *noſtros (qui poſtquam ab ipſa* VERITATE *vno* SOLO *pugnante fuère ſuperati, in totum Prædicatorum Ordinem* RABIDO *ore deſæuiunt, dum iam quaſi* VBIQVE *nos coram excellentia tua ab eis fuiſſe confuſos* MENDACITER *prædicare non verentur) clypeum perpetuæ deffenſionis opponerem. Ceſſet ergo arcuato vulnere, iam tandem inſurgere* SCORPIVS, *&* SANCTVM *opus* VENENATA *carpere lingua. Glorioſo itaque, ac felici diſputationis peracto* TRIVMPHO, *per plures ex tuis grauiſsimi ciues, Doctoreſque, quorum cordibus Religionis Chriſtianæ ſecuriſsima* VERITAS *me tradente* ILLVCESSERAT, *rogatum me adeunt, itemque rem ex integro repeterem, contendebant. Intellexerant quippè non potuiſſe me, meam Relationem ita explicatè facere, vt mente conceperam, tum amplitudine rei, tum multitudine arguentium, quorum omnium argumenta audire cupiebam. Vnde ſi vt potuiſſem, mihi res ſoluta fuiſſet, non ſex horarum, ſed neque* SEX DIERVM *tempus* SATIS *fuiſſet. Horum ergo votis (vt erat iuſtiſsimum) morem gerens* POSTRIDIE *publica Ferrariæ Gymnaſia* INGRESSVS, *vna lectione complexus ſum, quidquid ſuperiori die, propter clamores omiſeram, vbi quæſtionem per concluſiones, & corelaria decidens, ſtudui diligenter* INSANAS *aduerſariorum opiniones, & ſemina* FALSITATVM *radicitus euellere, vt* VERITATEM *Catholicæ* FIDEI, *quam ſuperiori die viriliter defenſaueram* HABVNDE, FIDISSIME, CLARE, APERTE*que monſtrare.* INNVMERABILES *etiam, vt ita dicam,* DOCTORES SANCTOS, *& viros* ILLVSTRES, *humanarum, Diuinarumque litterarum* PERITISSIMOS, *qui huius noſtræ* VERITATIS *egregii, & acerrimi extiterunt* DEFENSORES, *ſicut oportebat,* NOMINATIM *expreſsi, eorumque* SENTENTIAS, *quantum ſufficere videbatur, ſine vlla ambiguitate digeſsi. Qui*

OM-

OMNES pariter APERTISSIME profitebantur, B. Virginem, vt tunc referebã, in originali peccato fuisse CONCEPTAM. Testis est, quia non MENTIOR magna Scholarium tuorum CATERVA, quæ quidem quietè, silenter, atque accuratè, me legẽtem audiebat, &c. Hi omnes quod VERA de B. Virginis CONCEPTIONE teneam, quod consentanea FIDEI prædicarim, nisi eis, vt aiunt, facta INVIDERINT, pariter attestari possunt. Non hii LANARII non TALARES, non SVTORES, non denique ARTIFICES sunt, sed graues, sed spectati, sed clari, sed eruditi viri: qui perspecta VERITATE, tanta suspensi sunt ADMIRATIONE, vt non solùm opinionem nostram (nostram dixerim an FIDEI) amplexati sunt, verum etiam DIVINO accensi spiritu, eam prædicare maximam curam gerebant, &c. Magna, aut magnalia, quæ de se prædicat Bandellus, omitto: conuitia ac opprobria contra Fratres Minores, quæ de se patent, remitto: fictiones verò ac mendacia, quæ in his continentur Sol veritatis ventilabro demonstrabit, & sic ad alia transeo.

Prosequitur Bandellus: Qua propter vt Religioso Excellentiæ tuæ desiderio, etiam vltra vires morem gererem, omnia quæ in LECTIONE, & DISPVTATIONE dicta fuerant, in breuem Tractatulum compendiosè, & ordinatè redegi; quem quasi PRIMITIAS lucubrationum mearum, celsitudini nominis tui statui dedicare, &c. Læta igitur frontè humanissimè Princeps Libellum hunc, ex sententiis VIRORVM ILLVSTRIVM, confectum pro tua consuetudine suscipias, ita repræsum, vt legentes fastidio non afficiat, ita tamen varium, vt & logicos, & philosophos facilè demulcire possit. Quod si tuæ dignitati placet, de singulari prærogatiua puritatis Conceptionis Saluatoris, Domini nostri Iesu Christi nuncupemus. In quo id in primis seruabimus, vt in eo SACRI DOCTORES (non EGO) loquentes, maiorem, & Libello auctoritatem afferant, & VERITATEM facilius persuadere possimus. Facilè enim est his adherere, quos PROBATOS, & via, & scientia nouerimus. Demum his fretus auxiliis, ac VERITATE comite, pro cuius AMORE certandum duximus, hunc quem tam POMPATICE sustentare conantur ERROREM, vt quid MORTALE, vt PERNITIOSVM, vt FALSITATE plenum, vt FIDEI diuinisque LITTERIS contrarium, tum diuinis ORACVLIS, tum ex eorum CODICIBVS, tum valisimis RATIONIBVS, quas Græci CORNVTAS appellant, demonstrare curabo, &c. Et concludit Bandellus sic: Explicit Epistola narratiua disputationis factæ, de Conceptione B. Virginis Mariæ ad Illustrissimum, & Excellentissimum Ducem Dominum D. Erculem Estensem, Tractatus de singulari puritate, & prærogatiua Conceptionis Saluatoris nostri Iesu Christi, æditus per Fratrem Vincentium de Bandellis de Castronouo, Terdonensis Diœcesis, Ordinis Prædicatorum, continens disputationem, coram celsitudine suæ Dominationis factam, fœliciter incipit. Et prosequitur per diuersa capita detestando opinionem piam, ac repetendo passim eadem in hac sua epistola nuncupatoria proposita, in qua præter illa, quæ claris verbis continentur, notare debes Lector, quòd Bãdellus se ipsum cõtradicit: nã hic affirmat Libellũ istum esse primitias suarum lucubrationum, & infrà cap. 9. fol. 16. sic dicit: Expositionẽ autẽ prædictæ auctoritatis diffusè possui

in

in alio Libello, quem Comiti Petro de Gambara intitulaui, in Ratione 11. 3. *via.* Libellus autem iſte, eſt ille Anonymus, poſitus numero XIX. quia, vt ibi vidimus, eſt dicatus Comiti Petro de Gambara, procedit per Vias, & Rationes, ac in illa vndecima adducit auctoritatis explicationem à ſe citatam: ex quo patet quod liber ille abſque Auctoris nomine editus, eſt etiam Bandelli, quare autem in primo illo ſuum ſimulauerit nomẽ, magnum indicat Myſterium, de quo nos num. 307. Item notare debes, Lector, quod rumores, & omnia ſcandala exorta inter fideles, ex hoc Conceptionis Articulo, initium, ac totale principium habuerunt à Patribus Dominicanis, vt etiam ex ſupradictis ab ipſomet Bandello colligitur, etenim huius diſputationis factæ Ferrariæ, in Palacio Ducali, de qua tanta narrat mirabilia, apud noſtros Scriptores, nec minimum extat verbum, nec impreſſum, nec manuſcriptum. Aduerſarii vero poſt diſputationem, ingreſsi ſunt ex abrupto Gymnaſiũ ſcholaſticum Ferrarienſe, & ibi habuerunt alteram relectionem, & his non contenti, typis mandarunt in Italia, in hoc Libro illam diſputationem, ac relectionem, ac poſtremo in Hiſpania iterùm eadem alio diſtincto libro edere curarunt (de quo infrà numero XXXI.) quando, vt dixi, nec liber, nec verbum videbatur, aut audiebatur pro noſtra ſententia. Denique notare debes, quod omnia contenta in illis, diſputatione, & lectione accuratiùs viſa, ac reuiſa dedit Bandellus in hoc ſuo libro: ſi ergo hic deuiat totaliter à veritate, & quidquid in ipſo continetur, ſunt vitia, & mendacia, ac fictiones. Quid nobis dicendum erit de ipſa diſputatione, relectione, ac Relatione Bandelliana, vel Ferrarienſi? Et hæc de operis principio.

Medium, & ſtructura libri conſtat ex Capitibus, & Rationibus, & à cap. 8. ſic incipit ſuum propoſitum aſſumptum: *In quo per Auctoritates ſanctorum oſtẽditur quod B. Virgo* FVIT IN ORIGINALI PECCATO CONCEPTA. Et adducendo primo loco Magiſtrum ſentẽtiarum: deinde cap. 9. Auguſtinum, &c. refert ſuos ducentos ſexaginta Doctores, & ipſorum auctoritates, vſque ad cap. 26. concludens ſic: *Patet igitur Glorioſe Princeps* VERITAS *primæ concluſionis, quam ex dictis, atque ſententiis* DVCENTORVM SEXAGINTA *Doctorum* ILLVSTRIVM, *probandam primo loco promiſeram. Ex auctoritatibus quippè iam allegatis, quas ferè* OMNES *in proprio fonte* VIDI: PERSPICVVM *eſt, Doctores*, SANCTOS, *& approbatos* PONTIFICES *Summos*, CANONISTAS *Peritiſsimos*, THEOLOGOS, SÆCVLARES *clariſsimos, eruditiſsimos* MONACHOS, *ac poſtremo omnium quatuor* ORDINVM *mendicantium Doctores principales, & Excellentiſsimos tenuiſſe, atque prædicaſſe B. Virginem in* ORIGINALI PECCATO *fuiſſe* CONCEPTAM: *Sed antequam ex* VTERO *naſceretur, per* SANCTIFICATIONIS *gratiam, gloriosè, atque excellẽtiſsimè*, CITISSIME *fuiſſe* MVNDATAM. Infrà vero in principio ſecundæ partis fol. 151. ſic inquit: *Iam multa mihi dixiſſe videor, Illuſtriſsime Princeps, quibus* CLARE *intelligere potuiſti, quid de Conceptione B. Virginis ſancti aſſeruere* DOCTORES: *adduxi enim* DVCENTORVM SEXAGINTA *clariſsimorũ Doctorum* APERTISSIMA *teſtimonia, qui*, NEMINE DISCREPANTE, *nobis*

tradiderunt non esse secundùm FIDEM CATHOLICAM *tenendum B. Virginem in sui* CONCEPTIONE *ab originali peccato fuisse immunem, &c.* Vt videat ergo Lector in breui compendio, qualis est totus liber Bandeli, subiicio hìc initia aliquorum capitulorum. Trigesimum quartum in quo incipit probare suam conclusionem, tale est: *Omne dictum, quod contradicit Sacræ Scripturæ est* IMPIVM: *sed opinio, quæ dicit, B. Virginem non fuisse conceptam in peccato originali, contradicit Sacræ Sripturæ: igitur talis opinio non est* PIA, *sed* IMPIA, *&c.* Cap. 35. & 2. ratio. *Omne dictum quod cõtradicit auctoritatibus sanctorum Doctorum ab Ecclesia approbatorum est* IMPIVM, *& non* PIVM: *sed prapositio quæ dicit B. V. non contraxisse originale peccatum, contradicit auctoritatibus sanctorum, &c. ergo est* IMPIA, *& non* PIA: Cap. 36. & Rat. 3. *Illa propositio, quæ contradicit antiquæ fidei omnium Catholicorum non est* PIA, *sed* IMPIA, *sed positio quæ dicit B. V. non contraxisse originale peccatum, contradicit antiquæ fidei omnium Catholicorum: ergo non est* PIA, *sed* IMPIA, *&c.* Cap. 37. Rat. 4. *Illud quod Doctores sancti, & famosi dicunt esse erroneum, superstitiosum & hæreticum, non est* PIVM, *sed* IMPIVM: *sed quod B. Virgo, vel alius præter Christum non habuerit aliquod peccatum, Sancti & Doctores famosi dicunt esse erroneum, &c. ergo dicere B. V. non contraxisse originale peccatum, non est* PIVM Cap. 38. & Rat. 5. *Illa propositio, quæ contradicit determinationi Ecclesiæ non est* PIA: *sed* IMPIA, *sed propositio quæ dicit B. V. non contraxisse originale peccatum, contradicit determinationi Ecclesiæ: ergo non est* PIA, *sed* IMPIA, *&c.* Cap. 35. & Rat. 6. *Nulla propositio quæ caret veritate, & derogat dignitati Christi, est* PIA. *Sed prædicta propositio est huiusmodi; ergo non est* PIA, *&c.* Cap. 40. ponit suam tertiam conclusionem sic: *Opinio, quæ dicit B. Virginem fuisse conceptam in originali peccato, est maximè* PIA: & hanc conclusionem incipit probare sic: *Illa opinio, quæ est fundata in auctoritatibus Sacræ Scripturæ, & Canonis, & sanctorum Doctorum, & in determinationibus Conciliorum, & Summorum Pontificum, quam omnes Doctores famosi in Theologia, & in iure Canonico approbant, est magis* PIA: *sed nostra opinio est huiusmodi, vt patet ex rationibus præcedentibus: igitur est maximè* PIA, &c. Videat ergo Lector quale erit totum illud ædificium Bandellianum, quando eius principia sunt fundata in tanta impietate? O insignis Doctor, atque Scriptor celeberrimus! tecum loquor: *Barragan el pellejero d. Burgos, si los becerros tuyos no quieren piar, porque no son pollos, quando impian tanto, que son?* Nostra verò magis pia, semper pia, quia de vestra post tot opprobria semper pia, vel non pia, & nunquam impià.

Postquam igitur alia quam plura huiusmodi in illo suo libro dixerat Bãdellus, sic concludit: *Auctor operis ad* DETRACTORES, *& si quis fortasis* FALSO *scientiæ nomine gloriabundus, hæc quæ scripsimus impugnare voluerit, non* PRIVATIM *in* ANGVLIS *coram* MVLIERCVLIS, *aut* PVERIS *obloquatur, neque nos apud ignobile vulgus, ignarasque hominum mentes* DILACERET, *qui nec de tam arduis quæstionibus iudicare, nec tantarum rerum cognitionem, vllo modo cõsequi possunt; sed componat, excudat* CODICEM *nouum, ipsumque edat, & si tanta ei adest* FACVLTAS, *libellum hunc ex* PROBATISSIMIS *Sanctorum dictis cõfectum* IMPROBARE *conetur, porro inueniet me non solum, qui aliorum minimus sum,*

ſed quam plures auctoritate, doctrina, ingenio præſtantiores paratiſsimos, qui ſufficientiſsimè ERROREM *eius explodere, atque confutare; & copioſè* IGNORANTIÆ *eius conſulere poterunt, vt Conceptionis Chriſti Redemptoris noſtri, & ſingularis, & excellentiſsima prærogatiua, perpetuò deffenſetur, qui viuit, & regnat per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.* Hæc ſunt, ſi non omnia, aliqua, quæ habet Bandellus in propoſito Libro, qua autem veritate, fundamento, vel conſcientia dixerit illud de ducentis ſexaginta ſanctis, ac Doctoribus, dicentibus, & prædicantibus Virginem Mariam in originali peccato fuiſſe conceptam, Sol noſter manifeſtabit, & in Ventilatione apparebit.

Pro nunc nota ſolùm illud quod ait ad finem cap. 23. Nam poſtquã retuliſſet Auctores ſuæ Religionis, cõcludit ſic: *Iſti ſunt ſeptuaginta duo teſtes* CLARISSIMI *de Ordine Prædicatorum*, PRÆFIGVRATI *per ſeptuaginta duos* DISCIPVLOS *Domini, qui hanc* VERITATEM *in ſcriptis ſuis reliquerunt; videlicet, quod B. Virgo Maria fuit concepta in peccato originali.* Si hæc eſt vocanda friuola, inepta, atque ſtulta comparatio, tu Lector iudica: Quomodo enim ſanctiſsimi Diſcipuli Filii Dei præfigurarunt maculatores ſuæ ſanctiſsimæ Matris Mariæ? Aut quid commune inuenit Bãdellus in numero 72. aut fuit Diſcipulorũ Domini, cum generatione, & Cõceptione Mariæ? O figura figuriſſima, & figurarum præfigura! Diſcipuli Domini præfigurarunt Lictembergium, Monetam, Polonum, Paganum, Lenchinum, Hærueum, Bombolongimum, Aldrebandinum, Bubliam, Durandellum, Vlricum, Trabethum, Claramontem, Monte-Budellum, Montenigrum, Alconum, Verdiacum, Azarum, Galdinum, Brizium, & alios huiuſmodi, quorum nomina ſunt, vt vides, & opera, aut ſaltẽ verba in nullo Scriptore, angulo terræ, vel Orbis Bibliotheca auditus eſt ſonus eorum? Vbi ſe clarificarunt iſti Teſtes clariſsimi? In Montenigro, vel in Monte Budello? Hæc, ò Lector, fuit vnica, & totalis cauſa, quare Bandellus tot, tantoſque finxerit ſuæ Religionis Auctores; propoſuerat in mente ſua efficere quoddam Collegium Maculatorum, vel Maculantium Virginem pertingens vſque ad numerum Diſcipulorum Chriſti, & ſic, vt adimplerentur nuptiæ, exiuit per vicos, & plateas, & compulſit intrare ad ſuum Cathalogũ debiles, claudos, cæcos, mutos, leproſos, &c. Qui fuerunt, & non fuerunt in rerum natura. Sed iam ingreſſus eſt Ventilator, Pater, vt aſpiceret ſimul diſcumbentes, & vidit, numerauit, & dimenſus eſt, ſeparans hædos ab agnis, iudicabitque, quod licet multi fuerint vocati, ſed pauciſsimi ſunt electi, quia ferè nullus habet illam veſtram veſtem nuptialem, ſeu in ſcriptis reliquit propoſitionem à vobis ſignatã, videlicet quod *B. Virgo Maria fuit concepta in peccato originali*, & ſic iubet, quod ligatis manibus, & pedibus mittantur in tenebras interiores, vel exteriores, quindecim penitus ficti in ſe, vel in auctoritatibus, nouem multiplicati, decem & octo totaliter adulterati, quatuordecim mendaciter adducti, quia in rei veritate ſunt pro nobis, & his excluſis ex ſeptuaginta duobus præfiguratis per ſeptuaginta duos Diſcipulos Domini, vix, vix, remanebunt duodecim, vt præfigurentur per duodecim Apoſtolos, ſic enim pertranſiit figura tua,

Sed vt non gloriẽtur Bãdelliſtæ in ſua figura de ſeptuaginta duobus Diſcipulis, ſeu Patribus Dominicanis pro ſua ſanctificatione, accipe aliam pro noſtra præſeruatione. Tempore quo ipſemet Bandellus viuebat, & vibrabat iſta contra immaculatam Virginis Conceptionem, octoginta duo Doctores Pariſienſes congregati in Conuentu Maturinenſi ſeptima die Septẽbris anni 1497. in præſentia totius Vniuerſitatis vno ore, vnaque ſententia ſtatuerũt; neminem deinceps Vniuerſitati ad ſcriptũ, quin priùs ſe, Beatiſsimæ Deigenitricis à peccato originali præſeruationis aſſertorẽ, ſtrenuumque propugnatorẽ pro viribus futurum iuramento confirmaret, &c. Verba ſunt ad litterã Henrici Spondani in Annal. tom. 2. ad prædictum annũ num. 8. confert ergo vnã figuram cum alia. Tui ſunt ſeptuaginta duo, iſti verò *octoginta duo* illi Dominicani, iſti *Doctores Pariſienſes* non diſperſi, ſed *congregati*, non per orbem terrarum, *ſed in Conuentu Maturinenſi*, non diuerſis diebus concionantes, *ſed ſeptima die Septembris*, id eſt, in veſperis Natiuitatis Virginis *anni* 1497. quãdo tu actualiter fingebas Brixię reuelationem Sanctiſsimæ Virginis Catherinæ Senenſis, contra Immaculatam Conceptionem, non in angulis cellarũ, *ſed in præſentia totius Vniuerſitatis*, non variis linguis loquendo, *ſed vno ore, vnaque ſententia*, non ſcripſerunt, aut dixerunt ſed *ſtatuerunt*, non ſanctificationis, ſed *præſeruationis* myſterium, nec hoc atramento, ſed *iuramento*. Hoc dixerim, vt reſponderem ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, alia quam plura huius ſcriptoris dicta examinantur in Ventilatione num. 307.

In ſuper ipſemet Bandellus, cum eſſet Generalis ſui Ordinis, edidit etiam Officium ſanctificationis B. Virginis Mariæ, pro die 8. Decembris, vt recitaretur Vniuerſaliter in toto ſuo Ordine, vt recitatum fuit ab aliquibus, & extat excuſſum Venetiis, anno 1546. & ann. 1527. in 4. cuius Rubrica eſt: *In ſanctificatione B. Virginis Mariæ, fiat Officium per Reuerendiſsimum Patrem Magiſtrum Vincentium de Caſtronouo, totius Ordinis noſtri olim Generalem Magiſtrum, editum, &c.* Cuius nouem Lectiones Matutinales ſunt ex dictis ſanctorũ. Cum ergo illud tranſcripſerimus de verbo ad verbum in noſtro Armamentario à col. 220. ipſum ſupponimus, vt iam Ventilatum: illius falſitates, & adulterationes vide ibi, atque ex omnibus dictis hìc à Bãdello ſolùm deſidero, ò Lector, vt à memoria nõ auelleres illud: *Ex auctoritatibus quippè iam allegatis, quas ferè omnes in proprio fonte vidi.* In proprio fonte vidiſti? Sed quomodo vide ſup. in ſymbolo de atramento, & ſerpente: Et vtinam, vtinam diceres, quòd illas non vidiſti in proprio fonte, quia ſic aliqualem haberes excuſationem.

Num. XXIIII. *Ann.* 1484.

HIERONYMVS Forliuienſis, Ordin. Præd. Italus, qui vixit ſecundùm aliquos ad ann. 1484. vel (vt alii dicũt) ann. 1525. tantummodo ſcripſit Sermones, & aliqua fragmenta Hiſtoriarum, vt vnanimiter affirmant Nomẽclatores Dominicani Alb. lib. 4. Senen. fol. 109. Pius par. 2. lib. 4. col. 189. Placen. fol. 368. Sed in quodam Indice manuſc. cuiuſdam P. Dominicani, volentis oſtentare magnũ numerum ſuorum Scriptorum de B. Virginis

Ma-

Maria, ſic dicitur Hiſpanicè: *Geronimo Forliuienſe compuſo vn* ELENCHO *de los Doctores que afirman, que la Virgen fue concebida en original* LABE. At hoc falſum eſt; quia nullus Scriptor de tali Elencho mentionem facit. Fortè bonus ille Pater ſimpliciter, & abſque vlla ſecunda intentione lapſus fuit, allucinatus ex altero Hieronymo cognominato Albertuccio, de quo numero ſequenti, qui hoc eodem tempore ſcripſit relatum Elenchum, & iſtos duos conſecutiuè vnum poſt alterum adducit Placentinus, à quo iſte Hiſpanus tranſcripſit: fuit ergo ſolùm inaduertentia, alias quam plures paſſim reperiuntur in iis deceptiones, quas libentiſsimè ſub ſilentio relinquerem, & relinquam, dum tamen non tangant immaculatam Dei matris puritatem: vbi enim fuerit labes, & lapſus, neceſsè erit Patres, vt etiam ſint labefacto, & lauo: nam honor Reginæ iudicium diligit.

Num. XXV. *Ann.* 1490.

HIERONYMVS Albertuccius Burſellus, vel Borſellis Bononiẽſis, ſcripſit ad ann. 1490. TABVLAM *vnam Doctorum aſſerentium B. Virginem in peccato conceptam.* Ita Ant. Senenſis fol. 113. quam notitiam deſumpſit ex Leand. Alberto, qui huius Albertuccii vitam ſcripſit, vt ipſemet fatetur; cuius verba ſunt, lib. 4. fol. 153. ſcripſit: *De Doctoribus aſſeuerantibus Beatiſsimã Matrem originali peccato aliquando fuiſſe* OBNOXIAM. Non ergo fideliter tranſcripſit Senenſis, quia aliud eſt fuiſſe obnoxiam, aliud fuiſſe in peccato conceptam. Michael Pius par. 2. lib. 3. col. 84. de hoc opere ſic poſt alia italicè inquit. *Vna Tauola* FIGVRATA *de i Dottori, che tẽgono la ſanctificatione della B. Vergine, opera* BELLA *purè ripoſta nel iſteſo Conuento.* Sed neſcio quid voluerit exprimere Pius in illa voce *figurata*, nam quid eſſe poterat Tabula figurata Doctorum? Alphonſus Plac. fol. 368. ſic inquit: *Hieronymus Bononienſis ſcripſit Chronicam noſtri Ordinis, vſque ad ſua tempora anno* 1484. & allegat Senenſem; & fol. ſequenti, ſcilicet, 369. adducit, vt alterum diſtinctum Hieronymum Albertuccium Burſellum Bononienſem ſcribentem, *Elenchum vnum aſſerentium Doctorum B. Virginem in originali peccato eſſe conceptam. Annales Fratrum noſtri Ordinis anno* 1490. *&c.* Conſtat ergo quod iſte auferendo cognomen, variando annum, & tranſmutando Annales, in Choronicõ ex vno Hieronymo Bononienſi fecit duos. Ex hoc Alphonſ. Placen. Auctorem iſtũ, & opuſculum de Conceptione adducit Hyppol. Marrac. in Bibliothec. fol. 577. quibus adde etiã Antonium Bumaldum in ſua Minerualia Bonon. ciuium Anademata, ſeu Bibliotheca Bononienſi fol. 80. num. 1490. vbi de iſto Hieronymo Albertuccio, Ordinis Prædicatorũ, & ſuis ſcriptis latã facit mẽtionẽ, & de Chronica affirmat eſſe in Conuentu Bononienſi, ſed de tali Tabula *figurata, & bella*, aut de vllo Cõceptionis, vel ſanctificationis opere, nec minimum habet verbum: Et hæc ſunt, quæ de Albertuccio extant.

Ex iſtis ergo conſtat de Auctore, & quòd aliqua ſcripſit, quæ tamen nunquam lucẽ viderunt, niſi illa Tabula *figurata, & bella*, typis mandata cura, ac

ſolicitudine Petri de Vincentia, eiuſdem Ordinis Prædicatorum, de qua latè egimus num. XXI. exiſtimò enim ex aliquibus coniecturis, hunc fuiſſe illius proprium Fabri-Auctorem, quo ſuppoſito: triturare oportet illud de *figurata, & bella*, quia ſi Auctor ſcripſit poſt Bandellum Tabulla illa benè dicitur figurata, quia de verbo ad verbum copiando ipſum figurauit Bandellum, & Albertuccius ſcripſit vt figura ſimpliciſsima, quatenus nec vnam ſyllabam addit ex propriis, ſed ſolùm, quæ latè, ac diffuſo calamo expreſſerat Bandelli fantaſia, ipſe ad compendii figuram ſine delectu reduxit, *bella*! ſi autem Albertuccius ſcripſit antè Bandellum, potiori iure eius Tabula Doctorum appellata fuit *figurata*, quia in ea tãtum extat figura Doctorum, effigies, & nuda nomina, nã auctoritates, & eorum dicta ita diſtant à prothotypis, & originalibus, vt in ipſis nec figura, aut vmbra inueniatur veritatis, vt ſigillatim ad Solis lucem videbimus in Ventilatione, hæc *bella* ſunt, & *belliſsima*!

Num. XXVI. *Ann.* 1492.

PAVLVS Soncinas, Ordinis Prædicatorum, qui floruit circa annum 1492. in Epitomen cæpit redigere libros Sententiarum elaboratos à R. P. F. Ioanne Capreolo, quos morte præuentus conſumare non potuit, ſolùm enim peruenit vſque ad Tertium ſententiarum excluſiuè: deinde R. P. F. Iſidorus de Iſolanis Mediolanenſis, eiuſdem Ordinis proſecutus eſt Compendium Capreoli, & prodiit Pauiæ ann. 1521. in 8. Regali: deinde Salmanticæ ann. 1580. in 4. & tandem Lugduni etiam in 4. In hoc ergo libro in 3. diſt. adducta concluſione, in qua proponitur Virginem Mariã fuiſſe conceptam in peccato originali, concludit eiſdem verbis, quibus ſupra diximus de Capreolo num. XI. *Et multi, alii quorum dicta recitat Frater Guillielmus de Gannaco in Tractatu de* VERA *innocentia Matris Dei.* Et adductis quatuor auctoritatibus Auguſtini, Ambroſii, Leonis, & Gregorii, inquit: *Hanc concluſionem tenent, & tenuerunt hii* QVADRAGINTA *Doctores, &c.* Et refert omnes adductos à Capreolo, nullo prætermiſſo, aut mutato. Quamuis ergo dictum Compendium à 3. ſent. diſtinct. 3. in qua eſt quæſtio de Conceptione, non ſit Pauli Soncinatis, ſed Iſidori de Iſolanis, vt diximus, quia tamen liber ſemper prodiit ſub nomine Soncinatis etiam nouiſsimè à P. F. Mauritio de Gregorio, de quo num. LVII. Ideò iſtum adduximus cõmuniter in Trituratione: vide etiam Ventilationem num. 200. vbi agimus de Iſidoro de Iſolanis.

Num. XXVII. *Ann.* 1494.

VVIGANDVS Vvnurt, Ordinis Prædicatorum, Germanus, & Prior Conuentus Stuntgarten, circa annum 1494. ſcripſit DIALOGVM *contra immaculatam Virginis Conceptionem, ſeu* LIBELLVM *famoſum contra Fratres Minores.* Vt dicitur in deffenſorio ipſorum Patrum Prædicatorum Bernenſium part. 4. cap. 2. de quo nos infrà latè num. XXXIII. repeto ipſius defen-

Deffenſorii verba, vt ex ipſomet cõſtet veritas,& illius ſcandali ſine exemplo principium,& origo,inquit ergo: *Occaſionem tanto* MALO *dedit quidam F. Vvigandus Vvnurt, Ordinis Prædicatorum, Prior in Stuntgarten, qui libellum quẽdam ſatis* FAMOSVM *ſcripſit, cui non modicas* FICTIONES *dicitur inſeruiſſe in Fratrum Minorum, multorum denique Doctorum* INIVRIAM: *in quo Dialogo plus.* RABIE, *quam diuinæ religionis zelo ductus, intemeratæ Virginis Mariæ nititur probare Conceptionis maculam: qui per Fratres Minores propterea ad Sedem Apoſtolicam perſonaliter citatus eſt. Anxii autem Patres ſui Ordinis ſuſpicantes eidem præter optata ſuccedere de remedio quoque ſubueniendi ſolicitè tractantes, in Capitulo Prouinciali eorundem celebrato in Oppido Vvimpfen anno Chriſti 1506. præſentibus ibidem Prouinciali, qui anno proximo diem obiit* SCELERIS *huius conſcio: ex Conuentu Bernen. Stephano Boltzhorſt Argentinenſi Theologiæ Magiſtro, & Ioanne Better Priore ex Marpach, aliiſque quam pluribus, præſertim duobus architectis eius* FALSITATIS *Magiſtro Vvernhero, Conuentus Baſilien. Priore præſcriptarum* FALSITATVM *comportato, ac quidam Paulo Hug perfectiſsimo rerum* SIMVLATORE *atque* HYPOCRITA PESSIMO. *Hi omnes conſcii eius rei fuerunt. Quorum quidam Vvigandi Dialogum emerunt, in hæc, aut his ſimilia vverba prorrũpentes in alterutrum. Nunquid Bernardinus de Buſti, in ſuo Mariali multa miracula fictè recitat, vt potiùs* FIGMENTA, *atque excogitatæ* FALSITATES *credendæ ſint, quam veritas, quibus B. Virginis immaculatam Conceptionem probare nititur, eamque originalis peccati exortem? Nunquid, & nos poſſemus pro* OPINIONE *noſtra, quæ huic contraria eſt,* EFFINGERE *paria, quo Doctoris noſtri opinio* STARET? *Placuit ergo omnibus communi conſilio, vt huic rei operam darent, qui maiorem conuenientiam, atque auctoritatem nouæ* FICTIONIS *haberent. Delectus itaque locus eſt* FICTIONI *aptior in Berna poſt plures aliorum perluſtrationes: reſque ſic mirabili* AVDACIA *calle ſecreto tentata eſt, quemadmodum ſupra tribus partibus patuit.* Hæc ſunt verba quæ extãt in principio 4. part. Illius Deffenſorii; illa autem, quæ vſque ad finẽ cõtinentur, adeò horribilia, atque ſtupenda ſunt, vt cuilibet Catholico facient à plantapedis vſque ad capitis verticem corpore,& anima tremere; vtinamque in profundum inferni,& vltra fuiſſent ſepulta: Illud tamen omittendum non eſt: *Effingere paria, quo Doctoris noſtri opinio ſtaret.* Sentiebant enim Patres illi, quod opinio ſua præceps indies ruebat,& vt illam ſuſtinerent, ne caderet in pleno Capitulo, ac vnanimi conſenſu, determinatum fuit, vt caderet veritas, caderet Religio, & ipſamet fides caderet (quia in illo caſu de facto cecidit) dum tamen ſua opinio ſtaret. Videbant quod ſimul,& ſemel opinio ſui Doctoris,& puritas matris ſui Creatoris ſtare non poterant,& ſic decreuerũt vt opinio ſui Doctoris ſtaret,& quod mater ſui Redemptoris non ſtaret: at Deo ſic diſponente, ipſi cum omnibus ſuis figmentis ceciderunt, puritas autem matris in omni terra ſtetit,&c. Vide infrà num. XXXIII.

Num. XXVIII. *Ann.* 1494.

VVIGANDVS Cauponis, Ord. Præd. Germanus, Præd. Conuentus Franckofordiẽſis (ſi diſtinctus à præcedenti mihi penitus ignotum eſt,

videtur idem,ex nomine,tempore,& patria;distinctus verò ex cognomine, & quia vnus ad annum 1494. erat Lector Franckofordiæ,& alter eodẽ anno Prior in Stuntgarten,& vnus scripsit Dialogum contra Fratres Minores, & alter Epistolas,& inuectiuas contra Ioannem Trithemium, sed hoc parũ interest ad nostrum institutum)cũ Trithemius Abbas S.Benedicti inter alia scripsisset librũ de laudibus: S. Annæ, & capite 7. de Purissima Conceptione Deigenitricis Mariæ mentionem feciſſet, hac parua occasione arrepta surrexit quidam Vvigandus Cauponis Prædicator Franckofordiensis (de quo Spondanus ad hũc annum,sed meliùs rem declarat idem Trithemius in Chronic.Sponheimensi fol.405.num.50.cuius verba ad litteram repetam) homo quidem satis doctus,sed nimiũ temerarius,& superbus: & opus quãtum ad puritatem Conceptionis pertinet impugnare voluit;litteras contra Trithemiũ(occultato scribentis nomine sub Fratris Pensantis-manus vocabulo)per nuntium incertum ad illum misit,& quasi malè de Conceptione scriberet, satis timidè increpuit. Cui Trithemius in hæc verba rescripsit: *Ægrè ferrem* CONVITIA *tua, &* OPPROBRIA *lector innominate, nisi te graui* MORBO *animi laborare intelligerem, quod vsque adeò in te præualuisse cernitur, vt experientia medicorum principis Æsculapii necessaria ad tui curam videantur, &c.* In fine autem sic Trithemius Epistolam concludit: *Si Religiosus es, si fraternæ charitatis amator,à* CONVICIIS, *&* MALEDICTIS *te modo cohibere non negligas, neque in tua prudentia* CONTRA *immaculatam Deigenitricem* TEMERE *confidas: nisi hoc feceris,erit tempus,quo scripta tua* IRISIONE *dignissima, in caput tuum reiecta dolebis.* Cum his litteris,& aliis latioribus Trithemius misit virũ quendam, & eruditum ad Franckofordiam (erat autem in Aduentu Domini) qui apud Prædicãtores exploraret subtiliter,quis esset ille Frater Pensansmanus.Is cum illo venisset industria vsus,comperit esse præfatum Lectorem Vvigandum Cauponis.Hoc cùm ad Trithemium retulisset,ortum est grande litterarum inter eos bellum,quod fermè per biennium inter eos durauit. Mox enim aduersus Vvigandum plures viri doctissimi defensores Marianæ puritatis,metro scripserunt & prosa;librũ Trithemii,& sensum eius de Conceptione eius purissima defensantes. Biennio tamen elapso concordia inter Trithemium,& Vvigandum factaest, per Rectorem Vniuersitatis Coloniẽsis Vldaricum Kreitvvys de Eslingen,Doctorem S.Theologiæ famosissimũ, maioris Ecclesiæ Colonienſis Canonicum, Archiepiscopi Consiliarum, ac per Tomum de Scotica,& alios sacræ Theologiæ Doctores,*ita quod Vvigãdus opinionem suam contrariam purissimæ Conceptionis Mariæ, & Trithemii opusculo* ABIVRABIT,*veniamque* TEMERITATIS *suæ petere ab ipso Trithemio compulsus fuit*,& quod remissis iniuriis omnibus alter in alterum à modo inuicem non scriberet. Nihilominus Prædicatores posteà in Curia Romana,sub Alexandro Papa VI. contra Trithemium impetrare, aut laborare subdolè conati sunt,sed nihil profecerunt:habeat enim Abbas Trithemius sibi constantissimè adhærentes Vniuersitatem Parisiensem, Colonienſem,Thubingenſem,totumque Ordinem Carmelitarum,Ordinem Minorum, sacrosanctæ

ctæ Romanæ Eccleſiæ maiorem cætum Cardinalium, Archiepiſcopos, Epiſcopos, & Principes multos, ac penè omnem in Germania Clerum, ac viros doctos, & eruditos innumerabiles, &c. Et hæc ex illa Chronica ad litteram tranſcripta ſatis manifeſtant, qualiter ab Aduerſariis nulla præcedente occaſione exortæ fuerunt rixæ, contentiones, & ſcandala, ſed ſemper Deo ſic permittente ad maiorem ipſorum confuſionem, & virginalis puritatis gloriam, & laudem remanſerunt Penſantes-manus.

Num. XXIX. *Anno* 1496.

IOANNES Veri, Ordinis Prædicatorum, Gallus, & Doctor Pariſienſis, nihil ſcripſit contra myſterium Immaculatæ Conceptionis. Sed ad annum 1496. apud Oppidum Deppe Rotomag. Diœceſis in die Conceptionis prædicauit tres propoſitiones contra myſterium ſuæ puritatis, quarum prima erat: *Beata Virgo Maria fuit* PVRGATA *ab originali culpa.* Cùmque ex illa magnum exortum fuiſſet ſcandalum, delatus apud Vniuerſitatem Pariſienſem anno ſequenti 1497. die 16. menſis Septembris, humi iter, & ſubiureiurando publicè apud S. Maturinum in manibus Arthuri Fillom illam cum aliis abiurauit ſic: *Prima propoſitio eſt* FALSA, IMPIA, *& piarum aurium* OFFENSIVA, *&c.* Habemus de hoc publicũ, & authenticum inſtrumentũ in carta expanſa eodem anno impreſſum Pariſiis. Sic Verus profeſſus eſt veritatem, nunquam magis Verus.

Num. XXX. *Anno* 1497.

SYLVESTER Mazolinus, Pieriatis, ſiue de Pierio, Ordinis Prędicatorum, Pedemontanus, ac Magiſter ſacri Palatii ſecundum omnes, ad ann. 1515. nec non ſecundùm aliquos Generalis ſuæ Religionis, doctiſsimus ac fæcundiſsimus Doctor, qui plura ſcripſit, vt videre eſt apud Anton. Senenſem fol. 223. Leand. Alber. lib. 4. & Mich. Pium par. 2. lib. 4. col. 140. &c. Inter alia ſcripſit ſuper opus Ioannis Capreoli Toloſani additiones, ſeu commentaria, lib. impreſ. Cremonæ anno 1497. in 4. & etiam iterum ibidem ann. 1649. in 4. ſub titulo: *Egregiũ, atque diuinũ opus, &c.* & in 3. ſen. diſt. 3. circa quæſtionem, vtrùm B. Maria fuerit concepta in peccato originali, concluſionem ponit iſtam: *Beata Maria fuit* CONCEPTA IN PECCATO ORIGINALI. *Iſtammet concluſionem tenuerunt* MVLTI SANCTI DOCTORES, *&c.* Propoſitis argumentis pro magis pia opinione, ac ſolutionibus cõcludit ſic: *Hæc ſint reuerenter, & ſine aſſertione temeraria dicta. Sed contra, quia videtur B. Thomas, quem ſequor, tenere oppoſitum concluſionis* 1. *diſt.* 44. *quæſt.* 1. *art.* 3. *ad* 3. *vbi dicit, quod virgo fuit* IMMVNIS *ab* ORIGINALI, *& mortali. Solutio. Non dicit quod ſemper fuerit immunis, ſtant autem ſimul eſſe immunem à peccato, & fuiſſe ſub peccato in diuerſis* MENSVRIS. *Dato tamen, quod ibi ſenſerit eam nunquam fuiſſe ſub* PECCATO, *in ſequentibus operibus, quibus ſtandum eſt, oppoſitum*

do-

docuit, &c. Non rectè mensurat Pierius, quia si Maria fuit æqualiter immunis, secundùm S. Thomam, ab originali, atque actuali, & ab hoc fuit semper libera; igitur & ab illo. Item, quia licet S. Ioannes Baptista fuerit liberatus à peccato originali, adhuc in vtero matris, nõ rectè, sed impropriissimè loqueretur, vt non dicam falsò, qui diceret: Ioannes fuit immunis à peccato originali, & actuali. Sed quidquid sit de sententia S. Thomæ, quam modo non vẽtilamus, solùm illud triturare debes: Multi *sancti Doctores* tenuerunt Virginẽ Mariam fuisse conceptam in peccato originali, quia fortè in Ventilatione non inueniemus multos, nec paucos, nec pauciss imos.

Item in summa, verbo: Dominica de festis, & feriatis diebus fol. 267. impres. Lugdunen. ann. 1582. sic inquit: *Festum autem niuis non est sub præcepto: similiter nec festum Conceptionis: quod olim quidem Ecclesia Romana non celebrauit, vt patet per Gloss. in dicto C. Pronuntiãdum. Sed tollerauit secundùm S. T. & meritò: quia non est* TREPIDANDVM, *vt idem dicit, habito respectu ad sanctificationem: quæ quo tempore facta sit, ignoratur. Vnde* POTIVS *est sanctificationis, quam Conceptionis. Vnde nunc illud videtur celebrare, nõ quasi affirmans, aut determinans dictã Conceptionẽ fuisse immaculatam, & sine originali contagio, vt Sum. Ang. & Ro. conantur asserere: quia expresè Xistus quartus Ordinis Minorum, qui illi opinioni fauit, quantum honestè potuit, dicit in Extrauag. quæ incipit: Graue nimis, quòd Ecclesia Romana nondum hoc determinauit. Et idem Alex. sed quasi in Conceptione colens sanctificationem citissimè, vt creditur, subsecutam, & quasi gratias referentes de Conceptione, ratione personæ conceptæ, non ratione sanctificationis in Conceptione collatæ: sicut etiam collitur festum Epiphaniæ, in quo tamen nulla sanctitas noua collata est. Quod autem dicit Sum. Ro. circa hoc extare miracula:* NIHIL *est, nisi facta fuissent in testimonium huius veritatis: quia etiam tempore B. Martini, ad præces porrectas* LATRONI *fiebant miracula gratia fidei petentium. Quod etiam dicit Sum. Ang. olim puritatem Conceptionis non fuisse reuelatam,* RIDICVLVM EST: *quia contra authoritates* SANCTORVM, *&* CONCILIORVM, *&* SCRIPTVRARVM *stultum est credere* MVLIERCVLARVM *somniis. Quia tamen deuotio simplicium sine pertinacia non est condemnanda: ideo idem Pontifex, in eadem Extrauaganti, ad scãdala tollenda, mandauit sub pœna excommunicationis, &c.* Summa Angelica, de qua hic mentionem facit Sylvester, est illa Angeli de Clauasio, Ord. Minor. Rosela autem fuit laborata à F. Baptista Trobamula, Ordinis etiam Minorum, & impres. Venetiis ann. 1499. in 8.

Item idem Auctor edidit alterum librum sub titulo *Conflati* impres. Perusiæ 1519. in fol. ex Angelico Doctore S. Thoma quæst. 15. de potentia Dei art. 15. de quibusdam excellẽtiis creaturarum: vtrum eas Deus potuerit facere meliores, & fol. 196. ad quandã auctoritatem D. Thomæ, scilicet, ad 3. ibi: *Quod à peccato originali, & actuali immunis fuit;* ad marginem extant quasi Glossa, vel Scholiũ hæc verba: *Nota qualiter* IGNORANTES, *aut* MALIGNI *super illo verbo faciunt,* FESTVM, *volentes ex eo habere quod B. Virgo fuit sine originali concepta secundùm S. Thomam, sed S. Thomas intendit quod aliquando fuit immunis, scilicet, quando fuit mater Domini, vel ad hoc præparata,*

sed

sed nō SEMPER, *& de hoc implentur libri, &c.* Nota, lector, cōtradictiones istius Auctoris Sylvestri, nam immunis cum actuali supponit pro omni, & semper, & immunis cum originali non est pro semper. *Aliquando*, inquit, ab originali *fuit immunis, scilicèt, quando fuit mater Domini*, ergo ante quam esset mater, non erat ab originali immunis? Item ex quo fuit præparata ad maternitatem, ex tunc fuit immunis ab originali, in tua opinione fuit præparata in secundo, tertio, vel quarto instanti, & cur non in primo? Item de se dixit, vel S. Mater Ecclesia de ea: Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis ante quam terra fieret, &c. Denique Sylvester, si implentur libri pro immaculata, etiam implebantur pro maculata, & quid Sylvestriùs?

Num. XXXI. *Anno* 1502.

DIDACVS Deza, Ordin. Prædicatorum, & Archiepiscopus Hispalensis, scripsit super sentent. libr. impres. Hispali, anno 1517. per Iacobum Kromberger Alemanum, in fol. & in 3. Dist. quæst. 1. fol 12. proponit pro vnica quæstione: *Quod B. Virgo Maria Concepta fuit in peccato originali.* Et infrà ad quintum Dubium, sic inquit: *Dicendum est, quod quantum ex Sacræ* SCRIPTVRÆ *verbis, & ex scriptis* SANCTORVM *Doctorum, & communiter* THEOLOGORVM, *accipitur, B. Virgo* CONCEPTA *fuit in originali peccato.* Præter hoc indubitatum opus, ipsemet Deza (vt existimo) typis mandauit Librum, qui prodiit anno 1502. in 4. absque loco impressionis, & Typographi nomine, sub hoc titulo: *Disputatio solemnis de Conceptione B. Virginis.* Et infrà: *Hic Liber Ducentorum sexaginta Sanctorum, ac Doctorum præclarissimorum, Virginem Mariam* IN ORIGINALI PECCATO *fore* CONCEPTAM *dicentium, continet dicta: sic* COGENTIA, *vt quisquis ea sinceriter relegere voluerit, puto* VELIT, NOLIT, *tantorum virorum, potius quam proprias, amplecti cogetur sententias. Editus est autem per Reuerendissimum Patrem Fratrem Vincentium Bandellum de Castro nouo, & Sacræ Theologiæ Professorem egregium, ac totius Ordinis Prædicatorum Magistum dignissimum.* Liber iste quoad substantiam, idem est cum posito suprà num. XXIII. saluo quod in operis principio habet quamdam Epistolam, cuius titulus est: *Reuerendiss. ac colendissimis Patribus sacri Ordinis Prædicatorum professoribus huius Libri* CORRECTOR *humile obsequium, & promptam obedientiam.* Habet etiam in principio additam Constitutionem Sixti IV. quæ incipit: *Graue nimis, &c.* Datam Romæ, anno 1483. Sexto idus Septembris Pontificatus illius anno 13. & indices materiarum ac rerum. In corpore Libri sunt aliquæ Additiones, factæ ab ipso Correctore, quæ etiam non extant in prima editione Bandelli, & etiam Notatiunculas marginales. Ad finem autem habet superadditum capitulum vnum, assignans decem rationes, quare sacri Ordinis Prædicatorum professores, doctrinam hanc, videlicet; quod Beatissima Virgo in originali peccato fuerit Concepta, defendant. Item aliud capitulum continens historiam Concilii Basilienſis. Item ponit continuè aliud capitulum sub hoc titulo: *De statua mi-*

ra-

rabili, quæ apparuit B. Francisco, simili illi statuæ Nabucodonosor, in qua fuit Prophetatum de quinque statibus Fratrum Minorum, cum expositione mirabili, & stupenda. Quæ quidem visio extracta est à libro Floretorum S. Francisci, Venetiis à quodam notabili, & docto viro. Liber autem ille est antiquissimus, & multa admiranda continentur ibidem. Et fuit transcripta præsentibus quinque testibus fidedignis, in anno Domini M. CCCC. LVIII. idibus Septembris. Ponitur autem dicta visio in Floretis impressis vulgari lingua cap. 83. licèt quædam verba MALITIOSE *illic subticeantur, quæ in antiquis de manu inueniuntur.* Et narrat visionem quæ sic incipit: *Cum semel S. Franciscus deuotè oraret, &c.* Hæc sunt præcipuè addita in ista secunda editione. Concludit autem Liber sic: *Impressum est hoc opus, & nimia cum* DILIGENTIA *castigatum, &* EMENDATVM *anno Domini* 1502. Et hæc de structura, ac dispositione Libri.

Ex quibus collige sequentia. Primum, librum istum fuisse correctum, additum, ac typis mandatum, non à Vincentio Bandello, qui tunc iam erat suæ Religionis Generalis, vt potè electus anno 1501. sed ab alio distincto, vt constat euidenter ex supra positis verbis, & infrà clariùs patebit. Secundo, videtur librum istum non fuisse typis mandatum in Italia, sed in Hispania, atque ciuitate Hispalensi, vt forma, & dispositio characterum indicant; vidimus enim alios libros ibidem typis mandatos, non solùm similes, sed ipsosmet characteres antiquos habentes, præcipuè librũ sententiarum ipsius Dezæ. Hoc ipsum, scilicèt, quod fuerit in Hispania impressus, insinuat additio posita cap. 24. fol. 45. in principio, ad Ægidium Zamorensem, & similiter colligitur ex quodam originali manuscripto, quod vidi in Bibliotheca S. Ecclesiæ Toletanæ. Tertio, iudico hunc Bandelli Correctorem atque continuatorem, fuisse propositum Didacum Deza, tum quia Liber iste est ligatus cũ alio opere eiusdem Dezæ, de simili materia, scilicèt: *De Defensione S. Thomæ, ab impugnatoribus Magistri Nicolai*, ideſt, de Lira, *& Magistri Mathiæ*, ideſt, Thuringiæ, vterque Ordinis Minorum. Tum quia ipse Deza, in 3. sent. dist. 3. quæ incipit: *Circa tertiam distinctionem, quæritur vtrum Beatissima Virgo, fuerit concepta in peccato originali?* Sequitur non solùm quoad substantiam, sed etiam quoad accidentia, verba, ac auctoritates contentas in libro Bandelli. Denique quia in Manusc. Toletano extat quædam Relectio de peccato originali, quæ incipit: *Textus quem mea repetere fuit, &c.* Et concludit sic: *Explicit solemnis Repetitio de peccato originali, & satis subtilis, edita ab egregio Magistro, F. Didaco de Deza, coram tota Vniuersitate, dum actu regeret Theologiæ cathredam primariæ in Scholis Salmanticensibus, qui posteà euasit in Episcopũ, primo Zamorensem, deinde Salmanticensem, posteà vero Episcopum Valentinum, vltimo igitur in Archiepiscopũ Hispalensem.* Et ad finem habet hanc subscriptionem: *Liber iste est Conuentus S. Crucis Segouiensis, quem scripsit R. nec non, & egregius P. Alphonsus Garciæ Præsentatus sua propria manu, anni quingentesimi quinti.* In hoc manuscripto extant notationes marginales, quæ modo reperiuntur in impresso; & alię ferè semper incipientes sic: *Attende Frater Minor, &c.* Ex quibus patet quod liber fuit scriptus contra Fratres Minores. Non ergo erit abs re, aut temeraria præsumptio

li-

librum iſtum, recognitum, ac ſumma diligentia reuiſum, & plures additionibus auctum, fuiſſe iterum typis mandatum à prædicto Didaco Deza. Sed res iſta parui momenti eſt, de libro conſtat ſecundùm rei veritatem, de Auctore, ſeu Correctore, quod ſit Deza, vel Garcia, vel aliquis alius ex Prædicatorum Ordine, ad noſtrum inſtitutum parum intereſt, ſub nomine tamen Dezæ eum citabimus, propter ſuperius dicta, & claritatis gratia.

Iſte ergo Bandelli Corrector, in Epiſtola ad Fratres ſuos fatetur, opus hoc non eſſe ſuum, dicens: *Sanè cum audirem in toto ferè* TERRARVM ORBE *contra ordinem* NOSTRVM, *vltra quotidianum, ac aſſuetum ordinariumque contra* HÆRETICOS *conflictum, alium non tam nouum, quam nouo modo inuctum* PERNITIOSISSIME *increſcere, modicis meis adhibitis viribus, illi obſtare cogitaui, non lancea, aut ſcuto* PROPRIO *vſus (neque ego talis ſum, vt de me quiſquam, vel minimus veſtrum aliquid accipere poſſit, neque ego* EX ME *tradere auderem) ſed* ALIENA *arma, quæ apud me erant, validioribus propugnatoribus libentiſsimè offerens. Duellum autem hoc non leue, ſed grauiſsimum; non debile, ſed maximum iudicandum eſt, &c. Bellum inquam grande quod iam à priſcis temporibus Patres noſtri veluti fidei non modò* CVLTORES, *imò* CVSTODES, *&* DEFENSORES *pro tuenda vnica Chriſti, & immaculatæ Conceptionis prærrogatiua aggreſsi ſunt. Vobis igitur in hoc* CONTINVO *laboris exercitio conſtitutis viſum eſt arma bellica* GLADIVM *iſtum tradere, in quo poſsitis tela ignea* NEQVISSIMI *extinguere. Certè gladiũ, qui vtique penetrabilior omni alio ancipiti, pertingit vſque ad diuiſionem animæ, & ſpiritus, gladium quippè* SCRIPTVRAM *ſacram, per Doctores ſanctos elucidatam, & expoſitam; & per Reuerendiſsimum Patrem Fratrem Vincentium Bandellum de Caſtronouo, Sacræ Theologiæ Profeſſorem, & totius Prædicatorum Ordinis Magiſtrum digniſsimum compilatam. Eſt enim talis* ISTE GLADIVS, *vt in illo poſitis* OMNES ADVERSARIOS *non veſtros, ſed* VERITATIS *proſternere, &c. Vos autem vocabulo Prædicatorum eſtis inſigniti,* NON VT CÆTERI, *ſed tales, quibus eſt Euangelizandi officium iniunctum. Et ſi vobis* SINGVLARITER *prædicare conuenit, quibus pro prædicatione mori ſingulariter competet? Et ſi pro Prædicatione, & pro* VERITATE. *Non enim in* VERIS *Prædicatoribus* VERITAS, *& prædicatio diſtinguuntur. Nam non ſunt prædicandæ* FALSITATES, *non* MENDACIA, *non Doctoribus ſacris* FALSA *ſunt imponenda* TESTIMONIA, *non* FALSIFICANDI *ſunt Libri, ſed* VERA *Chriſti* FIDES *iuxta ſanctorum Doctorum* VERITATEM *omnibus annuntianda eſt hominibus. Propter quod* VERITATIS *mater illa, quæ* VERITATEM *peperit, filios vos vocare, fratres ſuos vos dicere, non eſt confuſa, &c.* Et poſtquam plura elogia dixerat de ſua Religione cõcludit ſic: *Exaudito enim verbo Phariſæos ſcandalizatos Chriſtus* CONTEMNENS, *Diſcipulis dixit: Sinite illos, cæci ſunt. Non ergo* CÆCOS *ſequamur nos* OCVLOS HABENTES, *& qui* VERITATIS *lumine ſuper* NOS *radiante* SCRIPTVRÆ *ſacræ adepti* SVMVS *ſacramenta. Vidi autem Librum hunc,* NIMIA*que cum diligentia* CORREXI, *addidi quoque aliquas auctoritates, quas hic allegatas, quærendo, inueni. Et vbi libros* FALSIFICATOS *reperi, immediatè ſubiunxi. Et quia*

Li-

Librum hunc legentes, & VERITATEM in eo luce CLARIVS contentam considerantes, possent limites à Pontifice Summo positos TRANSGREDI. *Ideo excõmunicationem ab eo promulgatam, eius exordio præposui. Valete, & pro me ad Dominum* INTERCEDITE. Hæc sunt quæ continentur in illa Epistola Correctoris Bandelli. Deindè ponit constitutionem Sixti IV. incipientem: *Graue nimis gerimus*, vt suprà diximus.

In his ergo Correctoris verbis multa notare debet Lector, quæ maiusculis litteris relinquimus signata. Præcipuè vero illud: *Vidi autem Librum hunc, nimiaque cum diligentia correxi, & vbi libros falsificatos reperi, immediatè subiunxi.* Nã Corrector iste cum illa summa diligentia nec vnum solùm verbum correxit in toto Bandelli libro, neque materialiter in impressione, neque formaliter in libris falsificatis à Bandello, sed sicut extabat prima editio, ita verbaliter, ac litteraliter prodiit hæc secunda, quantum ad textum Bandelli, cum omnibus suis vitiis, ac erroribus, imo alios superaddidit; ita vt nõ corrector, sed corruptor Bandelli appellari possit, in marginibus vero ac aliis à se additis aliquando loquitur secundùm veritatem, aliquando ab ipsa penitus deuiat. Deinde nescio quid sibi velit dicere in illis verbis: *Et quia Librum hunc legentes, & veritatem in eo luce clarius contentam considerantes, possent limites a Pontifice Summo positos transgredi, ideo excommunicationem ab eo promulgatam, eius exordio preposui.* Excomunicationis terminus, in illa Summi Pontificis constitutione contentus talis est: Sane cum Sancta Romana Ecclesia, de intemeratæ semperque Virginis Mariæ Conceptione publicè FESTVM solemniter celebret, & speciale ac proprium super hoc OFFICIVM ordinauerit: nonnulli, vt accepimus, diuersorum Ordinum PRÆDICATORES in suis SERMONIBVS ad populum PVBLICE per diuersas CIVITATES, & TERRAS, affirmare hactenus non ERVBVERVNT, & QVOTIDIE prædicare non CESSANT, omnes illos, qui tenent, aut asserunt, eandem glorioſam, & immaculatam Dei Genitricem absque originali macula fuisse CONCEPTAM mortaliter PECCARE, aut esse HÆRETICOS, eiusdemque immaculatæ CONCEPTIONIS OFFICIVM celebrantes, aut AVDIENTES sermones illorum, qui eam sine huiusmodi macula fuisse CONCEPTAM affirmant, PECCARE grauiter. Sed & præfatis PRÆDICATIONIBVS non contenti, confectos super his suis Assertionibus LIBROS in publicum EDIDERVNT, ex quorum prædicationibus, & assertionibus huiusmodi, non leuia scandala in mentibus fidelium exorta sunt, & MAIORA merito exoriri FORMIDANTVR in dies. Nos autem, & huiusmodi TEMERARIIS ausibus, & PERVERSIS assertionibus, ac SCANDALIS, quæ exinde in Ecclesia Dei exoriri possent, quantum nobis ex alto conceditur, obuiare volentes, motu proprio, &c. Huiusmodi assertiones PRÆDICATORVM eorundem, & aliorum quorumlibet, qui affirmare præsumerẽt, eos qui crederent, aut tenerent, eandem Dei Genitricem ab originalis peccati macula in sui CONCEPTIONE præseruatam fuisse, propterea alicuius HÆRESIS labe pollutos fore, vel mortaliter PECCARE, aut huiusmodi Conceptionis

tionis OFFICIVM celebrantes, ſeu huiuſmodi SERMONES audientes, alicuius peccati reatum incurrere, vtpote falſas, & erroneas, & à VERITATE penitus alienas, editoſque deſuper LIBROS prædictos, id cõtinentes, quoad hoc: Auctoritate Apoſtolica, tenore præſentiũ, REPROBAMVS, ac DAMNAMVS, ac motu proprio, ſcientia, & auctoritate prædictis ſtatuimus, & ordinamus, quod PRÆDICATORES verbi Dei, & quicumque alii cuiuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, & conditionis fuerit, qui de cætero AVSV TEMERARIO præſumpſerint in eorum ſermonibus ad populum, ſeu aliàs quomodolibet affirmare huiuſmodi ſic per Nos reprobatas, & damnatas Aſſertiones VERAS eſſe, aut dictos LIBROS pro VERIS legere, tenere, vel habere, poſtquam de præſentibus SCIENTIAM habuerint, excõmunicationis ſententiã, &c. Hæc in illa cõſtitutione adducta à Correctore Bãdelli: ex quibus patet, quod tã ipſe Corrector, quã ſcribentes poſt ipſum, habuerint ſcientiã, & notitiam iſtius conſtitutionis, ſiquidem illã adducũt de verbo ad verbũ (quod valdè notare debes, ò Lector, quia moderni ſcriptores Ordinis Prædicatorũ, propter illam clauſulam: *Eiuſdemque immaculatæ Cõceptionis*, clamãt in ſuis reſcriptis quod ſit ſuppoſita, ficta, & falſa à Fratribus Minoribus, de quo vide noſtrũ Regeſt. col. 112. & in Armamẽt. col. 12. lin. vltima, præcipuè col. 22. nu. 37. vbi ſic inquiũt: *Nec nos ad apogryphas Apoſtolorũ Diffinitiones, ad cõfictas Reuelationes, ad ſomniata Miracula, ad Bullas adulteratas recurrimus.* Nõ ergo adulterata eſt hæc Bulla, quando ad litterã extat in veſtris antiquis codicibus, ac libris) nõ vt ipſam venerẽtur, ac obediant, ſed quaſi deſpiciãt, contẽnantque: nam cũ ibi Summus Eccleſiæ Pontifex prohibeat tria præcipua, ſcilicet, de cenſura noſtræ piæ ſententiæ: de officio à Sede Apoſtolica approbato: ac de Libris cõtra hoc, & illã editis, Librũ hunc dãnatũ, & reprobatũ in Italia, curarũt edere in Hiſpania, in quo nihil aliud continetur, quã nos vocare ore pleno hæreticos, &c. Impugnare officiũ à Sede Apoſtolica approbatum, vt adimpleant illud, *& tranſgrediantur limites à Summo Pontifice poſitos.* Nota, Lector, quàm ſanum conſilium dat ſuis.

Hæc omnia ſunt in principio illius Libri, ad finẽ verò aſsignãs decẽ cauſas tranſcriptas à Turrecremata, quare ordo Prædicatorũ minus piã ſuſtinuerit opinionẽ, dicit, & affirmat, ſolùm moueri ex eo, quia ſua opinio fuit Doctrina omnium antiquorum Patrũ, fides Eccleſiæ, & propter diffinitiones factas in Cõciliis vniuerſalibus, & Apoſtolicæ ſedis, & ex eo quod multo plures Doctores principaliores auctoritate, ſciẽtia præſtãtiores, ſiue in ſchola Theologiæ, ſiue Iuris Canonici ſuã Doctrinã docuerunt, & poſtquam de hoc dixerat plura, concludit ſic: *Hæ ſunt planæ cauſæ, ob quas in huius doctrinæ defenſione ſcãdala varia, dãna multiplicia, ab* ÆMVLIS, *æquanimiter ſupportarũt, arbitrãtes in hoc loco auctoritatẽ habere regulam illam iuris, quæ ex B. Gregorio ſuper Ezechielem ſuſcipitur: Si de* VERITATE *ſcandalum ſumitur, vtilius ſcandalum naſci permittitur, quam* VERITAS *relinquatur. Hæ ſunt profecto cauſæ, propter quas præfati Ordinis profeſſores, doctrinam ex aduerſo exiſtimatam, teſtimonium* TANTORVM *Doctorum* SCRIPTVRÆ *diuinæ, &* SANCTORVM *Patrum auctoritati*

ADVERSAM, & GLORIÆ, & DIGNITATI *Saluatoris nostri Domini Iesu Christi* PRÆIVDICIALEM *tanto zelo prosequuti sunt, &c.* An autem hucusque dicta ab isto correctore circa Conceptionem, sint vera, nec ne, in Ventilatione apparebit; qua verò intentione, ac animo adduxerit visionem illam de statua Nabuchodonosoris, ac reuelatione S. P. N. Francisco facta, quando visio illa nihil habet pro hac controuersia, de se patet, sed cum hoc sit extra meum propositum assumptum de separãda veritate (toties à vobis in vestris libris repetita) ab adulterationibus, ac mendaciis in ipsa comisis, ab Statua superfedeo: poteram enim plures Statuas adducere, non de futuro statu vestræ Religionis, sed de præterito, & præsenti. Vt fuit illa erecta in Bernensi platea anno 1509. per F. Ioannem Ietzer laicũ, cuius acta apud nos sunt, &c. Nec erit parua Statua hæc, quam congregando Auctores, atque Scriptores, tanquam ferrum, ac lutum, per integra quatuor sęcula fabricata fuerat contra immaculatam Virginis Conceptionem: donec (Deo dãte) absciſſus est lapis iste de monte, sine manibus, vt percutiat statuam istam in pedibus eius ferreis, & fictilibus, ac comminuat eos: modo enim contrita erunt pariter ferrum, testa, & æs, argentum, & aurum, & redacta quasi in fauillam æstiuæ areæ, quæ rapta sunt vento, nulluſque locus inuentus erit eis, & fortè lapis veritatis, qui percutit Statuam, factus erit mons magnus, & impleuit vniuersam terram.

Num. XXXII. *Ann. 1504.*

ANTONIVS de Brixia, vel Brixiẽsis, Ordinis Prædicatorum, scripsit librum sub hoc titulo: *Sermones* AVREOS *quadragesimales, vna cum sermonibus de sanctis*, excusſos Brixiæ per Angelum Britannicum anno 1503. in 4. ex quibus in primo Sabbato Quadragesimæ habet Sermonem de B. Virgine, sub hac inscriptione: *De excellentia sanctificationis B. Virginis contra* IMPVGNATORES *sacrarum* SCRIPTVRARVM, DOCTORVM *Ecclesiæ Sanctæ Dei* COMMENTITIO, INEPTO*que honore*: In corpore ergo sermonis adducit Auctor iste aliquos Doctores pro sua opinione, & concludit sic: *Licet quidam* NOVI *Theologi à sensu Ecclesiæ* COMMVNI *recedentes contrarium* INDEVOTI *reuera Virginis, cuius deuoti apparere nituntur, eam quodammodo Deo, & Filio suo comparantes, quorum* NOVA *opinio*, & FANTASTICA *sit à fidelibus cancellata, quia sanctificationem Virginis negat, contra illud quod* TENET *Ecclesia, ipsam* SANCTIFICATAM *fuisse, &c.* Triturare, Lector, illud, *Aureos*, quia in hac sacra Religione omnia sunt Aurea, Catena Aurea S. Thomæ, Rosa Aurea Gislandis, opus Aureum Pierii, &c. Quia de cætero Ventilatio demonstrabit, vbi fuerit scoria contra sacras Scripturas, & Doctores Sanctos, commentitiis, ineptisque vitiis, ac falsitatibus, &c. Sermonem istum, & in illo contenta, circa materiam Conceptionis, videat Lector in nostra Bibliotheca Virginali, tom. 2. fol. 765. cuius principium est: *Erat nauis in medio mari, &c.*

Num.

Num. XXXIII. *Ann.* 1507.

VVERNHERVS Baſiliēſis, Ordinis Prædicatorū, Doctor, & Prior, &c. edidit libellum, ſeu Deffenſorium pro ſuis fratribus, cuius titulus eſt: *Deffenſorium* IMPIÆ FALSITATIS *à quibuſdam Pſeudo-Patribus, Ordinis Prædicatorum, excogitatum principaliter* CONTRA *mundiſsimam ſuperbenedictæ Virginis Mariæ* CONCEPTIONEM, *cum inſertione actorum ſub annis Chriſti milleſimo quingenteſimo ſeptimo, octauo, & nono vſque ad vltimam Maii: qua die* QVATVOR *eiuſdem* FALSITATIS *architecti* IGNE *deleti ſunt*. Iſte eſt libelli titulus; finis verò tertiæ partis eſt talis: *Scripta, & collecta ſunt hæc per Doctorem Vvernherū, Priorem Conuentus Baſilienſis, altera Mathiæ Apoſtoli, anno Chriſti* 1508. *Apoſtolica auctoritate interim obtenta idem Doctor Vvernherus percepta ſerie rei, cauſamque examinari certa relatione videns* TORTVRA *ſtrictiori, nauigio Baſileā exiit Francofordiam verſus in profeſto Natiuitatis Mariæ eiuſdem anni, relictis compatrum ſuorum Bernenſium deffenſione, & prioratus ſui (quam tanti habuit) dignitate.* Concludit autem libellus ſic: *Finis Deffenſorii impiæ* FALSITATIS *quorundam Pſeudo-Patrum, Ordinis Prædicatorum, vna cum confeſſatis eorundem, Impreſſa ſubdio anno Chriſti* 1509. Et in concluſione operis, ſeu præfatione ad Lectorem ſic dicitur. *Hæc dulciſsime Lector ea fide fac legas, vt veriſsima (præſertim 4. partem confeſſatorum) certo ſcias. Priores enim tres partes per Doctorem Vvernherum fautoribus deſeminatæ* FICTIONVM *ſuarum calle claudo qualitercunque ſerpunt; quod facili nerue iudicare potes. Accidit nimirum eiſdem* DOLI *fabricatoribus id, quod Chriſtus Opt. Max. ſua doctrina ſaluberrimè tradit, vt cæcus cum cæco foueam præceps irruerit, eam dico, quam alteri parare ſtuduit, &c. Gaudeat plebs Chriſti deuota tam* NOXIVM *virus ſubterfugiſſe. Niſi enim obex huic* MALO *poſitus fuiſſet auctoritate D. Iulii Papæ II. neſcio, quid enormitatis deteſtabilioris ſuccreuiſſet in magnam Chriſti fidelium iacturā tum corporis, tum animæ. Sed, ò miſera mortalium* AVDACIA, *Iouem imperio laceſsis, in prælia vocas? ſus Mineruam doces? Abſiſte precor, vides nanque tarditatem delicti* SVPPLICII *grauitate compenſari.* Finis, & ſcopus huius Vvernherii Deffenſorii eſt (vt ipſe in principio illius proponit) oſtendere viginti quatuor Fratres tunc habitantes Bernæ nullam habuiſſe partem in illa enormi fictione facta in, & ex Fratre Ioanne Ietzer, eiuſdē Ordinis conuerſo, ſcilicet, de eius ſtigmatizatione, ac vulneribus in manibus, pedibus, ac latere, crudeli inuentione apertis; fictis lacrymis cuiuſdā imaginis Virginis Mariæ, de hoſtia intoxicata, atque ſanguinis aſperſione rubricata, & aliis quā plurimis pſeudo-miraculis patratis in illo Conuentu Bernenſi, vt ex ipſis probarēt, Virginē Deimatrem fuiſſe conceptam in originali peccato: Ex hoc Vvernherii Deffenſorio, nec apicem volo tranſcribere, nam minima, quæ in illo continetur audacia, ſuperat captū, & malitiam humanę volūtatis, atque intellectus. Et ſolùm modo propono in generali, quod eodem met tempore Bādellus in Lombardia verbis, & ſcriptis, atque Vvernherus in Germania operibus, & machinis contra immaculatam Virginis Conceptionem macularunt in ſe ipſis quod aqua, nec ignis purificabunt in ſæcula ſæculorum.

Num. XXXIV. *Ann.* 1508.

ALBERTVS Caſtellanus Venetus, Ordinis Prædicatorum, qui vixit ſecundùm aliquos ad ann. 1558. & iuxta alios 1501. vel 1512. recognouit paruum libellum, in cuius prima parte ſunt aliquæ Homiliæ SS. Maximi, & Chryſoſtomi impreſ. Coloniæ apud Ioannem Gymnicum anno 1535. in ſecunda vero extant Sermones SS. Zenonis, Cæſarii Arelatẽſis, atque demum quidã ſermo ſine Auctoris nomine, ſub hoc titulo: *Sermo de laudibus Beatiſsimæ Virginis Mariæ pro feſto Conceptionis, vel ſanctificationis eius, ex dictis* SANCTORVM DOCTORVM *compilatus.* Et incipit Sermo: *Sanctus Maximus, &c.* Ad finem autem prædicti libelli extant hæc verba: *Ad laudem, & gloriam ſummæ, & indiuiduæ Trinitatis, & Beatiſsimæ Virginis Mariæ, & BB. Zenonis, & Cæſarii, & omnium ſanctorum, ſermones in hoc volumine poſiti, & nunquam aliàs impreſsi, ſolertiſsimè recogniti, & ſtudioſiſsimè per venerabilem Patrem F. Albertum Caſtellanum, Ordinis Prædicatorum correcti, ac per Magiſtrum Iacobum de Leuco, impenſis D. Benedicti Fontana, Venetiis digniſsimè impreſsi anno Domini* 1508. *die* 24. *Ianuarii feliciter expliciunt.* Ex hoc ergo ſermone pro feſto Cõceptionis, vel ſantificationis adducuntur viginti tres ſancti, auctoritates autẽ octoginta duæ, quarum aliquæ eò reſpiciunt, & tendunt, vt probent Virginem Mariam fuiſſe conceptam in peccato originali. Aliæ autem præcipuæ SS. Maximi, Bernardi, Fulberti, Chryſoſtomi, ac aliæ nonnullæ ſunt excellentiæ communes, atque vniuerſalia elogia Virginis Mariæ, ideo de ipſis nihil loquimur in Vẽtilatione noſtra, niſi in Bernardo, & S. Fulberto, vt ſaltẽ in vno, vel altero verificentur alii, & ſimul videat lector, qua veritate ſit in fronte illius libelli poſitũ: *Sermo de laudibus B. Virginis Mariæ ex authenticis Doctorum dictis cõpilatus*: Iſta authentica dicta apparebunt in Ventilatione. Quis autem fuerit Auctor illius Sermonis Anonymi, penitus ignoratur, vt diximus in noſtra Bibliotheca Virginali tom. 1. fol. 752. vbi inuenies Sermonẽ iſtum tranſcriptũ ad litterã. Cùm ergo Albertus Caſtellanus ſolùm fuerit Corrector illius, vt dicitur in titulo, & Nomenclatores Ordinis Prædicatorum in Alberto Caſtellano nullam de hoc Sermone faciant mentionẽ, credendum erit, ſeu firmiter tenendũ, fuiſſe alicuius Scriptoris Dominicani antiqui ex ſuprà relatis in hac Trituratione. Et nota obiter, Lector, quanta cura, ſollicitudineque conati ſunt Aduerſarii, ſuam introducere opinionem, vt etiã inter opera ſanctorum Patrum Antiquorum ipſam intromitterent, ſubticendo Auctoris nomen, vt inter ſanctos ſors illorum eſſet.

Num. XXXV. *Ann.* 1515.

THOMAS de Vio Caietanus, Ordinis Prædicatorum, ac S. R. Eccleſiæ Cardinalis, ann. 1515. ſcripſit opuſculũ, ſeu Tractatũ de Conceptione B. Virginis Mariæ, ad Leonem X. Pont. Maxim. in quinque capita diuiſum, qui extat tom. 2. ſuorũ opuſculorum primus, & in ordine eſt trigeſimus

mus primus impreſ. Venetiis ann. 1594. in fol. & Auguſtæ Taurinorũ 1582. & ſemper cum operibus S. Thomæ Aquinatis: opus ergo incipit ſic: *Feuſtum, felixque ſit, Leo X. Pontif. Maxime, quòd de ſupremo poteſtatis tuæ opere, prima offerendæ tuæ Beatitudini lucubratiunculæ cauſa ſe ſe obtulit. Deffinitio ſecretorũ Chriſtianæ fidei, quæ noſſe ſoli Deo natura conuenit, in medium venit, propoſitum eſt, vt decernas in* LATERANENSI *Synodo, vtrùm Deus Beatiſsimam Virginem Mariam à peccato originali præſeruauerit, an mundauerit, &c.* In Cõcilio Baſilienſi ſurrexit Ioannes de Turrecremata, vt vidimus, cuius liber eſt typis mandatus: in Cõcilio Lateranenſi Thomas de Vio Caietanus: in Concilio Tridentino Bartholomæus de Spina, cum Alberto Duimio, vt infra videbimus: vellem, vt mihi oſtẽderent Patres Dominicani libros impreſſos pro noſtra ſententia ad Cõcilium Baſilienſe, Lateranenſe, & Tridentinũ? ſed exiſtimo, & affirmo, quòd nullos inuenient; ergo non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo, ac veritati demus gloriam.

Capitulo vero 4. inquit Caietanus: *Quod enim pars illa, quæ tenet B. Virginem eſſe à peccato originali mundatam, probabilis ſit, ex eo patet, quòd tot* SANCTI *Doctores, & tot illuſtres* DOCTORES *in Theologia, & in iure Canonico, qui ſcripſerunt hanc partem, non in* COMMVNI, *ſed in* SINGVLARI, NOMINATIM *de Beatiſsima Virgine Maria* LOQVENTES *docuerunt, & nè* FINGERE *videar, nominatim* SANCTOS *in ſuis locis afferre cenſui; ita vt eorum non ſolùm nomina, & loca, in quibus hæc ſcripſerunt, ſed* VERBA *afferantur: occurrunt ergo* QVINDECIM *ſancti, &c.* Et poſtquam adduxerat illos, & ſuas auctoritates, proſequitur: *Præter dictos autẽ* SANCTOS, MVLTITVDO MAGNA *Antiquorum Doctorum conuenit, dicens in* INDIVIDVO, *Beatã Virginẽ* CONCEPTAM *in peccato originali, quorum dicta, aut in fonte, aut in* LIBRIS *Domini Ioannis de Turrecremata, & Magiſtri Vincentii de Caſtronouo, de* CONCEPTIONE *B. Virginis compilatis, vnde ſumpta ſunt, inuenire quilibet poteſt.* Patet ergo, quòd Caietanus extraxerit ſuos ſanctos, & ipſorum auctoritates à fonte Turriſcrematæ, & Caſtelli-Noui, ſed an illi fontes, ad quos ipſe recurſum habuit, & alios recurrere hortatur, fuerint infecti, nec nè; Ventilatio demonſtrabit.

Deinde proſequitur Caietanus: *Et quia auctoritates iſtæ non de humano genere, aut Chriſtianis in* COMMVNI, *ſed de B. Virgine in* INDIVIDVO EXPRESSA *loquuntur; ideo Gloſſa illa, qua ſanctorum auctoritates intelligendæ dicuntur, de lege communi, & non de priuilegio ſingulari, locum hic non habet, tũ quia Gloſſa huiuſmodi de lege communi, aut priuilegio locũ habere poteſt, quando eſt ſermo in communi, ſeu vniuerſali (propter quod non attuli vniuerſales propoſitiones ſanctorum, ſolùm Chriſtum à peccato originali excipientium) &c.* Et infrà. *Tũ quia petendũ eſt ab iſtis, ſi verba iſta:* BEATA VIRGO FVIT CONCEPTA IN PECCATO ORIGINALI, *& ſimilia, non explicãt, quòd ipſa de facto contraxit originale peccatũ, quibus verbis vti debebãt ſancti, & Doctores ad hoc explicãdũ? In his nãque explicatur* PERSONA *Beatæ Virginis* NOMINATIM, *vt ſubiectũ originalis peccati: explicatur tẽpus* CONCEPTIONIS, *explicatur* ORIGINALE PECCATVM, *explicatur factum per ly* CONCEPTA *eſt*, CONTRAXIT, *& ſimilia; quid vltra debuit apponi? Et ſi iſta non hoc*

significant, consequens est, vt dicentes oppositum, scilicet, B. Virginem non esse CONCEPTAM *in peccato originali, non significant hoc, quod dicunt:* FATVÆ *ergo, atque* TEMERARIÆ *sunt huiusmodi, non* EXTORSIONES, *sed* CORRVPTIONES *auctoritatū, locutionūque latinorū, &c. Tum quoniā* SANCTI, *&* DOCTORES *ita loquuntur de* CONCEPTIONE *B. Virginis in* PECCATO ORIGINALI, *sicut de conceptione aliorum hominum, per commixtionem seminum genitorum; constat autē quòd sermo semper est de* CONCEPTV *in* INFVSIONE ANIMÆ. Et infrà loquendo de fundamentis nostræ sententiæ inquit: *Propterea nō est mirum, si* NVLLVS *sanctus, nullus* ILLVSTRIS *Doctor antiquus pro hac parte afferatur, nisi fortè à* FALSARIIS, &c. Ipse verò solùm pro nostra parte adducit tres, Scotum, Maironem, & S. Brigittam, & postquam plura de sua incōcussa, ac irrefragabili veritate inquit: *Sed debent afferri authoritates* SANCTORVM, *& antiquorum non in* GENERE, *sed in* SPECIE *peccati originalis maculam negantes à B. Virgine, non tempore Conceptionis Iesu Christi, sed à tempore Conceptionis propriæ, vt* NOS FACIMVS *pro oppositā opinione, prætermittendo* COMMVNIA, *&c.* Propter hæc, & similia Aduersariorum verba, noster hic labor exordiū sumpsit; ideoque trituramus illa, vt appareat in Ventilatione ipsorum, an ab ipsis propositum in hisce libris sit verum, nec nè? Quia si Sancti, ac Doctores Ecclesiæ non in communi, & vniuersaliter, sed in particulari singulariter, ac inuiduo nominando Virginem Mariam, expressè affirmant in sua Cōceptione passiua, & animæ infusione, contraxisse maculam, vel in originali peccato fuisse conceptam, aut quid simile, vt ipsi dicunt, tacebimus, digitumque ori nostro imponemus, sed si veritas inuenisset, quòd nullus, nullus, nullus tertiò, & millies dico, talia protulit, nec scripsit, ore pleno ridebimus.

Concludit autem Caietanus suum opusculum: *Ex omnibus autem dictis, facile est colligere, quòd neutra pars propositæ quæstionis, in sensu, quo vertitur in dubiū, est necessariò credenda, & quòd altera (scilicet dicens: B. Virginem esse mundatam ab originali peccato) est* PROBABILIS, *altera verò (scilicet, dicens: B. Virginem esse præseruatam à macula originalis peccati) est* TOLERABILIS, *& apud sic* AFFECTOS, *vel* ASSVETOS, *aut* VERE *Theologiæ sanctorum* PARVM, *aut* NIHIL *habentes, probabilis. Hæc sunt Beatissime Pater, quæ sanctitati tuæ, cuius correctioni, atque iudicio, & reliqua à me tam scripta, quàm scribenda, submitto, offerenda occurrunt. Vnde* EVIDENTER *cernitur pars* CREDENS, *Beatissimam Virginem ab originali peccato mundatam in* SINV SANCTORVM, *& sacrorum* DOCTORVN *priscorum quiescens, nihilque sibi* TIMENS *à sacrosancta Synodo (quandoquidem à Spiritu Sancto, quo inspirati locuti sunt* SANCTI *Dei homines, contrariè in* FIDE *sententiæ prodire nequeunt) quin potius sperat, si discernendum aliquid est, seipsam tanquam probabiliorem, &* SANCTORVM, *ac* DOCTORVM *dictis consonam approbandam, exemplo Viennen. Synodi sub Clemente V. quæ de Baptismi effectu decreuit partem probabiliorem, dictis Sanctorum, & Doctorum consonam. Pars verò reliqua credens B. Virginem à macula originalis peccati præseruatam* MVLTITVDINE *sequacium, &* FAVORIS *amplitudine conspicua apparet. Supereſt igitur*

P.

P. S. vt inter QVINDECIM *ſanctos (Auguſtinũ, Ambroſium, alioſque, quorum expreſſa ſunt nomina) necnon* INNVMEROS *Doctores antiquos ex vna, & PAVIDVM in cauſa hac Scotũ, Franc. de Mayronis, Petrũ Aureoli (contra tamen Patres ſui Ordinis) modernos, & promiſcui* VVLGI *clamores ex alia, medius tu Arbiter à Chriſto datus, in hac Sancta Lateranen. Synodo Religioni Chriſtianæ, vel* VERITATEM *firmiter amplectendã tradere, vel à publicis oblocutionibus, & SCANDALIS conſulere digneris, memor illius oraculi: Non in* MVLTITVDINE, *neque in* COMMOTIONE *Dominus.* Hæc, & alia huiuſmodi habet Caietanus in illo opuſculo, quæ ad Triturationem ſpectant, reliqua verò ad Ventilationem concernentia, vide in ipſa Ventilatione num. 300. De hoc dicitur etiam, quòd in Bibliotheca Medicæa Pluteo 26. habeat alterum ſummarium manuſcriptum, de Conceptione B. Virginis, de quo nihil poſſum dicere, quia illud non vidi.

Num. XXXVI. *Ann.* 1516.

AVGVSTINVS Iuſtinianus Genuenſis, & Epiſcopus Nebiẽſis, Ordinis Prædicatorum, qui floruit circa annum 1516. ſcripſit Octaplum Pſalterii, ad Leonẽ X. lib. impreſ. Genuæ 1516. in fol. & ſuper Pſal. 84. ad illũ verſiculum: Benedixiſti Domine terram tuam, in ſcholio marginali ſic inquit: *Sunt qui putant ex primo huius Pſalmi verſiculo poſſe manifeſtum, validumque elici argumentum ad demonſtrandum Beatiſsimam Virginem Mariam nequaquam cõtraxiſſe maculam originalis peccati, ſed difficilior hæc quæſtio, quàm vt poſsit breui ſermone determinari, in qua tot* PRÆCLARISSIMORVM *virorum ingenia inſudarunt, nec* SOLIVS *S. Hildephonſi auctoritas præferenda eſt auctoritati Auguſtini, Hieronymi, Ambroſii, Gregorii, & CÆTERORVM OMNIVM SANCTORVM. Verum hæc obiter, & in tranſitu. In noſtris verò Scholiis ſuper Pauli Epiſtolis, ex profeſſo de re hac egimus.* Inuenire non potui Scholia iſta Iuſtiniani ſuper Epiſtolas Pauli. Sed ex iam dictis conſtat (quod pro nunc ſat eſt) ſcilicet, ipſum ſenſiſſe, dixiſſe, & affirmaſſe, omnes ſanctos ſequutos fuiſſe ſuam opinionem, ſolumque ex illis extare pro noſtra ſententia S. Hildefonſum, ſed nec hunc admittere volunt alii Patres Dominicani, vt videbimus in Vẽtilatione num. 142. imò Bartholomæus de Spina, videtur ignoraſſe quis, vel qualis fuerit iſte S. Hildefonſus, vt in proprio loco dicemus, vt ſic non remaneat ex noſtris ſaltem vnus.

Num. XXXVII. *Ann.* 1524.

FRANCISCVS Sylueſter Ferrarienſis, Ordinis Prædicatorum, & Generalis ſuæ Religionis, in ordine trigeſimus, electus ad annum 1525. ſcripſit inter alia TRACTATVM *de Conceptione Virginis Mariæ contra Caietanũ*, vt inſinuare videtur Amb. Catharinus in diſp. de veritate Cõcep. ad Patres, & Fratres ſui Ordinis, reſol. 1. fol. 14. cuius verba ſunt. *Non me tamẽ latet, quòd Magiſter Franciſcus de Ferrara contra hæc dicta Cardinalis inſurgẽs ita arguit:*

Nul-

Nullus potest dici obnoxius peccato; qui nondum sit, quod enim nondum est, quomodo potest esse peccato obnoxium? Si igitur, quando iam fuit Maria in rerum natura, tunc fuit peccato obnoxia, hoc certe fuit maximè in primo instanti suæ Conceptionis. Quod si in primo instanti factum quoque dicimus per gratiam præuenientem, ne tunc incurrat peccatū illud, consequenter dicimus, quòd nec in illo instanti fuit obnoxia. Nam si mihi teneris soluere cras centum, & ego præueniens remitto debitum, profecto non eris mihi obligatus cras. Hæc ille in summa. Ex his verbis videtur sequi necessariò Ferrariēsem scripsisse tractatum de Cōceptione contra Cardinalem Caietanum. Sed existimò, quòd Catharinus dixit Franciscus Ferrarienſis, vbi dicere debuerat Bartholomæus de Spina, nam hic fuit, qui edidit supradictum Tractatum cōtra Caietanum ad ann. 1533. quando iam Franciscus Ferrarienſis decesserat è vita, & ipse Spina cap. 10. cuius titulus est: *Caietani primum argumētum pro sua falsa opinione productum diluitur.* Adducit similem instātiam. Item quia nullus Nomenclator Dominicanus tribuit Ferrarienſi prædictum Tractatum, nec ab aliquo alio scriptore de Conceptione allegatur; imò Paulus Grysaldus, qui adducit pro sua opinione Ferrarienſem in cōmentario libri S. Thomæ contra Gentes, vt videbimus in Ventilatione num. 78. potiori iure illum adduceret in hoc Tractatu: vnde firmiter credo hanc Catharini fuisse æquiuocationem.

Num. XXXVIII. *Ann. 1525.*

NICOLAVS de Finali Mutinenſis, Ordinis Prædicatorū, cōposuit Tractatum, & Glossam de Conceptione, teste Antonio Senensi in Bibliot. fol. 183. cuius verba sunt: *Frater Nicolaus de Finali, &c. Scripsit tā in vulgari lingua, quàm Latino sermone ligato opus, seu* TRACTATVM, *quòd* SOLVS *Iesus Christus fuerit sine peccato, & eundem idemmet glossauit. Et in eo* TOTA *materia de* CONCEPTIONE *B. Virginis dilucidatur: inscribitur verò liber: Monile Christi, & Matris eius in eo autem opere quinquaginta metrorum differentiæ ponuntur ab inuicem distinctæ. Claruit circa annū* 1525. Ex tot, tantisque signis videtur Tractatum istum peruenisse ad manus Senēsis. Posteà hæc eadem verba transcripserunt Pius par. 2. lib. 4. fol. 150. Placentinus fol. 404. Marrac. in 2. tom. fol. 166. Posseuin. fol. 149. At Ioann. Tamaius de Salazar fol. 286. hunc citat pro nostra sententia, nescio quo fundamento. Hæc sunt omnia quæ reperire potui de isto Auctore. De quo solùm affirmare possum Auctorem à nullo Scriptore de materia Cōceptionis, neque ex ipsismet Aduersariis citari, Tractatum nunquam fuisse typis mandatū, manuscriptum à nullo alio fuisse visum, nisi à relato Antonio Senensi; Senēsem plura dixisse à veritate aliena, vt in hac Triturationc, & in Ventilatione passim demonstratur, & ex his discurrere potest Lector, & iudicare pro finali sententia.

Num. XXXIX. *Ann. 1530.*

ARNADVS à Bellouisu Barchinonenſis, Ordinis Prædicatorū inter alia ann. 1530. *edidit* TRACTATVM *de Cōceptione B. Virginis.* Ita Alph. Fer-

Fernand. Placent. in Concert. inter Scriptores Hiſpanos, fol. 323. Ab hoc tranſcripſit Hyppol. Marrac. in ſua Biblioth. fol. 143. Placentinus ad marginem allegat Fran. Diagum. Sed hic in Hiſtor. Prouinc. Aragoniæ lib. 2. cap. 31. fol. 141. appellat iſtum Arnaldum de Beluis. Et ſic diſſentiunt aliquomodo in nomine, & non parum in cognomine. Et hæc eſt tota notitia, quæ habetur de hoc Auctore in omni Nomenclatura Eccleſia, ſed ex ſequentibus ſuppoſitionibus circa Auctorem, & Tractatum plenam indagabimus veritatem.

Primò ergo ſuppondum eſt: quod in Religione Prædicatorum fuit quidã nominatiſsimus Scriptor appellatus Armandus de Bellouiſu, Italus Bononienſis, ac Magiſter ſacri Palatii, de quo agit ipſemet Placentinus in eadem Concertatione inter Scriptores Italos fol. 328. Et etiam omnes Nomenclatores tam Dominicani, quam exteri, quia eius opera ſunt communia præcipuè Collationum in Pſalmos, & aliud de terminis Theologicis, &c. de quo etiam nos in Ventilatione num. 30. Et ſic de iſto Auctore nulla poteſt eſſe dubitatio. Secundò ſupponendum: quod de tẽpore quo iſte floruerit, magna eſt diſſentio inter Nomenclatores, nam Dominicani vnanimiter affirmãt vixiſſe ad ann. 1296. Sed hoc ex multiplici parte videtur impoſsibile, quia tunc non erant Magiſtri ſacri Palatii Fratres Prædicatores, vel ſi erant non Armandus de Bellouiſu, ſed Guillielmus de Petro Godiuo ab anno 1264. vſque 1303. vt dicit Mich. Pius. Item quia in ipſo libro collationum Armandi ad finem dicitur: *Expliciunt ſermones compoſiti per F. Armandum de Bellouiſu, Ordin. Prædic. ac ſacræ Theologiæ Magiſtrum, actu legentem ordinariè in ſacro Palatio Apoſtolico in ciuitate Auinionenſi: vbi tempore Patris, ac SS. D. N. D. Ioannis Dei gratia Papæ XXII. Sancta Romana curia tenebatur, quos in præfata ciuitate, & curia compilauit, &c.* Cum ergo Ioannes XXII. aſſumptus fuerit anno 1316. & deceſſerit anno 1334. non videtur recta calculatio illa de anno 1296. Item Auber. Myræus in ſua Bibliot. par. 2. fol. 5. dicit vixiſſe anno 1496. Tertio ſuppono: quod non conſtat de natione, ac patria huius Armandi, nam aliqui dicũt fuiſſe Italum Bononienſem, alii verò Hiſpanum Barchinonẽſem, accipe verba Mich. Pii par. 2. lib. 1. col. 108. *F. Armando Beluiſo, ò da Beluedere Bologneſe, ſecondo la maggior parte de i Scritori (ſe bene alcuni lo fanno Spagnolo, & Aragoneſe) Maeſtro en Theologia, &c.* Quartò ſuppono: quod de hoc nullus hactenus dixit ſcripſiſſe Tractatum de Conceptione. Quintò ſuppono: quod Bernardinus de Buſtis in Ser. 4. de Concep. par. 3. fol. 45. referendo alios, qui ſcripſerunt pro immaculata Conceptione, inquit: *Armanus in eleganti Tractatu Conceptionis Virginalis, qui incipit: ſapientia ædificauit ſibi domum, &c.* Et idem affirmat Marrac. in Bibliot. fol. 142.

Ex his, ſecundùm veritatem ſuppoſitis dico: Frãciſcum Diagum primum præſentis Auctoris adductorem, & ex illo Alph. Fernand. Placentinum, ex omnibus iſtis partibus aliquotis, & ſparſis per Nomenclatores, feciſſe quoddã compoſitum continuum, & ex Armando, vel Armano paucis mutatis litteris finxerunt Arnadum, vel Arnaldum, ex Bellouiſu, Belbis, & ex patria

Bo-

Bononienſi, Barchinonenſi, ac denique cum illum viderent apud Buſtum cũ ſuo pulchro Tractatu Conceptionis nullius eſſe Diœceſis, ipſum reduxerunt ad Dominicanam familiam in Hiſpania. Dicent fortasè, iſtas non eſſe demonſtrationes veritatis, ſed cõiecturas, & diſcurſus iuxta allegata, & probata. Fateor, ſed ſicut ipſi non tenentur mihi credere, ſic nec ego illis, quouſque oſtẽdant, Auctorem, & Tractatum à nullo hucuſque viſum, neque auditum Hiſpano, aut Italo Bononienſe, Barchinonienſe, & poſtquam oſtenderint Tractatum, examinabimus, an ſit pulcher pro nobis, vt dicit Bernardinus de Buſtis, vel an ſit maculatus pro ipſis? quod non affirmat Franciſcus Diagus.

Num. XL. *Ann. 1535.*

BARTHOLOMÆVS Spina, Ordinis Prædicatorum, ac Magiſter ſacri Palatii primò edidit opuſculum, ſeu Tractatum, qui cum aliis eiuſdem Auctoris opuſculis prodiit Venetiis anno 1525. in fol. per partes, & capita ſub hoc titulo: *De* VNIVERSALI *corruptione generis humani, ſeminaliter propagati. Vtrum ſit tenendum ſecundùm* FIDEM, *omnes homines ab Adam ſeminaliter deſcendentes eſſe conceptos in originali peccato? Argumentum* VNICVM *pro negatiua quæſtionis parte:* MVLTIPLEX *autem confirmatio pro affirmatiua, quæſtionem ipſam reddit ſatis ambiguam.* Aſſumptum autem operis ſic proponit: *Quæritur, vtrum ſecundùm* FIDEM CATHOLICAM *firmiter tenendum ſit, omnes homines ab Adam ſeminaliter propagatos, contrahere peccatum originale de* FACTO? *Et videtur quod non: quia multi fideles, ac etiam Religioſi, ac docti viri tenent, B. Virginem eſſe* CONCEPTAM *ſine peccato originali, quam tamen conſtat ab Adam eſſe ſeminaliter propagatam; ergo non repugnat* FIDEI *tenere, quòd omnes homines ab Adam ſeminaliter propagati, contraxerint originale peccatum. In contrarium eſt auctoritas ſacræ* SCRIPTVRÆ; EXPRESSE *enim Apoſtolus ad Romanos 5. quæſtionis huius affirmatiuam partem pronuntiat, dicens: Per vnum hominem, &c.* Hæc Spina in principio; in diſcurſu verò quæſtionis ſuæ, ſiue Tractatus plura dicit pertinentia ad Triturationem; nam alia quàm plura Ventilatione digna dabimus infrà num. 39.

Deinde ſic introducit ſuam 1. part. & finem quæſtionis. *In iſta quæſtione principalis mea intentio eſt impugnare quandam* NOVAM *opinionem, quam licet ſciã, & probare hic intendam eſſe* FALSAM, *& contra* FIDEM *Catholicam; non tamen* AVCTOREM *labe hæreſis, aut peccati mortalis macula pollutum, ob hoc dixerim. Poteſt enim quiſque tenere, quod ſibi* VERVM *eſſe videtur, etiam de pertinentibus ad* FIDEM, *priuſquam per Eccleſiæ determinationem ſibi innoteſcat oppoſitum, &c.* Nota, Lector, antequam vlteriùs progrediamur, quòd Spina præcipuè, ac principaliter non agit in hac ſua quæſtione de controuerſia principali Conceptionis, an, ſcilicet, virgo Maria contraxerit peccatum originale? nam hæc nõ erat ipſi, nec aliis noua opinio, nec vnus erat iſtius Auctor, ſed cuſpidem vertit contra Cayetanum, affirmantem 1. 2. quæſt. 81. art. 1. quòd ſine præiudicio Fidei teneri poterat, quòd non omnes homines ſeminaliter propagati, con-

contrahunt de facto originale peccatum,ſeu actualiter,ſed ſolùm quod ſunt obnoxii, ideſt,ſub debito, & obligatione habendi illud, ex vi, & modo ſuæ generationis;iſtam vocat opinionem nouam,quaſi Scotus hoc antè non docuiſſet. Pergit igitur Spina ſic: *Poſt hæc autem ſoluetur illud,quod in fronte quæſtionis pro parte* FALSA *proponitur. Poſtremo quaſdam ſacræ Scripturæ, ſanctorumque Doctorum ſententias,& auctoritates,quas in ſui defenſionem adducunt aduerſarii,manifeſtabimus,ſi non* FALSARIVM *allegantem accuſent, aut contra mentem exponantur Auctoris. Sexto,* DETERMINATÆ VERITATIS *teſtes inducẽtur* SANCTI DOCTORES EX MVLTITVDINE COPIOSA *tantum* VIGINTI, *ſingulas tantum ſingulorum ex* PLVRIBVS *ſententias proponendo,* VERITATEM *hanc* PROTESTANTES, *& quia ſpecialiter* MINORITANI *contrarium noſtræ concluſionis principalis deffendere conantur, vt ad* VERITATEM FIDEI *facilius* DEDVCANTVR *ex* MVLTITVDINE *copioſa ſuorum Patrum, atque Doctorum* VERITATEM *hanc, quam defendimus,profitentium,* SEPTEM *primarios adducemus in teſtes,ſimul,ac oſtendentes,non eis in hoc* CONTRARIA *Scotum ſentire,ſi mens eius in verbis inſpiciatur,&c.* Iam inſpicis Lector, quomodo Spina damnat falſificantes auctoritates Doctorum, ſed quis hoc fecerit,iam veritatis Sol demonſtrare incipit.Ipſe conatur reducere Minores ad fidei vetatem,ſed nos Prædicatores non ad fidem,ſed ſolùm ad fidelitatem, & veritatem. Deinde agit latè Spina de peccati originalis natura,effectibus, ac remedio,per totam primam partem, & in cap. 13. quod vltimum eſt, tandem cõcludit, affirmando,quòd à ſe dicta,ſunt de intentione,ac mente Sanctorũ Doctorum,& ad calcem ſubiungit: *Ex his omnibus cuique patere poteſt, quod prædictis concluſionibus,in ſacris litteris* APERTE *contentis,& à ſanctis Doctoribus prædicatis, Nullus poteſt contraria ſentire,vel dogmatizare,abſque præiudicio* VERITATIS CATHOLICÆ FIDEI, *vt patet conſequenter* VERITAS *affirmatiuæ partis quæſtionis propoſitæ,&c.*

In par. 2. proponit Caietani opinionẽ latè,quam Spina nititur,impugnare auctoritatibus deſumptis ex S. Thoma,& S. Aguſtino: deinde pergit ad 3. partem,& in quatuor primis capitibus impugnat Caietanum, & Scotũ. In quinto,& aliis oſtendere nititur, redemptionem à Chriſto perfectam nõ præſeruatiuam, ſed ſubleuatiuam eſſe,ſecundùm fidem Catholicam ex Sanctorum auctoritatibus. Quartam,autem partem ſic incipit: *Omnes homines de facto contraxiſſe peccatum originale, præter Chriſtum,probatur per* DETERMINATIONES *Eccleſiæ in ſacris Conciliis.* De his vide infrà in Ventilatione num. 229. Sed notet Lector,quod Spina in hac 4. par. c. 4. fol. 70. col. 4. fatetur ſe alium librum edidiſſe de Conceptione,dum iuuenis eſſet,dicẽs: *Ad hoc ipſum propoſitum in alio noſtro* LIBELLO,*dum iuuenis eſſem edito,mentio fit per ſingulas accuratius,&c.* Cùm autem libellus iſte non compareat typis mandatus, exiſtimò inſertum fuiſſe in libro Turrecrematæ impreſſo ab ipſo Bartholomæo de Spina,& Alberto Duimio, de quo numero XLII. denique cap. 9. habet ſequentem titulum: *Quod* OMNES SANCTI DOCTORES *Eccleſiæ affirmatiuam propoſitæ quæſtionis partem tenent,&c. Et in hoc dicitur: Non ſolùm autẽ præ-*

di-

dicti ſancti Doctores Eccleſiæ VERITATEM *huius principalis concluſionis affirmãt, & approbant, ſed* VNIVERSALITER *ſanctorum Doctorum hoc eſſe* COMMVNE *placitum, quod ſecundùm* FIDEM *ſit tenendum,* OMNES *homines, præter ſolùm Chriſtum primorum parentum maculam incurriſſe, & quod* NVLLVS, *inquam, inter* DOCTORES *ſanctos inuentus eſt, qui contrarium* AVSVS *fuerit prædicare, &c.* Vide obſecro, Lector, reliqua huius auctoritatis verba, & quomodo hoc cõprobet Spina, in Ventilatione num. 44. auctoritate 11. Quinta pars tota eſt, circa impugnationẽ Conſtitutionis Sixti IV. *Graue nimis*, de qua aliqua trãſcribimus in Ventilatione præallegato num. 39. deinde cap. 11. agit, & ſoluit argumenta de propoſitionibus vniuerſalibus, ibique affirmat, quod aliquæ propoſitiones vniuerſales ſacræ Scripturæ diſtribui debent ſecũdam diſtributionem accomodam, vt eſt illa: Thim. 2. Deus vult omnes homines ſaluos fieri, & illa: ad Philip. 2. Omnes quærũt quæ ſua ſunt, & addit, quod ſi Scripturæ, multo magis propoſitiones vniuerſales aliorum Doctorum debẽt modificari, ſed quod illa: Omnes in Adam peccauerunt, & ſimiles loquentes de peccato originali, debent verificari, ſecundùm abſolutam accomodationẽ, ſeu diſtributionem vniuerſalem per omnes, nullo excepto, at nullam aſſignat rationem, quare iſtæ non admittãt exceptionem, ſicut illæ. Deinde, cap. 13. inſurgit contra dicentes, ſanctos Doctores in concluſione peccati originalis locutos fuiſſe per exceſſum, ſed audi quibus verbis: *Iam nunc vno ictu* OMNIVM *Doctorum auctoritas* OMNIS *exploſa eſt,* OMNIS *eorum doctrina confuſa,* OMNIS *in ſacras Scripturas declaratio eorũ* OBTENEBRATA. *Nonne datur ex hoc vnicuique præſumptuoſo licentia, ſingula quæ Sancti docent, refutare, ſubſanare, dicendo non ſolum, quod per exceſſum locuti ſunt, verum etiam quod errarunt? Datur audacia, qua iam Auctor libri* PESSIME *de Armonia Mundi, vtitur conuitiis, etiam Sanctos inſequendi, & eoſdem vt ſciolos irridendi. Datur denique amplia licentia in Sanctos omnes debachãdi calumniis execrabilibus; quia iam quidam virorum omnium* SCELESTISSIMI, *tam prædicatores, quam ſcriptores publici non confunduntur dicere, Sanctos Doctores antiquos, in hoc quod dixerunt, B. Virginem eſſe conceptam in peccato originali, ſimiles fuiſſe* NEFANDISSIMIS *illis ſenibus, qui Suſannam pudiciſsimam de adulterio condemnarunt. Miror, quod terra non aperiatur, & hos viuos non abſorbeat* IMMVNDISSIMOS *viros, nè fætor tam grauiſsimi eorum ſceleris mundũ corrumpat, ſed abſorbebit eos infernus, ſicut abſorbuit patres eorum Auctores* CALVMNIARVM, *niſi pæniteant, & ſatisfaciant miſeri, &c.* Et poſtquam de hoc plura dixerat, cõcludit Spina: *Taceant ergo de cætero* MISERRIMI *iſti viri tales* PESSIMAS *calumnias,* FALSITATVM, FICTIONVM, *&* IRREVERENTIÆ *in Sanctiſsimos Doctores inurere. Potuit Ioannes Chryſoſtomus ſuaſus verborum apparientia, exiſtimare B. Virginem aliquid humanum paſſam, excuſsit, vt nunc piè credit tota Mater Eccleſia, &c. Auguſtinum autem dicit Bonauentura per exceſſum locutũ, dum docet, pueros ſine Baptiſmo decedentes ſempiterno ſupplicio puniẽdos, &c.* Hoc modo inſurgit Spina contra prædicatores, & ſcriptores dicentes, Sanctos Patres locutos fuiſſe per exceſſum, in materia Conceptionis Virgineæ, ſed vbi ſunt illi prædicatores, & ſcriptores? Quare non adduxit aliquem? Fateor in

rei

rei veritate, quod nullum vidi, nec legi, & sic existimo hanc esse impostura & fictionem Spinæ. Sed dato, quod hoc diceret aliquis; tumet hoc ipsum affirmas de S. Ioanne Chrysostomo, atque S. Augustino, & ego poteram alia tibi propinquiora adducere exempla. Illud autem de senioribus Susannæ dictum fuit, & adhuc dicitur non de sanctis Patribus, sed de adulterantibus ipsorum auctoritates, & falsa testimonia in medium adducentibus, & cognoscemus eos infrà in Ventilatione.

Capit. verò 19. sic inquit: *Plura sunt alia argumenta, quæ sic etiam indirectè possent afferri contra determinatam* VERITATEM, *sed ideò prætermittenda, nunc censeo, quia iam* PLENISSIME EVACVATA *suppono in editis super hoc libris, & quæstionibus, tam à Domino Ioanne de Turrecremata, quàm à Ioanne Capreolo, & Bandello, &c. Tenendum est enim, quod fideles non cum obstinatione teneant, aut defendant oppositum eius, quod ostendimus esse tenendum secundùm* FIDEM, *&c.* Et adducit aliquas auctoritates S. Augustini ex lib. 2. de Baptismo paruulorum, ex quibus conatur probare S. Augustinum formaliter, & expressè tenuisse Virginem Mariam fuisse conceptam in peccato originali, sed de ipsis in Ventilatione. Et cap. 20. inquit: *Quia verò ponendo B. Virginem ab originali peccato præseruatam, videtur expressè sequi oppositum conclusionis, quàm probabimus esse* CATHOLICAM, *& de necessitate* FIDEI *tanquam vnum de* PRINCIPALIBVS *eius fundamentis, absque* VLLA *dubitatione credendum. Hortatos vellem omnes, præcipuè prædicatores, ne sub excusationis velamine, quasi venerentur B. Virginem, agnitam tantæ necessitatis* VERITATEM *impugnent. Aduertant pro sua* SALVTE *tale paccatum esse grauissimum, vtpotè directè contra Doctorem* VERITATVM *omnium, Spiritum Sanctum, quod neque in hoc sæculo, neque in futuro, secundùm Domini sententiam meretur* REMISSIONEM. *Caueant insuper pro sua salute, ne proximos suos* VERITATIS DEFENSORES *infamando quasi hostes Beatissimæ Matris Dei, reddant populis exosos, vt dum moliuntur Virginem gloriosam* FALSIS *laudibus exaltare, quæ* VERIS *super omnes puros homines, qui etiam super Angelos sublimantur, se ipsos in barathrum* DAMNATIONIS *immergant, &c. Quid enim illis proderit excitare populum contra* SERVOS *Dei* FIDEI*que Catholicæ* INVICTISSIMOS *pugiles, quid populi fauorem conquerere* LACTE, *&* LANA, *quæ principaliter ex hoc exquirunt pro votis abundare, quando animam suam, ob hoc ipsum odium in fratres suos perdiderint in æternum vna cum corpore, &c. Quinnimò plurim (quibus profundiùs compatieddum est) de hoc ipso gaudent, neque aliud per has suas* SCELEROSAS *assertiones moliri, vel obtinere satagunt, nisi contra* SERVOS *Dei sic populum excitare, vt si possibile esset, priuarentur, & vita, &c.* Nota quanta congerit contra pauperes Fratres Minores. In part. 6. adducit Doctores, & auctoritates ipsorum. Et in part. 7. inquit: *Multæ interpretationes sacrarum Scripturarum, in fauorem* FALSITATIS *inductæ reprobatur, &c.* Et infr. cap. 3. *Pari modo nulla cuiusuis sancti Doctoris illorum positio firmatur auctoritate, quamuis plures inducant Aduersarii, omnes enim deficiunt, eo quòd quædam non concludant propositum, quædam sunt* CORRVPTÆ, *& non nullæ*

CONFICTÆ, *&c.* Videbimus Patres, an vestræ cõcludant, vel sint corruptæ, & confictæ in Capitul. 6. sic scribit: *Auctoritates etiam adducunt, vel* SVSPECTAS, *vel nihilominus non sibi fauentes, vel certò certiùs* FALSO *Sanctis adscriptas.* Et cap. 7. sic CORRVPTAS *auctoritates (vt à nullo* DOLO *sint immunes) inducunt.* Vult autem probare, nostras auctoritates à nullo dolo esse immunes, corruptione & fictione, ex sequentibus (vt ipse dicit) demonstrationibus; quia auctoritas, & liber S. Dominici non inuenitur. Liber S. Anselmi de Exordio humanæ salutis, & ad Episcopos Angliæ Epistola, non redolẽt eius stylum, de altero textu S. Ildefonsi, inquit Spina: *Nullis ergo, quãdo nata est, delictis subiacuit, nec originale peccatum in vtero sanctificata cõtraxit. Hæc ille, secundùm* FALSARIORVM *allegationem, sed non secundùm verum originale, in quo sic habetur: Nec originale peccatum, in vtero sanctificata, nascendo contraxit, &c.* En adulteratio, quia prætermissum est illud: *nascendo.* Alteram adducit sic: *Aliam inducunt sententiam S. Cyrilli sic dicentis, secundùm eos. Post filium temerarium est, ponere in Maria Virgine aliquam culpam, vel peccatum. Sed in Opusculis, & Epistolis S. Cyrilli, diligenter decursis, ista sententia nullibi inuenitur.* Tertiam adducit ex S. Augustino, dicens: *Sic enim eum adducunt in libro de 5. Hæresibus, loquentem in persona Christi contra Manichæum hæreticum: Si potuit inquinari mater mea, cum eã facerem, potuit inquinari cum ex ea nascerer. Hæc ibi secundum eorum* PERVERSAM *allegationem, &c. At Augustini sententia non corrupta sic intonat: Si potui inquinari, cũ eam facerem, potui iuquinari cum ex ea nascerer. Hæc Augustinus.* Propter has quinque corruptiones vocat nos Spina semel & iterum, ac quater & millies falsarios, peruesos, at non signat in quo libro ex nostris, sint illæ corruptiones textus S. Ildefonsi, ac S. Augustini. Cum ergo hæc sint omnia vitia, falsitates, ac corruptiones, quæ in nostris Auctoribus, ac auctoritatibus inuenerũt Aduersarii, & ipsorum doctissimus ille Magister sacri Palatii Spina.

Notet, Lector, quod quando hæc scripsit Spina, solùm erant duo libri typis mandati ex Minoritis, pro mysterio Immaculatæ Conceptionis: vnus Ludouici à Turri de Verona, qui scripsit contra Anonymum, & fol. 61. col. 1. meminit auctoritatis S. Dominici, & ibidẽ col. 2. illius S. Cyrilli, sed non adducit illas Augustini, Anselmi, nec S. Ildefonsi. Secũdus liber fuit Antonii de Cucharo Episcopi Azernensis, & in hoc extant omnes, sicut etiam in officio Bernar. de Bustis, & Nogarolis, sed nota quo fundamento adductæ fuerint? De S. Dominici libro, & auctoritate in ipso cõtenta pro Immaculata Conceptione Virginis, loquutur quinquaginta septem Auctores diuersi, inter quos sunt duodecim Breuiaria & Officia Diuina antiqua, non ergo sunt, nec possunt dici falsarii, qui referunt sententiam, & Auctoritatẽ adductam à quinquaginta septem Doctoribus Catholicis, ac veridicis de hoc demonstrationem inuenis mathematicam infrà, in Ventilatione num. 307. S. Anselmi liber & Epistola, à quampluribus etiam Dominicanis citatur, & adducitur (Et verba illorum extant etiam in multis Breuiariis antiquis) vt propria opera S. Anselmi, ita vt sint ferè triginta Auctores antiqui, hoc affirmantes, vide Bibarium, nostram, *Bibliothecam Virginalem*, atque *Armamen-*

ta-

tarium, nec non ſupra allegatam *Militiam*. Non ergo eſt, nec poteſt dici falſarius, qui allegat librum receptum à triginta Auctoribus. Illa auctoritas S. Ildefonſi, parcat Spina, quia ipſe fuit corruptor, atque falſarius: nã in originalibus S. Ildefonſi eſt, vt à nobis proponitur, vide ipſam in Ventilatione num. 142. Auctoritas S. Auguſtini in originalibus eſt, vt dicit Spina, ſed vt videas, quod non ex malitia, neque ex ignorantia, ſed ex ſcientia, & veritate proceſsit illa mutatio, audi Spina, Antonium Cucharum, ex quo tu illam tranſcripſiſti, inquit enim fol. 48. col. 3. *Idem Auguſtinus in lib. de 5. hæreſ. cap. 8. Si potuit inquinari Manicheæ mater mea, cum ipſam facerem, potuiſſet ergo inquinari, cum ex ea naſcerer: hæc ille. Aliqui tamen codices habent textũ ſic: Si potuit inquinari, cum eam facerem, potuit inquinari, cum ex illa naſcerer, quorum vtrumlibet, vt dicunt, eſt æqualiter impoſsibile, etſi dicitur, quod textus nõ dicit, ſic reſpõdetur, quod textus verus ſic habet, & ſic Franciſcus de Mayron, etiam illum deducit, Vnde ſi aliter reperietur, eſt corruptus per æmulos virginis, qui ſic malitioſè ſcripſerunt deſtruentes textũ verum.* Verba, vt nunc extant in Auguſtino tom. 6. in orat. de 5. Hæreſibus cap. 5. fol. 9. col. 4. litt. M. ſunt hæc: *Ego Matrem, de qua naſcerer, feci, ego viam meo itineri præparaui, atque mundaui. Hanc, quam tu deſpicis, Manicheæ, mater eſt mea; ſi potui inquinari, cum eam facerem, potui in illa inquinari, cum ex ea naſcerer, &c.* Conſtat ergo, quod mutatio illorum verborum non proceſsit ex ignorantia, nec malitia, ſed ex ſtudio, labore, & fundamento, ac poſt exactam cognitionem: Siquidem omnia notarunt, & ex ipſis elegerunt, quod fortè Frãc. Mayronis (ſtudioſiſsimus Commentator. S. Auguſtini, & præcipuus, qui hucuſque fuit in tota litteratura, ſcripſit enim quam plura opera in Auguſtino) atque Vitalis, Alanus, & Cucharus inuenerunt in diuerſis originalibus, ſed de hoc latè infrà num. lx. Auctoritas Cyrilli non extat in operibus eius, tamen inuenitur in Officio Immaculatæ Conceptionis approbato à Sum. Pontifice Sixto IIII. & in aliis Auctoribus: quomodo ergo in hac cadere potuit fictio? O Spina! Vtinam veſtræ fictiones, adulterationes, deprauationes, & vitia in hac materia haberent tam facilem, ac felicem exitum, ſicut habent noſtræ, & tantum eſſent quinque, vt ſunt à te contra nos adducta, etſi non quinque, ſaltem quingenta, vel quinque millia, & non triginta tria millia enumerata ex toto rigore miſericordiæ, nam calculata ſecũdum rigorem iuſtitiæ ſunt centum viginti ſex millia, & amplius.

Nota inſuper, Lector, hæc vltima Spinæ verba contra nos prolata. *Adhuc quatuor inducunt ex Sanctis Doctoribus in ſui fauorem, ex quo vel maximè detegitur eorum malitia,* PVNIENDAque NEQVITIA *grauiſsima. Nam vel Sanctis* ADSCRIBVNT, *quod non à Sancto prolatum eſt,* ÆQVIVOCANTES *in nomine, vel certè Sanctorum auctoritates verborum ſubſtractione, ſic* PERVERTVNT, *vt ſenſum contrarium proferant ei, quem integrè promunt: quo* SCELERE *grauiùs non commiſſerunt antiqui* HÆRETICI, *quinnimo non dico maculam, vel* INFAMIAM, *verum etiam minimam huiuſcemodi ſuſpicionis notam incurrere* FALSARII *abhorrebant. Iam enim tales cum quibus ſermo, vel diſputatio eſſet*

habendâ, quâsi qui grauissima ex hoc ipso pœna merito DIGNI *forent, se cognouissent esse* CONFVSOS, *&c.* Vtinam, ò Spina consiliũ hoc tibi sumeres, & tuis dares, finxistis sanctos, & vniuersos superastis in falsitatibus.

Secundus tractatus editus à Barth. Spina fuit cõtra opusculum Caietani de Conceptione Virginis Mariæ, impressus Venetiis, ann. 1533. & incipit. *Post octauum ab editione, &c.* Vbi plura dicit cõtra suum Caietanũ, quia scripserat in suo tractatu, non esse de fide Virginem contraxisse de facto maculã peccati originalis, & quod sufficiebat ad redemptionem perfectã noxia, debitũ, reatus, seu obligatio. Et relictis omnibus ab Spina in hoc suo tractatu adductis, sic concludit: *Impugnationes etiam optimas, quas Caietanus affert, vt eis impugnet* PERVERSISSIMAS *Glossas, imò &* CORRVPTIONES *àb aduersariis ad dicta* SANCTORVM *inductas, si pariter applicauit ad expugnandas easdẽ Glossas, prout eis aduersarii* VERITATIS *corrumpunt* SACRAS LITTERAS, VERITATEM *in proposito depromentes, iam videre poterit, per easdem* LITTERAS SACRAS *conuinci B. Virginem non ex debito, vel ex suæ originis modo dumtaxat obnoxiam, imò* MORTVAM *fuisse peccato, & ob hoc esse per Christum* VERE *redemptam, saluatam, reconciliatam, sed de facto potiùs, vt cæteros propriè contraxisse peccatum originale, &c. Videtur autem Caietanum, ex modo loquendi suo, in hoc aduersariis cedere, vbi* TVRPISSIME, *periculosèque currunt, vt Glossas prædictas, imò* CORRVPTIONES (*vti sæpè cum dolore diximus*) DESTRVTIONES*que sacrarum* SCRIPTVRARVM *prævalere consentiat, si ad sacras litteras, & ad vniuersales Sanctorum sententias applicentur, quàm tamen ipse* (*in hoc* ALIQVALITER *sapiens*) *contradicta Sanctorum* SPECIALITER *B. Virginem nominantium,* FVTILES *recognoscit, & probat. Hoc auxilium ab eo, dum in hac materia* PERPERAM *scripsit, assecuti sunt* VERITATIS *etiam à se quoad principalem conclusionem cognitæ defensores, tàm antiqui, quàm moderni Patres, & Doctores sui Ordinis. Sed vtinam in hoc articulo solo viris Sapientibus esset* INFESTVS. *Non tantum gloriabuntur magis aduersarii se* DEVICISE, *quin etiam in partes transisse Gigantem, quàm* NOS *illum vna cum eis, iam olim* PROPALASSE *deuictum. Glossas enim illas, & alias plures in* PERVERSITATE *non dissimiles, quas aduersarii, quasi proposito suo fauentes inducunt esse* GRAVISSIMAS *diuinarum* SCRIPTVRARVM CORRVPTIOMES *olim Rss. Cardinalis D. Ioannes de Turrecremata, Ordinis Prædicatorum, & Rd. Bandellus in suis operibus* DEMONSTRARVNT, *quos & ipse pro viribus imitari curaui in opusculis nostris, &c.* Alia huiusmodi dicit in cap. 15. & vltimo illius opusculi. Eniterum, sicut in Caietano, etiam in Spina redunt fontes, à quibus omnes biberunt in hac materia dicta, & scripta, scilicet, Turrecremata, & Bandellus, à quibus ignis in Spina exarsit. Qui suum Tractatũ cõcludit sic: *Ecce igitur fundamenta contrariæ positionis. Ex hac autem ipsa* PERVERSITATE *probabilitas affertur maxima* VERITATI *determinatæ, etiam si nulla pro ea foret ratio, vel auctoritas.* Statim videbimus Spina, in quibus fuerit peruersitas, & alia, quæ hic contra nos accumulas.

Num. XLI. *Ann. 1536.*

CHRYSOSTOMVS Iauellus Canapicius de Caſali, Ordinis Prædicatorum, qui floruit ad annum 1536. Inter alia opera excuſſa Lugduni ann. 1580. duobus voluminibus, & Venetiis an. 1577. in tribus. In hoc ergo Tom. 3. fol. 147. inter alia opuſculata, vnicã excitauit quæſtionem reſolutiſsimam, atque quodlibetalem de Conceptione B. Mariæ Virginis, quæ incipit: *Circa hoc dubiũ ſic procedam, &c.* In qua multa proponit Iauellus ſecundùm ſcientiam, & veritatem dicta. Suſtinet tamen ſuorum opinionẽ, & pro illius probatione ſit inquit: *Secundo probatur principaliter eadem concluſio: Illud eſt tenendum eſſe factũ B. Virgini, quod dictis* SANCTORVM *magis conſonat, & hæc conceditur ab Scoto, ſed ipſam eſſe* CONCEPTAM IN PECCATO ORIGINALI *magis conſonat dictis* SANCTORVM; *ergo, &c.* Et adducit aliquos Sanctos, ſcilicet, Auguſtinum, Anſelmum, Chryſoſtomum, & Clementem Papam, ſequendo in omnibus veſtigia Bandelli: ſuamque concluſionẽ ſic concludit: *Non enim implicat contradictionem, Deum potuiſſe B. Virginẽ præſeruare à peccato originali, ſed an de facto B. Virgo contraxerit peccatũ originale, vel ne, hoc eſt quod in quæſtionem vertitur, Nullũ enim viatorem hoc certitudinaliter ſcire tenemus, niſi cui Deus reuelauerit, de quibus nullam certitudinem habemus, ita ſtare opportet determinationi Eccleſiæ, & dictis ſacræ Scripturæ, & Sanctorum Doctorum* SACRA SCRIPTVRA *verò, &* OMNES DOCTORES *inter* CATHOLICOS *celeberrimi in omni facultate (& præſertim quatuor principales ab Eccleſia approbati vt Euangeliũ, quando ſimul in ſententia conueniunt)* TENENT *Beatam Virginem fuiſſe* CONCEPTAM IN PECCATO ORIGINALI, *& per ſanctificationem poſteà, antequã nata emũdata. Tenere ergo oppoſitum* PERTINACITER, *valde* PERICVLOSVM *eſſe, quod iudicamus, &c.* MAGIS *congruum eſt Chriſtianæ* PIETATI, *&* VNITATI, *Chriſti redẽptioni, nec non & honori Virginis, tenere ipſam fuiſſe Conceptam in peccato originali, & poſteà per ſanctificationem emundatam, quam oppoſitã: fuiſſe tamen ab originali peccato præſeruatam, vel ne, non derogat B. Virgini, nam habuit ipſa omnem plenitudinem gratiarum. Amen.* Hoc modo concludit Iabellus ſuam quæſtionem: non ergo ſecundum vos habuit Maria omnem plenitudinem gratiarum, ſi in hac ſuæ Conceptionis, non dicitis etiam. Amen.

In his ſolùm Triturare debemus illud: *Et omnes Doctores inter Catholicos celeberrimi, &c.* Vbi abſolutè adſtruit Iabellus, quod pro ſua opinione ſtãt omnes Doctores Catholici: hoc ergo deſideramus verificare in noſtra Ventilatione: nam hic ſolum in rei veritate affirmare poſſum, quod à tempore quo ſcripſit Iabellus ſuam opinionem, ſecuti ſunt *Omnes ſectarii inter non Catholicos deteſtabiliores.* Vt Ioan. Caluinus, in Antidoto cõtra Concilium Tridentinum vt videbimus num. xliiii. ſimiliter impius Ioan. Pomerianus, primus Lutheri diſcipulus, in cap. 1. Hieremiæ, & ipſemet Lutherus, & Eraſmus, ſed iſti duo fuerũt inconſtantes. Tilemanus Heſſucius, Agricola Turatius in ſuis Satyricis petitionibus fol. 83. Martinus Kemnitius in Examine Concilii Tridẽtini

fol. 190. Mathias Illyricus Centuriator. Iacobus Sanckius in Euangelio de Christi Conceptione, atque Guillielmus Rosingus in oratione contra Scholas Iesuitarum, Dauid Parcus Heildeburgensis fol. 56. Dauid Caillet Gallus, Michael Badius in propositione 69. Franciscus Gomara Leydensis, Innocentius Gentillet in Telonio, contra Concilium Tridentinũ impres. Gallicæ 1586. in 8. Hieronymus Vvelter, & blasphemus Sarcerius in Postill. Annunt. lib. 1. cap. 12. fol. 121. Vvitak apud Grauinã tom. 1. fol. 452. Denique omnes Centuriatores moderni Cent. 18. cap. 4. & Cent. 9. cap. 16. De his, & aliis similibus (qui nec sunt Doctores, nec Catholici, nec celeberrimi, sed pessimi, ac detestandi Hæretici Antidicomarianitæ, legite Bellarminum tom. 4. disput. 4. cap. 15. Valentiam tom. 4. disp. 2. quæst. 1. punct. 2. col. 360. Claudium Dausquium in lib. de B. Virginis Maria de Aspricolis, scutum 78. & fol. 146. Salmeronem tom. 13. disp. 49. fol. 457. Iodocum Rapenstein in Apologia, seu defensione Concilii Tridentini fol. 156. Andr. Coppensteinum in Claui Rosarii, Rutilium Benzonium super Magnificat. Iodocum Coccinum in Thesaur. tom. 1. lib. 3. artic. 1. fol. 263. Adanum Conzen in lib. Crudelitas, & idolum, &c. fol. 85. Costerum in Apologia par. 2. fol. 215. Ambros. Catharinum opus. 2. Persuas. 17. lib. 3. fol. 69.

Num. XLII. *Ann.* 1547.

ALBERTVS Duimius de Catharo, Ordinis Prædicatorum, Sacræ Theologiæ Lector, atque secundùm Marietam, & Michaelem Pium posteà Episcopus, edere curauit librum Ioannis de Turrecremata, vt constat ex eius Epistola præliminari, cuius titulus est: *Frater Albertus Duimius de Catharo, Ordinis Prædicatorum, Sacræ Theologiæ Professor, & in Sapientia Vrbis Romæ, diuinæ speculationis interpres sinceræ* VERITATIS *amatoribus*. Incipitque Epistola: *Admirandam humanæ rationis altitudinem, &c.* In qua postquam plura proposuit de audacissima curiositate humana, temerarioque ipsius iudicio in scrutandis, quæ nec oculus vidit, neque in corde hominis ascendit, & quomodo obruta tenebris, labitur erroribus, mendaciis, atque hæresibus, de quo plura congerit: sic introducit suum assumptum: *Est autem præ cæteris*, id est, erroribus, vel hæresibus, *à Sacris litteris admodum* ALIENA, *& Christi* EVANGELIO *dissona humana quædam* INVENTIO, *nostro infelici æuo ita* ERRATA, *vt posthabitis Sacræ Scripturæ* CLARISSIMIS *testimoniis,* SPRETIS *etiam Ecclesiæ, Sanctorumque Patrum, veterumque Ecclesiæ Doctorum* SALVTARIBVS *monitis, & doctrinis, cuiusdam* VANÆ *deuotionis prætextu, Sanctissimam Dei Genitricem Virginem, cæli Reginam, Angelorum, atque hominum Dominam, propriis quibusdam* ADINVENTIS *laudibus celebrare cupiens, eam non fuisse Adæ peccato obnoxiam, ac perindè Christi sanguinis pretio non indiguisse,* INEPTIVS *dogmatizare præsumpserit, vt hinc liceret aliquibus (qui sacris* ABVTI *consueuere) liberius* VORARE *domos viduarum,* SEDVCERE *que corda simplicium, longa oratione orantibus, existimantibusque* QVÆSTVM *esse pietatem.*

Quo-

Quorum AVDACIAM,*&c.* Ex hoc principio, ac verbis directis contra Patres Concilii Tridentini,& Fratres Minores,poteſt colligere Lector, qualis futurus ſit finis Auctoris,ac libri: adductis igitur aliquibus Patribus pro ſua opinione, ſcilicet, Bernardo, Thoma, & Bonauentura ſic proſequitur: *Inter alios autem,qui ex ſacro Prædicatorum Ordine (Patrum imitari veſtigia) huic ſe militiæ deuouerunt Rss. olim ſacri Apoſtolici Palacii Magiſter, ac poſtea (ſic exigentibus virtutum meritis) S. R. E. Cardinalis, Epiſcopus Portuen. D. Ioannes de Turrecremata Hiſpanus, iuſſu,& mandato Sedis Apoſtolicæ præſenti* RELATIONE *ſcripta diſſeruit. Opus quidem ita* SINCERVM,*& Chriſtianæ pietati conueniens, vt nuſquam, vel humanæ* INVENTIONIS *tenebra, vel propriæ opinionis affectus appareat, ſed vndique Euangelicæ* VERITATIS *candor ſplendere videatur. Opus inquam ſummè neceſſarium, ſed hactenus rariſsimum,& id quidem Scriptorum inſcitia innumeris mendis reſperſum, fædatumque neglectui penitus habebatur. Quietior namque erat omnium noſtrum mens,& animis,& huiuſmodi quæſtionum oblitis, neceſſariora fidei dogmata tueri animo inſederat,& temporum opportunitas exigebat. Sed* IMMODERATIOR *quorundam* AVDACIA, *dum apud doctos,& verè Theologos* MINORIS *ſe exiſtimationis aduertunt, vulgarem debiliumque mentium auram, iam diu* SEPVLTIS *nouitatibus affectantes, in* TRIDENTINA *Synodo de huiuſmodi conceptus immunitate verbum facere verita non eſt. Quo factum eſt, vt Rss. P. F. Bartholomæus Spina, Ord. Præd. Sac. Theol. Profeſſor,& Sac. Apoſt. Palatii Magiſter* ZELO FIDEI *accenſus, opus hoc erroribus expurgari, typiſque excuſſum, in publicum prodire* MAGNO *labore curaret,&c.* Ex his patet quomodo opus hoc prodiit propter Concilium Tridentinum, & quòd Spina de hoc magno labore curauit. Et interim nota Lector illud: *Iam diu ſepultis nouitatibus*, ex parte noſtra hoc verum erat, ſed vide quomodo ex parte Aduerſariorum erant ſepultæ nouitates. Dum medium ſilentium tenerent hæc omnia dc Conceptionis materia, circa annum 1390. ex arrupto ſurrexerunt Ioannes Thomas, qui ſcripſit tractatum pro ſua opinione, cuius principium erat. *Maledictu dies in qua natus ſum*, & Ioannes de Monteſono, ſcribens Reſumptam Veſpertinam pro eadem opinione, contra quos ſcripſerunt poſteà Ioannes Vitalis,& Alanus, deinde Ioannes de Montenigro,& Ioannes de Turrecremata ſcripſerunt in Concilio Baſilienſi, pro his duobus ſcripſit vnus, & non Minorita, ſed Canonicus Toletanus Ioannes Contreras de Segouia, nec opus eius hucuſque vidit lucem, & ſentiens veſtras reduplicatas inſtantias factas in eodem Concilio, quidam Simon Cancellarius Pariſienſis *ſcripſit pro parte pia, reſpondens ad argumenta aduerſariorum*, inquit Ludouicus de Pruſia illius temporis ſcriptor. in Trilogio animæ part. 1. cap. 8. litter. F. Sed tranſeat hoc. Poſteà ſcripſerunt, ex aduerſariis Petrus de Vincentia, & Anonymus,& ex his excitatus fuit vnus ex noſtris Ludouicus à Turri de Verona, tranſeat etiam hoc. Deinde ſcripſit Bandellus tres libros diuerſos,& hi excitarunt Minoritam Antonium Cucharum,& hoc tranſeat ſimiliter. Denique ſcripſerunt, ex veſtris Didacus Deza, Albertus Caſtellanus, Thomas de Vio, Bartholomæus Spina,& iterum pro Concilio Tridentino, prodiit rediuiuus

diuiuus Turrecremata,& cum ipso Albertus Duimius , quando nullus inuenitur Ordinis Minorum Scriptor: ergo semper , & vbique vos excitastis sepultas nouitates. Do vobis testem Thomam Vvasinghamum , natione Anglum, professione Benedictinum , in Historia Anglicana,ad ann. 1389. fol. 339. sic dicentem : Per idem tempus in Francia Fratres Prædicatores antiquam suam opinionem reassumentes de conceptu B. Virginis , & prædicantes illam fuisse in originali peccato conceptam in tantam efferati sunt superbiam , vt Episcopis illis indicentibus huius rei silentium noluerint obedire. Postremo nec Regi,& Proceribus id iubentibus parere volebant. Quipropter extra protectionem regiam facti sunt,& inhibiti circuire, per patrias more solito , ne fortè vulgus commune ducerent in eiusdem erroris deuium,& seducerent innocentes. Iussi sunt,& iam intra propria habitacula cohiberi : de labore manuum suarum intra sua viuere , egredi nunquam præsumere,sub pœna capitali: præceptum est eis, ne de cætero quenquam ad ordinem suum admitterent,vel reciperent sub pœna præmissa, sed ipsimet ita facerent,vt post hos,qui modò viuunt,nullus esset, qui eorum ordinem continuaret,&c. &c. &c. de nouitatibus.

Prosequitur Duimius : *Mihi etiam curæ fuit , licet publica Lectura impeditus, &c. Et quæ olim maximis mendis summopere fœdata erant , nunc pristino candori restituta sunt,sed & faciliora redacta. Diuiserat autem Auctor librum* CENTVM *capitibus,quem,vt planior esset,placuit supra nominato Magistro , illum in partes tredecim,&c.* A centum capitibus creuit liber in manibus Spinæ,vsque ad 352. Vndè liber iste non est ille Turrecrematæ , sed tertius alius compositus ex pluribus , ipse solum recollegit centum Auctores , & fortè hæc erant centum illius capita,& sic omnia alia fuerunt addita : vide quæ circa hoc dicimus num. 195. Concludit, ergo Duimius sic: *Christianum Lectorem obtestor,nihil vnquam sapere,nihil quærere,nihilque temerè diffinire, præsumimus , quod non sacrarum litterarum , Ecclesiæ Catholicæ , sanctorumque Patrum auctoritas approbat. Non enim alio tendit ista disparitas,quàm vt hinc sacræ Scripturæ germana* VERITAS, *& Ecclesiæ, Sanctorumque Patrum, & Doctorum approbata doctrina , laudatissima pietas, & vera Religio. Hinc autem quædam* VVLGARIVM *affectata deuotio,sacris litteris, & Doctoribus non admodum* CONSONA, *quinimo (vt quibusdam visum est)* REPVGNANS, *& ab* ANTIQVA *Ecclesiæ cõsuetudine* ALIENA *defendantur,&c. Attente obsecro , pie Lector , & pondera sacrarum litterarum auctoritatem,in sui* SIMPLICITATE, *& iuxta* PATRVM *nostrorum* PIVM *sensum,vbique* SERVARI *debere , nec* ADDAS *quidquam (inquit sapiens) nec* MINVAS *de verbis illius,ne* ARGVARIS, *inueniarisque* MENDAX. Nunc ergo videbimus , quid addiderũt,ac diminuerũt contra Sapientis cõsilium, seu præceptum Fratres , ac Patres tui, vt ad finem,de fine mendacii exeat consequentia vestra,quæ fortè erit argumentum sine fine.

Sed vt clauus clauo trudatur , audite quid de hoc vestro Alberto Duimio vestri Spinæ discipulo,ac de libro vestri Turrecrematæ à se edito. Vester doctissimus Ambrosius Catharinus Politius Episcopus Minorien-

Præ-

Præfatione ad Diſputationem de Immaculata Conceptione, quæ incipit: *Cum ab hinc fere ſexenium, &c.* dicat: Hæc igitur in Synodo cum tractarẽtur, ecce nouus liber, immò vetus à ſitu & carie iam ſemieſus eripitur, qui non multo poſt typis excuſſus in lucem prodiit. Libri eius argumentum erat contra Immaculatam B. Virginis Conceptionem, cuius Auctor inſcribitur Cardinalis de Turrecremata, cùm nondum tamen eſſet Cardinalis, ſed adhuc Frater ſub Ordine Prædicatorum conſtitutus. Editionis autem eius libri promotor F. Bartholomæus Spina eiuſdem Ordinis, & ſacri Palatii Magiſter, & neſcio quis eius diſcipulus. Ille enim Spina eodem diſcipulo teſte, qui Epiſtolam præfatoriam ad eum librum adſcripſit, zelo fidei totus incenſus magno labore librum ab erroribus expurgari, & publicari curauit, quem extrema egritudine præuentus vix perficere valuit, quod totus liber ille ita vitio Scriptoris erat corruptus, vt alicubi minus intelligibilis videretur. Horum igitur, hoc eſt, Spinæ, & Diſcipuli ſumma diligentia, & ſolerti opera tandem eſt candori priſtino reſtitutus: quin etiam tot inſuper (eodem diſcipulo teſte) adiecta, & mutata, vt iam queat homo mediocri prudentia præditus olfacere eum librum, non tam eſſe Turrecrematæ, quàm Spinæ, &c. Mitto quod viri ſapientes per ſe protinus ponderare poterunt, dum, ſcilicet, iſti vltro fateantur multa fuiſſe illi libro ab ipſomet Spina mutata, & adiecta iam à nobis non poſſe certo dignoſci, quid ſit vere genuinum, & proprium primi Auctoris, vt ſic verè tota iſtius libri, quem ita ſuis verbis referſerunt, legitima pereat auctoritas. Nam quis ignorat quantum interſit reſarcire à quo quid vel prolatum, vel litteris mandatum fuerit? Non enim paris ſunt, & eiuſdem fidei, & auctoritatis, quæ illi Turrecremata dixerit, & quæ Spina de ſuo temerè adiecerit, aut ſubſtraxerit, aut immutauerit. Cuius rei clarum omnibus debet eſſe iſtud iudiciũ, quod hic Spina in calce illius libri quinquaginta & octo errores, & eos quidem non quoſlibet, ſed errores in fide ſubnotauit ab hac concluſione exoriẽtes, videlicet: B. Virginem, abſque originali peccato conceptam. Quo in loco pium, & prudentem Lectorem dare mihi vehementer exopto, qui ab hoc ſolo pronuntiato agnoſcat, quam facilè hic vir, verè Spina, potuerit, quidquid libuerit, pronuntiare, cum quinquagies & octies hæreticos nos, qui eã ſententiam ſequimur, deprehenderit. Hæc ſanctiſsimi Patres ſcribuntur, hæc publicantur, & mordicus à quibuſdam defenduntur: & tamen non ſecus, ac ſi nullius momenti eſſent tolerantur. Non huc afferam probra illa, & contumelias, & quas ille dignus tali Magiſtro diſcipulus aduerſus Patres Sacroſanctæ Synodi in ea Epiſtola arrogantiſsime (ne quid duriùs dicam) congeſsit. Arguit enim eos immoderatoris audaciæ, ac petulantis inſitiæ, vt qui cùm ſe noſcerent, apud doctos Theologos minoris eſſe æſtimationis, iſtis nouitatibus captarint auram popularium, atque ideo non veriti, non ſint facere verbum hac de re. Quis autem ſibi vnquam perſuadi potuiſſet fore, vt generale Concilium in tantum, ac tam ſeuerum cenſorem eſſet aliquando incurſurum, &c. Sperabam enim, & adhuc ſperare non deſii ventu-

ra

ra gloria virginis feliciora tempora, quando iſtis rabulis ſublata erit tanta arrogantia, & præſumptio, quàm coram Deo, & Angelis eius iam fætere non dubito. Et hi ſunt qui aliorum verum zelum mordacitatem appellare non verentur, cùm ſint ipſi imperetiſsimè mordaciſsimi. Quicunque enim eam legerit Epiſtolam, non iam Epiſtolam, ſed cenſuram grauem, atque irrefragabilem ſententiam agnoſcet. Iſte namq; Spinæ diſcipulus, ac repente orbis Magiſter contra vniuerſum Chriſtianiſmum, id eſt, contra cunctas Chriſtiani orbis Eccleſias, & iam contra cunctos Ordines Regulares, qui ſub hoc nomine immaculatæ Conceptionis illum feſtiuum diem ſolemniter celebrant, & contra præclariſsimas Vniuerſitates, quæ hanc Virginis prerogatiuam commendarunt, atque probarunt; iſte, inquam Magiſter, & Spinæ diſcipulus, idem teſtis, & iudex, & tanquam ſedens non in Petri Cathedra (ſiquidem de Petri Catedræ decretis auſus eſt iudicare) ſed gradum ſuperiorem conſcendens, ſecurus pronuntiat auctoritate, declarat illud quod colendum Romana in primis, & vniuerſa iã olim ſuſcepit Eccleſia, & quod eſt ab Vniuerſitatibus celeberrimis comendatum, & à populis Catholicis generaliter creditum, eſſe præ cæteris (vt eius verbis vtar) alienum admodum à ſacris litteris, diſſonum ab Euangelio Chriſti, & humanum commẽtum, vanam inſuper deuotionem, & Chriſtiana religione indignam, imò etiam impietatem, vtpotè contra clariſsima ſacræ Scripturæ teſtimonia. Hæc, & alia huiuſmodi plena opprobriis in ea Epiſtola leguntur, quæ vt aliquo fundamento viderentur conſiſtere, & apud ignaros aliquam ſibi fidem captarent, Spinæ ſui Magiſtri doctrina imbutus magno, horribili, atq; impudentiſsimo mendacio, hoc primum iactat, nos in hoc à nobis aſſerto tantæ virginis priuilegio æqualem Chriſto facere Matrem. Quis modo nõ videat hunc miſerabilem hominem ſemetipſum, hoc ſuo indicio prodiſſe, talemque ſe exibuiſſe, qui iure merito valeat cum his annumerari, quibus appoſitiſsimè illa nota deſignat Apoſtolus: Non intelligentes quæ loquuntur, neque de quibus affirmant, &c. Hæc Chatharinus.

Num. XLIII. *Ann. 1563.*

MELCHIOR Canus, Ordinis Prædicatorum, & Epiſcopus Canarienſis, in illo ſuo celebri libro de locis Theologicis, impreſs. Salmanticæ, anno 1563. in fol. Coloniæ 1605. in 8. Ingolſtadii, & alibi lib. 7. cap. 1. num. 3. fol. 243. loquens de Auctoritatibus Sanctorum ſic inquit: SANCTI *namque* OMNES, *qui in eius rei mentionem incidere* VNO ORE *aſſeuerauerunt, Beatam Virginem* IN ORIGINALI PECCATO CONCEPTAM. *Hoc videlicet Ambroſius, &c.* Et ſic enumerat vſque ad 19. Patres Eccleſiæ, & concludit. *Et cum* NVLLVS SANCTORVM *contra venerit. Infirmum tamen ex omnium auctoritate argumentum ducitur, quin potius contraria ſententia, & probabiliter, & piè in Eccleſia deffenditur, &c.* Videbimus in noſtra Ventilatione, num. 217. illud: *Omnes Sancti*, &: *Vno ore*, & quod ex omnibus à ſe citatis

tatis Sanctis, ſolus vnus remanet: quia repentè ventus vehemens irruit ſuper eos.

Num. XLIV. *Ann. 1569.*

THOMAS Elyſius, Ordinis Prædicatorum in libro de Chriſtianę Religionis arcanis, impreſ. Venetiis, anno 1569. in 4. ſic inquit. *Aliqui verò non ſequentes doctrinam* COMMVNEM DOCTORVM *Eccleſiæ, aſſerunt, id quod dictũ eſt de vniuerſalitate moriendi, eſſe verũ ſecundùm legem communem, ſecundùm quam ita debuiſet eſſe, tamen per gratiam ſpecialẽ, & de particulari priuilegio, B. Virgo fuit ab iſta generalitate præſeruata, Hi profecto* BONVM *dicunt, ſed non* BENE, *quia nihil* PROBANT; *erubeſcimus autem cum ſine* RATIONE *loquimur, nam tale priuilegium* NEMO *vidit, nec hoc authenticè reperitur, neque in Euãgeliis, neque in ſacris litteris, quod certè non caret* ADMIRATIONE, *cum id ſit res magni momenti, & memoratu digniſsima: nam ſi hoc appareret authenticum, ceſſarent multæ quæſtiones; nam ſtante hoc, ſequeretur Chriſtum non fuiſſe vniuerſalem Redemptorem, quia non omnes homines redemiſſet, quia redemptio præſupponit culpam, à qua quis redemptus eſſet. Hi verò conantur honorare B. Virginem, & non* ADVERTVNT, *quod inhonorant filium, facientes puram creaturam* ÆQVALEM *Chriſto in Conceptione, qui conceptus eſt de Spiritu Sancto, &c.* Et tandem concludit: *Si vis videre quæſtionem iſtam* DIFFVSISSIME, *cum rationibus in oppoſitum, & ſolutiones ad argumenta, vide 2. librũ Notandorum, & Quodlibetum noſtrum. Nunc hæc pro tanto dicta ſint, &c.* Libros iſtos ab Elyſio citatos inuenire non potuimus; ideò ſuprapoſsita Triturando, dicimus, ad illud: *Non aduertunt, quod inhonorant filium, facientes puram creaturam æqualem Chriſto in Conceptione.* Quod inaduertentia extat in ipſo, vel in ipſis; quia nos non facimus æqualem Virginem Mariam in ſua Conceptione, Chriſto Domino. Videte ergo pro nunc noſtras in æqualitates: Nam primo Maria Concepta fuit ex viro, & fœmina, naturali ordine, ex ſeminum commixtione, non ſic Chriſtus Dominus. Secundò, Maria fuit concepta cum concupiſcentia, libidine, carnis delectatione, &c. (Secundùm ſententiam multorum) non ſic Chriſtus. Tertiò, Maria fuit concepta ex matre corrupta, Chriſtus autem ex Virgine intacta, & puriſsima. Quartò, Maria non fuit in eodem inſtanti genita, & animata: Chriſtus verò ſic. Quintò, Maria habuit peccatum originale radicaliter, ſeu in cauſa, debitum, & obligationem contrahendi illud: Chriſtus autem ab omnibus his exemptus, ac immunis fuit per naturam. Sextò, Maria in ſua Conceptione indiguit gratia præſeruante: Chriſtus non. Septimò, Maria ex vi ſuæ generationis habuit reatum in Adam, fuit decimata in Abraham, ſecundùm ius commune: Chriſtus minimè. Octauo, Maria non à ſe ipſa habuit iuſtitiam originalem, vel gratiam præuenientem, ſed ab alio, ſcilicet, miſericordia Diuina: Chriſtus verò, à ſe ipſo, propria, innata, ac connaturali iuſtitia. Nono, Maria fuit redempta, ex præuiſis meritis paſsionis Filii; at Chriſtus, non ex meritis ſuæ paſsionis, neque fuit redemptus, ſed Redemptor. Decimò, Maria non fuit concepta ex Spiritu Sancto ſuperueniente: Chriſtus verò ſic.

Vn-

Vndecimo ab instanti suæ Conceptionis fuit beatus, videns in Verbo omnia, ac solùm ex dispensatione Mysterii viator, subiectus miseriis, ac pœnalitatibus: Maria non sic. Duodecimo, Christus ab illo Conceptionis instanti, fuit omnipotens, Deus, æternus, infinitus, habens omnia, quæ ex his sequuntur: Maria verò fuit à sua Conceptione pura creatura, nullipotens ex se, &c. Denique si vis scire latius in quantis differant Conceptio Christi, & Mariæ, lege eruditos libros Italicè scriptos R. P. Aloysi Nouarini, Clerici Regularis, de vita Iesu in vtero Virginis Mariæ, & alterum de vita Mariæ in vtero S. Annæ. Vbi ergo est Elysie, hæc æqualitas Conceptionis Christi, & Mariæ? Tandem ex hac prærogatiua, seu antecedenti: Maria est corpore, & anima in cœlo, sicut Christus Dominus, nullus Doctor Catholicus deducet vestram æqualitatis consequentiam; quia vna fuit Ascensio, altera Assumptio distinguite etiam sic vos Conceptionem, & non excogitetis æqualitatem in principio, quando illam non admittitis adhuc in fine.

Ad illud, quod dicit: *Nam tale* PRIVILEGIVM *nemo vidit, nec hoc* AVTHENTICE *reperitur, neque in Euangelus, neque in sacris litteris, quod certè non caret admiratione: cum id sit res magni momenti, & memoratu dignissima; nam si hoc appareret* AVTHENTICVM, *cessarēt multæ quæstiones.* Si sciret. Lector, quod hoc idem ferè habet pessimus ille hæresiarcha, Ioannes Caluinus in suo Antidoto contra Concilium Tridentinum, vt refert Ioannes Andreas Coppēstein, Ordinis Prædicatorum, in opere de Institutione Rosarii lib. 1. capit. 12. fol. 129. scribens sic ille iniquus fidei apostata: *De speciali Virginis Mariæ priuilegio cum cœleste Diplomata protulerint, credemus, quod iactant, &c.* & Auctor ille Cursus Salmant. qui quæst. 81. dub. 6. num. 248. de Ioann. Kemnitio, protulit: *Audax sanè imò stultum Hæretici pronuntiatum, &c.* Quid diceret si eadem numero verba legisset in tribus Auctoribus Dominicanis? Nolo tam detestandi asserti, inquirere originem, & principium; quia vel Hæresiarcha Caluinus hoc transcripsit à Catholico Elysio, vt oppugnaret Ecclesiam Christi sponsam, vel Catholicus ab Hæresiarcha, vt macularet Verbi Diuini Matrem? Sed vobis dicitur quærentibus priuilegium authenticum, cœleste, ex Euangeliis, sacris litteris, ac patribus, quod dabimus, ac demonstrabimus ex omni parte priuilegium, vel priuilegia authentica. Ex Euangelio sit illud: *Liber generationis Iesu Christi, &c. Mariæ, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus.* Ex eo enim quod fuit Mater Dei, eodemmet priuilegio fuit Mater purissima, Mater castissima, Mater inuiolata, incontaminata immaculata, atque sine vllo peccato. Cœleste verò est illud: *Missus est Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ, &c. Et nomen Virginis Maria, & ingressus Angelus ad eam, dixit: Aue gratia plena, Dominus tecum, Benedicta tu in mulieribus.* Hoc Diploma fuit cœleste, & à Deo missum, & cum in ipso legatur: *Gratia plena*, indiffinite, absolutè, ac simpliciter exprimitur authenticè Mariam fuisse gratia plenam, pro omni statu, tempore, atque instanti; si enim fuit benedicta in mulieribus, vel inter mulieres, vt dicitur infrà: à primo instanti suæ animationis fuit mulier, & inter mulieres benedicta, & gratia plena.

Quis

Quis enim dubitabit, aut dicere audebit, quòd hac inſtãtanea caruerit gratia, quãdo gratia plena prædicatur ex Priuilegio cœleſti à Deo miſſo, & ab Angelo allato? Et ſi volueris aliud, vide Expoſitionẽ noſtrã litteralẽ, ſuper Canticũ, Magnificat. Ex ſacris litteris erit illud: *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.* Vel illud: *Ipſa conteret caput tuum*: Ex Sanctis Patribus, accipite pro nunc Bernardum, de verbis Apocalypſis, col. 264. littera L dicentem: *Quid ergo ſydereum micat in generatione Mariæ? Planè, quod ex Regibus orta, quod ex ſemine Abrahæ, quod generoſa ex ſtirpe Dauid. Si id parum videtur, addè quod generationi illi ob ſingulare* PRIVILEGIVM *ſanctitatis diuinitus noſcitur eſſe conceſſa, &c.* En Priuilegium generationis, ortus, ſeminis, ſtirpis, atque ſingularis ſanctitatis Mariæ. Et ſi inſtaret aliquis, quòd in his non exprimitur claris, ac expreſsis verbis, quod fuerit concepta abſque peccato originali. Dicimus, quòd ex his Priuilegiis dicitis vos, & veſtri vno ore fatentur, fuiſſe Mariam ſanctificatam in vtero citò poſt animationem: cum tamen nec hoc exprimatur in ipſis clarè, ac diſtinctè. Ex ipſis dicitis etiam, & fatetur Eccleſia, Mariam nullum commiſsiſſe mortale, nec veniale peccatum, & neque hoc exprimitur in prædictis Priuilegiis: ac denique ex eiſdem fatentur omnes, Virginem fuiſſe aſſumptam in Cœlum corpore, & anima. Continetur ne hoc, in relatis Priuilegiis expreſsè, & clarè? Denique Seraphinus Capponi à Porrecta in Summa Theologiæ impreſſa Venetiis 1588. q. 100. art. 2. n. 493. in Append. fol. 115. ſic inquit: *Notatio: D. Thomas Priuilegium ſpeciale duplex, vnum per remotionem à peccato, alterum per adhæſionem bono tribuit B. Virgini Matri. Primum ponitur 3. p. quæſt. 57. art. 4. Alterum in hac quæſt. 100. art. 2. Per primum ponitur, quod ipſa, nec mortaliter, nec etiam venialiter vnquam peccauit. Per ſecundũ autem, quod erat cõfirmata in iuſtitia, & gratia, &c. Beata Virgo ex ſpeciali priuilegio in vita præſenti fuit confirmata in gratia, & conſequenter, quod nec etiam peccare venialiter potuit. Quis priuilegium tantum non admiretur, & priuilegio illi de præſeruatione ab originali non præponat. Quantò admodum dignius eſt confirmari in gratia, quam præſeruari à miſeria? Magis ergo, & valdè magis B. Virginem S. Doctor deuotè laudauit, confirmatam illam in gratia adhuc mortalem fuiſſe dicendo: quàm ſi ab actu contrahendi originale dixiſſet, &c.* Vbi Magnus Thomas inuenit hæc duo maxima priuilegia; Minor Scotus innenit hoc minimum præſeruationis.

At aliud verò P. Elyſii: *Hi verò conantur honorare B. Virginem, & non aduertunt, quod inhonorant Filium*: Dico, ergo vos dicendo Virginem Mariam contraxiſſe maculam, & peccatum originale, fuiſſeque ſub diaboli poteſtate, ſicut cæteri homines, honoratis Matrem, & eius Filium? Ergo Ioannes Caluinus, & Ioannes Pomerianus deteſtandi hæretici, dum vobiſcum fatentur, Virginem contraxiſſe maculam originalem, conantur honorare Matrem, & Filium? Ergo reliqui Hæretici Thilemanus, Agricola, Kemnitius, Matthias Illyricus, Dauid Parcus, Franciſcus Gomara, Caluiniſta Leydenſis, & alii num. XLI. relati, dum vobiſcum aſſeuerant, Sacratiſsimam Deiparam contraxiſſe originale peccatum, voluerunt honorare

Matrem, ac Filium? Tandem, quando dixit Mart. Lutherus: nullum feſtum magis odi, quàm feſtum Corporis Chriſti, & Conceptionis Virginis: voluit ne vobiſcum honorare Filium, ac Matrem? O Elyſie, Elyſie, tu dicis de nobis; quod *bonum* dicimus, ſed non benè, ſed tu nec *bonum* dicis, nec benè.

Num. XLV. *Ann.* 1580.

PAVLVS Gryſaldus, Peruſinus, Ordinis Prædicatorum, & Lector Theologiæ abſolutiſsimus, de quo dicit Michael Pius, part. 2. libr. 4. fol. 379. vixiſſe vſque ad annum 1609. Placentinus, fol. 410. ipſum collocat ad annum 1582. ſcripſit hic ſub hoc titulo: *Deciſiones Fidei Catholicæ, & Apoſtolicæ, ex ſacrarum Scripturarum, Beatiſsimorum Romanorum Pontificum dyplomatum, ſacrorum Conciliorum fontibus, ac Sanctorum Geſtis deductæ, & in vno Alphabetico ordine collectæ, nunc ſecundò in lucem editæ, ac integritati reſtitutæ. Auctore Reuerend. Patre Fratre Paulo Gryſaldo, Peruſino, Ordinis Prædicatorum, Philoſophiæ, ac Sacræ Theologiæ Lectoris abſolutiſsimi. Quibus Infidelium, Paganorum, ac Mahumetanæ ſectæ errores, Iudæorum perfidia, & hæreſes, quæ ab orbe condito, in Chriſti Eccleſiam ſunt graſſatæ, confutantur, atque à falſis impoſturis inimicorum Eccleſiæ Fides vendicatur, ac propugnatur. Proteſtantium Centuriatorum, atque Hæreticorum omnium Argumenta diluduntur. His adiecimus breuem Hiſtoriam Romanorum Pontificum, Conciliorum, Doctorum, qui contra Hæreſos ſcripſerunt: ac Hæreticorum, & Idolatrarum nomina iuxta ordinem Alphabeti Chriſtianis omnibus, cuiuſcumque ſectæ perſonis, ſummoperè neceſſariæ, &c.* Sub hoc ergo magnifico titulo parturiunt montes, &c. Et natus eſt liber ſub hac maiori inſcriptione. Liber impreſſ. Venetiis, apud Iuntas, anno 1587. in 4. in quo fol. 247. à tergo, verbo: Maria, numer. 7. inquit: *Quod verò non ſit* ERROR *affirmare, Beatiſsimam Dei Matrem contraxiſſe Adæ peccatum, ex ſacris* PATRIBVS, *&* SCHOLASTICIS *comprobo, &c.* Et incipiendo à Summis Pontificibus, per diuerſas claſſes ordine Alphabetico diſpoſitas, adducit Patres, Doctores, Theologos, ac Canoniſtas, pro ſua relata opinione de Sanctificatione ſic. In primò refert Pontifices. In ſecundò, Patres Eccleſiæ. In tertiò, Theologos Neothericos. In quartò, Patres Ciſtercienſes. In quintò, Prædicatores. In ſextò, Minores. In ſeptimò, Eremitas Auguſtinianos. In octauò, Carmelitas. In nonò, Doctores Canoniſtas. Auctoritates verò non adducit niſi vnam, vel alteram, & ad finem ſui ampliſsimi Cathalogi, in quo adducit 237. Auctores, habet hæc verba: HIS *ergo* TANTORVM DOCTORVM *teſtimoniis* DEMONSTRATVR, *illam*, id eſt, Virginem Mariam in ſua Conceptione, *originale peccatum contraxiſſe, imò Bartholomæus Spinæus Doctor præſtantiſsimus, & Sacri Palatii Magiſter, in Quæſtione propria de hac reprobat alte-*

alteram opinionem eorum, qui dicunt eam non contraxiſſe, eſſe HÆRETICAM, *& hanc noſtram tanquam de* FIDE *ſequendam.* Hæc, atque alia huiuſmodi habet Paulus Gryſaldus abſolutiſsimus Theologus, in illo ſuo abſolutiſsimo libro de Deciſionibus Fidei Catholicæ, &c. Sed eius abſolutiſsimæ fictiones, in illo Alphabeto de Conceptione demonſtrantur paſsim in Ventilatione. Poſſum enim dicere, & affirmare in rei veritate, ac ſacerdotis verbo, quòd in tota litteratura Eccleſiaſtica nunquam vidi, nec legi librum adeò inſulſum, nec ita à propoſito themate, ac veritate diſtantem: magna enim à ſe promiſſa, nec digito quidem mouet.

Num. XLVI. *Ann.* 1585.

HIERONYMVS Theutonicus, Ordinis Prædicatorum, de quo mentionem facit Placentinus in Concert. fol. 374. ſumpta notitia ab Anton. Poſſeuino fol. 756. in Compendio Summæ Theologiæ S. Thomæ, impreſſo Venetiis, ann. 1585. in 8. ſub recognitione R. P. Hyppoliti Helmani Veneti eiuſdem Ordinis (ſed nota quòd iſte non fuit annus vitæ Auctoris, ſed reimpreſsionis libri, nam Auctor fuit ex antiquioribus, licet de tempore determinato non conſtet) fol. 268. quærens, vtrum B. Virgo fuerit ſanctificata in vtero, ponit hanc concluſionem. *Beata Virgo ante animationem intelligi non poteſt ſanctificata, vnde nec ſecundùm B. Thomam ab originali peccato eſt* PRESERVATA. Neſcio quid dicam de his vltimis verbis, quia videntur tantummodo relatiua, non aſſertiua, & cum nullus ex Aduerſariis illum adducat pro ſua opinione, ſub expreſſo nomine Hieronymi, licet alios quam plures referant Theutonicos, nec ego audeo determinare cuius fuerit ſententiæ: deſeruiet tamen ad oſtendendum, quod veritatem deſideramus, dum nihil intactum magnum, vel parũ relinquimus.

Num. XLVII. *Ann.* 1589.

MATHIAS Aquarius, Ordinis Prædicatorum, in Annotationibus ſuper quatuor libros Sententiarum Ioannis Capreoli lib. impreſs. Venetiis, anno 1589. in fol. in 3. ſent. diſt. 3. fol. 3. ſic inquit: *Pro huius rei intelligentia ponitur talis concluſio:* MATER *Chriſti fuit concepta in peccato originali.* Nota, quòd non dicit Maria, ſed Mater Chriſti, vt characterem diaboli figeret in ipſamet maternitate, quæ excellentior, ſublimiorque eſt Virginis gratia, & gloria, & à qua cuncta alia priuilegia emanarunt; vt ſic à primo fonte inciperet macula, & in relatione ad Dei Filium, infectio, & ſicut dicunt Sancti: *Et quando Maria non Mater?* ipſi aderent: Et quando Maria non infecta peccato originali? Rident Aduerſarii, imò aliqui blaſphemant de noſtra ſimplici ignorantia, quando dicimus illud: Non fuit decens Matri Dei habere fœditatem, maculam, & culpam originalis peccati: Quia non erat, inquiunt, Mater Dei, quando contraxit originale. Sed nos non

debemus ridere, ſed plorare, & ingemiſcere de ſua profundiſsima ſapientia, quando (vt vides) ore pleno dicunt: *Mater Chriſti fuit concepta in peccato originali*, vt ab ipſis maculetur, erat Mater Chriſti, & vt à nobis præſeruatur à macula, non eſt Chriſti Mater? Poſteà ponit Aquarius aliquas concluſiones, quarum octaua talis eſt: *Opinio S. Thomæ, quòd B. Virgo fuerit mundata à peccato originali, & ſanctificata, eſt* MAGIS *probabilis, & cõſentanea ſacræ* SCRIPTVRÆ, *& dictis* SANCTORVM *Patrum, & regulis* FIDEI *Catholicæ*. Concluſio autẽ nona ſic ſe habet: *Opinio quæ tenet Beatiſsimam genitricem Dei Virginem Mariam ab omni originali peccati contagio fuiſſe penitus præſeruatam, eſt magis pia, & deuotioni populi accommodata, & humanæ rationi magis conformis*. En concedit Aquarius noſtræ ſententiæ pietatem, deuotionem, & conformitatem humanæ rationi; ergo non videtur diſcurrere, ſecundùm humanam rationem, qui non humana, ſed Angelica ratione comprehendunt, & ſine humano diſcurſu inueniunt ſuam opinionem eſſe *magis* PROBABILEM, *magis conſentaneam ſacræ* SCRIPTVRÆ, *dictis* SANCTORVM, *& regulis* FIDEI? O Angeli comprehenſores, ab humana ratione prorſus abſtracti! Noſtra ratio, pietas, & deuotio opponuntur probabilitati, Scripturæ, Sanctis, ac Fidei? Aut viceuerſa, probabilitas, Scriptura, Sancti, ac Fides repugnant humanæ rationi, pietati, ac deuotioni? Sed quidquid ſit de his illuſionibus, iam pro noſtra ſententia ſtant pietas, deuotio, & humana ratio, nunc videbimus, vtrum pro veſtra ſint probabilitas, Scriptura, Sancti, ac Fides Catholica? Quia fortè ſine probabilitate adduxiſtis Scripturam, & Sanctos ſine fide, nec veritate.

Num. XLVIII. *Ann. 1599.*

LVDOVICVS de Sotomaior Hiſpanus, Ordinis Prædicatorum, inter alia eius opera ſcripſit volumen magnum ſuper Cantica Canticorum, impreſsum Vlyſipone 1599. & poſteà Paraſiis 1605. ſemper in fol. & etiam ad eundem librum Notas poſteriores, & breuiores impreſſ. Pariſis 1612. Sed in hoc nihil habet pro hac materia Conceptionis: in primo verò, fol. 798. col. 2. litter. B. & in alio originali, fol. 951. litter. C. ad illud, Cant. 4. *Tota pulchra es amica mea, &c.* Loquens de Virginis Mariæ ſanctificatione in vtero, poſt alia inquit: *Quapropter in hac parte, id eſt, problemate, ſeu quæſtione de peccato originali, credendum potius eſt noſtris hominibus, præſertim verò* ANTIQVIORIBVS, *&* GRAVIORIBVS *Interpretibus, & Doctoribus, in quibus præſertim eſt D. Auguſtinus, &c. Quibus in locis* APERTE *affirmat, atque oſtendit, tum ex auctoritate Diuinæ Scripturæ, tum ex auctoritate Sanctorum Patrum* SOLVM *Chriſtum Dominum expertem fuiſſe omninò omnis peccati, etiam originalis; ideoque* SOLVM VERE, *ac* PROPRIE *dictum fuiſſe à Paulo, ſimilitudinem carnis peccati* CÆTERI *verò* OMNES *ſine* VLLA *exceptione carnem peccati* VERE, *ac propriè dici, & eſſe, nec proinde originali peccato* OMNINO *caruiſſe, &c.*

Addu-

Adducitque Auguſtinum,& Bernardum pro ſua ſententia,ac cõcludit: IVRE *ergo,ac* MERITO *amplectenda erit in hac parte ſententia, ſeu doctrina D. Thomæ 3. part. quæſt. 27. art. 1. & deinceps, vbi iuxta mentem Auguſtini*, & ALIORVM SANCTORVM *Patrum diſputat de ſanctificatione Mariæ, quamuis ipſe aliàs, cum eſſet iunior,* CONTRARIAM *ſententiam tueri quodammodo* VIDEATVR. *Vt videreeſt in Commentariis eius in lib. 1. Mag. ſent. diſt. 44. artic. 4. ad 4. Item diſt. 27. art. 3. ad 3.* Duo ergo videtur dicere hic Sotomaior, & quod omnes ſancti Patres tenuerunt opinionem ſuam,& quod B. Thomas,quando erat iunior, non fuit locutus iuxta mentem Sanctorum Patrum, ſed vtrumque demonſtrabitur eſſe falſum in Ventilatione. Hic obiter inſurgit Sotomaior contra Petrum Galatinum,Ordinis Minorum,quia in ſuo lib. 7. de Arcanis Catholicæ veritatis, dixerat ex ſententia Rabbinorum Virginem Deigenitricem(ſeu Matrem Meſsiæ;vt Hæbrei loquuntur) vſque adeò fore perfectam, & immaculatam, vt ab omni omnino peccati macula,non ſolùm,ſed originalis etiã debeat carere. *Sed bona venia,* proſequitur, *& gratia dixerim Galatinus interdum plus* NIMIO *religioſus, vel potius* SVPERSTITIOSVS *eſt, & verba Rabbinorũ* VIOLENTER *torquet, &c.* Si eſt reprehenſione dignus,qui in laudem Dei Genitricis retorſit verba Rabbinorum, quid dicemus de illis,qui, vt macularent Dei Matrem, non ſolum *verba*, ſed opera, libros, & auctoritates, non Rabbinorum,ſed Sanctorum, Doctorum, Eccleſiæque Patrum,& Theologorum, Catholicorum, non tantummodo *retorſerunt*, ſed adhuc adulterarunt, vitiarunt, atque penitus finxerunt? Vade,perge,& propera Sol iuſtitiæ, atque veritatis, & excute tenebras, quia ecce dedi te in lucem, &c.

Num. XLIX. *Ann. 1600.*

THOMAS de Lemos, Ordinis Prædicatorum Hiſpanus, de quo apud Nomenclatores ſuæ Religionis nulla extat notitia, ſed de ipſo late agit R. P. Hypol. Marraccius in ſua Bibliotheca, part. 2. fol. 410. & affirmat,vixiſſe tempore Clementis VIII. vſque ad annum 1629. Hic ſcripſit librum pro ſua opinione de ſanctificatione, vt refert ipſemet Marraccius,& conſtat ex quodam opere manuſcripto, exiſtente in noſtra Bibliotheca,cuius initium eſt: *Examinantur, & declarantur, &c.* De quo nihil notamus,quia eius labor nec lucem vidit,nec fortè videbit.

Num. L. *Ann. 1608.*

PETRVS de Herrera Hiſpanus,Ordinis Prædicat. Lector Salmant. ac poſteà Epiſcopus Tudenſis, de quo mentionem honorificam facit Michael Pius lib. 4. p. 2. col. 389. ad an. 1608. ſcripſit lib. integrũ in fol. pro ſua opinione de ſanctificatione Virg. Mariæ poſt cõtractionem peccati originalis,quẽ manuſcriptũ vidi,pulchro charactere,in Biblioth. DD. Frãciſci

Cardinalis Barbarini, Ordinis Minorum Protectoris, & aliud originale extat etiam manuscriptum in Archiuo Conceptionis Matritensis, & aliud dicunt extare in Collegio S. Gregorii Vallesoleti. Huius ergo præcipuus finis, & scopus est probare, suam opinionem esse RATIONABILIOREM, SECVRIOREM, atque VERIOREM, quòd nititur demonstrare ex auctoritatibus Sanctorum, atque Antiquorum Ecclesiæ Patrum, in quibus sequitur vestigia Turrecrematæ, Bandelli, Spinæ, atque Caietani in libr. 4. à cap. 6. ac deinceps & sunt ferè illa, quæ adducit P. F. D. à S. T. de quo infra num. lx. vide ibi.

Num. LI. *Ann. 1617.*

PAVLVS Carraria, de Casali de Monteferrato, Ordinis Prædicatorum edidit librum de litterali, ac mystica Regularum Iuris interpretatione, & VERITATE, impress. Bononiæ anno 1617. in fol. magno, & Tom. 2. Reg. 5. Art. 3. à fol. 188. tractat latè quæstionem de sanctificatione Virginis Mariæ in vtero materno, vbi aliquos adducit Doctores pro sua sententia, licet non ex professo, & punct. 3. num. 11. fol. 198. col. 2. inquit: *Quintum documentum elicitur ex illustrissimo Caietano, opusculo de Conceptione Virginis; ibi enim manifestat, quàm piè Sancta Mater Ecclesia neutrã determinauerit partem, vt vel sic vnusquisque abundet in sua deuotione, & affectione, quia reuera opinio tenentium B. Virginem minimè contraxisse peccatum originale, est valdè, ac valde pia; & ea quæ tenet eam* EFFECTVALITER *contraxisse, est* MAGISTRALIS, *& innixa auctoritatibus sacræ* SCRIPTVRÆ, *quæ* APERTE *nobis demonstrat, quòd omnes in Adam peccauerunt, & mortui sunt: vndè Caietanus loco citato, in tantum ponderat sacræ* SCRIPTVRÆ *verba, vt audeat quasi fateri, quod si Ecclesia pro aliquo tempore exiret in actum, vt vellet determinare hoc quæsitum,* FLECTERET *in hanc* PARTEM, *& hoc supponendo, quod Ecclesia non innititur* NOVIS, *ac priuatis reuelationibus, quare stando iam* FACTIS *Antiquis Patribus, quasi* COGERETVR, *inquit Medina in 3. part. quæst. 27. Artic. 2. ad sic determinandum. Et eo magis, quia, qui huius opinionis sunt, ferè* OMNES *sunt* SANCTI, *quos magis decet imitari, & quorum Doctrinam iam approbauit Ecclesia, &c.* Alia quam plura habet Carraria in illa sua latissima quæstione, sed modestè dicta, & procedendo secundùm rei veritatem. At Triturando proposita verba, videtur Carraria in illis verbis: *Ecclesia non innititur nouis, ac priuatis reuelationibus, quare stando iam factis Antiquis Patribus, &c.* insinuare duo, quòd Antiqui Patres habuerint reuelationem de maculata Conceptione Virginis Mariæ, quod quidem alienissimum est à veritate; quia nulla est talis reuelatio antiquã, vel moderna pro ipsorum sanctificatione: at pro nostra præseruatione, ac immunitate à peccato originali, sunt quam plures nouæ, & veteres, & sic ex hac parte restat clausa prima ianua, vt propositum quæsitum non determinetur in suam partem. Secunda de auctoritatibus sacræ Scripturæ, & dictis illorum, quorum ferè omnes sunt Sancti, cum nostra hac Ventila-

tione,

tione,fortè claudetur in æternum,& obturabitur à veritate,per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Num.LII. *Ann.1620.*

INNOCENTIVS Cibus Ghuiſi, Ordinis Prædicatorum Italus in libro titulato, Diſcurſus Morales ſupra ſeptem Pſalmos Pœnitentiales Tom.2.Impreſs.Venetiis ann.1620.in 4.ad illa verba:Miſer factus ſum,& conturbatus, fol.93. ſic inquit: *Ma pro che hoggi cellebramo la ſollenita della* SANCTIFICATIONE, *ò della* CONCEPTIONE, *che chamarla vogliano della B.Vergine,&c.* Et ſic diſcurrit latè circa peccatũ originale, & Conceptionem,quam dicit eſſe duplicem ſic: *In due maniere adunche ſi puo queſto nome di Concettione intendere, pro che prima alhora dice concepirſi vn fanciullo, quando ſono il Padre è la Madre di lui nell primo atto della ſua generatione: è ſecundariamente alhora ſi dice concepirſe,quando doppo tanti giorni de la prima* CONCEPTIONE, *&c.viene da vna anima nouamente creata da Dio formata è animata,&c.* Victus à veritate poſt tot ſæcula admittit Auctor iſte duplicem Conceptionem, quas omnes ſui prædeceſſores negarũt,affirmantes ſolummodo eſſe Conceptionẽ,ipſam animationem. Item infra loquendo quibus modis poſsit anima præſeruari à macula originali ſignat tres,dicens: *Il primo ſarebbe creata ſe quella anima nouamente da Dio creata foſſe,creata in ſtato di gratia,&c. Il ſecondo modo ſarebbe ſe vn anima eſſendo creata (in puris naturalibus) foſſe vnita à materia altutto munda, purgata,e netta,&c. Il terzo & vltimo modo ſarebbe, ſe eſſendo l' anima creata ſenza gratia,ma ſolamente (in puris naturalibus) ella foſſe vnita ad vna materia che di ſua natura foſſe ſordida è infetta, ma per gratia di Dio foſſe prima ſtata purgata, che in queſto caſſo non contraherebbe machia original, &c.* Si hanc certiſsimam veram, atque receptum doctrinam inter Patres antiquos,& à ſuo Innocentio traditam de prima,& ſecunda Conceptione,& purgatione,ac mundatione materiæ, ſeu ſeminis ante infuſsionem animæ,vellent Aduerſarii cognoſcere,& cognitam amplecti, non tot confuſsiones introducerent in antiquis Patribus, nec ita hærerent Conceptioni, purgationi, ac emundationi. Alia huius Auctoris verba videntur problematica,& ambigua, numquam tamen dicit expreſsè Virginem fuiſſe conceptam in peccato originali.

Num.LIII. *Ann.1622.*

NICOLAVS Riccardius,Ordinis Prædicatorum,& Magiſter ſacri Palatii,dictus,el Monſtruo,ſcripſit de Conceptione Virginis Mariæ Tomum vnum,vt affirmat Marraccius in ſua Biblioth.par.2.fol.78.de quo nihil dico,quia illum non vidi. Scripſit etiam opuſculum de origine controuerſiæ Conceptionis, quod manuſcript. legi Romæ, in Biblioth. DD. Cardinalis Franciſci Barbarini,& fortè iſte eſt de quo Marraccius, ſed non eſt tomus,nec liber;in quo quamplura extant contra veritatem dicta.Item

ſcripſit

ſcripſit ſupplicem libellum, cuius initium eſt: *Non douerſi impor ſilentio eſtendere il Decreto della felice memoria di Paulo V. alle pratiche familiari contro i defenſori di ſingolarita di Chriſto, e che negano l' immunita, e præſeruatione della Beatiſsima Vergine, ſi proua prima, &c.* Et num. 4. hæc habet verba: *Dal che naſcerebbe grauiſſimo incouenient che molti Theologi ſi Religioſi, come ſecolari che leggono negli antichi* PADRI, *e ſcholaſtici (tacciata la ſentenza affirmatiua de vn* ERROR *cõtro la Fede, e ſe bene ſi aſtengono dal pronuntiare queſta cenſura per il comandamento ſoſpenſiuo di S. Chieſa nel graue nimis di Sixto IV. pure* INTRINSECAMENTE *ſono di queſto* PARERE) *veniſero in concetto con queſta prouiſione, che ſe faceſſe* TORTO *à la Fede Catolica; e come che verbum Dei non eſt alligatum, ſi ſintiſſero obligati à far* RESISTENZA, *e prædicar il* CONTRARIO, *e metterſi la* VITA, *penſando con* CONSCIENZA (*ſia erronea, probabile, ò certa*) *eſſer queſto vno de i* CASI *in che ſecondo la pratica del Principe degli Apoſtoli obedire oporteat Deo magis, quàm hominibus, &c.* Et infrà num. 10. iterũ ſic inquit: *Si rapreſenta di piu che pretendeno li defenſori di queſta ſentenza de eſſer ſtati non mediocremente* PVNTI, *nel' Decreto paſſato, & hauendo per bene venerarlo con modeſtia, & obedienza oſſeruato il tuto ſenza querelarſi, nõ appariſce degnò della pieta della Chieſa Romana, che ſi moſtra miſericordioſa, etiã dio nel' caſtigo degli Eretici vſar di tanto rigore cõ Catolici, che penſano eſſer* OBLIGATI *por* VERITA *à deffendere quello che* DIFENDONO, *e ſono* PRONTI *à rendere ragioni, che* CONDENARLI *ſenza giudicarli, con la* STRATAGEMA *di queſta eſtenſione vengono ad eſſer ſoprafatti dagli auuerſarii oppreſsi de potẽti, e remaner* INVTILI *al ſeruitio di S. Chieſa come perſone ſenza* HONORE *por la qual coſa l'* ESEMPIO *de ſuoi* MAGIORI *in tanti ſecoli ſono* PRONTISSIMI *à ſpargere in ſino il* SANGVE, *è dar la* VITA. Ruminare, ò Lector, ex his datis verbis in ſacra Congregatione Eminentiſsimorum Cardinalium S. ac Supremæ Inquiſitionis in nomine totius ſuæ Religionis, quid latebat in cordium occulto vulnere, & animi liuore. In Reſcripto contra Monſtrum ex parte opinionis magis piæ modeſtiſsimo ad hæc vltima verba de ſuorum Magiſtrorum doctrina per tot ſæcula ſolũ ſic dicitur: *Eſſendoci altro modo di conſeruarla, poiche non ſi prohibiſcono gli diſcorſi, & aſſenſi interni, ne anco il legger tanti libri e queſtioni, che trattano di queſta materia egli PP. Dominicani hanno gran cura di conſeruare quelli; che parlano à fauor loro, como quello di Vincenzo Bandello; con tutto che ſia prohibito por la Sixtina, e che ſia in tutto vn fonte de errori e de luoghi falſi de Padri e di loro tenuto come egli lo dice nel' prologo (clypeus perpetuæ deffenſionis) el hanno ſtampato diuerſe volte, hauendolo colui che lo ſtampo nel' 1502. intitulato* RADIVM SANCTVM *di manera che in quello gia gli reſta brocchiero e ſpada da potere entrare en qualcunque conflitto; oltre l' abbreuiatore fra Pietro di Vincenza, il quale abbreuio detto libro, ma non le falſificationi de Padri, onde ambidui falſificarono piu luoghi de Padri cõtro l' Immaculata, &c.* Sicut in hoc libro demonſtrabitur. Ab his etiam ortum habuit epiſtola illa ſuppoſita anno 1617. ſub data 17. Iunii: ſcripta, ex Romana Curia, ſub nomine cuiuſdã Cardinalis cuidã affectiſsimo huius myſterii Prælato Granatenſi, quã hìc tranſcribo ad litterã, quia dimanauit ab eodem principio Decreti Pauli V. vt ex ipſa cognoſcatur etiam, quo motiuo præſentem aſſumpſimus laborem.

Clau-

Clauſula cuiuſdam Epiſtolæ, ex Romana Curia miſſæ; quæ ſiue vera ſit, ſiue ſuppoſita fuerit, magna notatione indiget.

PESADO ſe ha hecho el negocio de la Concepcion de nueſtra Señora, con tres coſas. Vna, con los MVCHOS eſcritos, que por parte de los de ſanto Tomas, y por los de la opinion pia ſe han dado. Otra, con las muchas cartas, y TERCERIAS, que ſe han embiado de eſſos Reynos, de los Obiſpos, y otras GENTES, que han ſido para notar, y NO ATENDER à ellas. Otra, con los libros, que los VVLGARES han ſacado à luz, en defenſa de la opinion pia, y en ATROPELLAMIENTO de lo que Santo Tomas, y los MAS de los SANTOS grauiſsimos, y doctiſsimos tuuieron: ayudados, y fomentados de los Obiſpos, y Prelados de las Igleſias, de cuya POCA madurez, en conſejo, y en gouierno, ſu Santidad, y los iluſtres Monſeñores Cardenales, que han entendido en eſto, han juzgado MVY en ſu DESESTIMACION, por auer venido à manifeſtar, que el PVEBLO con ſu muchedumbre, y aclamacion los ha ſeruido de MAESTRO, y los VVLGARES con ſus libros de DOCTORES, en caſo, que ſin eſpecial facultad, y expreſſo mandato de ſu Santidad, no debian eſcriuir, por las Extrauagantes de Sixto IV. y Pio V. Y porque el fruto, que à eſta ſementera ha reſpondido, es, ver que en gentes, que profeſſan vna miſma Religion aya podido acontecer, que por lo que el pueblo ha aclamado, y los vulgares han eſcrito, aya paſsiones, enemiſtades, y diſcordias entre ellos, que es vna muy graue calamidad. Y aſsi ſu Santidad, y los Cardenales, que han viſto todo lo ſuſodicho, ſon de juyzio, que porque el PVEBLO no ſe haga MAESTRO; y porque los vulgares, con IGNORANCIA, y SOBERVIA, (y mas con ſoberuia que con ignorancia) no pudiendo, como no conuiene, ſean DOCTORES en la DETERMINACION, que con ſus libros quieren, que aya por Fè aſſentada en eſta materia, ſin facultad, ni licencia de ſu Santidad; y porque la LVZ no ſe conuierta en TINIEBLAS, y no aya ocaſion de que ſe conciban muchos, y muy pernicioſos errores, que ſe pueden concebir, y que en alguna manera ya BROTAN, y ſe vàn deſembrando por horas en TRVNCAR, TRASPALAR, y TORCER los dichos de los SANTOS en eſta materia, y porque no deſprecien, ò alomenos, porque no mueſtren preciar poco, y no juzgar bien de lo que los SANTOS han dicho CONTRA la opinion pia que LLAMAN. Su Santidad manda que ſe guarde, y cumpla ſu Breue, y Motuproprio, expedido el año paſſado ſobre eſto, como con efecto ſe manda, &c.

Hæc eſt Epiſtolæ clauſula contra piam opinionem, & ipſius aſſertores, ex cuius verbis, abſque vllo interprete, cognoſcuntur Scriptoris digiti. Vt videat ergo mundus totus, non ad lucem candelabri, ſed ad meridianum Solis ſplendorem, an vera, vel falſa ſint, quæ hic dicuntur de antiquorũ Sãctorum, Eccleſiæ Patrum ſententia in hac Conceptionis materia, prodiit liber iſte, ventilando omnia, & ſingula, quæ hucuſque ipſimet aduerſarii adduxerunt,

xerunt, vt ex ore ſuo prodeat veritatis iudicium. Hoc eſt quod ad meum pertinet inſtitutum; de aliis verò in Epiſtola, & Reſcripto ad ſacram Congregationem contentis iudicent Lectores.

Num. LIV. *Ann. 1630.*

DOMINICVS de Grauina, Ordinis Prædicatorum, Neapolitanus, ſecundùm Hyppol. Marraccium in ſua Bibliotheca fol. 344. edidit opuſculum de Conceptione Virginis Mariæ, quod ad manus noſtras non peruenit, ſed in ſuis libris de Catholicis præſcriptionibus aduerſus omnes veteres, & noſtri temporis hæreticos, impreſſ. Neapoli 1629. aliqua ſparſim inſinuat pro ſua opinione, parum rationi conſentanea, quorum vnum eſt illud, in continuatione 2. part. tom. 4. impreſſ. etiam Neapoli 1639. vbi quæſt. 3. artic. 6. fol. 253. col. 1. Strenuum pugilem myſterii Immaculatæ Conceptionis, venerabilemque Minoritam Amadæum, vocat ASMODÆVM, ac PHANTASTICVM PSEVDO PROPHETAM, ſequens in hoc veſtigia Abrahami Bzouii, etiam Religionis Prædicatorum. Hæc, & alia dixiſtis, & Religio Seraphica non aperuit os ſum, nec aperiet ad conuitia, ſed ſolùm ad veritatem.

Num. LV. *Ann. 1638.*

FRANCISCVS Arauxo, Ordinis Prædicatorum, in Salamantina Academia primæ Cathedræ moderator, & poſteà Epiſcopus Segouienſis, in 1. 2. D. Thomæ quæſt. 81. de cauſa peccati ex parte hominis, lib. impreſſ. Salmanticæ 1638. fol. 417. de nouo inculcat ſententiam Angelici Doctoris, præmiſſa hac proteſtatione. Hic ſe offerebat diſputandi locus, num Beatiſsima Virgo originale peccatum defacto contraxerit, aut ſpetiali priuilegio fuerit ab illo præſeruata? Sed quoniam iuſtis de cauſis ſummorum Pontificum Pauli V. & Gregorii XV. Decretis ab hac diſputatione, & propriæ ſententiæ prolatione, ac publica defenſione prohibemur, propterea teſtor, me in hac parte ex animi deliberatione ab huiuſce quæſtionis diſcuſsione abſtinere, propriumque reticere iudicium, &c. His tamen non obſtantibus ſatis clarè, ac apertè exprimit ſuum iudicium, nam recenſens aliqua loca S. Thomæ ab aliis prætermiſsis, videlicet ex Pſalm. 13. 45. & 50. inquit: *Ecce ex his locis* EXPRESSE, *&* ASSEVERANTER *tenet D. Thomas opinionem negantem Beatiſsimæ Virgini de facto priuilegium præſeruationis à culpa originali, nec dum à debito, &c.* Deinde conatur probare, Angelicum Doctorem non ſolùm fuiſſe loquutum de debito, ſed etiam de actuali culpa, & proſequitur: *Ex quibus liquido patet mens Angelici præceptoris, ita vt* NEMINI *liceat de illa dubitare. Neque negotium aliquod faceſſunt* TRIA *teſtimonia eiuſdem Angelici Doctoris, &c.* Deinde poſt alia ſic inquit: *Vt teſtatur (aliis omiſsis teſtimoniis) Cardinalis Turrecremata de Conſecratione diſt. 4. cap. firmiſsimè, ſic dicens: Beata*

Vir-

virgo FVIT CONCEPTA *in* PECCATO ORIGINALI, *tum quia Auguſtinus, Euſebius, Leo, & Gregorius Papa, & Anſelmus, & Bernardus hoc* EXPRESSE *dicunt; tum etiam, quia* QVAM PLVRIMI, *& fere* OMNES *Doctores, tam in Thologia, quam in iure, quos nos collegimus, vſque ad* CENTENARIVM *numerum, hoc tenent.* En poſt duo integra ſæcula, id eſt, ducentos annos, iterum redit ad theatrum Ioannes de Turrecremata, cum ſuis centum armigeris, ſed iam adeſt tempus, vt cognoſcat mundus, quòd ille deuiauit à veritatis via, & alii ſubſequentes à recto tramite. Multa proponit Arauxo in illa ſua quæſtione, quæ maxima indigebant Trituratione, præcipuè circa ſuum principale quæſitum. Quid, ſcilicet, ſentiret S. Thomas, ſi nunc viueret, tãgam ſolùm aliqua ad noſtrum inſtitutum ſpectantia. In reſponſione ergo ad ſecundum argumentum de paritate feſti Natiuitatis, & Conceptionis dicit, eſſe latum diſcrimen inter vtrumque: *Ratio autem diſcriminis*, proſequitur, *quòd circa feſtum Natiuitatis B. Virginis nunquam in Eccleſia fuit vlla* DVBITATIO, *neque à Summis Pontificibus cautum, vt non inferretur præiudicium opinioni contrariæ, illorum, ſcilicet, qui aut tale feſtum celebrandum, aut B. Virginẽ in Natiuitate ſanctam fuiſſe negarent, quia* NVLLA *vnquam fuit talis* OPINIO *inter fideles, nec dum inter claſsicos* AVCTORES, *&c.* Miror certè, quomodo hæc ſcripſerit homo doctus, & ſcriptor ſcholaſticus Salmanticenſis. Quia nullus fuit antiquus Scholaſticus ex ſuis, neque ex noſtris, qui in 3. ſent. diſt. 3. non diſputauerit ex profeſsò quæſtionem illam; vtrum Virgo Maria fuerit ſanctificata in vtero matris ante ſuam Natiuitatem? Atque pro vna, & altera parte adduxerit rationes, congruentias, & reſponſiones ad argumenta, & hoc didiciſſe poterat ſaltem, ex ſuo Angelico Doctore in 1. ſent. & in 3. par. & etiam ſuo Raynero de Piſis in ſua Panthologia tom. 1. verbo: Incarnatio cap. 5. cuius titulus eſt: *Quod B. Virgo fuit ſanctificata, ante quam ex vtero naſceretur*, fol. 259. col. 1. Item, ex ſuo Petro de Palude, imò ex omnibus Scholaſticis antiquis, nullo dempto, quia inter ipſos fuit non tantum magna, ſed maxima controuerſia de hoc. Quomodo ergo non fuit dubitatio, nec vlla opinio? Quæ enim dicitur dubitatio, vel opinio inter Scholaſticos? Quod affirmare poterat Arauxo, & dicere, erat: illa dubitatio, aut opinio non fuit inter, vel cum Patribus Dominicanis, quia illis interuenientibus, eſſet non ſolùm dubitatio, & opinio, ſed ſcandala, iurgia, & tumultus, &c. Quia difficilius eſſet perſuadere eis ſanctificationem abſolutam, quàm hac præſuppoſita, & iam admiſſa à tota Eccleſia, recipere ſanctificationem illam, pro primo inſtanti: ſi modo pro vno inſtanti, ac momento indiuiſibili fuerunt, & ſunt tot, & tot, &c. Quid eſſet pro ſubſtantia, & nouem menſibus ſanctificationis? Eo maximè, quando omnia, & ſingula, quæ nunc dicunt de Conceptione, in rei veritate poterant allegare, & dicere de Natiuitate in illo tempore.

Item loquendo de Decreto Gregorii XV. edito feria 3. die 24. Maii, anno 1622. in Congregatione generalis Inquiſitionis contra hæreticam prauitatem, quod incipit: *Sanctiſsimus Dominus noſter poſt longam, & maturam diſcuſ-*

cussionem, in quo indicitur vniuersale silentium omnibus, & singulis fidelibus, & vt non audeant in publicis concionibus, lectionibus, conclusionibus, & aliis quibuscumque actibus publicis asserere, quòd Beatissima Virgo fuerit concepta cum peccato originali, &c. quàm cōstitutionem, & pœnas etiam extendit ad priuata colloquia, & scripta, &c. inquit Arauxo: *Ad hoc Decretum addidit Gregorius XV. in sua* SPECIALI *constitutione edita 28. Iunii anni 1622. quæ incipit: Eximii, & singulares* FRVCTVS, *ne etiam in priuatis confabulationibus, ad euitanda* SCANDALA, *quis opinionem asserētem B. Virginem fuisse in originali conceptam, audeat asseuerare, aut defendere. A quo tamen silentio* EXCIPIT *fratres Ordinis Prædicatorum, vt licitè, & liberè possent inter se* DVNTAXAT *de hac materia tractare, & propriam explicare sententiam, &c.* Hæc Arauxo. Sed ò eximia, & nunquam satis admiranda Matris Ecclesiæ prouidentia! ò Summorum Pontificum indita ab Spiritu Sancto, in regendis, ac gubernandis suis fidelibus diuina directio, & assistentia! Omnis Patrum Prædicatorum conatus, voces, & scripta, sunt, vt persuadeant Ecclesię, ac Summo Pōtifici, quòd ab illa regula generali: Omnes in Adam peccauerunt, nec ipsa Virgo Maria fuit exempta, ac priuilegiata. Et quando ipsamet Ecclesia, & Summus Pontifex indicit silentium vniuersale omnibus, & singulis fidelibus, vt nec in priuatis colloquiis possint dicere: Virginem Mariam fuisse conceptam in peccato originali, ab hoc generali Decreto eximit Ordinem Prædicatorum. Quid esse hoc Patres! quare nō aperiuntur oculi nostri cum hac Spiritus Sancti è cœlo delapsa doctrina, & eruditione facta per vnicum organum suum, & in vobis ipsis executioni mandata? Si à regula generali, ac ita vniuersali Decreto, in quo cum nullo alio dispensatum fuit, nec est, vos excepit tantummodo benignè, ac liberalitèr Summus Ecclesiæ Pater, quia potuit, & voluit. Quare adeò tenacitèr Patri æterno denegatis exceptionem ab vno Decreto vniuersali, circa Mariam matrem Filii sui? Saltem quod experti estis in vobis, concedite vestræ Matri, ac omnium Reginæ? Si vobiscum dispensatum est in Decreto illo vniuersali, de peccato originali, & concessum priuilegium speciale, *propter eximios* (notate causam à priori assignatam à Summo Pōtifice) *& singulares fructus quos dilecti filii Ordinis Prædicatorum, in Militanti Ecclesia indies afferunt, &c.* Quid dicetis de fructibus eximiis, ac singularibus in dies allatis à Virgine Maria, non solum in Ecclesia Militanti, sed etiam in Triumphanti? Et præcipuè de illo fructu eximio, singulari, ac singularissimo Verbo Diuino, Redemptore, ac omniū Saluatore, ex eius purissimis visceribus edito? Eia Patres perpendite, quia nulla regula sine exceptione, & quam gratis accepistis vobis duntaxat, gratis date saltem Mariæ dumtaxat.

Ad finem quæstionis adducit Arauxo quandam fabellam disseminatam à suis, circa Officium Immaculatæ Conceptionis petitum à Duce de Alcalà *Catholici Regis Legato*. Inquit Arauxus, *ad pedum osculationem, & obedientiam præstandam Romam misso. Sanctissimus Vrbanus VIII. renuisse fertur, ne* LEVI *saltem hoc* PRÆIVDICIO, *alteram opinionem negantem, contra suorum prædecessorum Decreta*

cretu MACVLARET, *&c.* Non rides, ò Lector, in his verbis? Ride, quia volunt Patres Prædicatores, quòd sua opinio, quia sua, nec à Summo Ecclesiæ Pontifice leui saltem (nota voces) præiudicio maculetur. Quando ipsi non leui, sed maximo, nec præiudicio, sed peccato, non à Summo Ecclesiæ Pontifice, sed à Principe tenebrarum, pro viribus nituntur maculare Dei Matrem. O eximia opinio Dominicana, quæ nec leui præiudicio debet maculari, quando ipsa tota est in maculanda Dei Matre! Hic sunt istæ duæ, opinio, & Maria, illa est Dominicana, & hæc Deipara: opinio maculat Deiparam, & non leui præiudicio, sed maximo, & de hoc curant Dominicani, imò procurant, quòd opinio maculet; & simul, & semel curant, & procurant, quòd opinio sua non maculetur saltem leui præiudicio: Et Quare? Quia opinio est sua Et mater Dei cuias est? Opinio est vestra filia: Maria est mater Dei, & vestra, & omnium. Ex his duabus vna est maculanda: Vos dicitis, quòd mater Dei, sed non vestra opinio: Ergo plus æstimatis, & valet apud vos vestra opinio, quam Dei mater. O bone Deus! parce mihi hoc delirium: Si desiderabas, vt Maria mater tua, nec leui præiudicio macularetur, quare cum maternitate non feciſti, vel vocasti, vel dedisti ei, quod etiam esset opinio Dominicana? Quia sic quod negant, & non faciunt pro Matre tua, efficerent, & concederent pro sua opinione. Ecce vnde ortum habet tota ruina, & tenacitas huius controuersiæ, quia Aduersarii non curant de indaganda veritate, sed solùm de sua opinione non maculanda. Sed ea est Dei prouidentia, quòd in dies magis, ac magis à veritate maculetur.

Num. LVI. *Ann. 1642.*

IVSTINVS Miechouiensis Polonus, Ordinis Prædicatorum, in lib. super Litanias Lauretanas, impress. Luthetiæ Parisiorum anno 1642. in duobus Tomis ad illud: *Mater purissima*, Discurs. 135. postquam plura de puritate Virginis Mariæ in communi, Discurs. 136. fol. 298. inquirit exprofesso quæstionem, an B. Virgo in sua Conceptione fuerit pura à peccato originali? Ad quam plura proponit fundamenta, verè tamen, & doctè dicta; & sese vertit contra quemdam Auctorem, & codicem Coloniæ impressum, sub titulo, Defensionis pro Immaculata Virginis Concept. &c. vocando ipsum obtrectatorem, superbum, conuitiatorem, carpitque eius furorem, & vesaniam, zelum immoderatum, temeritatem, & petulantiam, & alia his similia (sed immeritò hæc dicit contra librum R.P.F. Q. de S. nam modestissimus est) deindè extollit Miechouiensis suam modestiam, ac obseruantiã Constitutionum Apostolicarum, &c. ac num. 13. asserit, quòd vtraque pars huius controuersiæ habet Auctores pios, Catholicos, & doctos, & pro sua Anselmum, Rupertum, Bernardum, Thomam, Bonauẽturam, S. Antonium Patauinum, S. Bernardinum, S. Antoninum, S. Vincentium, Petrum Lombardum, Alexandrum Alensem: ac tandem sic prosequitur: *Simul oculos conijce in* NVMEROSAM *seriem* CLARISSIMORVM *Theologorum, ex*

Ordine PRÆDICATORVM, *qui in vnitate Ecclesiæ continuò permanentes* VERAM *semper, ac solidam Theologiam docuerunt, contra* PROPHANAS *nouitates acerrimè propugnarunt; quòd inuenerunt in Ecclesia à priscis* DOCTORIBVS *traditum,* CONSTANTISSIME *tenuerunt:* VERITATIS *ardentissimi* INQVISITORES, *& strenui* DEFENSORES *fuerunt.* VERITATIS *amore nulli vnquam prætensæ* PIETATI *cesserunt: illud Aristotel. 1. Ethic. cap. 1. Recolentes: Amicus Socrates, amicus Plato, sed magis amica* VERITAS. *Proinde antiquam illam* DOCTORVM *opinionem Conceptioni Immaculatæ contrariam* RETINENT. *In hoc tamen intellectum captiuant, in obsequium non hominum, sed solius* CHRISTI, *ac ipsius in terris Vicarii Summi Pontificis. Hoc enim Christianæ pietati, ac tantorum virorum* GRAVITATI *maximè conuenit. Ex altera parte circumspice nunc vniuersum Christianum Orbem, nihil aliud in hac materia audies quàm Conceptionem Immaculatam, hanc Religiosi, Ordines* (SI SACRAM PRÆDICATORVM FAMILIAM EXCIPIAS) *hanc Academiæ illustres strenuè docent, prædicant, tuentur, & sustinere non valent prædicari aliam ei oppositam. Quos hìc sancta Sedes Apostolica reiiceret? Quorum opinionem reprobaret? Quibus errorem tribueret? Quos damnaret?* ANTIQVOS *illos* DOCTORES *iam nominatos?* MAGISTROS *Ecclesiæ à Deo datos? Quorum doctrina Ecclesia per tot sæcula vidit, audiuit, prædicauit, approbauit: quorum Theologia in Hæreticorum duello, pro perimenda perfidia, & falsitate, necnon pro stabiliendis fidei virtutis in Conciliis vsa est? Quos inquam exploderet, reiiceret, damnaret? Neutiquam. Accedit, quòd D. Thomas Angelicus ille, ac* SVPREMVS *Doctor in ea* CREDITVR *fuisse sententia, quæ B. Virginem in originali peccato conceptam asserit, &c.* Et prosequitur latè referendo Encomia S. Thomæ, & infra num. 18. inquit: *Tertiò, quia vtraque pars probabilibus vtitur fundamentis, illa quæ contrariam Conceptioni Immaculatæ opinionem tenet, innititur* SCRIPTVRÆ *Sacræ, & priscorum* PATRVM *auctoritati. Alia verò, &c.* & prosequitur, &c.

Hæc & alia habet Pater iste in illo Discursu, & sequẽtibus, in quibus omnibus sequitur vestigia suorũ prædecessorũ, cuius propositiones, ac verba si figillatim essent trituranda, papyrus, & attramentum deficerent, non paleæ, & aristæ: quinimò incipe enucleare illud summum elogium: *Circumspice nunc vniuersum Christianum orbem, nihil aliud in hac materia audies, quam Conceptionem Immaculatam; hanc Religiosi omnes (si sacram Prædicatorum familiam excipias) hanc Academiæ illustres strenuè docent, &c.* Constat ergo, quòd vsque ad hæc tempora durat in aliquibus Patribus Dominicanis illa succesiua, ac continua primævi contagii, de sua veritate circa Scripturam, sanctos Patres, & omnes Doctores antiquos, incauta persuasio. Sed magis mirandum est, quomodo dicat illud de *numerosa serie clarissimorum Theologorum, ex Ordine Prædicatorum?* Numerosa series est in tam docta, præclara, ac dilatata Religione Prædicatorum septuagintaduo Auctores recollecti à Bandello? Et viginti superadditi à Gryfaldo, & aliis? Ita vt tota illa numerosa series claudatur in nonagintaduobus Scriptoribus? A quibus si excludas fictos, adulte-

adulteratos,multiplicatos, mendaciter adductos, & non remanebunt viginti!Numeroſa equidem ſeries,adeò quod ex his, vndecim non ſunt præclariſsimi,imò neque præclari! Ac denique non ſunt quinque cum dimidio, qui expreſsè,& formaliter,veſtram ſecuti fuerunt opinionẽ, & ſi non credis mihi,ò Iuſtine ſaltem crede iuſtiſsimæ veritati, in ſequenti Ventilabro §.2. omnia inculcanti, & cum ita inueneris, interrogabo: An in quinque cum dimidio claudatur tota ſacra claritas Religionis Prædicatorum,& ſaluetur omnis eiuſdẽ dilatatæ familiæ numeroſa ſeries? Turrecremata ſupra dicebat, quòd noſtræ Immaculatæ opinionis ſententia nullum habebat Patronem, gratias Deo,quòd ſi in Turrecremata nullum, in ore tuo habet Religiones omnes, Academias, & vniuerſum Orbem, excepta vna Religione Prædicatorum. In vniuerſali veritatem dixiſti: nam vniuerſus Chriſtianus orbisFidelium,Religioſorum,Academiarum,&c.nullo dempto,vel excepto,nihil aliud ſtrenuè dicunt, docent, ac prædicant, quàm Conceptionem Immaculatã,& ſic vniuerſalis eſt vera, *ſi ſacrã Prædicatorũ familiã excipias*. Ergo Iuſtine,ſi noſtra propoſitio vniuerſalis habet veſtram exceptionem; veſtra,omnes in Adam peccauerunt, habeat noſtram exceptionem: & ſi Religio Dominicana inter omnes homines eſt exempta, ſinite quòd ſacratiſsima Maria mater Domini, habeat inter omnes peccatores exceptionem ſuam. Circumſpice nunc vniuerſum Chriſtianum orbem, nihil aliud in hac materia audies,quàm conceptionem maculatam (ſi ſacratiſsimam Matrem Dei excipias.) Hæc eſt noſtra exceptio tranſcripta ad litteram ex veſtra excepiſtis in illa Matrem Dominicanorum, excipite in hac Matrem Domini,& remittemus vobis gratis verbum,canorum: Quia vt ait Sapiens; Eſt filia,melior filia.

Nec ſunt prætermittenda huius Auctoris verba Diſc.136.fol.302. quæ ſic ſe habent: *Sextò,certum eſt Conceptionem B. Mariæ fuiſſe ſanctam, imò ſanctiſſimam,&c. Extat Decretũ S. Congregationis Cardinalium, in actis Capituli generalis Ordinis Prædicatorum, Romæ celebrati anno Domini* 1629. *inſertum, in quo diſſertis verbis Conceptio B. Virginis dicitur ſanctiſsima: quare nemo Catholicorum id negauit,negare ve vnquam potuit, &c.* O Iuſtine! iuſtè iudicaſti, ſed compone hoc cum tuo Turrecremata,Bandello,& aliis,quorum libri,& opuſcula eo ſolò tendunt,vt probent Cõceptionem non eſſe ſanctam;cum ergo iam fateamini, non ſolùm fuiſſe ſanctam,quod antiqui negabant, & impugnabant; ſed etiam ſanctiſsimam. Conſequenter adimpletur,& conſumabitur prophetia illa:Ordo Prædicatorum paulatim adhærebit opinioni magis piæ.

Num. LVII. *Ann.* 1645.

MAVRITIVS de Gregorio,Ord.Prædic.Siculus,inter alia ſua ridicula certè,ac contẽptibilia opera, anno 1645. Neapoli edidit in folio librũ ſub hoc gigãteo titulo: *Cõmẽtarii Laconici, ad ſenſum Proœmii Paraphraſtici,in quatuor Sentẽtiarum libros M. Petri Lõbardi, Canonici Regularis Lateranẽſis, vt in ſuis Chronicis Nouariæ, Lũbardiæ nati, & Archiepiſcopi Pariſienſis,per anti-*

quos; vbi hoc in isto volumine, MIRA *breuitate,* ORDINE, *ac* CLARITATE, *non solùm* VNIVERSA *Theologia continetur; cum terminorum concordantia Angelici, Subtilis, Doctorum, Ægydii Augustiniani, Bacchoniique Carmelitæ; sed etiam summatim* OMNES *controuersiæ Scoti, in S. Thomam* SIMVL *per singulos libros, cum recentioribus. Necnon oppositiones Hæreticales* CVNCTÆ, *earum etymologiæ, in cuiuslibet Distinctionis fine reiectæ, & earum scriptores, & contra* CENTVM MILLIA *falsos Deos, per Abecedarium, vna cum* DVCENTIS, *& eo fortasse amplius antiquorum, recentiorum opinionum disceptationibus A. R. P. M. Mauritii de Gregorii, Ordinis Prædicatorum, Siculi, Cammaratæ, ex Promotoribus participantibus ad decorandum, omnium antiquitatum, professoris Academiæ Aniphrasatorum, Theologi eminentissimi Cardinalis Sabelli, & primò Cardinalis Aquauiuæ, & Locumtenentis Horatii eius fratris Episcopi Galatiæ cum additione eiusdem styli, quàm breuissimi in hac vltima impressione,* OMNIVM *quæstionum, & argumentorum Scoti, Aureuli, Gerardi, Ariminensis, & cæterorum à principe Thomistarum magistro Ioanne Capreolo, collectorum, & solutorum, & per Magistrum Paulum Soncinatem in* DIVINVM *Epithoma, sic nuncupatum, & formalizatum, quòd dicitur* CAPREOLINVS, *plusquam* DECIES *impressus, propter eius* EXCELLENTIAM. *Necnon Montagnoli, Ripæ Episcopi, Gonçalez, Nugni, Nazarii, Bannez, Medinæ, & aliorum recentiorum Ordinis Prædicatorum loca citantia, ad soluenda argumenta Vazquez, Molinæ, Valentiæ, Fasoli, Suarez, Palumbi, & sociorum aliorum. Soluendo etiam argumenta Scotistarum vltimorum, Herreræ, Radæ, Vulpes, plurimorumque, vt in fine Prologi, &c.* Hucusque admirabilis, atque stupendus illius libri titulus, licèt in grammatica non benè dispositus.

Quis ergo non existimaret, Librum istum esse aurum, & non scoriam? Summa diligentia, studio, ac immenso labore confectum, in quo tot, tantaque in titulo promissa administrabat eius Auctor? Sed attende Lector, & dicam tibi breuiter, qualis sit, & quid contineat Liber iste. Et in primis assumptum illius est iterum typis mandare opus illud, seù Summam Theologiæ Pauli Soncinatis, extractam ab operibus Capreoli, de qua locuti sumus supra num. XXVI. nullo verbo addito, vel mutato, & ex propriis solùm addidit bonus iste vir Mauritius quandam Annotationem, comprehendentem quasi vnam columnam, quam diuerso charactere apponit ad finem distinctionum; v.g. (vt loquamur iuxta subiectam materiam) in 3. sentent. distinct. 3. quæst. 1. vbi quæritur, *Vtrùm B. Virgo Maria in peccato originali fuerit concepta, &c.* folio 586. transcripto textu ad litteram Pauli Soncinatis, & in ipso illos quadraginta Doctores adductos primò à Guilliel-mo de Gannaco, secundò à Ioanne Capreolo, & tertiò à Soncinate, nullo alterato, vel addito, apponit ex se Mauritius hanc Notam (obsecro vt legas ipsam attentè; quia magna in se continet mysteria: est enim vna, & multiplex, & manna quòd cœlum nostris temporibus pluit super totam Theologiam) tenoris sequentis.

In hac 3. dist. 3. sentent. & vnica quæst. sequenti, confutantur Hæreses damnatæ,

vt

vt in nostro commentar. in textu Magistri, & confutantur etiam Hæreses, quæ sunt in Abecedario, & in Ethimologiis Hæresum, & confutantur similiter Idolatriæ, vt in Abecedario Idolorum, in principio, vide ibi litt. B.C.M.O. & P. Ac etiam confutantur falsæ Theologiæ Fœnicum, Ægyptiorum, Græcorum, Atlanticorum, Frigiorum, Gentium, &c. ab Eusebio in 1.2.3. & 4. libro de Præparatione Euangelica, contra Theologiam fabulosam Poëtarum antiquorum.

Ex conclusionibus, probationibus, & solutionibus argumentorum Capreoli soluuntur argumenta, Vulpes, & aliorum Recentiorum facilè, vt facit Aristotelis (sic est, & vbique) *ad argumenta antiquorum, quòd* VERITATIS *cognitio dubiorum est solutio, & cum Cardinali Bellarmino dicente in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, de Ioanne Capreolo, quòd Ioannes Capreolus sit defensor egregius S. Thomæ, & optimè dissoluit omnia argumenta Aduersariorum: dicunt verba formalia Bellarmini; ergo si optimè dissoluit per Bellarminum, sunt soluta argumenta, cum his doctrinis hic: Sicut soluit Aristotelis contra Antiquos, dicendo in 3. Methaphysic.* VERITATIS *cognitio, dubiorum est resolutio.*

Respondetur 2. cum Cardinali Sarnano Franciscano, doctissimo, cum octuagesimaseptima concordantia, & similiter cum octuagesimasexta concordantia Boncherbæ.

Respondetur 3. cum Petro de Bergamo, & Bartholomæo Spina, dicentibus in Tabulla S. Thomæ, quòd qui scit TOTAM *Logicam S. Thomæ, Philosophiam etiam Moralem,* TOTAM *Methaphysicam S. Thomæ, &* TOTAM *eiusdem Theologiam, nullum potest facere argumentum contra S. Thomam, & ideò subdit, quòd isti Recentiores student tantummodo articulâ super quem componunt, & non habent in mente omnia opera S. Thomæ loquentis presuppositiuè, præsupponendo omnia supradicta, & dicendo, quapropter prærrumpunt verba, in tantum magnum Doctorum nullo modò applicanda; quòd S. Thomas contradicat sibi ipsi: & ideò Cardinalis Sarnanus, quia sciebat totum S. Thomam concordauit similiter: etiam Ioannes Capreolus soluit argumenta Aduersariorum cum locis S. Thomæ, quia totum in mente habebat S. Thomam, & ideò Bellarminus dicebat benè omnia soluere Capreolum.*

Argumenta verò Vazquez, Valentiæ, Molinæ, Suarez, & c. quia colliguntur, & soluuntur clarè, distinctè, & breuitèr à Ripa, à Nazario, à Gonçales, à Nauarreto, à Zenardo, & præcipuè à Montagnolo in 3. part. S. Thomæ, quæsti. 81. de causa peccati ex parte hominis, & de traductione peccati originalis, cuius homo est causa per originem.

Vide nostram expositionem Petri Lombardi, aperientem mentem huius materiæ, vt in fol. 77. hîc, & infra pro 3. responsione Vulpes. Ac etiam vide 1.2. & 3. fol. pro responsione 4.5. & 6. ad argumentum eiusdem Vulpes.

Respondet 7. cum concordantia Scoti, & S. Thomæ per Radam Franciscanum, hîc declarantem S. Thomam.

Loca sacræ Scripturæ hìc, & infra à Salmerone, Emanuele Saà, à Toleto, à Pierio, Vegha, à Possevino, Saliano, Torello in Annalibus à creatione mundi, quæ videntur aliquomodò repugnare Thomistis, quia sunt concordata a nobis

in fine noſtræ Expoſitionis totius Bibliæ, & in Anatomia Bibliæ impreſſa, ideò vide ea illic. Hæc eſt tota Adnotatio Mauritii.

Vide ergo ò Lector! perpende, ac conſidera amore Dei, quid habent hæc cum propoſita Diſtinctione de Conceptione B. Mariæ in peccato originali? Vel quæ Hæreſes, & Theologia falſa Ægyptiorum, Atlanticorum, Frigiorum, &c. confutatur ex hac concluſione Capreoli, & Soncinatis? Vel quæ Idola, & Fabulæ Poëtarum antiquorum ſubuertuntur ex illa concluſione: Maria contraxit peccatum originale? Vel quæ Argumenta ſunt illa, Vazquez, Molinæ, Valentiæ, & Suarez, & illa Scripturæ loca adducta à Salmerone, Sà, Toleto, Pierio, & Torello in Annalibus Mundi? Et ſic hæc Nota nec habet caput, nec pedes. Et inſuper obſeruare debes (quòd fortè nõ credes) quòd hanc eandem numero Notam, vt hìc iacet tranſcripta, nullo mutato verbo eſſentiali, ſed ipſiſſimam à prima voce vſque ad vltimam repetit Mauritius per omnes ferè Diſtinctiones, contentas in quatuor libris Sententiarum illam ſolùm reduplicando; ita vt quando loquitur de Deo, ponit eam de verbo ad verbum, & eandem quando loquitur de Trinitate, vel de Angelis, de Conceptione, de Sacramentis, &c. Itaque hęc Nota eſt locus communis, vnicus, & ſingularis, quo Mauritius explanat omnem doctrinam S. Thomæ, confundit omnes Hæreſes, à principio naſcentis Eccleſiæ exortas, ſubuertit Idola Gentium, conuincit omnia ſcripta ſcholæ Ieſuitarum, & Scotiſtarum, & ſoluit omnia, & ſingula Theologorum Argumenta. O Adnotatio Mauritia admirabilis! O Auctor, prodigium, ſiue monſtrum totiùs litteraturæ Eccleſiaſticæ! O liber vnius Notationis! O Notatiuncula implens vnum librum! Qui cum vno titulo inter magnos maximo, & cum iſta ſola, ac indiuiſibili Notatione minore ipſo titulo, iterum, & iterum, ac millies reduplicata in toto libro, inter maximum quod ſic, & minimum quod non, docuit, & oſtendit maxima, & minima, & quidquid eſt à ſummo Deo, & cœlo, vſque ad profundum abyſsi, omnia præterita, præſentia, & futura, & hoc ſic factum eſt, vt vidimus his noſtris temporibus, nõ quando animalia, loquebantur vt ferunt Fabulæ.

Num. LVIII. *Ann. 1646.*

LIBELLATOR Dominicanus, & vt creditur, Generalis Ordinis Prædicatorum, ad annum 1646. vel circa, ſuppreſſo nomine, in lucẽ emiſit duos Libellos, Romæ, quorum primus incipit: *At cognoſcendum, &c.* Secundus verò: *De titulo Immaculatæ, &c.* in quibus quam plura à veritate prorſus aliena in medium affert, vt videre eſt in noſtro Armamentario, typis mandato Matriti anno 1649. quòd poſteà eruditè comprobauit Illuſtriſsimus D. D. Antonius Calderon, Archiepiſcopus Granatenſis, in ſuo libro pro titulo Immaculatæ Conceptionis, impreſ. anno 1650. necnon R. P. Theophilus Raynaudus, ſub nomine Amædei Salii, Theologi Hæteuerani, &c. Qui edidit Diſſertationem aduerſus Lynum, & Cletum, ideſt, contra prædictos

dictos Libellatores in cognitos, opus impreſſum Coloniæ 1651. Ad noſtrũ ergo inſtitutum ſolum pertinet illud, quod pro viribus nititur Libellator ille ſtabilire, quaſi pro vnica concluſione, in vtroque Libello: Inquit enim in principio primi: *Annotanda maximè eſt acceptio huius nominis* CONCEPTIO, *ante Gregorium XV. & poſt illum. Licèt enim nomen* CONCEPTIO, *in ſuo proprio ſignificato ſolùm importet formationem fœtus in vtero; ante, Gregorium tamẽ apud multos idem valuit vſus huius nominis* CONCEPTIO, *quòd* CONCEPTIO IMMACVLATA: *Vnde fratres Prædicatores, ad fugiendam omnem æquiuocationem, & melius propriam ſententiam explicandam, vtebantur voce* SANCTIFICATIONIS, *& cauebant à nomine* CONCEPTIONIS, *quaſi idem importaret* CONCEPTIO, *&* IMMACVLATA CONCEPTIO, *&c.* Et in ſecũdo Libello, ſic etiam in principio inquit: *Ante Decretum felicis recordationis Gregorii XV. de Officio recitando ſub nomine* CONCEPTIONIS, *retenta à Dominicanis voce* SANCTIFICATIONIS, *ex nominum diſtinctione, inferebatur opinionum diſtinctio, ita vt* CONCEPTIO *præſeruationem apud eius vocis Aſſertores importaret,* SANCTIFICATIO *verò alteram ſententiam exprimeret: Itaque tunc idem erat apud illos dicere* CONCEPTIO, *ac* IMMACVLATA CONCEPTIO, *& fratres Prædicatores à nomine* CONCEPTIONIS, *ac* IMMACVLATÆ CONCEPTIONIS *æquè abſtinebant, &c.* Ex his verbis neceſſariò ſequitur, quòd Patres Dominicani, qui ante Gregorium XV. in ſuis ſcriptis non cauebant, abſtinebant, nec fugiebant à voce, Conceptionis, ſed illam amplectendo, ipſa ſolum vtebantur, reiiciẽdo, cauendo ſe, & abſtinendo calamum à voce Sanctificationis, & illam prorſus fugiẽdo: hi profectò pro noſtra fuerunt ſententia. Hanc conſequentiam exiſtimo euidenter ſequi ex illo principio: quia ſi vox Conceptio erat proteſtatiua Conceptionis Immaculatæ, & ideò fratres Prædicatores ab illa voce Conceptionis fugiebant, & ſe abſtinebant, & vtebantur voce Sanctificationis: igitur illi fratres Prædicatores, qui in ſuis ſcriptis abſtinuerunt ſe à voce Sanctificationis, & fugientes ab illa, amplexati ſunt nomen Conceptionis, noſtram abſque dubio ſecuti, & proteſtati ſunt ſententiam? Hoc ſuppoſito, ſtatim videbis, ò Libellator! in ſequenti Ventilabro mirabilia.

Deinde de ſententia Antiquorum Eccleſiæ Patrum, circa Virginis Conceptionem, in primo Libello ſic dicitur: *Cogitur ergo ipſa Eccleſia vti huiuſmodi* CAVTELIS, *ad ſuſtinendam opinionem adeò in ſacra* SCRIPTVRA *fundatam, &* OMNIVM *antiquorum* PATRVM, *&* DOCTORVM *firmatam.* Et in ſecundo Libello num. 33. dicitur: *Sed & nos interrogando, obiectiones ſoluemus, Antiquiora repetentes.* NOVEM *enumeramus Romanos Pontifices, qui nec recitatiuè, nec dubitanter, ſed* ASSERTIVE, *&* CLARE *docent, Beatiſsimam Virginem in originali peccato fuiſſe* CONCEPTAM. Et infra num. 37. *Recentiora ergo ex vtraque parte ſequenda ſunt: nam ſi* VETVSTA *reuoluantur* PLVRA MVLTO, *pro fratrum Prædicatorum, hoc eſt, S. Thomæ ſententia, quam pro oppoſita extabunt, quæ modo reticentur, cùm de principali quæſtione non agatur. Nec nos ad* APOCRYPHAS, *Apoſtolorũ Diffinitiones, ad* CONFICTAS *Reuelationes, ad* SOMNIA-

TA

TA *Miracula, ad Bullas* ADVLTERATAS *recurrimus, &c.* Quis ergo hoc videns, vel audiens scripta, ac proposita fuisse à Patribus Ordinis Prædicatorum, & in nomine totius suæ Religionis, in iudicio contradictorio, à suo capite, ac Generali Ministro, in Romana Curia, veritatum magistra, ad sacrã Cardinalium Congregationem, & vndequaque sanctũ Inquisitionis Tribunal, imò ad supremum Ecclesiæ caput Summum Pontificem Innocentium X. non trepidaret, si hic dicta haberent saltem veritatis vmbram? Sed modo videbit omnis oculus, quis vsus sit cautelis? Quis pro se adduxerit Apocrypha, quis ad confictas Scripturas, & Reuelationes, quis ad somniatos, fantasticos, chimericos, ac multiplicatos Auctores, ac denique quis ad corruptas, & adulteratas auctoritates recursum habuerit?

Num. LIX. *Ann. 1649.*

HIACINTVS Arpallegus, vt creditur Ordinis Prædicatorum, nouissimè scripsit Memoriale Apologeticum sub hoc titulo: *Libellus supplex, in quo quoquomodo expectantia ad proximã diffinibilitatem sententiæ negantis contractionem labis originalis in Beatissima Deipara S. D. N. Innocentii X. Pontificis Maximi iudicio, & examini subiiciuntur ab Hiacinto Arpallego Sacræ Theologiæ Doctore. Barchinone Typis Sebastiani Cormellas, anno 1649.* in folio Hìc vltimus est ex PP, Dominicanis, qui ex professo iterum hanc Conceptionis materiã pro parte suaaffirmatiua, sub prætextu de diffinibilitate proxima: introduxit ad palestram relegatam controuersiam principalem, in quo videbimus quomodo finis correspondet principio, & vna, indiuisibilis mens, iudicium, & veritas fuit in illis primis scriptoribus Ordinis Prædicatoeum, & est in modernis. Et relictis omnibus dictis, & propositis ab Arpallego, quæ pro meo non faciũt instituto, circa proximam diffinibilitatem (de qua eruditè satis contra ipsum scripsit Illustr. atque Reuerendiss. D. D. meus, atque huius libri Patronus tutelaris, ac Mœcenas Ludouicus Crespi à Borgia, quondam Episcopus Oriolensis, nunc verò Placentinus dignissimus Præsul, & ad Summum Pontificem Alexandrum VII. à Catholica Maiestate Legatus extraordinarius, in doctissimo libro impres. Valentiæ) disputatione 2. fol. 29. art. 5. sub hoc titulo: *An expensis* SANCTORVM *Patrum auctoritatibus, &* ANTIQVO *Doctorum choro, inde constet sententiam negatiuam esse proximè diffinibilem?* Immediatè introducit hunc subarticulum primum: *An* COMMVNIS *PP. iuxta* COMMVNEM *intelligentiam consensus stet pro sententia affirmatiua: ac proinde an præstent argumẽtum diffinibilitati negatiue?* Et posito summario in quinque numeros diuiso, sic inquit.

Antequam in sequentibus, singulas auctoritates Doctorum afferam, ex quibus eorum mens amplius patefiet, libet in præsenti enumerare eos Doctores, qui fixum in animo semper habuere mentem Sanctorum Patrum STARE *pro sententia affirmatiua,* NEC *fauere negatiuæ. Et primum B. Augustinus lib. 2. contra Iulianum, postquam statuerat solùm Christum non contraxisse peccatum Adæ, omnes verò alios paruulos contraxisse,*

adduxe-

adduxerat plures Patres Græcos, & Orientales, hæc ſubiungit: Propter quam Catholicam veritatem, Sancti, ac Beati, & in diuinorum eloquiorum pertractatione clariſsimi ſacerdotes, Iræneus, Cyprianus, Reticius, Olympius Hylarius, Ambroſius, Gregorius, Innocentius, Ioannes, Baſilius, quibus addò Presbyterum, velis nolis, Hieronymũ, vt omittam eos, qui non dormierunt, aduerſus vos proferunt de obnoxia ſucceſsione ſententiam. Vnde nemo eruit, niſi quem ſine lege peccati, repugnante legi mentis virgo concepit. Expreſſa igitur Auguſtini mens eſt: Omnes Patres ſolùm excipere ab originali peccato, eum, qui ſine lege peccati conceptus eſt de Virgine, vt ampliùs patebit legenti antecedentia, & conſequentia verba. Hucuſque Arpallegus, & de auctoritate Auguſtini nihil dico, quia veracitèr eſt tranſcripta, ſed an ſit verum, Auguſtinum ſcripſiſſe relata verba: *Poſtquam ſtatuerat, ſolùm Chriſtum non contraxiſſe peccatum Adæ.* Vt dicit Arpallegus, & quod addidit: *Vt ampliùs patebit legenti antecedentia, & conſequentia verba*, hoc ſolùm in præſenti triturare deſidero, quia neque in iſtis verbis, neque in antecedentibus, nec conſequentibus Auguſtinus agit, ſeù tractat ſtabilire Arpallegi propoſitum placitum, ſcilicèt: *Solùm Chriſtum non contraxiſſe peccatum Addæ, omnes verò alios paruulos contraxiſſe.* Ex antecedentibus patet, quia in illo 2. lib. ſcopum, & concluſionem ſuæ controuerſiæ contra hæreticum Iulianum ſic præfigit Aguſtinus in principio libri fol. 208. col. 2. litt. F. *Sed nunc argumenta ipſa veſtra, quibus agitis, ne hominum prima natiuitas originali peccato credatur obſtricta, eloquiis ſunt redarguenda Sanctorum, quos oportet, vt populi Chriſtiani, veſtris profanis nouitatibus anteponant, eiſque potiùs eligant adhærere, quàm vobis. Hæc ſunt certè velut capita argumentorum quaſi formidanda veſtrorũ, quibus terretis infirmos, & minus quã cõtra vos expedit, ſacris litteris eruditos. Dicitis enim nos aſſerendo originale peccatum, diabolum dicere hominum naſcentium conditorem: damnare nuptias: negare in Baptiſmo dimitti vniuerſa peccata: Deum crimine iniquitatis arguere: deſperationem perfectionis ingerere. Hæc quippè omnia conſequentia eſſe contenditis, ſi credamus naſci paruulos, peccato primi hominis obligatos, & ob hoc eſſe ſub diabolo, niſi renaſcantur in Chriſto.* Hæc eſt propoſitio Auguſtini in illo libro, ſcilicèt, quòd paruuli naſcebantur peccato primi hominis obligati; contra quam Auguſtini Catholicam concluſionem inſurrexerunt Hæretici dicentes, quòd qui ponebant peccatum originale in paruulis; conſequenter aſſerebant, diabolum eſſe hominum naſcentium conditorem, damnare nuptias etiam, &c. Vt hanc ergo propoſitam concluſionem Auguſtini, ſcilicèt, *Naſci paruulos peccato primi hominis obligatos*, & inde non ſequi illa argumenta, ſeù conſequentias deductas ab Hæreticis, nititur in ſequentibus probare Auguſtinus ex dictis Sanctorum ſupra relatorum. Hæc ſunt in rei veritate, quæ probat Auguſtinus in illo libro; non verò illud *ſtatuere ſolùm Chriſtum non contraxiſſe peccatum Adæ*: ſunt enim diuerſiſsima probare peccatum originale eſſe in paruulis, vel probare ſolùm Chriſtum non contraxiſſe peccatum originale, quia hoc ſecundum tantùm incidenter tãgit Auguſtinus, vt auctoritates Sanctorum adminiſtrabant materiam; primum verò ſtatuere conatur exprofeſſo: non enim erat controuerſia cum hæretico Iuliano, an Chriſtus contraxerit nec ne? Sed quia dicebat Hæreti-

cus,

cus, quòd nullus homo tale contrahebat peccatum, vt in Ventilatione latiùs demonstrabitur, num. 34. post auctor. 33.

Hoc est ex antecedentibus: Ex ipsis verbis etiam constat mens Augustini dicẽtis: *Qui ergo generatur in Adã, regenerãdus in Christo, mortuus in Adã, viuificãdus in Christo, ideò peccato est obstrictus originis, quia de malo nascitur, quo caro concupiscit aduersus spiritum, non de bono, quo spiritus concupiscit aduersus carnem. Quid ergo mirum est, si renasci debet homo ex illo malo natus, contra quod pugnat homo renatus, quo reus & ipse teneretur, nisi renascendo liberaretur? Non est hoc malum materies Dei creantis, sed vulnus diaboli eandem materiam vitiantis. Non est hoc malum nuptiarum, sed primorum hominum peccatum, in posteros propagatione traiectum. Etiam huius mali reatus Baptismi sanctificatione remittitur. Deus autem iustus, si tanta paruulis mala, quanta nunc dicere non sufficio, nihil peccati trahentibus irrogaret, magis appareret iniustus. Iustitiæ verò perfecta capacitas hominis non negatur, quia nec vitiorum omnium plenissima sanitas, sub omnipotenti Medico desperatur. Propter quam Catholicam veritatem Sancti, ac Beati, &c.* Vt supra adduxerat Arpallegus: vbi in his verbis probat Augustinus, vel statuit; *Solùm Christum non cõtraxisse peccatum Adæ?* Nonnè vides, quomodo ex omni parte fuit gratis dictum illud: *Vt amplius patebit legenti antecedẽtia*, Et quid dicemus de illa clausula: *Et subsequentia?* Quia in subsequentibus, ab illis verbis: *Virgo concepit*, vsque ad finem libri, non sumit in ore, aut calamo S. Augustinus, non solùm illam clausulam propositam ab Arpallego: *Solùm Christum non contraxisse peccatum Adæ, omnes verò alios paruulos contraxisse*, formaliter secundùm se totam, sed neque secundùm partes: nam nunquam in toto libro vsque ad finem, nominat illud verbum: *Solùm*, nec *Christum*, nisi concludendo in vltima linea, dicens contra hæreticũ, *Sicut contra impios, & Christi professos inimicos, &c.* nec adducit verbum illud: *cõtrahere*, neque: *peccatum*, neque: *Adam*, neque: *paruulos*, neque, quòd plus est, aliquod his æquiualens: si ergo in Augustino non est, nec extat propositio, nec verba ipsa, ex quibus componitur, quomodo patebit legenti antecedentia, & subsequentia? O hominis inconsideratus calamus! Et antequam transeamus ab hac Augustini auctoritate, notet Lector illa vltima verba: *Iustitiæ verò perfecta capacitas hominis nõ negatur, quia nec vitiorum omnium plenissima sanitas, sub omnipotenti Medico desperatur. Propter quam Catholicam veritatem Sancti, ac Beati, &c.* Ergo veritas Sanctorum, ac Beatorum ab Augustino adductorum cadit supra antecedentia ista verba, in quibus si loquitur vniuersaliter de vitiis, prout comprehendunt etiam originale, iam concedit Augustinus, quòd ab omnipotenti Medico potest dari omnium vitiorum plenissima sanitas, & si omnium, etiam originalis: si autem illud: *omnium*, nõ comprehendit originale, sed solùm actualia: ergo verba Augustini, & omnes auctoritates ab ipso adductæ SS. PP. non sunt ad rem. Et sic nec in antecedentibus, neque in ipsis verbis, neque in consequentibus reperitur propositum ab Arpallego in hac prima comprobatione.

Secundò, Bernardus etiam, prosequitur Arpallegus, *epistola 174. quia nullum ex Sanctis repererat, qui B. Virginem immunem à peccato originali dixisset, ideò in*

hæc

hæc verba prorrumpit. Nunquid Patribus doctiories, aut deuotiories ſumus? Periculosè præſumimus, quidquid in talibus ipſorum prudẽtia præteriuit. Nota illas cauſales, *quia*, & *ideò*, cauillosè poſitas, vt inſinuaret, quòd S. Bernardus in illa epiſtola, vel in antecedentibus verbis ad iſta, quæſierit Sanctos pro immunitate Virginis Marię, vel de hoc aliquid dixerit, & *quia* non inuenit, *ideò in hæc verba prorrumpit. Nunquid Patribus, &c.* Totum hoc eſt chimericum figmentum Arpallegi, vt non dicam, aliquid aliud: nam verba Bernardi antecedentia ſic ſe habent ad Lugdunenſes Canonicos in ipſomet principio epiſtolæ: *Vndè miramur ſatis, quòd viſum fuerit hoc tempore, quibuſdam veſtrum, voluiſſe mutare colorem optimum, nouam inducendo celebritatem, quam ritus Eccleſiæ neſcit, non probat ratio, non commendat antiqua traditio, nunquid Patribus doctiores, aut deuotiores ſumus, &c.* Quomodò ergo S. Bernardus, quia nullum ex Sanctis repererat, qui B. Virginem immunem à peccato originali dixiſſet; ideò in hæc verba prorrũpit? Nõnè vides, Lector, quòd iſtæ ſunt meræ fictæ nugæ? Sub eodem numero ſic inquit: *Clemens Papa in ſerm. incip. Erunt ſigna, apud Iauellum, tom. 3. opuſc. de Concept. hanc ſententiam profert. Dico vnum eſſe clarum, quòd B. Virgo ſecundùm Sanctorum Doctorum, fuit in peccato originali concepta: & ratio huius, quia fuit ex libidine, & cõcubitu viri, & mulieris.* Fateor, Arpallege, quòd tuus Iauellus adducit illam auctoritatem Clementis, ſed Iauellus illam tranſcripſit à Bãdello, ſed Bandellus vndè? An ab vndis maris, vel à ſpatiis imaginariis? Quia talis ſermo Clementis nec eſt, nec fuit, nec ipſi illum clarum, vel obſcurum oſtendent, nec viderunt, vt ſuo loco dicemus. Deindè adducit alia ex Magiſtro Sententiarum, de qua etiam in Ventilatione.

Numeris verò ſequentibus adducit auctoritates S. Bonauenturæ, Scoti ſententiæ negatiuæ ducis, & anteſignani, Aluari Pelagii, Franciſci Mayronis, Adami Anglici, Marſilii (quem dicit eſſe ex Ordine Minorum, ſed fallitur) Guillielmi de Rubion, Gregorii Ariminenſis, Frãciſci à Chriſto & Parami, & ſic concludit: *Ex quibus omnibus tale argumentum deduco. Iſti omnes Doctores, quorum alii ſapientiſſimi, alii ſanctiſſimi, alii ſententiæ negatiuæ addictiſſimi, alii in B. Virginis laudes deditiſſimi, omnes in euoluendis Sanctorum ſcriptis verſatiſſimi, quorum plures Seraphicæ familiæ ſunt Doctores Illuſtriſſimi, quorum nullus ex familia Dominicana habitum, vel doctrinam, aut inclinationem ſuſpectam ſuxit. Omnes iſti poſt magnam indagationem tandem inuenerunt* OMNES *ſanctos Patres, à* PRIMORDIIS *Eccleſiæ* SEMPER *in affirmatiuam ſententiam inclinaſſe* NVNQVAM *in negatiuam deflexiſſe. Videat ergo Dominus, & iudicet. Videant Lectores à liuoris, vel affectionis nota liberi, & alieni, vtrùm credendum ſit modernioribus, qui ſanctos Patres ſæpiùs* LACERANT, *& in ſuam ſententiam, velint, nolint, pertrahunt. An nobis qui teſtes* INCORRVPTOS, *& ab omni ſuſpicione* LIBEROS, *circa Patrum intelligentiam afferimus, &c.* Omnia quæ hìc dicit Arpallegus, ſunt artificiosè compoſita: nam Auctores iſti à ſe citati, nullam indagationem magnam, vel paruam fecerunt pro ſanctis Patribus, nec Doctoribus antiquis, ſed bona fide crediderunt Scriptoribus Dominicanis ſupra relatis, & ſic fuerunt decepti à Turrecremata, Bandello, & aliis, &c. Quis autem laceraverit ſanctos Patres,

tres, vel an adducatis teſtes incorruptos, vel corruptiſsimos, in ſuperlatiuo gradu,& ab omni ſuſpicione liberos,ſtatim examinabit veritas.

Deindè adducit ſubarticulum 2. ſub tali titulo: *An ſancti Patres expreſsè aliquando tenuerint ſententiam affirmatiuam?* Et ſic incipit: *Cogit me in medium proſilire,& præſentis controuerſiæ ſubire certamen. Doctus Ormachea, qui Prologomen. 3. in Cant. num. 171. dixit: Nullum eſſe Patrem antiquum, qui expreſsè aſſerat, & formaliter, Mariam conceptã in peccato originali. Cui* FACILE *reſpondeo, notando loca* EXPRESSA *Sanctorũ. In primis S. Fulgentius,&c.* Et pro expreſsis adducit ſequẽtes, S. Fulgentiũ, S. Ildephonſum, Euſebiũ Emiſſenum, B. Anſelmum, S. Bernardũ,& Rupertum. Deindè ſubdolè in alio §. inquit: *Adducunt etiam S. Bernardinum in opere 3. Sermonum, qui incipit: Ignis à facie eius exarſit, in Tract. de B. Virgine, ſerm. 4. & alibi pro ſententia affirmatiua. Similiter S. Antonium de Padua ſerm. de Natiuit. Virginis. B. Lucam etiam Minoritam ſerm. de Natiuit. Virginis. Et quamuis plura teſtimonia citentur pro ſententia negatiua, tamen eſſe* SVPPOSITITIA, *benè probat Bandellus in præſenti Diſputatione.* Poſt iſtos adducit alios tres Sanctos canonizatos ex Ordine Prædicatorum, ſcilicèt, B. Raymundum, S. Vincentium, S. Antoninum,& concludit ſic: INNVMEROS *alios ſanctos Patres referunt Bandellus in præſenti Diſputatione,& Sapeintiſsimus, ac Reuerendiſsimus Epiſcopus Magiſter Petrus Herrera,&c.* En totam innumerabilem omnium Sãctorum antiquorum multitudinem reducit ad duodecim: & duodecim eſt omnis multitudo Sanctorũ. Niſi pro omnibus ſupponant Bãdellus, & Herrera? Inter hos non refert S. Thomam, nec S. Bonauenturam, nec B. Albertum Magnum, quia non iudicauit eſſe expreſſos, & formales pro ſua opinione, vt in rei veritate non ſunt. Cùm ergo ex illis duodecim tres ſint Dominicani, qui non ſunt ab omni ſuſpicione liberi, neque incorruptibiles teſtes, ex remanentibus nouem extrahere debes tres Minoritas, quia ex vna parte ſunt teſtes à vobis corrupti,& ex alia expreſsè, & formaliter ſunt pro nobis, vt in Ventilatione euidenter apparebit. Remanent ergo ſex, ex quibus Euſebius Emiſſenus non eſt ſanctus, imò dubitatur, an fuerit plenè Catholicus, Rupertus licèt ſit venerabilis, vſque modò tali non decoratur titulo, imò, imò, &c. Et iſti ſi cum aliquali fundamento leuiſsimo, tamen poterant adduci, minimè, dicendi ſunt expreſsi, nec ſemi expreſsi, vt ſuis locis videbitur. Reſtant ergo tantummodo quatuor, Fulgentius, Ildephonſus, Anſelmus,& Bernardus. Sed an iſti fuerint expreſsi,& formales pro veſtra opinione, veritas demonſtrabit in ſua Ventilatione; quia fortè dempta palea, non inuenietis, ſaltem vnum granum tritici, imò neque hordei. Deindè vellem, ſcire vbi Bandellus in ſuis libris benè probat teſtimonia Sanctorum adducta pro noſtra negatiua ſententia eſſe ſuppoſititia, quia ego nec benè, nec malè talem inuenio probationem? Niſi fortè Bandellus ediderit alium quintum librum, qui ad manus noſtras non peruenit: nam ſi hæc dicit de tribus communibus, & exiſtentibus, gratis, & contra mentem, & veritatem locutus eſt Arpallegus.

Numerum octauum concludit ſic: *Vlterius aduertò, Salazar, Soſſa, Ægydium,*

dium, & Præſentatione, immeritò MORDERE *Bandell. & Caiet. ac ſimiliter Card. Turrecrem. quorum alter fuit totius Ord. Prædicat. Generalis Magiſter, alii autẽ S. R. E. Illuſtriſs. Cardinales: eo quòd* FALSO, *ex* INDVSTRIA *citauerunt plures SS. auctoritates, quæ modò non reperiuntur in nouis editionibus. A quorum naſo, & ſtomacho vindicat eos Poza lib. 4. Elucidarii, tract. 4. cap. 1. per hæc verba: Ego tantorũ virorũ ſanctimoniam, & pietatẽ reueritus, nunquam admittam, quòd plures dicere non verentur Bandell. & alios, ſcilicèt Gryſald. Petr. de Vincentia. & Torquem. ex deſtinato animò loca SS. inuertiſſe, & ex animò deprauaſſe. Nam fideliſſimi, & integerrimi viri, exemplaria iniuria Librariorũ deprauata citarunt, quia meliora non habuerunt.* Et ad hanc Pozæ auctoritatẽ proſequitur Arpalleg. *Quibus ego addo, pètiùs nactos eſſe* PVRIORA, *per quæ* REGVLANDA *ſunt* OMNIA, *quæ poſteà, vel Hæreticorum diligentia, vel aliorum* MINVS BENE AFFECTORVM *cura, habent plura* DIMINVTA, *&* DECVRTATA. *Ideòque Illuſtriſ. Inquiſitor Gen. Hiſpan. Fr. Ant. Sotomaior in Expurg. edito ann.* 1640. *regul.* 2. *ait: Nullomodo immutari ea opera SS. PP. & Scriptorum, quæ prælo mandata ſunt ante ann.* 1515. *Ea autem quæ poſt edita ſunt, in pluribus eſſe deprauata, & immutata ab Hæreticis; ideòq; ſuſpecta ſunt, atq; Obelo, & Aſterico Inquiſitorio, & cenſoria virgula Supremi Senatus Fidei inuruntur. At Bandell. & Torquem. infidi non ſunt in citando: conſuluerunt codices ante ann.* 1515. *editos: ergo habuerunt* PVRIORA *exẽplaria: ergo non ſunt corrigẽdi iuxta nouas editiones; quã vis neque in his* PLVRA *inueniantur, quæ poſsint tã grauium virorũ auctoritatem* DENIGRARE, *&c.* Qui veritatẽ dicunt, Arpallege, nõ mordent, ſed reprehendunt, obiurgant, confundunt, &c. Quòd Turrecr. in aliquibus: Bãdell, Vincent. Deza, & Gryſald. in omnibus: Spina, & Caiet. in multis, vitiauerunt peſsimè, & falsò citauerint non tantum omnes SS. ſed etiam alios Doctores antiquos in omnibus auctoritatibus, vna, vel altera excepta; ſi dixerunt hoc Salazar, Soſſa, & Ægidius (& ille à Præſentatione à te poſito tãquam Auctore diſtincto ab Ægidio) Fr. Petrus de Alua hoc ipſum affirmat, confirmat, ratificat, & cõprobat euidẽter, demõſtratiuè, & mathematicè in toto libro præſenti ad veritatis irrefragabilis Solẽ, *palabra por palabra, y letra por letra,* quia ſine numero, pondere, ac mẽſura inueniuntur fictiones, falſitates, ac doloſa vitia, vt in Ventilatione, vbi etiam videbimus an *in his plura inueniantur, quæ poſsint tam grauium virorum auctoritatẽ denigrare;* & illud: *Nactos eſſe puriora, per quæ regulanda ſunt omnia.* O puriſsimè regulæ SS. & Eccleſiæ Catholicæ, vbi omnia ſunt ſine puritate, & regula. Ac ſolùm poteſt eſſe cõtroueſia, an hoc fecerint prædicti grauiſsimi PP. atque ſapientiſsimi Doctores, Cardinales, ac Generales, &c. ex induſtria, aut deſtinato animo, & ſecũda intentione, vel ex mera ſimplicitate, inaduertentia ſumma, vel æquali ignorãtia. Et in hac controuerſia, in medio poſitus, quo me vertam neſcio? Quia ex prima parte clamat veritas, ratio, & euidentia. Et ex ſecunda deprecantur pietas, modeſtia, & exẽplũ Pozæ, qui ironicè loquitur. Quòd autẽ ego pro ipſa, & ipſo affirmò in verbo Sacerdotis eſt, quòd in nullo originali manuſc. neque impreſſo, annte ann. 1515. vel poſt, extant verba SS. PP. atque aliorum Doctorum, vt adducuntur à Turrecremata, Anonymo, Bandello, Vin-

centia,& aliis, nisi vt illa adducimus in nostra Ventilatione. Percurri ferè omnes insigniores Europæ Bibliothecas, vidi omnes impressiones antiquas, & modernas,atq; scrutatus sum omnes Nomenclaturas hucusque typis mãdatas, & nullum inueni originale,in quo sint auctoritates, vt adducuntur à prædictis Illustris.ac Reuerendis. atque grauissimis viris Patribus Dominicanis.Et vtinam exemplaria illa puriora compareant:date illa in lucem,exhibite originalia,quæ non sunt diminuta,deprauata,& immutata:hoc petimus, hoc desideramus, hoc deprecor ad sanctissimos eius pedes deuolutus, vt iubeat Sum.Ecclesiæ Pontifex, quia iam solùm restat hoc effugium : & cum hac aërea, & imaginaria, imò penitus ficta, & falsa excusatione, vultis secundo errore sepelire primum.

Pro quo notet Lector,quòd Aduersarii, vt saluent suos Scriptores, & fictiones ab ipsis patratas in hacmateria volunt(vt hìc Arpallegus) maculare omnia opera PP.& vniuersam doctrinã Ecclesiæ,quasi ante ann.1515.essent originalia Sanctorum puriora,integra,ac perfecta, &c. Secundùm hoc ergo nullam fidem præstare debemus originalibus Sanctorum nunc existẽtibus, neque ex ipsis possumus arguere contra Hæreticos? Imò ipsi dicere possunt(quòd modò stabilire conãtur PP.Dominicani:)adducite nobis originalia antiqua, & prima; quia illa solùm sunt pura, vera, & integra : ista verò quibus modò vtitur Ecclesia Catholica Romana,& vniuersitas orthodoxa sunt vitiata,diminuta, decurtata, ac penitus deprauata, vt testificatur vester Ordo Prædicatorũ doctissimus,ac grauiss.Patres,est ne hoc comportabile,quòd vt saluetis vitia cõmissa à vestris Auctoribus maculetis totã doctrinam SS.PP?Item si ab ann.1515.sunt diminuta,decurtata,ac deprauata Sanctorum opera,attendite obsecro.Ex vestris,Turrecrem. Anonym. Vincentia,Bandell.& Deza scripserunt ante ann. 1515. & post istum annũ scripserunt Caietan.Spina, Duimius, & Gryfaldus : in illis omnibus primis reperiuntur auctoritates Sanctorum omnes vitiatæ,fictæ,& adulteratæ : in istis omnibus posterioribus similia,imò eadẽ extant vitia:ergo adulterationes istæ non processerunt à tẽpore,& annis,sed à corde,& animis,nec dimanarunt vestra vitia à causa materiali,sed ab efficienti,nec ab extrinsecis originalibus,sed ab intrinseco origine,propter hoc millies maledictum peccatũ originale;ita vt dicere possimus, quòd omnes homines peccarunt in originali,sedvos in originali,& originalibus,& propter originale. Sed admittamus,quòd omnia originalia Sanctorum post ann. 1515. fuerint deprauata ab Hæreticis,vel ab aliis *minùs* affectis(in quo verbo nescio quid velit dicere Arpallegus,aut quales sint illi minus affecti scriptis,& operibus SS.PP. nisi sub cortice verbi,*minùs* voluerit claudere Minores)& interrogo : Si vestri supra relati Scriptores ad conficiendam vnam auctoritatem contra Immacul.Virginis Conceptionem,sumpserũt vnã clausulam ex vno capitulo, v.g.S.Augustini,& aliam ex alio cap.& tertiã ex alio tertio cap.& aliquãdo etiam ex distincto libro, hoc potuit prouenire ab Hæreticis, vel ab illis minus affectis? Si v.g.in Richardo de S.Vict. ex vno integro libro de Emanuele,

nuele, ſumendo hinc indè clauſulas, & concatenando verba verbis, ex duodecim locis diuerſis fabricarunt vnam indiuiſibilem, & continuam auctoritatem; quomodò poteſt ingredi hìc excuſatio veſtra, de originalibus vitiatis? Item Hęretici, vel illi minus affecti, curarunt de impreſsionibus S. Thomæ, Alberti Magni, Durandi, Holkot, Petri Hieremiæ, & aliorum ex veſtro Ordine? Si non curarunt de iſtis veſtrorũ impreſsionibus antiquis, neq; modernis, & auctoritates adductæ ex iſtis ſcatent in Turrecremata, Vincentia, Bandello, Anonymo, & aliis adulterationibus, vitiis, ac falſitatibus: ergo vanus, & chimericus eſt veſter recurſus ad hęreticos, & minus affectos? Et vtinam, vt dixi, Summum Eccleſiæ caput vos aſtringeret, vt exhiberetis iſta ſomniata veſtra exemplaria puriora; quia tunc videret mundus veritatem. Nam dico, & affirmo, quòd vſque ad diem iudicii non inuenietis vnum ſolùm exemplar, in quo ſint auctoritates, vt adducuntur à veſtris Scriptoribus. Nec in hoc loquor temerariè, ſed ſecundùm ſcientiam, experientiam, ac veritatem.

Denique Arpallegus non intellexit regulam illam 2. Expurgat. Supr. Inquiſitionis, quæ ſic ſe habet: *En los libros de los Padres Eſcritores antiguos Catolicos, no ſe muda, altera, ni expurga, ſino tan ſolamente lo que por el vicio de las impreſsiones, ò corruptela de los herejes ſe halla deprauado: Y por Padres, y Eſcritores Catolicos antiguos, ſe entienden, y han de entender aquellos cuyas obras eſtan impreſſas, y publicadas antes del año de 1515. porq̃ los que deſpues ſe han publicado, y impreſſo, no eſtàn libres de la correccion, por eſtàr ſujetas à la malicia de los herejes, y falſa ſupoſicion de los Autores à quien ſe atribuyen.* Iſta ſunt Expurgatorii verba, quæ alium ſenſum habẽt ab illis Arpallegi, nã loquitur regula iſta de aliquibus impreſsionibus, quę modò extant, & nos vidimus, in quorũ marginibus hæretici, vt Eraſmus, & alii addiderunt aliquas notatiunculas, volentes ex textu SS. PP. cõprobare ſuos ſeminatos errores, non de textu ipſo, qui nunquã fuit grauiter vitiatus, niſi in vno, vel altero verbo, vel punctuatione, & hoc non in materia Cõceptionis, vbi nec minimam ſaltem alterationem inuenietis, quia hæretici non curabant de hoc Immac. Conceptionis puncto, de quo fuit *minus affectorum cura*, & cura, ſed ſine cura, quòd veniret iſte iudicii dies ſuper omnes.

Tandem ſubarticulo 3. concludit Arpallegus ſub hoc titulo: *Quinã SS. Doctores faueant diffinibilitati ſententiæ negatiuæ, quorũ auctoritates ad trutinã iudicii, & examinis reducuntur.* Et ibi quaſi gratis, & ex eleemoſyna concedit nobis pro noſtra ſententia ſex Auctores, ſcilicèt. S. Laurentium Iuſtinianũ, S. Brigittam, B. Thomam de Villanoua, Idiotam, Diony. Fabrum poëtã, de quo ſic inquit: *Et Dionyſius Faber poëta* OBSCVRÆ *fidei, neq; inter ſcriptores cõputatus, ab his qui texuere Cathalogos, &c.* Deindè n. 2. nititur probare, quòd alii SS. PP. non ſine violentia, & magna æquiuocatione adducuntur pro ſententia negatiua, ac concludit referendo Sanctos, atque Doctores, qui licèt non ſint expreſsi, ſicut antecedentes duodecim, fauent tamen ſuæ ſententiæ. Vt ergo videas, Lector, ex hoc ſolo §. intentionem, & ſcientiam huius Arpallegi, nota quòd pro noſtra ſententia adducit ſolùm ſex Auctores, nec poteſt dicere,

quòd ipſe enumerat tantummodò Sanctos,ac Beatos:nam Idiota, Dionyſius Carthuſianus,& DionyſiusFaber non ſunt Sancti,nec Beati. O pauperrima ſententia de Immaculata Virginis Conceptione, quæ ſolùm habes ſex Auctores pro te? Deges inter pauperes fratres Franciſcanos, quid mirum? Sed quid diceret Arpallegus, ſi legiſſet meam Militiam Immaculatæ Conceptionis, contra militiam originalis peccati, vbi adducuntur pro noſtra opinione non ſex, ſed ſex millia? Et quid diceret, quando videbit infra ex ſola ſua Religione Prædicatorum 290. Auctores? Diceret non quòd ſunt ficti,nec adulterati,nec vitiati,ſed quòd non ſunt omnes expreſsi, hoc ſolùm dicere poſſet,qnòd fateor libentiſsimè,ſed ſi non ſunt omnes expreſsi,ad minus inueniet in Militia quatuor mille expreſsiſsimos,& inter ſuos 150. Sed de hoc aliàs.

Dicit item Arpallegus de Dionyſio Fabro, quòd eſt obſcuræ fidei,& inter Scriptores non debet computari,quia de ipſo nullus Nomẽclator in ſuo Cathalogo mentionem facit. Optimè dicebat Arpallegus ſi ſuppoſitio eſſet vera:nã in re tàm graui non ſunt ad iudicium admittendi Auctores obſcuræ fidei,nullius memoriæ,famæ,opinionis,aut ſaltem nominis apud Scriptorũ Nomenclaturas;quia hæc eſt legitima conſequentia:in nullo Cathalogo reperitur: ergo non fuit Auctor alicuius momenti,niſi aliàs eius opera compareant,& ſint typis mandata;quia tunc aliquã debet habere auctoritatẽ magis,& minus reſpectiuè. Ex hoc inſinuato Arpallegi principio,vno ictu interemit,excluſit,&ſufflauit à ſua Area,tanquã leuiſsimas ſtipulas Auctores infrà ponẽdos in prima,ac ſecunda claſsi,quia ſunt tàm obſcuræ fidei,opinionis,ac famæ,quòd non ſolùm ipſorum opera non fuerunt typis mãdata, aut manuſcripta inueniuntur in aliqua orbis Bibliotheca: verũ inſuper nec eorũ nomina recenſentur in aliquo Scriptorum Cathalogo, vt ſuis locis demonſtrabitur. Quòd autem ſuppoſitio Arpallegi de DionyſioFabro ſit falſa,cõſtat,quia hìc eſt Auctor claſsicus,natione Gallus,Ord. PP. Cæleſtinorum,cõpoſuitque egregium, atque eruditum opus metricè, in laudem Immaculatæ Conceptionis Virginis Mariæ,quòd incipit ſic:

Nullus originea Mariam rubigine læſam
Adſtruat, vltricem ne pignoris excitet iram
Hoc ius, hoc ratio vetat, hoc ſententia Patrum, &c.

Paritèr de ipſo agunt, & honorificè loquuntur Pet. Creſpetius in Sum. Theologiæ,fol. 583. Hyppol. Marrac. in Bibliot. Marian. fol. 337. & in Cathalogo ad annum 1537. Ioann. Ant. Velazquez, de Maria Immac. Cõcep. diſt. 3. adnot. vnica, fol. 243. Ioann. à S. Maria in ſupplici Libello ad Innocent. X. Euſeb. Nieremb. in libr. de Except. fol. 496. Ferdinand. de Vergara lib. de Concep. c. 4. fol. 19. Franc. Piſtoia in Maria Triũph. fol. 154. D. D. Ant. Leon Pinelo in Biblioth. manuſc. claſe VI. & nos in noſtra Militia. Si iſte, ò Arpallege, eſt obſcuræ fidei, quid dicemus de veſtris, Aldrebandino, Bindo, Bonbologimo, Monte Budello, Durandello, Gannaco, Clikot, Phiſiologo, Pictano. Pantaleonibus, Montelaporum, & aliis ſimilibus pro veſtra

ſtra opinione adductis,de quibus non dico opera,ſed neq; nomina ipſa inueniuntur in Cathalogis, aut ſaltem fuerunt aliquando audita in rerum natura. Alia quàm plura habet Arpallegus in illo ſuo ſupplici Libello, optimè rriturata à prædicto illuſt. D.D. Ludouico Creſpi: videat ibi Lector.

Num. LX. *Anno* 1658.

P. F. D. A. S. T. inter ſupra poſitos meritò numerari poteſt, quidam N. . qui licèt nõ fuerit Dominicanus, eſt tamẽ Dominicus, quia in illo ſuo libro nuperrimè edito ſub hoc titulo: *Collegij Salmãticẽſis FF. Diſcalciatorũ B. Mariæ de Monte* CARMELI, *primitiuæ obſeruantiæ curſus Theologicus, iuxta miram A. D. D. Thomæ doctrinã, tom. 4. à q. 71. primæ 2. vſq; 89. cõplectẽs. Lugduni, &c.* anno 1658. in fol. neſcio quo impulſu, ſub prætextu debiti modò non debito inculcat à fundamentis contra Conſtitut. Apoſtolicas, & Sum. Pontificũ Decreta, quæſtionem de præſeruatione Virginis Mariæ à peccato originali, ſumpta occaſione ex illis Angelici D. verbis q. 81. art. 1. vbi in reſolutione inquit: *Reſpondeo dicendum, quòd ſecundùm fidem Catholicam eſt tenendum, quòd primum peccatum primi hominis originaliter tranſit in poſteros: propter quòd etiã pueri mox nati deferuntur ad baptiſmum, tanquã ab aliqua infectione culpæ abluendi. Contrariũ eſt autem hæreſis Pelagianæ, vt patet per Auguſtinũ in plurimis ſuis libris, &c.* Et ex aliis art. 3. vbi inquit: *Reſpondeo dicendum, quòd ſecundùm fidem Catholicam firmiter eſt tenendum, quòd omnes homines, præter Chriſtum, ex Adam deriuati peccatum originale ex Adam contrahunt, alioquin non omnes indigerent redemptione, quæ eſt per Chriſtum, quod eſt erroneum.* In quibus locis, vt vides, nec Angelicus D. nominat V. Mariam, nec agit (inſpecto litteræ cortice) de debito, ſed de actuali contractione: at Auctor iſte à fol. 500. vſq. 664. quæ quinta pars eſt ſui magni libri, ſuſtinendo paliatis, ac frigidis verbis ſententiã magis piam præſeruationis, per omnes ſyllabarum feneſtras exalat latentem ignem cõtra aſſertores illius, vt ex infrà adducendis conſtabit. Cũ ergo noſtri inſtituti finis in hoc libro non ſit duritiam doctrinæ in concluſionibus, argumentis, ac rationibus contentam triturare, ſed ſolùmmodò Auctorũ, & auctoritatũ indagare veritatẽ, illud ſuperiori iudicio relinquens; hanc, breuiter, aſsignabimus.

In exordio ergo Diſp. 14. dub. 1. §. 1. fol. 505. n. 4. tangens illud Iob 14. Quis poteſt facere mundũ de immundo conceptũ ſemine, &c. & aliud Dauidis Pſ. 50. Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, &c. inquit: *Quem locũ intelligunt* COMMVNITER *Santi Patres de peccato originali, quod & ſi vnum ſit, vocatur tamẽ in plurali, iniquitates, & peccata, quia cauſa eſt, & radix omnium aliorũ peccatorum. Et* MERITO *prædictus locus de peccato originali intelligitur, quia cũ Dauid de legitimo matrimonio fuerit conceptus, & natus,* NVLLVM *aliud peccatum in eius conceptione, aut natiuitate interceſsiſſet, niſi* SOLVM *originale.* Hinc incipit ſuãm propalare intentionem, & in primis fallitur, quia Sancti Patres non intelligunt communiter, nec explicant locum illum de peccato originali prolis, ſed de peccatis commiſsis in ipſa prima generatione parentum,

ſcilicèt libidinis,cõcupiſcentiæ,delectationis carnalis, &c. quę propriſsimè vocantur à S.Patribus in plurali peccata, & iniquitates, quia ſunt tàm in patre,quàm in matre,adhuc in copula licita, & legitimo, ac ſancto matrimonio,de quo latiſsimè Auguſtinus in libro de Nuptiis,& Cõcupiſcentia,& in omnibus aliis editis contra Pelagianos. Si autem illa ſint verè peccata, & iniquitates,lege te ipſum Diſput. 15.num.40.§. *Reſpondetur*. Deindè,*ſi meritò prædictus locus de peccato originali intelligitur*, in quo Dauid fuit conceptus: ad quid recurris ad legitimum matrimonium? peccatum originale prolis eſt vnum,vel multiplex,maius, vel minus, ex legitimo, vel non legitimo matrimonio? Item quid vis dicere in illis verbis: *Nullum aliud peccatum in eius cõceptione,aut natiuitate interceſsiſſet*: in natiuitate,quòd peccatum, ſeù iniquitas interuenit in prolè diſtincta à contracto in conceptione,vel in patre,aut matre,ſiuè ſint,vel non ſin legitimi coniuges? Sed quid mirum quærebas peccata,& iniquitates in plurali,&ſic in conceptione,& natiuitate multiplicabas originale peccatum. Denique omnes Patres Dominicani, qui in B. Maria conſtituunt peccatum originale defacto,nituntur ſtabilire pro vnico, & primo principio:*de peccato originali,quòd ſi vnum ſit, vocatur tamen in plurali iniquitates,& peccata,quia cauſa eſt,& radix omnium aliorum peccatorum*,violẽtando, ſicut & tu,propriſsimum modum loquendi Sanctorum,liberando pro viribus patrem, ac matrem Dauid à peccatis in plurali, vt non liberetur Dei Mater à peccato in ſingulari,apagè à tali principio!

Diſput. 15.fol.560.num.1.fortè ſtimulatus, &c. introducis excuſationem,quare non ſumas in ore opinionem minus piam ad illam impugnandã, niſi ad laudem, & exaltationem eius, & ſic inquis: *Retrahit etiam pro nunc à prædicta diſputatione,quòd difficilè ſit rem ſcholaſtico more plenè diſcutere, niſi euertendo,& oppugnando opinionem oppoſitam. Porrò ab impugnatione prædictæ opinionis terrent Summorum Pontificum decreta,præſertim Pauli V.& Gregorii XV. vbi grauibus ſub pœnis cauetur,quòd aſſerentes partem negatiuam, videlicèt,quòd B. Virgo non fuerit cum peccato originali concepta, aliam opinionem non impugnent, nec de ea aliquomodò agant,ſeu tractent*. Vide an Auctor iſte ſcripſerit ſyncera veritate,quando ab vtroque Decreto Summ. Pontificum abſtulit verba præcipua, nam Gregorii referens verba Pauli ad litteram,ſic ſe habent. Vlteriùs ſub eiſdem cenſuris,& pœnis mandans, quòd negatiuam opinionem, videlicèt, quòd non fuerit concepta in peccato originali,*in prædictis publicis actibus* aſſerentes,aliã opinionem non impugnent,nec de ea aliquomodo agant,ſeù tractent. Inſuper voluit,& expreſsè mandauit, vt extra hos caſus *expreſſos publicorum actuũ* in reliquis omnibus,&c. Abſtuliſti ergo ex Decretis ſignatas duas clauſulas, vt prohibitionem modificatam, ſeù coarctatam tantummodò ad publicos actus redderes abſolutam,& vniuerſalem, vt ſic tacitè condemnaree omnes ſcribentes his temporibus, & opugnantes in diſputationibus, ſeù libris priuatis opinionem contrariam. Deindè ſi TERRENT *Summorum Pontificum decreta*, vt non diſcuteres, euerteres,ac impugnares opinionem contrariam, quomodo eadem Decreta non te terruerunt, vt impugnationibus non ſolùm

lùm simulatis,sed etiam apertissimis,discuteres,vt euerteres sententiam nostram magis piam? Attende.

Infra num. 2. affirmas,quòd præseruationis Deiparę à labe originea Carmelitæ primi ADORATORES,& VATES fuerunt,& prosequeris sic: LIVOREM *forsitan assumptum excitaret,nisi inspectis, & fidedignis testibus comprobari posset,&c.* Non excitat hoc liuorem, nam & idem dixit R. P. Ludouicus à Conceptione,Ordinis SS. Trinitatis,in principio sui operis Moralis, §. *Quia Religio mea prima fuit,&c.* Et vtinam omnes prophetarent,ac essent primi vates,atque adoratores Marianæ puritatis;excitat autem liuorē videre,quòd inter primos factus sis nouissimus in hoc mysterio. Nam num. 38. sic dicis: *Hæc igitur via rectè intelligitur, qualiter persona præseruata à macula peccati subiaceat eius debito in instanti conceptionis formaliter in seipsa: siquidem verè subiacet prædictæ* SIGILLATIONI, *& dispositionibus,&c.* Et §. 5. de illationibus doctrinæ à te traditæ,concludis num. 45. quòd de persona preseruata rectè dicetur: peccauit,& offendit Deum in Adam, quòd transgressa est diuinum præceptum in Adam,quòd comedit de ligno vetito in Adam, quòd in illo fuit maculata,fuit mortua,fuit peccatrix,fuit Deo inimica,filia iræ,captiua diaboli (& si non terrēt te ista, adde etiam illa quę adducis num. 44.) quòd fuit iniqua, iniusta,polluta,damnata,& à Deo exosa,& auersa. Ista sunt quæ causant liuorem,& terrorem.

Et num. 50. dicis, potuisse Deiparam excipi à debito originalis peccati, ita vt neque in propria persona,neque in Adamo,aut in reliquis parentibus tali debito subiaceret,& concessa hac posibilitate,noluisti constituere eius debitum in Adam,neque in parentibus,nec in femine, sed in propria persona,vt sic maneret ipsamet Maria sigillata peccato originali, & consequenter diceretur & esset,iniqua,iniusta,peccatrix,polluta,maculata,damnata, mortua,inimica,exosa,auersa,filia iræ,sub potestate diaboli, serua, & captiua. Iste est terror,& liuor noster. Num. 60. dicis,exemptionem Deiparæ à debito culpæ originalis, si detur omnino præiudicaturam eius redemptioni: ideòque verificari non posse,quòd fuerit Christi morte, & sanguine verè,& propriè redempta,& quòd hæc tua conclusio adeò certa est, *vt credamus esse de* FIDE *diffinitam per Zozimum Papam.* Quod etiam repetis infra num. 105. adducens auctoritatem Zozimi, sed quàm friuolè, vidè in nostra Ventilat. num. 315. quia fortè terreberis.

Pro omnibus istis dico,quòd P. F. Bartholomæus de Spina,Ordinis Prædicatorum, acerrimus oppugnator mysterii Immaculatæ Cōceptionis edidit quinque tractatus diuersos,vt probaret,non solùm Virginem Mariam contraxisse originale peccatum, sed sententiam nostræ præseruationis esse expresè contra Scripturam,fidem Catholicam,hæreticam,& damnatam,&c. vt videre poteris supra num. XL. Hic ergo vidēs, ac legēs in Declamatione expostulatoria pro Immaculata Conceptione, Ludouici à Caruajalio, Ordinis Minorum,cap. 8. fol. 10. quòd si Virgo Maria cōtraxisset peccatū originale, consequenter dicendum erat, aliquando Deo fuisse auersam, Deo inimi-

inimicam,diaboli ancillam,dignãque,quæ pœnis cruciaretur æternis. Cõtra hoc surrexit prænominatus Spina,& obiectione 7. folio 76. ita inquit: *Item cap.VIII.affirmat eos,qui dicunt B.Virginem in originali peccato esse conceptam, dicere etiam à Deo illam auersam,illi inimicam,diaboli ancillam,dignamque, vt pœnis crucietur æternis, & impiam. Hæc propositio partim est hominis temerarii, & indocti, quum tribuat peccato originali epitheta, & prædicata, quæ illi nullatenus conueniunt. Nam auerti à Deo,& illi inimicari,& diabolo ancillari,& impium esse,peccato actuali conueniunt,& non originali. Quum in sacris litteris nihil de tali peccato originali attributum inueniatur, partim est hæretica, & ab Ecclesia condemnata in hoc,quod dicit, peccato originali deberi cruciatus æternos. Idem dicit cap.17. quòd si B. Virgo fuisset in peccato concepta, esset terra maledicta,& combustibilis, & domus diaboli, & inferorum porta.* Hæc sunt verba illius propugnatoris indefesi suæ opinionis, ac rigidi oppugnatoris nostræ sententiæ, & hìc idem Spina (nota Auctorem Spina, quia si eius opera legisses,fortè ponderasses sequentia) admittendo in Virgine Maria peccatum origiuale de facto,& maculam, ac culpam formaliter, non solùm renuit fateri ex eo sequi prædicta, sed affirmat esse illationes, & epitheta temeraria,& hæretica,& hoc quòd sic negat Spina, Spina inquam cum suo peccato originali, & macula actuali,placido vultu,serena fronte, & quasi nihil diceres, & alia quàm plura supra relata concedis tu propter tuum debitum, quid est hoc,Pater,defendis ne quòd Spina, vel aliquid amplìus?Est ne magis timendus defensor puritatis, quàm ipsius impugnator? vel est peius debitum culpæ,quàm culpa ipsa? Ex his tribus propositionibus necessariis inter Aduersarios:Maria habuit debitum;ergo culpam: habuit culpam;ergo fuit inimica Dei,& filia iræ. Spina concedit primam, & secundam,& negat tertiam, tanquam temerariam, & hæreticam, & tu admitis primam,& tertiam,sed in secunda remanes Spina.

Infra §.9. num.111. fatetur, potuisse Deum etiam intuitu meritorum Christi præseruare Deiparam à debito,sed quòd talis præseruatio non fuisset redemptio,quia omnis redemptio præsupponit culpam in se,vel in alio; & consequenter ad auctoritatem Bernardi de redemptione Angelorum, dicit num.115. quòd ipse *non loquitur de redemptione facta per Christum hominem, & per eius mortem,& sanguinem in medio temporum,quæ* SOLA *in Ecclesia accipitur, & adoratur vt vera redemptio,&c.sed loquitur de Christo,vt in principio,& ante Incarnationem erat verbum apud patrem.* Noua quidem,sed nescio an sana doctrina sit.Infra num.116.nititur probare,quòd peccata nondum commissa, nõ possunt esse remissionis materia,& consequenter, quòd à peccatis,à quibus præseruamur,non sumus redempti, nec liberi meritis passionis, ac mortis Christi,quam existimo ad minùs esse execrabilem, ac detestandam doctrinam.Et num.117.adstruit,quòd vt B. Virgo verè, & propriè dicatur redempta,debet de illa verificari,quòd fuerit aliquando peccatrix, mortua, & captiua in Adamo.Item num.166.per totum,§.7.nititur probare,quòd B. Maria fuit baptizata propter peccatum originale commissum in Adamo.Et num.191.inquit:Ad horum igitur,& similium testimoniorum veri-

tatem

tatem ſufficit, vt omnes homines comprehendendo, etiam Deiparam, peccauerint, errauerint, perierint in Adamo.

Item §. 2. num. 218. conſtituens triplicem gradum debiti, primum remotum, ſeù in Adamo, vel aliis parentibus, ſecundum in ipſa generatione, ſeù ſemine vitiato, & infecto, tertium durans, non ſolùm in inſtante antecedente immediatè ipſam animationem, ſed etiam in illo inſtante perdurat ex ſigillatione materiæ, & connotatione diſpoſitionum præcedentium, virtute quarum adhuc tunc vrgent pro peccati introductione, &c. inquit: *Primus dicendi modus non videtur improbabilis, &c. Secundum, abſolutè probabilem cenſemus, &c. Tertius eſt* VERVS, *&* STATVITVR *à nobis pro concluſione, neque ſine illo teſtimonia Sanctorum præſertim D. Auguſtini, congruè explicantur, neque ea quæ ex* FIDE *credenda diximus, alitèr* INTEGRA *omnino conſiſtent.* Et infra: *Reſpondetur, prædicta teſtimonia, & rationes* EFFICACITER *conuincere debitum contractum in ipſa Virginis perſona, quæ cum formalitèr non fuerit ante inſtans animationis, neceſſe eſt vt prædictum debitum intrinſecè pertingeret, vſque ad tale* INSTANS, *in quo conſiſtit tertius gradus à nobis expoſitus, &c.* Et num. 220. quærens quouſque perduraverit in B. Virgine illud tertium debitum in propria perſona inquit: *Tenendum* ALIQVID *prædicti debiti extingui, & extinctum eſſe in ipſo animationis inſtante,* ALIQVID *verò poſt tale inſtans, &c.* Cum ergo Auctor iſte propter ſuũ debitum conſtituat Virginem Mariam, ream, filiam iræ, inimicam, & damnatam, vt ſupra vidimus, & hoc debitum totum conſtituat in ea, vſque ad animationis punctum intrinſecè, ac formaliter, imò & poſt animationem ſecundùm partem, iudicet, Lector, qualem doctrinam in agro Eccleſiæ, vel Scholarum ſuperſeminare deſiderat.

Deindè §. 6. num. 250. in ſolutione argumentorum, inquit: Eſto verò prędictum antecedens admittatur, debet intelligi de illis, quæ nec repugnant creaturæ, nec eius redemptioni per Chriſtum: *Nam B. Virgo fuit per illum redempta: vnde quia præſeruatio, tàm à* PECCATO ORIGINALI, *quam à* DEBITO, *non ſtat cum* VERA *redemptione, vt dub. 3. oſtenſum eſt, cenſetur de numero illorum, quæ B. Virgini repugnant.* Nonnè hoc eſt ſcribere expreſsè, ac clarè, contra Immaculatam Virginis Conceptionem, licèt, ſub æquiuocis verbis de plurali, ac de ſingulari? Si præſeruatio, tàm à peccato originali, quàm à debito, non ſtat cum vera redemptione, Pater Dominice, quid amplius dicunt Patres Dominicani? Fortè recurres ad copulatiuam, & diſiunctiuam incluſionẽ, ſed tunc quomodò compones illam excluſiuam in plurali *repugnant.* Item infra ad 2. probationem reſpondetur, *quòd ſi eſſet eficax, probaret Chriſtum non ſolùm matrem, ſed auos, & proauos, cæteroſque aſcendentes debuiſſe eligere alienos à* CVLPA ORIGINALI, *& eius debito.* Pro tua cõcluſione ſat erat dicere: *eligere alienos à debito,* ſed nõ pro tuo fine, ideo addidiſti illud à culpa originali. Itẽ, infrà n. 253. *quòd verò peccauerit in Adamo, non derogat perſonali dignitati, licèt deroget naturæ: quia peccatum illud non perſonæ virginis, ſed naturæ fuit, non autem aſſerere tenemur virginem fuiſſe talis naturæ, quæ nulibi fuerit ſub peccato, ſeù quæ vbique habuerit maximã perfectionem.* Iſte Auctor videtur inſinuare, quòd nõ ſteterint

ſui

sui in opinione pia à voluntate, sed quòd detineantur à Decretis, quòd licèt ipse expressè diceret, ego non crederem. Denique compone omnia quæ superius dixisti de debito in tertiò gradu in instanti animationis, & post, &c. cum hoc *peccatum illud non personæ Virginis, sed naturæ fuit*. Nihil aliud à controuersiæ principio desiderarunt stabilire Aduersarii, nisi quòd originale erat peccatum naturæ, & quòd vbicunque fuisset illa natura, necessariò erat macula originalis: & interrogo: peccatum originale in Petro, & Paulo, ac aliis hominibus, fuit in natura, vel in persona? Et natura illa erat in abstracto, vel in indiuiduo, existens, & subsistens in supposito, & personata: quomodò ergo non derogat personali dignitati? Alia quam plura sunt in prædicta quæstione, à quibus debueras abstinere ob Decreta Apostolica, vt non excicateres liuorem, & fortè aliquid amplius, quia si terrent pro cõtraria opinione, pro nostra sententia terrent, & inquirunt. Sed omittendo omnia ista doctrinalia obiter, & occasionaliter dicta.

Reddeo ad meum institutum de Auctoribus, & auctoritatibus: dub. 4. n. 225. incipit suam quæstionem de debito: & §. 2. adducit pro ipso auctoritates Ambrosii, Augustini, Gregorii, Originis, Leonis, Ephæm, Nisseni, Græci, Casiani, & Bernardi, omnes tamen nulla dempta sunt illæmet adductæ à Dominicanis pro sua opinione de actuali contractione, & solùm est differentia, nam iste quoad litteram iuxta veritatem transcripsit illas vno, vel altero verbo, paruui tamen momenti, mutato ex diuersitate impressionum, ex quo patet, quòd vidit originalia Sanctorum, quòd non fecerũt alii, contra quos omnes hoc solùm deduco dylema: vel auctoritates iste Sanctorum loquuntur formaliter, & directè de debito, vel de contractione, vel simul, & semel de vtroque, si præcissè de debito; ergo sine fundamento adduxerunt illas Patres Dominicani pro sua contractione? Si loquuntur præcisè de contractione, quo fundamento, vel potiùs qua intentione resuscitat illas Pater iste? Si expressè loquuntur simul, & semel de vtraque contractione, scilicèt, & debito. P. Dominicus simul, & semel oppugnare vult vtrumque, vnum explicitè, & alterum implicitè, & sic licèt per diuersas vias ad vnum tendunt scopum Dominicus, & Dominicanus. Confirmatur nam infra §. 3. à num. 136. adducit specialiora testimonia ex Patribus pro sua opinione de debito, at ista quæ ipse vocat specialiora non loquuntur de debito, sed de actuali contractione, quia sunt ipsamet adducta à Patribus Dominicanis nulla mutata syllaba, quinimò in auctoritate S. Augustini in lib. 2. de peccat. merit. cap. 24. de qua nos in Ventilat. num. 34. auctor. 5. connatur defendere lectionem illam: *Quamvis de materna carne peccati*, quum ferè in omnibus originalibus Augustini sit: *Quamvis de natura carnis peccati*, quia prima videtur magis expressa contra puritatem Virginis, & adducitur à Dominicanis, quando nec vna, nec altera facit pro debito. Item, in auctoritate Anselmi adducta num. 141. de qua nos etiam infrà in Ventilat. num. 23. auctor. 15. vult ostendere ex mera sua phantasia, quod vbi legitur: *Ante necessitatem eius*; legendum erit: *ante mortem eius*. Patres autem Dominicani legunt: *ante*

nati-

natiuitatem eius;obſerua iſtam conueniẽtiam. Inſuper ſuperaddit ex propriis quatuor Auctores, ſcilicèt, Germanum Patriarcham, quia dixit de Maria: *Caſta matre præpurgata anima, & corpore*; & Nicephorum dicentem de eadem. *In animo, & in carne præmundata ſpiritu*. Videat Lector, quid habent iſta cũ debito? Adducit etiam Alph. Toſtatum, ſed auctoritas illius videtur ad rem pro ſua concluſione. Et etiam Cryſippum, de quo nos claſſe 9. In §. 4. ſub hoc titulo: *Communis aliorum Doctorum plauſus pro hac ſententia*. Inter quos adducit quam plures ex allegatis à Patribus Dominicanis, qui in rei veritate non loquuntur de debito: §. 5. expendit ſacræ Scripturæ teſtimonia, & hìc adducit pro eodem auctoritates adductas à Dominicanis de ſua contractione, in quibus nulla eſt inſinuatio de debito.

Poſt auctoritates §. 6. introducit rationes tales, quales, inter quas illa de baptiſmo Virginis, quæ ſuperiori indiget examine. Et num. 181. concludit ſic: *Denique pro hac ſententia eſſe videtur Decretum quoddam S. Romanæ Inquiſitionis, vbi cauetur, nè titulus Immaculatæ, quo vtimur agentes de Virginis Conceptione, ipſi Conceptioni, ſed dumtaxat ipſi perſonæ Virginis tribuatur in hunc modum Conceptio Immaculatæ Virginis; non in iſtum, Conceptio Immaculata. Ita ſancitum, ſeù confirmatum fuiſſe dicitur Romæ ann. 1627. die 23. Februarij, & iterum ann. 1638. die 28. Aprilis; & tandem ann. 1644. die 20. Ianuarii, meminitque huius Decreti epiſtola Regis N. Philippi IV. &c.* Primò pluſquam falſum eſt, quòd fuerint tria Decreta in Romano Inquiſitionis Tribunali, circa titulum *Immaculata*, ſed tantum vnum, ſcilicèt illud editum, anno 1644. nec hucuſque aliquis P. Dominicanus de aliis duabus mentionem fecit, nec poterat, quia eſt expreſsè contra veritatem, & in hac materia non eſt ſufficiens tuus recurſus, *fuiſſe dicitur*, quia ſaltem aſsignare debueras, quis erat Doctor ille *Dicitur*. Secundò dato, quòd eſſent, quid indè pro tua quæſtione de debito? Tertiò, qui ita ſolicitè indagauit tria Decreta, quia erant contra Immaculatam Virginis Conceptionẽ, ſupponendo duo, quare non etiam ſaltem inſinuauit illud verum, de quo Hyppolit. Marrac. in dedicatoria ad Sum. Pontif. Max. Alexandrũ VII. ſui libri dicti Cæſares Mariani, circa medium, vbi dicitur: Cum nõnulli, vi Decreti nunquam publicati, & à Sede Apoſtolica nunquam approbati, titulum Immaculatæ Conceptionis, in typis omninò proſcriptum eſſe vellent: Et hanc Patrum noſtrorum vocem in libris edendis exerceri deinceps non poſſe contenderent. Tu ne vocis huius Immaculatæ eloquium Cõceptioni B. Virginis, poſt hac in typo denegaretur ordinatione tua ſumma cũ omniũ gratulatione, effeciſti, & ſcãdalũ, quo fideles ex huius tituli, vbique ab omnibus decantatiſsimi denegatione afficiebantur imperio tuo è medio ſublatum eſſe voluiſti, &c. Hæc, & alia extant in præallegato libro, quæ poſtea confirmarunt PP. Vvadingus, & Sparza ſuis ſcriptis. Ex vno ergo Decreto nunquam publicato, nec approbato, neque exiſtente, vt dicam in Ventilabro, feciſti tres, & tacuiſti verum, quia hoc erat pro Immaculata Conceptione.

Dubio 5. §. 4. num. 196. loquens de locis, quæ in ſpeciali loquuntur de

Vir-

Virgine, sic inquit: *Primus est D. Augustini super Psal. 34. concione 2. vbi ait: Maria ex Adam mortua propter peccatum.* CARPIT *Granados Caietanum, quòd ita legerit, vt nos, & non sicut ille; propter peccatum Adæ. Sed* INSVLSE *reuera: nam in editione Parisiensi anno 1586. omnium emendatissima, solùm legitur: Maria ex Adam mortua propter peccatum; neque habetur genitiuum, Adæ, quòd ex alia editione Granados desumpsit. Et licèt veritatis non interfit (subintelligitur enim prædictum genitiuum, licèt nō exprimatur) debuisset cēsor editiones selectiores cōsulere, vel à* SVGILLATIONE *abstinere, &c.* Fatemur, quòd in aliquibus impressionibus non est illud genitiuum Adæ, vt est in illa à te relata anni 1586. & in Parisiensi nouissima ann. 1635. fol. 104. Sed vt videas qualiter sine fundamento, vel vlla ratione insurgis cōtra Granados, & quòd hìc iustissimè carpsit Caietanū, obseruare debueras tu, quòd Caietanus scripsit ad ann. 1515. & trāscripsit auctoritatē Augustini, ex illis editionibus tunc existētibus, nō verò ex aliis quæ prodierūt post mortem Caietani, ad ann. 1586. & 1635. cum ergo omnes impressiones primitiuæ operum S. Augustini, habeāt illud genitiuum *Adæ*, vt Frobeniana, Parisiensis, & altera Parisiensis edita anno 1516. sicut etiam aliæ anni 1571. & 1570. ita vt nulla inueniatur absque illo genitiuo *Adæ*, nisi illæ duæ modernæ: ergo Granados iustissimè carpsit, & sugillauit Caietanū, quia non legalitèr transcripsit, &. tu iniustissimè carpis, & sugillas Granadum sine ratione, aut vllo fundamento.

Infra §. 5. à num. 201. agis de mente Angelici Doctoris, vbi inter alia numer. 204. habes sequentia: *Hæc autem sincerè considerantibus, siuè quæ inuenis super Sententias, siuè quæ senior in Summa Theologiæ, aut aliis locis scripsit, ita pro peccati contrectione sunt* PERSPICVA, *& sibi ipsis coherentia, vt corā propria* CONSCIENTIA *non audeamus illa de solo debito intelligere, legimus sæpènumero prædicta loca, series, verba, & apices attentè* MEDITATI *sumus, summopere cupientes, & inquirentes viam, vt sine* VERITATIS *præiudicio enuntiare possemus D. Thomam piæ sententiæ non refragari. Illam tamen (quod non sine animi* DOLORE *proferimus) vsque modò inuenere non potuimus, vtinam, vel proprio, vel aliorum studio, peritiores facti, quam citò inueniamus, &c.* Ergo qui viam inuenerunt, non sincerè, atque cum veritatis præiudicio considerarunt opera Angelici Doctoris? Nolo tamen coram tua conscientia, vt nè animi dolore afficiaris, adducere Auctores ex nostris, qui sine veritatis præiudicio inuenerunt loca, vbi S. Thomas piæ sententiæ suffragatur, sed solùm proponam aliquos PP. Dominicanos, ex illis, qui non summopere cupiebant, & inquirebant inuenire viam in Angelico Doctore piæ sententiæ, &c. Et in primis Petrus de Bergamo inuenit, quid conciliaret in S. Thoma inter vtramque sententiam, vt diximus in Trituratione num. XXII. Sylvester de Pierio notauit, quòd S. Thomas sustinuerat oppositum, vt vidimus in eadem Tritur. num. XXX. Arauxo inuenit tria loca in S. Thoma, vt videre poteris in eadem Tritur. num. LIV. Capreolus affirmat S. Thomam retractasse primam sententiam, de quo in Ventil. num. 161. Ludouicus à Sotomaior, de quo in Tritur. num. XLVIII. dicit, quòd S. Thomas, quando iunior sese in piam inclinauit opinionem. De quo etiam

videre

videre poteris Paul. de Carraria. Regul. 4. art. 3. num. 22. fol. 195. & alios. Statim ſic dicis: *Tum quia licet prædictæ opinioni non hæreamus, ob* REVERENTIAM *tamen Angelici Doctoris* VENERATIONE *quàm magna illam proſequimur, &c.* Si perſpicua opinio S. Thomæ ſecũdùm à te dicta fuit hæc: Maria contraxit peccatum originale, eſt filia iræ, peccatrix, Dei inimica, damnata, &c. vide quòd quàm magna reuerẽtia, ac veneratione proſequaris? Primi adoratores præſeruationis, gratiæ, & immunitatis, &c. fuerunt tui Patres, & tu inter ipſos factus es primus venerator reuerentiſsimus opinionis cõtrariæ peccati originalis, maculæ, culpæ, &c?

Infrà n. 205. inquis: *cum igitur res ita ſe haberent* PRVDENTISSIME *D. Thomas prædictæ ſententiæ ſubſcripſit, non quidem vt certæ & indubitatæ, ſicut* ALII, *ſed vt* PROBABILIORI, *& magis communi adeòque ſeruans oppoſitæ ſuam etiam probabilitatem (qua probabilitate aliquando fortè vſus fuit) in quo nihil falſum ſenſiſſe videtur: quia licet prædicta ſententia, aliàs vera non ſit, veruntamen eſt, & verum* SEMPER *erit, pro tempore illo communem, &* PROBABILIOREM *extitiſſe, &c.* Et poſt pauca num. 206. affirmas quòd tempore S. Thomæ ſupererant reliquiæ Pelagianorum nitentium probare ex immunitate Chriſti immunitatem omnium hominum à peccato originali, & quanto magis, inquis, ad hoc peruerſum dogma defenſandum anſam deſumerent ex immunitate Mariæ? & concludis: *Cernens igitur hæc Angel. Doctor, noluit prius* NOVVM *dogma (à quo pro inſita modeſtia communiter abſtinuit) ex proprio marte introducere, &c.* Pater, omnia iſta ſunt doloſè adducta, falſa, & à vera doctrina prorſus aliena. Primò: nam iſtæ repetitæ recommendationes, & exaltationes, ſeu veriùs elogia opinionis actualis contractionis, quid habent cum tuo prætenſo debito? Secundò: ſignare debueras illos alios qui ante D. Thomam habuerunt ipſam pro certa ac indubitata, non Albertus Magnus, non Alexander de Ales, quia iſti loquuntur de prima generatione carnali, vt videbimus in Ventil. num. 8. & 12. non Syncronuus D. Thomæ (vt tu dicis) S. Bonauentura, nam hic ſic incipit concluſionem huius quæſtionis: *Ad prædictorum intelligentiam eſt notandum quòd quidam dicere volunt in anima glorioſæ Virginis gratiam ſanctificationis præueniſſe maculam peccati originalis, rationem autem huius aſſignant, &c.* vbi eſt ergo hæc certitudo, & indubitatio? Tertiò: eſt falſum quòd tempore S. Thomæ erant reliquiæ Pelagianorum, falſiſsimum quòd iſti ex immunitate Chriſti arguerent, vel deducerent omnium hominum immunitatem; vide ipſorum verba & fundamenta in Ventil. n. 34. & 146. Quartò: quomodo, Pater, probabilior? In dogmatibus Fidei quod nunc eſt falſum, tẽpore S. Thomæ falſum erat; communis potuit eſſe illa opinio, ſed non probabilior. An quia tempore S. Athanaſii ferè totus mundus factus fuerat Arianus, falſitas Ariani fuit probabilior? An quia antiquitus illa opinio de ſororibus B. Virginis fuit communior, & illa de Spaſmo iuxta Crucem, & illa de viſione Beatifica fuerunt probabiliores? Quintò: quomodo nouum dogma ſi in tota Anglia, & parte Galliæ erat iam recepta feſtiuitas, & in aliquibus particularibus Eccleſiis, vt ipſemet S. Thomas fatetur? Quomodo erat nouum dogma ad ann. 1270. quod ad an. 1140. fuerat acriter controuerſum inter S. Bernardum, &

Lugdunenſes: inter Nicolaum monachum S. Albani & Abbatem S. Remigii: diuulgatum in Anglia, & per totum terrarum Orbem à S. Anſelmo, & quod tempore S. Bonauenturæ habebat ſuos patronos? Proſequamur tua verba: *Licèt à via tunc communi non diſcederet non tamen ei* NOVA *tela aduersùs piam opinionem miniſtraret, aut rigidus, vel importunus huius cenſor, & impugnator exiſteret ſicut* ALII *extiterunt. Euertit accuratè illam, quæ ponebat Virginem ſanctificatam ante animationē, adeòque ſine debito in propria eius perſona* CONTRACTO: *quia vel aſſerebat rem* IMPOSSIBILEM, *vel redemptioni* PLVRIMVM *derogabat, quòd verò fuerit in gratia, vel in peccato concepta, neque directè aliquando quæſiuit, neque omninò per ſe examinauit, nec circa hoc nimium fuit ſolicitus. Vbi tamen occaſio ſe obtulit, ſequutus eſt doctrinam, tunc communem, & probabiliorem de ſanctificatione poſt animationē, &* PECCATI CONTRACTIONEM. *In qua neutiquā ipſe dux, vel anteſignanus, vt* IMPERITVM *vulgus autumat, ſed* MAIORVM *aſſecla, & pediſſequus fuit.* Verum eſt, quòd S. Thomas directè, & exprofeſſo nunquam tetigit principale controuerſiæ punctum, ſed non, quòd ante ipſum extiterint alii rigidi impugnatores ſententiæ magis piæ: rei grauitas poſtulabat, vt illos ſignares, ſed non es auſus, vt non incideres in laqueum. Falſum item, quòd euerterit accuratè ſententiam, quæ auferebat debitum, quia de hac nec verbum habet S. Thomas; falſiſsimum illud, quòd ſequutus ſit opinionem probabiliorem, de ſanctificatione poſt *animationem*, & peccati *contractionem*, prima clauſula tranſeat, ſed ſecunda de peccati contractione eſt à veritate aliena, quia in toto S. Thoma illam non inuenies: Fatetur enim ter, quòd fuerit ſanctificata poſt animationem, ſed illud, *& poſt peccati contractionem*, falsò, ac falſiſſimè fuit excogitatum, & dictum.

Infrà num. 207. dicis ſic: *Nec peculiaris reuelatio pro excipienda Deipara, vſque ad tempora D. Thomæ innotuiſſet, non debuerunt illi, nec debuere antiquiores prædictæ* EXCEPTIONI *ſubſcribere, ſed communitèr de omnibus, iuxta prædictas regulas iudicare: ſtabat enim ſecundùm illas pro* INCLVSIONE *poſſeſsio, nondum probata exceptione.* Et ſtatim ſubiungis: *Quo circa non defuit ex aſſertoribus piæ ſententiæ, qui hoc noſtro æuo eam excitauerit quæſtionem: quis nimirum* SAPIENTIVS *coram Deo egerit. D. Thomas ſequendo maiorum veſtigia pro opinione tunc communi, & probabiliori, aut Scotus ab illis* RECEDENDO *pro ea, quàm modò veram exiſtimamus. Curioſa ſanè quæſtio, &c.* Et ſanè etiam ſine ſana intentione adducta: non nominas huius problematis Auctorem, at quem nominare poteras, ſi nullus hucuſque Scriptor talem excitauit quæſtionem? Scio ex certa ſcientia, & me non temerè loqui, quia requiſitus apparuit, quòd tu ex proprio cerebro finxiſti illud problema, vt ſub nomine alterius ſugillares Scotum: quòd non egerit ſapientèr coram Deo in præſeruatione B. Mariæ, nec fuit ſequutus communem, ac probabiliorem opinionem, & receſsit in hoc à veſtigiis SS. Patrum, ac denique quòd ſententia præſeruationis, non eſt vera abſolutè, & ſimpliciter in ſe, ſed modò eam quaſi talem exiſtimamus. Denique falſum eſt, quòd tempore S. Thomæ non erat peculiaris reuelatio pro exemptione Mariæ: & illa facta Petri tuo Eliæ de qua tu, tot tantaque dixiſti fol. 561. non fuit peculiaris reuelatio? Et aliæ factæ Helſino Abbati, & filio Regis Hungariæ

gariæ,& Monacho,non fuerunt Reuelationes? Et ſi iſtæ quatuor, quia non approbatæ,fuerunt inſufficientes, vt S. Thomas ſubſcriberet piæ opinioni, ſigna Reuelationem approbatam, cui innixi ſubſcripſerunt Guillielm. Varro, Scotus, Mayronis, Aureolus, & alii poſt ipſos; non S. Brigittæ,quia huius Reuelatio fuit poſt quinquaginta annos,&c.

Sed tranſeo iam ad aliud maioris momẽti punctũ. Tu dicis,quòd S. Thomas non debuit ſubſcribere piæ opinioni ob plures rationes,& præcipua eſt: quia tenebatur ſequi veſtigia Sanctorum Patrum ſuorum prædeceſſorum; quod ſæpè repetis in conſequentibus. Hìc te deſidero totum intentum. Affirmaſti,vt vidimus in antecedenti §. quòd S. Thomas nunquam exprofeſſo directè examinabit,an Virgo Maria fuerit in peccato, vel in gratia concepta: vbi tamẽ(nota tua verba) *Occaſio ſe obtulit, ſequutus eſt doctrinã,tũc communẽ, & probabiliorem de ſanctificatione poſt animationem, & peccati contractionem.* Da ergo mihi Pater,non dico viginti,nec decem,nec quinque, ſed peto à te tantummodò vnum S. Patrem antiquiorem Angelico Doctore,qui dixerit hãc propoſitionem: *Virgo Maria ſanctificata eſt poſt animationem,& peccati contractionem*. Si ergo non inuenies vnicum in tota litteratura, ac ſanctitate Eccleſiaſtica antiqua,neq; moderna; quo fundamento auſus es dicere,quòd Angelicus D. ſecutus eſt veſtigia Sanctorum Patrum? Et quòd ſapientiùs coram Deo egerit, quàm Scotus? Ille ſapientiùs coram Deo, & homnibus egit, qui ſacræ Scripturæ generales regulas, ac SS. Patrum veſtigia ſcrutatus, non inueniens in illis incluſionem, neque ex iſtis poſſeſsionem, vt tu falsò ſupponis, felici eũentu probauit Dei,& hominis Matris exceptionem. Vt excuſes D. Thomam,& eius opinionem; incuſas,licèt ſimulatis verbis,Scotum, & eius ſententiam? En in hoc libro damus omnes Auctores,& auctoritates Sanctorum, atque aliorum Doctorum, à te, & à ſexaginta Scriptoribus Ordinis Prædicatorum adductas per ſpatium quadringentorum annorũ & in ipſis non dico totam tuam relatam propoſitionem: *Maria ſanctificata eſt poſt animationem,& peccati contractionem*, ſed tantummodò repeto à te dimidiã partem illius,ſcilicet,*Virgo Maria ſanctificata eſt poſt animationem:* Et ſuppoſito quòd in nullo,nullo,nullo tertio antiquo Sancto, nec formaliter, nec ſaltem æquiualenter illam oſtendes, recogita de tua veritate.

Infrà dub. 6. de Auctoris iudicio num. 210 loquens de centum quadraginta Auctoribus à te adductis,ſic dicis: *Præſertim cum eorum non pauci graues, & docti, immunitatiſque Deiparæ aſſertores acerrimi, primam illam opinionem negantem, debitum, hæreticam, vel erroneam, aut temerariam arbitrentur, & has ei notas inurant, vt videbimus à num. 224.* quæ verò vſque ad ſignatum numerũ adducis, conſultò prætermittimus: in ipſo autem reddis ad propoſitum ſic: *Sed licèt noſtrã ſuſpendamus cenſuram, nequibimus tamen prædictam opinionem ab illis vindicare, aut tueri, quibus graues Theologi, & immunitatis Deiparæ à culpa originali acerrimi defenſores, omnẽ ei probabilitatem auferunt, erroriſque, & etiam hæreſis notam inurunt, quas hìc recitatiuè tantũ ſubiungemus, &c.* Et n. 227. dicis, quòd pro exẽptione à debito ſunt tantum decẽ, vel duodecim Theologorũ, ſeù Cõcionatorũ auctoritates

Alia quamplura dicis vsque ad §. 4. & num. 232. excluſiuè de Auctoribus ſuſtinentibus tuam opinionem, quæ ſi à fundamentis eſſent examinanda, in ædificio tuæ veritatis nõ remaneret lapis ſupra lapidem; nã ex illis tuis 140. Auctoribus, maior pars loquitur de contractione actuali, ita vt nec minimum verbum habeant de debito, ex quibus etiam non mediocris numerus eſt Patrum Prædicatorum pugnantium pro ſua ſanctificatione, allii loquuntur prefunctoriè reſpondendo ad argumenta, & Sanctorum Patrum auctoritates, Denique illi pauci remanentes, loquuti ſunt de debito in Adamo, ſeù in carne infecta, non autem de tuo debito in propria perſona intrinſeco, ac formali durante vſque ad animationis inſtans incluſiuè: de hoc enim debito Dominico ſoluente exactionem Dominicanam, nec vnum, aut ſaltem dimidiũ aſsignabis Auctorem, quia tu primus, ſolus, & vnicus es. Itẽ eſt falſum, & à veritate alienum, quòd Auctores negantes debitum ſint tantum decem, vel duodecim: ſunt enim pluſquam trecenti, vt ex noſtra Militia Conceptionis, contra malitiam originalis peccati, facilimè colligere poteris.

Deſcendendo enim ad particularia pro illa tua propoſitione: *negantem debitum hæreticam; vel erroneam, aut temerariam arbitrentur, &c.* Adducis primo loco Antonium de Corduba, ſumendo concluſionem ex pag. 353. & cenſuram, ex pagin. 355. ſicque prætermitendo ferè tres columnas coniunxiſti principium cum fine. Secundò adducis P. Salmeronem *ad Roman. 5. Diſputatione 50. folio nobis 623. col. 1. &c.* Pater mi, ibi ſolummodo approbat dictum Caietani de contractione debiti abſolutè. Tertiò, Valentiam, qui loquitur de debito infectionis carnis. Quartò D. D. Merinerum, quem non intellexiſti. Et idem dico de Gabriele Vazquez, Petro de Oña, Pitigiano, Zumelo, Luzero, Ægydio Luſitano, Bellarminio, atque Franciſco Suario, à quibus omnibus ſuperſedeo, quia cum ipſorum verba ſint fideliter relata, de interpretatione, ac intelligentia poteſt eſſe diſidium, ſed hoc minimum non eſt in tua ſugillatione Catharini, dicente: *Norunt enim docti, quàm leuis ſit Catharini auctoritas, ob plurima erronea, vel improbabilia, quæ ſuis Opuſculis inſeruit de quo, &c. qui vt ait Soto, repente Theologus, ſatisque audax in enuntiando prodiit: quique non pauca in proprium ſanctiſsimum Ordinem ſine cauſa dictauit immemor illius ſententiæ, ſtultus homo deſpicit matrem ſuam.* Pater, ego exiſtimo me legiſſe omnia Opuſcula Catharini, & contra ſuum Ordinem, nec vnicum ſolùm verbum habet, niſi in Opuſculis de Immaculata Conceptione, & tunc modeſtiſsimè loquitur exhortando Fratres ſuos, vt relicta pertinatia, ac mendaciis, ab aliquibus introductis, vellent communem Eccleſiæ opinionem amplecti: ſed tu ſicut tranſcripſiſti ferè omnia, quoad litteram à Petro de Herrera Dominicano, ſuxiſti etiam affectum contra tenẽtes immunitatem Deiparæ. Et ſi prædicta non ſufficiunt ad comprobationem huius veritatis, nota ſequentia, quia iam incipiunt tuæ intentionis euidentiora teſtimonia: & neceſſe eſt, vt ſoluamus tuum debitum, vſque ad vltimum quadrantem.

In

Infra num. 233. conaris infringere illud vnicum, ac singulare testimonium S. Augustini pro pia sententia ex lib. de Natura, & Grat. cap. 36. *Excepta Virgine Maria, &c.* dicens: *Ab hac igitur communi iustorum regula excipit Augustinus Deiparam, nihil agens de culpa originali, vel de eius debito, &c.* Quid ampliùs dicunt, ò Pater mi Turrecremata! Bandellus, & Spina? Si ipsos legisses, videres, quòd de hoc libro de Natura, & Gratia adducunt ferè triginta auctoritates contra Immaculatam Virginis Conceptionem, dicentes, quòd ibi loquitur Augustinus de peccato originali (in quo verum dicunt) & quando vident hanc expressam Augustini exceptionem, statim recurrunt ad illud de peccatis actualibus, & hoc ineptum effugium tuis verbis confirmas. Infra verò prosequeris: *Aduertè tamen, hoc testimonium nonnihil infirmari per illa verba: Vndè enim scimus, quòd ei plus gratiæ collatum sit ad vincendum, &c. quæ potiùs esse videntur interrogantis, quàm aliquid asserentis. Quo circa si ita legendum sit, vt habent de facto omnia exemplaria, quæ ad manus habere potuimus, infringitur non parum prædictum testimonium, cum ex illo potius habeatur D. Augustinum voluisse à quæstione illa abstrahere, quàm aliquid certò diffinire:* & hoc confirmas ex quibusdam verbis Francisci Syluii, asserentis, Pelagium affirmasse Dei Matrem fuisse sine peccato, quem arguit, seù reprehendit Augustinus, dicens, illud non esse certum, sub hac interrogatione: *Vndè enim scimus, quòd ei plus gratiæ, &c.* Et quòd Augustinus omittit quæstionem, nolens dare locum huiusmodi inquisitioni propter honorem Domini: sed quam inepta sit hæc chimerica interpretatio, tàm in Francisco, quàm in Dominico, patet, nam siuè legatur *vndè*, vt extat in omnibus originalibus, tàm impress. quàm manuscript. Augustini, siuè *indè*, vt legunt, S. Thomas, & S. Bonauentura, ex Magistro Sententiarum, in nihilo infringitur, aut infirmatur testimonium exceptionis Marianæ, vt tu conaris ostendere sine fundamento: quia independenter ab illa clausula, non tantum semel, sed bis excipit Augustinus Deiparam, Primò: *Excepta S. Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habere volo quæstionem.* Vbi est hìc dubitatio? Secundò. *Hac ergo Virgine excepta, si omnes alios Sanctos, &c.* Signa hìc dubitationem. Franciscus Syluius in quæstione à te allegata conabatur ostendere Virginem Mariam de facto contraxisse originale peccatum (licèt posteà illam retractauerit, vt videbimus in Vētilabro clas. 9.) Tu illam adducis pro debito, cum quo nullam cōnexionem habet hæc Augustini auctoritas: ergo sana intentio infirmata est, & recta infringitur hìc. Item: vbi legisti, quòd Pelagius affirmabat Virginem Mariam fuisse sine peccato? Syluius hoc finxit, vt constitueret originalem maculam in Maria, & tu hanc foues non pro debito, sed pro illa Syluii solutione.

Perueniamus igitur ad tuæ quæstionis finem, vbi etiam omnium prædictorum ostendis finem. Num. 238. insurgis contra Officium Bernardini de Bustis, per Sedem Apostolicam speciali Diplomate approbatum, dicens: *Secundò respondetur, non licere iis qui nobis arguunt, ex illo officio testimonia desumere, quæ ipsi aliquando, vt ficta, & fabulosa reiiciunt, &c.* Et infra:

Et ſanè nec nos poſt quam illud officium perlegimus, negare poſſumus, aliqua ibi falſa, & fide indigna reperiri, vt propterea credamus, prædictum officium pro nunc extat, vel non eſſe illud, quòd Sixtus IV. approbaſſe dicitur, vel ita ſucceſſu temporis deprauatum eſſe, & corruptum, vt firmum ex eo teſtimonium deſumi non valeat, & in multis quæ SS. Patribus attribuit, citò falſitatis conuincatur. Si quis verò noſtræ relationi minùs credat conferat prædictum officium in iis, quæ ex patribus accepta dicuntur cum eorum operibus (ſicut Auctor Armamentarii Seraphici, vbi hoc, & alia officia habentur, contulit officium ſanctificationis Virginis à Bandello compillatum) & fiet ei manifeſtum, quod diximus: ſcietque æqualem in vtroque officio à SS. Patribus diſſonantiam reperiri. In his primis vniuerſalimus verbis ferè nullum eſt, quod magna non indigeret Trituratione, ſi ſolùm tua triturare eſſet noſtri laboris finis, aliqua tamen currenti calamo confringam.

In primis ſupponis falſum, ſcilicèt, quòd in illo officio ſint aliqua *teſtimonia* loquentia de debito, quando in toto officio non dico *teſtimonia*, ſed neque vnicum teſtimonium, aut ſaltim verbum eſt de tua quæſtione, quia omnia in communi, & ſingula in particulari eo tendunt, vt probent Virginem Mariã de facto non contraxiſſe originalem maculam, neque à te citati contra prædictum officium Aldrete, & Salazarius, ex illo adducunt auctoritatem aliquam ad probandum, Virginem contraxiſſe, vel non contraxiſſe debitum: ergo cùm iſta à te introducta, non ſint pro debito, ſunt ad euertendam præſeruationem actualis maculæ. Patet euidẽter: nam tua quæſtio eſt de debito: in illo officio non extat ſyllaba de debito: igitur adducitur cum ſecunda intentione. Item *teſtimonia* quæ adducuntur in illo officio eadem omnia ad litteram nulla mutata eſſentiali dictione, adducit Buſtos in ſuo Mariali part. 3. in nouem Sermonibus de Conceptione exiſtentibus à pag. 1. vſque 124. & non impugnas Sermonarium, quòd poteras facere abſque præiudicio Supremi Capitis Eccleſiæ; ſed faciem, calamum, & verba dirigis contra officium approbatum; ergo non deſiderabas reconuincere de falſario, & fictore Auctorem teſtimoniorum, ſed Approbatorem illorum. Confirmatur, quia in ſuis Sermonibus clarè, & expreſsè affirmat Buſtos in Virgine fuiſſe debitum, vt videre eſt in ſerm. 1. & alibi; ergo non quærebas debitum, nec Minorem ſcribentem, ſed alterum Maiorem approbantem actualem præſeruationem? Item illud, *vt fictitia, & fabuloſa reiiciunt*, alienum eſt à veritate, quia Salazarius in illo cap. 42. ſæculo 12. fol. 428. loquitur in ſentẽtia aliorum, dicens: *Sed tamen plures alii meritò cenſent, id planè confictitium, ac fabuloſum eſſe.* Sed quia addidit *his aſſentior, &c.* tranſeat, quia iam habes vnum, in quo ſalueris, ſed quid dices ad illud, quòd Salazarius ſolummodò loquitur de duabus reuelationibus S. Bernardi, ac D. Thomæ, tu verò loqueris de teſtimoniis exiſtentibus in officio generaliter? Et ex ſingulari vis probare vniuerſalem? Iam ad aliud tendamus: perlegiſti officium, & fateris, quòd *ibi falſa, & fide indigna* reperiantur, & credis, quòd prædictum officium, vt nunc extat, non fuerit à Sixto IV. approbatum, vel ſi eſt illud ſucceſſu temporis *deprauatum eſſe, & corruptum.* Nota tua verba: *Vel non eſſe illud, quod Sixtus IV.*

appro-

approbaſſe dicitur. Nos non dicimus, quòd Summus Pontifex approbauit omnia teſtimonia quæ in illo officio continentur: procedit enim Sancta, ac Romana Sedes Apoſtolica magis ſobriè, prudenter, ac vigilanter, quàm tu exiſtimas. Approbauit igitur ſolùm quòd illud *liberè*, *& licitè*, pro deuotione poſſent recitare fideles. Et ex hoc dicimus approbaſſe magis piam ſententiam. Inſuper, Pater, officium, quod nunc extat eſt, illud elaboratum à Bernardino de Buſtos, nullo mutato verbo, nec ſyllaba, nec Fratres Minores deprauant, neque corrumpunt officia Eccleſiaſtica, nec aliorum libros, vt fecerunt alii, de quibus videbis amplum cathalogum in Ventilabro, & ampliſsima exempla in Vẽtilatione: iuxta tria originalia antiqua collatum fuit officium Bernardini de Buſtis, vt illud collocarem in Armamentario duo impreſſa, & vnum manuſcriptum, & quòd illud à nobis tranſcriptum in Armamentario ſit, ipſummet quondam editum à Bernardino, conſtat etiam euidenter, ex ſuis Sermonibus, in quibus ſpartim adducit totum officium. P. Fr. Petrus de Alva, & Aſtorga *Auctor Armamentari Seraphici, vbi hoc, & alia officia habentur, contulit officium ſanctificationis Virginis à Bandello compillatum* per ſpatium vndecim dierum, & reperit in eo fictiones, falſitates, adulterationes, & alia in Armamentario ſignata à col. 240. vſque 277. in quibus gratias Deo. Hucuſque nullus Bandelli, vel ſui offici protector, ac defenſor, nec minimum offendit verbum, ſeù apicem à veritate alienum (& hoc etiam ſperat de præſenti opere) ideò tu pro ipſis non reperiens in prædicta collatione quid argueres, vel reprehenderes, recurris ad commune proloquium puerorum, ac mulierc ularum, *mas, &c. ſoys vos*, affirmando, quòd ſi in officio Bandelli fuit diſſonantia falſitatum, & fictionum, eadem reperitur in officio. Pater, prorſus deuiaſti à veritate, quod ſic demonſtro.

Quatuor capitalia vitia, falſitates, ſeù fictiones inueniſti in Bernardini de Buſtis officio, quibus tot erigis paleas contra Apoſtolicam Summi Pontificis approbationem, ſed iam cecidit ſuper illas Plauſtrum, vt trituratæ, vſq; ad puluerem reducantur. Prima eſt de macula S. Bernardi, &c. Hanc reuelationem ſic refert Nicolaus Monachus S. Albani, qui ſcripſit ad ann. 1152. in epiſt. ad Petrum Abbatem S. Remigii communiter dictum Cellenſem, vt videre eſt in lib. impreſ. Lutetiæ ann. 1613. in 8. fol. 378. epiſt. 166. & in Bibli. PP. tom. 12. part. 2. lib. 9. epiſt. 9. fol. 612. vbi ſic inquit: *Ego autem, & ſi diſſimili ſcientia, ſimili tamen conſcientia, ſic veneror B. Confeſſorem Bernardum, vt laudem, & amem eius ſanctitatem, qui nec amem, nec laudem eius præſumptionem in matris Domini Conceptionem. Et nè putes me magis pertinaci, quàm bona conſcientia dicere quæ dico. Audi quid ab ipſis Ciſtercienſibus vera religione prædictis, & Virginem in veritate diligentibus, acceperim de Sancto Bernardo, quorum nomina abſcondo ſub modio, nè odioſos faciam Fratrum ſuorum Collegio. In Clareualenſi Collegio quidam conuerſus benè Religioſus, in viſu noctis vidit Abbatem Bernardum niueis indutum veſtibus, quaſi ad mamillam peccatoris ſuluam habere maculam. Quem ex admiratione triſtior alloquens: quid eſt, inquit, Pater quòd nigram in te maculam video? Et ille. Quia de Dominæ noſtræ Conceptione ſcripſi non ſcribenda, ſignum purgationis meæ maculam in pe-*

ctore

ctore porro. Frater visa Conuentui innotuit, & aliquis fratrum in scriptum redegit. Relatum est in Generali Cistercienſis Capitulo, & de communi consilio scriptum periit incẽdio, maluitque Abbatum vniuersitas Virginis periclitari gloriam, quàm S. Bernardi opinionem, &c. Auctorem huius epiſtolæ aliqui dicunt fuiſſe Nicolaum Monachum, ſecretarium S. Bernardi, de quo ipſe meliſluus Pater ſæpè conqueritur: alii verò, & meliùs, affirmant fuiſſe Nicolaum Monachum S. Albani, virum ſanctitate conſpicuum, quem poſteà Alexander III. canonizauit: Sed cuiuſcumque fuerit epiſtola, ipſa initium fuit huius reuelationis cum circũſtantiis in relatione contentis, ante cõfirmationem officii Bernardini de Buſtis ſcriptam, ac diuulgatam inter Ciſtercienſes per 328. annos. Poſteà ann. 1370. Guillielmus de Guarrone. Ioann. Scoti Magiſter eandem publicauit reuelationem in 3. ſent. quæſt. 12. vel ex ſupra poſita notitia Nicolai, vel ex alia de nouo adquiſita. Poſteà ad annum 1320. Franciſcus Mayronis Doctor illuminatus, eãdem diuulgauit. Et ad annum 1330. Henricus de Haſsia plãtator Gymnaſi Vienenſis, edidit libellum contra ſomniatores iſtius maculę, qui incipit: *Quidam non leuis querellæ, &c.* Hinc creuit rumor prædictæ reuelationis inter omnes Scriptores. Et ſic Petrus de Candia poſteà Sum. Pontifex Alexander V. ad finem ſui Opuſculi, ſeù quæſtionis de Conceptione, illã latè adducit. Item poſteà Landulphus Neapolitanus in tract. de Cõceptio, cuius auctoritatem dabimus infrà. Alanus Pariſienſis, qui ſcripſit ad annum 1380. in principio ſui Defenſorii. Item Petrus de Aquila, communiter dictus Scotelus, in 3. diſt. 3. Guillielmus Varro, ſeù Borrilongius, qui ſcripſit ad ann. 1450. Item Petrus Tartaretus in 3. fol. 43. Michaël de Archano Mediol. in Ser. de Pœnit. ſer. 7. fol. 16. Robert. Carachiolus de Licio Serm. de Concept. De hac etiam reuelatione agunt tuus Ioannes Bacchonius Carmelitanus, qui ſcripſit ad ann. 1346. Item hæc eadem reuelatio fuit in Concilio Baſilienſi propoſita ad annum 1435. à Ioann. Contreras de Segouia, Canonico Toletano, & pro vtraque parte ventilata, vt videre eſt apud Turrecrematam part. 6. cap. 11. fol. 104. de ipſa etiam meminit Anonymus in 4. part. ad 18. Euaſionem latè. Omnes iſti per plures annos præceſſerunt Bernardinum de Buſtis, & approbationem ſui officii. Item ex contemporaneis eiuſdem Bernardini de Buſtis, qui nec viderunt officium, nec ſermones, nec ſaltem nominant Buſtum. Eandem reuelationem adducunt. Ludouicus à Turri de Verona in ſuo Compendio Virginei honoris, in 9. expoſitione, fol. 113. vbi latè, & eruditè explicat, quomodò intelligendum eſt illud de macula in veſte corporis Beati. Item eãdem adducit Antonius Chucarus, Epiſcopus Azernenſis in ſuo Elucidario Virginis, fol. 95. col. 4. & fol. 97. col. 2. & fol. 101. col. 4. & fol. 136. col. 4. & fol. 163. col. etiam 4. & fol. 165. col. 3. præcipuè verò huius reuelationis veritatem, defendit contra quendam Æmulum, fol. 207. & 251. & fol. 316. col. 2. Qui autem poſt Bernardinum de Buſtis ſcripſerunt adducentes eandem reuelationem innumerabiles ſunt à quibus ſuperſedeo, quia fortè dices, quòd ſua verba tranſcripſerunt à Bernardino de Buſtis.

Stan-

Stantibus ergo his veritatis inconcuſsis principiis, ſcilicèt, quod hæc reue latio habuit ſuum primum ortũ ab eiſdem Patribus Ciſtercienſibus ad ann. 1150. parum poſt mortem S. Bernardi, & quòd Buſtis Officium fuit laboratum, & approbatum ann. 1480. vt ex ipſa Bulla conſtat: & quòd per ſpatiũ 328. annorũ præceſſerat de hac reuelatione magna controuerſia; nam Landulphus Amalphitanus, & Archiepiſcopus Neapolit. qui floruit ad an. 1350. & fuit Scoti diſcipulus in Tract. de Concept. Virg. ſic inquit: *Communiter dicitur, quòd B. Bernardus reuocauit poſt mortẽ apparẽs totus lucidus vni S. Monacho in Abbatia de Claraualle habens in pectore maculam, &c.* Idem dicit Aureolus, qui ſcripſit ad ann. 1320. in 3. Sent. Artic. 1. fol. 380. Ioann. de Neapoli Ordin. Prædic. ſcribens ad ann. 1317. S. Antoninus, qui præceſsit Buſtũ. Tit. 8. de cauſa peccati originalis cap. 2. circà medium. Denique de tali macula latiſsimè loquitur Petrus Kalo Clugienſis etiam Ordin. Prædicator. in legenda de Conceptione circa annum 1310. vt videre eſt in Ventil. num. 240. ſi ergo hæc reuelatio de macula S. Bernardi fuerat communiter publicata inter omnes litteratos antiquos, & à multis doctiſsimis recepta vt vera, qui per tria centenaria annorum & amplius præceſſerant. Bernar. de Buſtis, quomodo potuit eſſe ab illo ficta, vel ſucceſſu temporis in Officio deprauata? Nonne vides tuam fuiſſe calumniam? Si iudicabas eſſe falſam, & illã impugnare volebas, trãſeat, quia hoc parum noſtra intereſt; ſed in tali caſu adduceres ad paleſtram Nicolaum Albanum cum ſuo Conuerſo Ciſtercienſi, vel aliquem ex relatis antiquis, & relinqueres in pace Armamentarium, Ordinem Minorum, præſeruationem virginis, atque Officium approbatũ à ſancta, ac veneranda Sede Apoſtolica. Fortè dices, & fortè verum dices, quòd tu ignorabas omnia ſupra relata de tali reuelatione, & quòd illam impugnaſti, vbi eam inueniſti, ſed, Pater, nimis inſulſa eſſet talis reſponſio, nam oportet iudicãtem cuncta rimari, & ordinem, principium, & finem rerum plena inquiſitione diſcutere, præcipuè, quando ſunt in detrimentum tertii, & maximi, atq; Supremi Capitis. Quid enim dicent hæretici, vel dixerunt legentes in tuo libro, quòd Summus Eccleſiæ Pontifex approbauit falſa, vel quòd fratres Minores deprauabant Officia Eccleſiaſtica?

Secunda falſitas, & fictio à te notata in illo Offiicio eſt, quòd S. Thomas apparuit Epiſcopo Patauino, declarans ſuam ſententiam de Conceptione Virginis, &c. Et probas, quia Salazarius dixit: *Me iudice commentitia prorſus, ac, vana eſt hæc reuelatio.* Benedictus Deus, quòd in aliqua ſententia aſſentis cum vno Ieſuita? Sed dic mihi, à quo tribunali conſtitutus eſt Salazarius iudex Reuelationum? Patres mei conſtituamus omnes noſtros iudices pro diffinitiuo iudicio, nè contra inauditam partem proferatur ſententia. Tu, & Salazarius iam eſtis ex vna parte: videamus, an ſint aliqui ex alia, & ante omnia excludatur foras Bernardinus de Buſtis, quia licèt in Officio, & in ſerm. 7. fol. 97. referat latè prædictam reuelationem, in hac materia videtur quaſi pars, & reus, nemoque poteſt eſſe iudex in cauſa propria, & inquiramus de aliis.

Pri-

Primus ergo sit Ludouicus à Turri de Verona in suo Compendio Virginei honoris; cuius verba fol. 59. col. 4. sic se habent. *Libet tamen vnum hoc vltimum, sed diebus nostris factũ narrare miraculum, quod in nostra credita veritate magnam reddet auctoritatem, sed & non minus aduersario confusionem. Tempore namque quo in Episcopali Patauino soliò præerat dignissimus Præsul B. Fantinus, nobilissimus Venetus, & in fide Christianissimus, Virginique glorioſæ deuotus valdè, præsertim suæ benedictæ Conceptioni, apparuit S. Thomas, Ordinis Prædicatorum, eidem Episcopo vigilanti, & ante se Tertiam partem eiusdem tenenti, & speculanti, quomodò potuerit Sanctus iste errare in determinatione Virginalis Conceptionis? Dixitque ei: Quare Domine Episcope miraris, si in scriptis reliqui de Virginis Conceptione, quòd viuens credidi, &c. Quando enim talia scripsi, tunc solùm respexi ad diuinum statutum, quo B. Maria peccatum originale contrahere debuisset, cum propagata fuerit sicut cæteri homines. Tamen, quia Mater Filii Dei est, priuilegio singulari fuit præseruata, itaque sine originali peccato concepta fuit, quibus dictis disparuit.* Secundus iudex est Nicolaus de Padua, de quo prosequitur idem, qui supra: *Huius visionis nõ ingratus B. Episcopus, imò magis in sua confirmatus deuotione festum hoc in suo Episcopio, quoad vixit, cum magna solemnitate celebrauit, & celebrandum in sua tota Diœcesi præcepit. Et licèt in eius vita visio hæc aliis non fuerit publicata; post mortem tamen suam Frater Nicolaus de Padua, nũc professus in Ordine Minorum, tunc autem eius dignus Vicarius, & Doctor omnia hæc fideliſsimè exposuit, asserens se à prænominato B. Episcopo hoc negotium non sine lachrymis ex deuotione narrante propriis auribus audiuisse.* Tertius iudex sit tota Ecclesia Patauina cum suis Canonicis, de quibus prosequitur qui supra: *In testimonium huius tantæ apparitionis adhuc festum istud à dominis Canonicis Ecclesiæ Cathedralis eiusdem Ciuitatis solemniter celebratur.* Quartus iudex sit venerabilis vir, & illius temporis scriptor Fr. Thomas Illyricus de Auximo, in ser. 26. fol. 227. col. 3. & sic consequenter enumera Ægydium, Morenum, Oxedam, Tenam, Nouarium, Bernal, Cartagenam, Porreñum, Mirandam, Torres, Vvadingum, Tamaium de Salazar, Marsilium, Marraccium, Pistoiam, Eusebium, Lezanam, Serranum, Michaëlẽm Ruiz, D. D. Ludouicum Crespi, Anonymum Franciscanum, Gregorium Gallicanum, Rios, Iustinianum, & etiam Armamentarii nostri Cooperatores, &c. vsq; ad numerum quadraginta: quibus addè in vno R. P. M. F. Michaële de Aguirre, Ordinis S. Augustini, Peruano, plures alios; hìc enim inter alia, quàm plura suæ insignis pietatis, egregia opera, vt deuotionis innatæ ostenderet præcordia, ac Collegio Matritensi suæ Religionis communiter dicto *Doña Maria de Aragon*, superadderet decorem; magnam, atque pulcherrimam imaginem Immaculatę Conceptionis collocare fecit, in qua huius San. Thomæ aparitionis, ac Fantini Episcopi Reuelationis, pari penicilli decore historia continetur; & hanc, quam religioso affectu dicauerat, posteà insurgente occulta oppositione, apud rectissimum SS. ac Supremæ Inquisitionis Tribunal, in contradictorio iudicio, docto calamo defensauit, & sic in testimonium veritatis persistit in Capella maiori, atque ad æternam memoriam Deo dante

te perſeuerabit. Superiudicet igitur Lector de iuſtitia huius reuelationis: pro falſitate, & fictione illius ſunt iſti duo arbitri Hiſpani moderni, ſine vllo fundamento ſolido, vel ſaltem leui, negantes: pro veritate autem, & certitudine illius, reperiuntur quadraginta Hiſpani, Itali, Galli, Germani, & Hyberni, moderni, & antiqui, contemporanei miraculo, & ſcribentes quaſi teſtes oculati; extant inſuper pro hac, ſuprema approbatio Pontificia, & cenſoria S. Inquiſitionis auctoritas, S. Thomæ gloria, atque Beatiſsimæ Virginis Mariæ honor; quibus ergo erit credendum?

Tertia fictio à te notata, eſt illa B. Ambroſii auctoritas in ſermone de Gabaonitis. explicãs illa Iſaiſiæ verba cap. 11. *Egredietur virga, &c.* vbi ſic dixit: *Hæc eſt virga, in qua nec nodus originalis, nec cortex venialis culpæ fuit.* De hoc teſtimonio ſic iſte bonus Pater; *Quæ verba nullus hactenus in operibus D. Ambroſii reperire potuit, Adeò vt Iacobus Granados dicat putandum periiſſe aliquod eius ſcriptum, in quo continerentur: ſatis ſuperque eſſe, vt credamus fuiſſe Ambroſii, quòd in aliquibus Breuiariis antiquis, tanquam eius verba recitentur. Sed hoc diuinare eſt, nec ſufficiens argumentum, quòd recitentur in illis Breuiariis prædicta verba: potuerunt enim recitari quia vera, licèt non quia Ambroſii, & ſi in aliquibus Ambroſio tribuantur, annumeranda erit talis attributio iis, ob quæ predicta Breuiaria à Pio V. & Clemente VIII. prohibita, vel correcta ſunt. Melius ergo Guillielmus Pepin, qui ante annos 130. adeòque priuſquam Breuiaria, quæ Granados commemorat, in lucem ederentur pro Virginis Conceptione ſcripſit, in opere de imitatione Sanctorum, ſerm. de Conceptione Viginis, declarat, quæ prædictorum verborum ſint Ambroſii, quæ verò illi aſſuta dùm ita ait: Tertio B. Ambroſius in quodam ſermone de eadem Virgine dicit ſi: Maria eſt, in qua nec nodus, nec cortex culpæ fuit. Quòd autem in primo ſermone de eadem, Conceptione in tractatu de Secretis Secretorum addidi dicens: Maria eſt, in qua nec nodus* ORIGINALIS *culpæ, nec cortex* VENIALIS *fuit: hoc de proprio addidi ad maiorem declarationem dicti ipſius Ambroſii. Sicut enim non eſt derogandum dictis Sanctorum, minùs dicendo, quod dixerint, ita nec illis imponendum eſt, quod non dixerunt; poſſunt tamen quandoque piè interpretari dicta eorum.* O bone Deus! quantas is agglomerauit machinas contra veritatem, vt ſub doloſis verbis impugnet actualem Virginis præſeruationem, & ſugillet de falſitate eiuſdem myſterii deffenſores? Vide, ò Lector! quid habent omnia illa Granados, & Pepinos cum debito prætenſo ab iſto Scriptore?

Primò dicit, quòd nullus hactenus in operibus S. Ambroſii inuenire potuit ſuprapoſitam auctoritatem: de impreſsis verum dicit, ſed fallitur de manuſcriptis, pro nunc ſufficiant, duo teſtes, qui per plures annos ſcripſerunt ante Pepinum, ſcilicèt Michaël de Carchano aliàs Mediolanenſis, qui in Sermone de Pœnitentia, impreſſo anno 1496. qui incipit: *Secundùm Philoſophi ſententiam*, ſermone 6. de Conceptione, fol. 16. col. 1. ad finem, inquit: *Secundùs eſt Ambroſius, qui in ſermone ad Gabaonitas loquens de Virgine, figurata in virga Iſaiæ 11. Egredietur virga de radice Ieſſe, &c. ſic inquit. Hæc eſt virga, in qua nec nodus originalis, nec cortex venialis culpæ fuit Hæc ille.* Et in alio ſermone poſtquam adduxiſſet eandem numero auctoritatem affirmat illam,

ſe

se vidisse in quodam Libello S. Ambrosii antiquissimo, adeò, quòd nimia vetustate incipiebat consumi, &c. Lege etiam Bernard. de Bustis ser. 5. de Concept. par. 2. in princip. fol. 57. Secundò, falsum est etiam, quòd Breviaria adducentia hanc Ambrosii auctoritatem fuerint edita post Guilliel. Pepinũ, nam hic floruit anno 1517. & decessit à vita ann. 1527. vel 1529. secundùm alios, & Officiũ Leonardi de Nogarolis, fuit editum ante ann. 1476. quando Pepinus non erat natus. Officium Bernardini de Bustis antè anni. 1480. Officium Monialium Immaculatæ Conceptionis ad ann. 1490. absque istis tribus reperitur in triginta septem Breviariis diuersarum Ecclesiarum, impress. & manusc. antè annum. 1517. de quibus vide infrà in Ventil. num. 231. Tertiò, falsissimum est illud, *Potuerunt enim recitari quia vera, licet non quia Ambrosii.* O Pater! quomodò fumigat in te sanctificationis opinio! Quadraginta, & ampliùs Breviaria vidi, & legi, quę adducunt hãc Ambrosii auctoritatẽ sub expresso eius nomine; solùm enim Breviarium Monialum Conceptionis, vtriusque impress. Vallisoletan. & Compluten. ann. 1502. adducit auctoritatem istã fol. 53. pro antiphona sine nomine Ambrosii dicẽs: *Hæc est vriga, in qua nec nodus originalis, nec cortex venialis culpæ fuit.* Omnia verò alia illam recitant, & quia est vera, & quia fuit Ambrosii, & sub eius expresso nomine. Ad illud: *Et si in aliquibus Ambrosio tribuatur, annumeranda erit talis attributio iis, obquæ prædicta Breviaria à Pio V. & Clemente VIII.* PROHIBITA, *vel correcta sunt.* Ista verba sunt sine fundamento, & veritate posita, quia non in aliquibus, sed in omnibus tribuitur auctoritas ista Ambrosio. Item Breviaria antiqua non fuerunt prohibita, sed reformata: festiuitates Sanctorũ fuerunt ab Vrbano VIII. reformatæ, non prohibitæ: & si prohibita illa Breviaria, quia in ipsis tribuebatur Ambrosio auctoritas, quomodò ab ipso Pio V. cõcessũ est Fratribus Minoribus officium, & de facto recitant illud, vbi auctoritas tribuitur Ambrosio? O quàm aptè ad rem præsentem dixit Petrus Montis ad finem illius sui opusculi de Conceptione: *Sanctissimum quoque, & hæresiarcharum acerrimum hostem, & totius demum reipublicæ Christianæ propugnatorem inuictissimum Ambrosium ad Gabaonitas loquentem contemnunt, &c.* Dixisti supra, quòd auctoritas erat vera, quare ergo fuit prohibita, an quia Ambrosii? Item Breviaria illa antiqua non fuerunt correcta, sed totaliter exclussa ab Ecclesia Romana, vt non recitarentur; erat enim magna confusio, quòd vnaquæque Ecclesia haberet suum particulare Breviarium: quod corrigitur, permanet; correctum fuit, Breviarum Pii V. à Clemente VIII. & Clemẽtis correctum à Vrbano VIII. sed Pius V. neque correxit, neque prohibuit Breviaria antiqua, sed, vt dictũ est, reformauit admittendo vnum propter vnitatem seruandam in Ecclesia, & derelinquendo alia. Denique Clemens VIII. neque prohibuit, neque correxit, aut reformauit Breviaria antiqua, quia hoc factum fuit tempore Pii. V. sed illud disposistum à Pio, Clemens correxit: sed transeat hæc correctio verborum, & deueniamus ad rem.

Vltimò, sic dicis: *Meliùs ergo Guilielmus Pepin, &c. declarat, quæ prædictorum verborum sint Ambrosii, quæ verò illi assuta, &c.* Pro exacta intelligentia mentis,

seù

ſeu intentionis huius Theologi obſeruare debet Lector, quòd ipſius finis eſt, demonſtrare ſupra poſitam auctoritatem Ambroſii, vt extat in Breviariis, & Auctoribus piæ opinionis eſſe fictã, & falſam, quia vera, & legitima Ambroſii erat hæc: *Maria eſt, in qua nec nodus, nec cortex culpæ fuit.* Illa autem duo verba *originalis*, & *venialis*, in quibus conſiſtit tota auctoritatis vis fuiſſe aſſuta, addita, & ficta à ſectatoribus piæ ſententiæ, & hoc probat, quia Guillielmus Pepin, Ordinis Prædicatorum, inter defenſores Immaculatæ Conceptionis præcipuus, palam fatetur in Sermone de imitatione Sanctorum, ſe illa duo verba ex propriis addidiſſe ad maiorem declarationem dicti ipſius Ambroſii, quæ duo verba in rei veritate in Ambroſii originalibus non extabant, ſed modò ſupradicto, ſcilicèt ſic: *Maria eſt, in qua nec nodus, nec cortex culpæ fuit*, cum autem Pepinus floruerit ab hinc 130. annis præceſſeritque tẽpore omnibus Auctoribus, ac Breviariis prædictam auctoritatem adducentibus ipſi tranſcripſerunt à Pepino illa duo verba ficta, & aſſuta, *originalis*, & *venialis*, vndè ab iſto vnico creuit per omnes illo poſteriores illa falſa, & ficta auctoritas Ambroſii ad Gabaonitas: ſed ex iſto tuo diſcurſu, ò Pater! quid deducis pro tuo debito? Admittamus nunc intruſam chimeram ſine fundamento, veritate, nec ſcientia, vt ſtatim videbis, ex hac propoſitione: *Maria eſt, in qua nec nodus originalis culpæ, nec cortex venialis fuit*, deduxit aliquis in mundo: ergo Maria non contraxit debitum? Vel ex hac pro qua ita ſtrenuè dimicaris: *Maria eſt, in qua nec nodus, nec cortex culpæ fuit*, infers tuam conſequentiam: ergo Maria contraxit debitum? Si ergo ex nulla parte iſtæ auctoritates fauent tuæ opinioni, nec ipſi opponuntur; igitur omnia iſta à te adducta fuerunt, non vt opinionem debiti corroborares, ſed vt actualẽ præſeruationem deſtrueres.

Sed vt videas, quo te occulta, ac inconſiderata Thomiſticę opinionis paſſio præcipitauit attende. Guillielmus Pepin Doctor Pariſienſis Gallus, floruit ab hinc vt tu ærè dicis 130. annis, ideſt, clarebat ann. 1528. & ſic communiter etiã ſenciũt omnes Nomẽclatores. Hoc ſuppoſito, pergamus vltra: Pepinus laborauit opus de Secr. Secret. & fuit impreſſũ Pariſiis anno 1536. in 8. ibique habet Sermones duos de Intemerata Conceptione Virginis Mariæ. Et fol. 241. col. 1. adducendo teſtimonia Sanctorum pro ſententia præſeruationis, inquit: *In primis, nempè B. Ambroſius in Sermone quodam, de B. Virgine loquẽs dicit ſic: Hæc eſt virga, in qua nec nodus originalis, nec cortex venialis culpæ fuit.* Ab hoc Auctore, & anno, vt tu dicis, tanquam à fontali principio, & prima origine cæpit iſtius auctoritatis ficta, & falſa propagatio: hoc conſtat, inquis, ex ipſomet Pepino, nam anno 1589. ideſt poſt 53. annis ab impreſſione opuſculi ſupra poſiti de Secretis Secretorum, prodiit Venetiis aliud eiuſdem Auctoris opuſculum, ſub titulo de imitatione Sanctorũ, in quo fol. 28. à tergo adducit tua ſupra poſita verba, in quibus profitetur illud de originali, & veniali fuiſſe ab ipſo aſſutum, dicens: *Hoc de proprio addidi ad maiorẽ declarationem dicti ipſius Ambroſii, &c.* Huc peruenit tuus diſcurſus, ſcientia, & demõſtratio noſtræ fictionis, & falſitatis Ambroſiani textus. Vtinam in hac

parte tacere posſem, ſed obſtant Virginis Mariæ gloria, & multorum fama, & opinio. Et in primis contra omnem veritatem adulteraſti textum, quia ſic ſe habet: *Quòd autē in primo ſermone de eadē Cōceptione in tractatu de Secretis Secretorū addidit dicēs, &c.* Sicq; ablatione litteræ t, ex tertia perſona feciſti primam, vt poneres in capite Pepini additionem illam à manu adulteratricè, cuiuſdam Correctoris, ſeu Reviſoris Venetiani N. interpoſitam. Vidēs enim hìc N. auctoritatem iſtam B. Ambroſii eſſe adeò expreſſam, vt ſui communitèr Patres Dominicani (nullum aliud inuenietes effugium) illam excludebant, dicētes fuiſſe falſam, & fictam, voluit talis falſitatis, atque fictionis introducere primū auctorē, ac inuentorē, & occaſione opportuna reperta in illo Pepini opuſculo de imitationē Sanctorū, non præcauendo cōtradictionem, nec præuidendo repugnātiam, imò impoſsibilitatem (in quibus etiam tu incautè cecidiſti) inſeruit in ſermone Pepini verba iſta à te adducta; ſicq; clauſula illa non eſt Pepini Galli, ſed Correctoris Veneti, vt euidenter demonſtro in Ventilabro §. 1. vide ibi, ſed hoc parum refert ad tui confuſionē, admittamus enim pro nunc verba illa eſſe Pepini, & pergamus ad examen veritatis tui aſſerti: *melius ergo Guillielmus Pepin, &c.*

Quomodò Pepin, qui floruit ad annum 1520. potuit eſſe primus Auctor fictæ, ac falſæ auctoritatis Ambroſii in illo ſuo libro de Secretis Secretorū, impreſſo anno 1536. ſi eandemmet auctoritatem, nulla mutata ſyllaba adducunt Aureolus, Mayronis, Vitalis, Alanus, Pelbartus, Carchanus, Montius, & alii, vſque ad numerum triginta trium, qui omnes præceſſerunt Pepinum, & aliqui illorum ſcripſerūt antequam Pepini pater, auus, & atauus nati eſſent in terra? Aſſuere iſta amore Dei? Quomodò à Pepini opuſculo, impreſſo anno 1536. tranſcribere potuerunt in ſuis officiis auctoritatem B. Ambroſii, Nogarolus ad annum 1470. Buſtos ad ann. 1480. Breviariū Cōceptionis ad annum 1490. & idem dico de aliis triginta ſeptem Breviariis manuſcriptis, & impreſsis, in quibus prædicta auctoritas reperitur, & recitabatur in diuerſis mundi Eccleſiis, ante quam Pepinus natus eſſet in mundo, aſſuere etiā iſta ſi potes? Si ex ipſiſmet Thomiſtis, Turrecremata ſcribens ad ann. 1437. per integrum ſæculum ante Pepinum, Anonymus ſcribens ad ann. 1470. Bandellus ad ann. 1480. Deza ad ann. 1502. impugnant hanc auctoritatem Ambroſii, & dicunt illam eſſe fictam, & hoc nituntur probare in ſuis libris: ergo Pepinus ſcribens ad ann. 1520. non fuit auctor, aſſutor, & fictor iſtius auctoritatis? Et ſic neceſſe eſt tibi alterum quærere antiquiorem, & ab alto petere aſſutorem? Deniq; dixiſti, vt vidimus ſupra: *Quæ verba nullus hactenus in operibus D. Ambroſii reperiri potuit, &c.* Quomodò igitur nūc affirmas cum Pepino, quòd verba ſic extant in originali Ambroſii: *Maria eſt, in qua nec nodus, nec cortex culpæ fuit.* Et quòd alia verba de peccato originali, & veniali fuerunt prædictæ auctoritati aſſuta: Ergo Pepinus vidit originale B. Ambroſii? Item Michaël Mediolanenſis, cuius verba ſupra dedimus, dicit ſe vidiſſe opus manuſcriptum antiquiſsimū Ambroſii, in quo auctoritas ſic extabat: *Hæc eſt virga, in qua nec nodus* ORIGINALIS,

nec

nec cortex VENIALIS *culpæ fuit.* Qua ergo intentione dereliquiſti hanc veram lectionem Carchani, & triginta trium aliorum Doctorum antiquiſsimorũ approbatam à Summis Pontificibus Sixto, Innocentio, Alexaudro, Iulio, & Leone in diuerſis Breviariis, & ſuſtines, atque defendis illam introductam à quodam incognito N. D. ſub nomine Pepini? Quando nec fauet tuæ opinioni de debito?

Quartam, & vltimam falſitatem ſic adducis: *Non minùs vitiatus legitur ſecundus locus qui tribuitur Auguſtino libro de quinque hæreſibus, ſub iſtis verbis: Si potuit inquinari mater mea, cum ipſam facerem, potui, & ego inquinari, cũ ex ea naſcerer. Ita in illo officio. At Auguſtinus ita ait: Hanc quam deſpicis, Manichæe, mater eſt mea, ſed manu fabricata eſt mea. Si potui inquinari, cum eam facerem, potui in illa inquinari, cum ex ea naſcerer. Vide quantum differat, ſi potuit pro perſona Virginis, à ſi potui, pro ipſa Chriſti perſona. Prima enim loquutio denotat Virginem non potuiſſe inquinari peccato cùm à Deo facta fuit, adeòque in primo inſtante conceptionis, quòd Auguſtinus nõ dicit. Secũda verò denotat, Deũ, dùm Virginẽ produxit, nõ potuiſſe exhac productione inquinari, ſicut inquinari non potuit ex eo, quòd ab illa naſceretur, & hoc affirmat Auguſtinus. Agebat enim contra Manichæũ negantem res* CORPOREAS, *&* VISIBILES *à Deo fuiſſe factas, quaſi indignũ Deo eſſet ad hæc viſibilia cauſalitatẽ ſuã extẽdere, & quaſi ex tali cauſalitate poſſet inquinari: quòd deliriũ reprehendit, & impugnat Auguſtinus, ſupra dictis verbis ex perſona Chriſti prolatis. Si potui inquinari cũ eã facerẽ, potuiſſem inquinari cũ ex ea naſcerer, atq; adeò ſicut naſcẽdo ex matre corporea, & viſibili, inquinatus non fuit, ita nec creando illam, inquinari potuit.* Hęc de noſtra quarta falſitate. Et infrà dicis ſic: *Nec mirandũ hæc, & alia à* VERITATE ALIENA *in prædicto officio ſucceſſu temporis irrepſiſſe, cum videamus idipſum breuiori ſpatio, nempè à tempore Pii V. vſque ad Clementem VIII. Breviario Romano accuratius cuſtodito, vel Typographorum negligentia, & incuria, vel nimia aliorum audacia, & licentia, in multis, ſatiſque grauibus accidiſſe, vt ipſe Clemens VIII. in ſua recognitione teſtatur. Liquet ergo ex prædictis officiis, etiam ſi ab antiquis Pontificibus approbata* DICANTVR, *non poſſe firmum deſumi teſtimonium pro* ALIQVA *ſententia, cum nobis certò conſtare non poſsit, quæ in illis Pontifices approbarunt, & quæ ab aliis poſtmodum* ADDITA, *vel* CORRVPTA *ſint.* Multa in his verbis inuoluit Auctor iſte, quæ à fundamentis ſubuertere neceſſe eſt.

Primò ergo dico, officium Bernardini de Buſtis in nullo eſſentiali verbo, ſeù clauſula principali hucuſque fuiſſe vitiatum, nec corruptum, nec additum, ſed hæc deſumpſit Buſtis ex Doctoribus antiquis infrà adducendis, & ex Petro Thoma, qui ſcripſit ad ann. 1320. in tract. de Concept. par. 5. cap. 5. dicente: *Et aliqui libri habent ſic, in tertia perſona: ſi potuit inquinari: &c. Et eſt euidẽtiſsimè ad propoſitum noſtrum, &c.* Cùm ergo in prędicto officio omnia extẽt integra, ſicut à Bernardino fuerunt ſcripta, & à Sixto IV. approbata, vt cõſtat ex vno originali manuſcripto, & tribus impreſsis à nobis viſis, in quibus omnibus extant iſta quatuor vitia, fictiones, & falſitates ab oppugnatore adnotatæ, vt capitales; quòd ſi iſtæ ſunt tales, vt ipſe dicit, Summus Pontifex falſa, à veritate aliena, atq; ficta approbauit, quòd ſi non ſunt falſa, neque

ficta ipſe,vt Sedis Apoſtolicæ temerarius calumniator eſſet plectendus. De tribus in ſuperioribus diximus:de quarta præſens eſt ſermo. Vbi obiter nota illa verba: *Non liquet ex prædictis officiis,&c. deſumi teſtimonium pro aliqua ſententia.* Quæ ſunt iſta prædicta officia? hucuſque ſolùm loquutus es in ſingulari de officio Bernardini de Buſtis,iam verò introducis in plurali officia, vt includas etiam illud Leonardi Nogarolis , quòd modò recitatur à Fratribus Minoribus,& alterum Monialium Cõceptionis , quia in omnibus vis introducere prauitatem,additiones,& corruptiones,vt ex nullo , *poſsit deſumi teſtimonium pro aliqua ſententia.* Nota hoc, *Pro aliqua ſententia* : Quæ ſunt iſta ſententię? Non ſanctificationis,quia pro hac ex illis Breviariis nullum poteſt deduci teſtimonium , ſunt ergo iſtæ ſententiæ debitum , & præſeruatio actualis, quas tu ſimulatis verbis impugnas , in omnibus tuis rationibus. Vt infrà videbimus.

Secundò , dicis legendum eſſe in prima perſona,potui, quia Auguſtinus agebat *contra Manichæum negantem res corporeas , & viſibiles à Deo fuiſſe factas, &c.* Pater, compone hanc tuam interpretationem cum doctrina Turrecrematæ,par. 12.cap. 5.fol. 253.vbi reſpondens ad argumenta pro noſtra parte propoſita in Concilio Baſilienſi,ſic inquit : *Vndecima auctoritas eſt eiuſdem in eodem libro, vbi Auguſtinus loquẽs in perſona filii Virginis,ait: Si potuit inquinari mater mea,cum ipſam facerem,potui & ego inquinari,cum ex ea naſcerer, ſed conſequens eſt falſum ergo,& antecedens. Ad iſtam auctoritatem reſpondetur, quòd corruptè , & falsò allegatur, & ita in hoc ſacro Concilio fuit prædicata,& ſcripta,&c. Et ita patet,quòd Auguſtinus non dicit in tertia perſona,potuit (ſicut ex aduersò dictum eſt,& ſcriptum) ſed in prima perſona dicit,ſcilicèt, ſi potui. Ex quibus patet, quòd cum Auguſtinus in prædictis verbis loquens contra Manichæos,qui Chriſtum dicebant corpus de cœlo attuliſſe, & tranſiuiſſe per Virginem,noluerit aliud oſtendere,niſi quòd diuinitas in nullo fuit inquinata,aſſumẽdo verum corpus de Virgine,ſicut nec radius inquinatur à fece,&c.* Cõpone, dico, tuam reſponſionem cum hac Turrecrematæ. Tu dicis,quòd Auguſtinus in prædictis verbis loquitur contra Manichæum , negantem res corporeas,& viſibiles à Deo fuiſſe factas. Turrecremata verò affirmat , quòd Auguſtinus loquitur contra Manichæos,qui Chriſtum dicebãt corpus de cœlo attuliſſe,& tranſiſſe per Virginem,&c. Nota,amice Lector , quanta eſt diſtantia inter iſtos duos;ſed ſi multum diſtãt inter ſe, ſine comparatione plus diſtant ambo à veritate,quia neque vnus, neque alter vidit Auguſtinum , & ſi viderunt,non intellexerunt, & ſi intellexerunt,noluerunt benè agere , ſed loquuti ſunt ex phantaſia , & pro libito , vt ex ipſiſmet Auguſtini verbis conſtabit.

Sanctus enim Auguſtinus fecit librum contra quinque hæreſes, ſeu Orationem exiſtentem , tom. 6. folio 8. vbi ſic inquit : *Aggrediamur iam , & errorum , quæ diximus quinque genera proponamus. Pagani dicunt : Quid eſt, quòd nos exhorretis , atque abiicitis , tanquam multos colentes Deos? Ecce & vos Deum,quem prædicatis colendum filium habere dicitis , & ſine alterius commixtione ſexus natum eſſe confingitis. Iudæi dicunt : Quomodò vnum colitis Deum , quandò,*

&

& hominem, quem patres noſtri crucifixerunt dominum dicentes hominibus extorquetis, vt tanquam Filium Dei vobiſcum venerentur, & colant. Manichæi dicunt phantaſma eſſe, quòd dicitur, Deum Ieſum Chriſtum fœmineo potuiſſe naſci ex vtero. Non enim dignũ eſt inquiunt, vt tanta maieſtas per ii ſordes, & ſqualores fœminæ tranſiſſe credatur. Sabelliani, &c. Pater, quomodò adeò deceſsiſti à veritate? Quomodò finxiſti, quòd Auguſtinus hìc loquebatur contra Manichæum negantem, res corporeas, & viſibiles à Deo fuiſſe factas? Signa in propoſito errore Manichæorum, an ſit vnum ſaltem verbum ex tua ficta creatione? Inſuper ſic introducit Auguſtinus ſuam diſputationem cum Manichæo: *Nunc volo ad eius incarnationem accedere, & Manichæus inſiſtit improbu. Quare? Quia Dei Filium non vult dici etiam hominis Filiũ, &c.* Et ſic illum impugnat, præcipuè ex illis Pauli verbis: De filio ſuo, qui factus eſt ei de ſemine Dauid ſecundùm Carnem. Formalis igitur error Manichæorum ab Auguſtino in hoc libro impugnatus tantummodò fuit iſte: Deus non eſt factus homo in vtero fœminæ. Et cauſa à priori ſignata à Manichæo erat iſta: quia non erat dignum, vt tanta maieſtas, puritas, & munditia Dei eſſet, vel tranſiiſſet per ſordes, vel ſqualores fœminæ. Contra hanc rationem à priori Manichæi, vt illam deſtruat, dirigit Auguſtinus totũ ſuorũ verborũ pondus dicens: *Stulte, vndè ſordes in Virgine matre, vbi non eſt concubitus cum homine Patre? Vndè ſordes in ea, quæ nec concipiendo libidinem, nec pariendo eſt perpeſſa dolorem? Vbi ſordes in domo, ad quam nullus hoſpes acceſſerit, &c.* Et huc tendunt omnia alia, quæ ibi dicit Auguſtinus: ergo illud de corpore allato de cœlo, Turrecrematæ, & multo magis iſtud à te adductum de creatione rerum corporalium, & viſibilium fuerunt quædam chimeræ gratis introductæ.

Tertiò, conaris oſtendere, locum iſtum Auguſtini fuiſſe vitiatum in officio Bernardini de Buſtis, quia ibi legitur in tertia perſona *potuit*, & in hoc ſine vlla ſcientia, aut notitia Doctorum antiquorum loqueris: Nam Franciſcus Mayron Doctor illuminatus, qui ſcripſit ad annũ 1320. & elaborauit plures tractatus ſub titulo Flores Auguſtini exiſtentes in Con. S. Ioannis Regum Toletan. & alibi legit in tertia perſona *potuit*, & ſic eſſe legendum affirmat Epiſcopus Azernenſis in ſuo Elucidario, folio 183. & folio 58. col. 3. in principio, vbi affirmat, in aliquibus codicibus ſic extare, id eſt, in tertia perſona, & hunc eſſe legitimum, ac verum textum, Aureolus, & Gerſon, vt refert Vzanus in Analyſi, folio 72. legunt eodem modò *potuit*, quam lectionem ipſe latiſsimè comprobat. Ioannes Vitalis, & Alanus Pariſienſis, qui ſcripſerũt ad ann. 1380. in ſuis Defenſoriis, lib. 4. Ancil. 2. circa principium, illam latè tuentur, & addunt, quòd ſi non ſit *potuit*, verba Auguſtini non concludunt contra Manichæum, & tempore Concilii Baſilienſis ad ann. 1435. publicè fuit prædicata coram Patribus, ac Ioannes de Segouia Contreras eandem in ſcriptis redegit, & tradidit Concilio, vt Turrecremata teſtatur. De hac lectione meminit Henricus de Gandabo, qui obiit anno 1293. Denique Anonymus, & Bandellus, qui ſcripſerunt ante Bernardinum de Buſtis illam impugnant: quomodò ergo, vel vndè potuit eſſe ficta,

vel vitiata in illo officio, poteſt ne eſſe fictum hodie, quòd centum ab hinc annis conſtat fuiſſe ſcriptum, publicatum, ac divulgatum? Cum ergo, omnes ſupra poſiti præceſſerint Bernardinum de Buſtis per plures annos, quomodò ab illo, aut à Fratribus Minoribus potuit eſſe vitiatus Auguſtini textus? Omnes illos in vno Bernardino ſugillas, quia addiderunt vnam litteram t, & ex prima perſona fecerunt tertiam, quando originalia Auguſtini manuſcripta fuerunt tot, ac tãta non conſiderans, quòd tu in vnico ſolo originali Pepini impreſſo abſtuliſti eandem litteram t, vt ex tertia perſona faceres primam, vt vidimus in antecedenti auctoritate? Quod exiſtimo ſpeciali Dei permiſsione factum, vt cecideres in foueam, in qua innocentem inuitè præcipitare voluiſti. De mente Auguſtini in hac auctoritate vide Ventil. num. 34. Poſt omnia iſta ſic concludis: *Neque hæc tantum loca, quæ* DETEGIMVS, FALSO *producuntur, ſed* PLVRA *alia, ex Auguſtino, Anſelmo, Bernardo, & aliis Patribus, à iunioribus ſine* DELETV *citantur, aut verò etiam verba afferuntur, quorum ſi* FIDEM *quæras,* NVLLAM *inuenies. Sæpèque hæc nutat ex ipſa relatione, vel dum non aſsignatur certus liber, aut tractatus, vel caput omittitur, &c. Vt autem hoc vitium ab hac noſtra diſputatione exularet, curauimus in ea quantum in nouis fuit, in Auctorum dictis ſententiis referendis nihil* ALIENÆ FIDEI *committere, ſed* FONTES *ipſos conſulere, & quidquid* LEGITIMVM *non comprobauimus, vt* SPVRIVM *relegare, in quo cauſæ immunitatis Deiparæ ſatis conſuluiſſe credimus, cui alii ſine delectu, &* EXAMINE, *ex quibus ſuis procedentes, nullaque non credentes, non leue inferunt præiudicium: dum* VERITAS, *quæ ex legitimis fundamentis illi aſsiſtit,* FALSIS *allegationibus implicatur: ſeria, & certa quibus abundat,* FABVLOSIS, *aut* APOCRYPHIS *commiſcentur, &c.* O Detector optimè! quatuor loca à te detecta, de quibus tantùm gloriaris, talia qualia in ſuperioribus vidimus, priùs te Turrecremata, Anonymus, Bandellus, Spina, & nouiſsimè P. Herrera, à quo tu illa tranſcripſiſti, vt in Virgine Maria conſtituerent originalem maculam detexeru it: ſicque non eſt detector, ſed exhumator, quia omnia illa, quę, vt oſſa arida, ac demolita cadauera ſepulta iacebant in foſa ſub phã taſtico corpore debiti iterum à ſepulchro reuocaſti. Illa plura alia falſa, & ficta, quæ ſilentio obtegis ex Auguſtino, Anſelmo, Bernardo, & aliis Patribus, ſi non in officio Buſtis in illo Nogarolis conatus eſt detegere tuus anteſignanus Bandellus ratione 11. à fol. 84. ſed fruſtra, vt latiſsimè probat Epiſcopus Azernẽſis Chucaro à fol. 174. ſi fontes ipſos conſuluiſti, quomodò hæc, & alia non vidiſti, & ſcribis, ac ſi in paludibus, ac turbidis ciſternis tuus natus eſſet calamus, & nota quomodò hæc quatuor à te notata legitimè cõprobaſti. Scimus, Pater, quid in hac materia ſcripta ſunt, notitiam extraxiſti à Petro de Herrera, & erraſti, ſed tranſeant omnia iſta, & triturẽmus alia.

Certè miror, & obſtupeſco de confidentia, qua dicis te cauſæ immunitatis Deiparæ ſatis conſuluiſſe, &c. quandò in tota tua latiſsima quæſtione, nec vnicum ſolùm Verbum habes fauens immunitati, nec ſaltem ſemel compellas Conceptionem Immaculatam aſſertiuè, & ſi aliqua generalia adducis

eſt,

eſt,vt ſub mele venena propinares. Omnes auctoritates claras, & expreſſas pro viribus conaris infringere. Omnes Auctores contra immunitatē ſolicita calculatione congregas. Omnes rationes hucuſque à Patribus Dominicanis excogitatas contra immunitatem, imò etiam ipſorum verba reducis, tranſcribis, & exaltas; omnia fulcimenta immunitatis, ſine delectu auelis; omnia fundamenta contra immunitatem plantas,& reędificas,quę ſunt pro immunitatem, & quæ pro ipſa quo quomodò eſſe poterant deſtruis. Tandem omnes in communi, & ſingulos in particulare ſtrenuos, ac præcipuos defenſores immunitatis ſugillas,& carpis. Vide,quid dicas de Salazario, & de aliis ſuæ Societatis Patribus;nota quid ſcripſeris contra Ambroſium Catharinum,Ordinis Prædicatorum? Quid non congeris contra Bernardinum de Buſtis Minoritam,& eius officium? Quomodò inſurgis contra venerabilem Amedeum,num. 237. reuocando iterum Bzouianas impoſturas de *hæretica,erronea,blaſphema, fabuloſa, & nugatoria*, & pariter extorquendo contra eum mentem,& verba Compilatoris Bibliothecæ Virginalis? Pater,Cōpilator Fr. Petrus de Alua viuit gratias Deo, & quando qualificauit Cornelium à Lapide,de pio,docto, ac modeſto fuit per contrapoſitionē ad Abrahamum Bzouium,qui nec pium,nec doctum,nec modeſtum in illis quæ adſcripſit Amedeo ſe oſtendit;non verò vt tu perperam, & falsò interpretaris, ſcilicèt,quia opus Amedei,*maiori caſtigationi obnoxium iudicauit*. En iterū Compilator Bibliothecæ ſuam mentem, & veritatem explicat: Bzouius errauit peſsimè,vt ibi euidenter oſtendit, & tu ſimiliter dum dicis: *Quæ cum ita ſint, liquet nullum ex illo opere poſſe deſumi teſtimonium pro alicuius veri confirmatione: ita enim falſa,& fabuloſa veris admixta ſunt,vt diſcerni non valeant,&c.* Et hæc inſinuaſſe ſufficiat, quia in hoc libro Patres Minores tacent, & ſolùm veritas pro Immaculata Conceptione loquitur.

Deinde à num. 242. vſque ad quæſtionis finem multa dicis, quæ magna Trituratione indigebant,vt ſunt illa contenta in toto §. V. ex decreto Concilii Tridentini, & illa tua ridicula conſequentia circa intentionem Spiritus Sancti;& de auctoritate Petri Poloni,Auctoris damnati, quàm dicis te extraxiſſe ex vetuſto codice. Item illud, quòd dicis de Kemnitio hæretico expoſtulante priuilegium, & cœleſte diploma, in quo Virgo Maria exempta dicatur à lege communi peccati originalis,de quo dicis,& benè: *Audax ſanè, imò ſtultum hæretici pronūtiatum,&c.* Poſuiſti verba iſta in capite hęretici,cùm hoc audax,& ſtultū pronuntiatum ipſe didicerit à Patribus Bandello, Barelete,& Elyſio,& ab aliis antiquioribus, vt videbimus in Ventil. ex Henric. de Haſsia,num.44.ad finem. Vndè cōſtat etiam,quòd ſolùm vidiſti in fontibus vitia,falſitates,fictiones,incerta, fabuloſa, & apocrypha, quæ iubare poterant opinioni ſanctificationis, & ipſius fautores? Quid item dicendum erat de illa tua propoſitione poſita num.251. *Vndè talis* NON PRÆSERVATIO, *neque derogat diuinæ potentiæ,neque amori,ſicut neutri derogat, quòd ipſam Virginem non fecerit de Spiritu Sancto conceptam,&c.* Et de contenta numer. 255.circa permiſsionem S. Tribunalis,quæ omnia, & alia abſque Tritu-

tione relinquimus, quia cum sint doctrinalia, & pendeant à discursu magis ad controuersiam, quàm ad claram veritatis ostensionem, quam solùm in præsenti intendimus, expectant.

Solùm pro vltimò complemento, ac totali Trituratione huius nouissimi Scriptoris breuiter demonstrare intendo, præter illa superius indicata, signa, seù, vt veriùs dicam, euidentes demonstrationes, ex quibus colligatur illius præcipuam intentionem fuisse sub simulato prætextu debiti proximi, scribere exprofesso pro actuali contractione culpæ, vt contra sententiam magis piam de Immaculata Virginis Conceptione, & quòd præcipuum, ac vnicum argumentum totius suæ diffusæ quæstionis est tantummodò hoc: Beata Virgo Maria in sua Conceptione contraxit intrinsecè, formaliter, & actualiter culpam, ac maculam originalis peccati: ergo contraxit debitum; & probat antecedens. Primò, pag. 560. num. 1. se retrahendo à discusione opinionis contrariæ, nolendo à consilio illam impugnare, euertere, aut saltem tangere, & consequenter, vt supra vidimus acriter reprehendit præcipuos defensores huius mysterii. Et pag. 659. numer. 255. carpit scribentes vulgari lingua pro Immaculata Conceptione, adducens illam communem Aduersariorum instantiam de muliercularum conuenticulis, quasi illarum applausibus, ac votis hæc decidenda esset controuersia, vt cùm hoc non dicat de debito, sed de actuali contractione: ergo huc tendit eius quæstio? Secundò, pag. 559. num. 6. affirmat, quòd ad contrahendum peccatum, vel debitum, non est satis, quòd natura fuerit in lumbis Adæ; sed necesse est, supposítum fuisse vnitum naturæ, & quòd non sufficit contractio inchoatiua in lumbis Adami, parentum, neq; in semine. Et pag. 566. num. 15. iterum stabilire conatur, quòd omnes Adami posteri manent omninò determinati, ac necessitati ad contrahendam maculam peccati originalis in propria persona; ita vt nulla via, etiam de potentia absoluta, possit impediri effectus peccati, nisi gratia infundatur, & præoccupet locum peccato. Et infrà §. 4. à folio 575. num. 37. ac deinceps affirmat, quòd nec de potentia absoluta possunt separari peccatum, & tertius gradus debiti, & cum istum tertium gradum debiti ipse pro viribus conetur stabilire in Virgine Maria: ergo & peccatum, quod nec de potentia absoluta ab illo potest separari. Tertiò, folio 594. num. 94. & 102. & deinceps vsque ad n. 256. affirmat, quòd præseruatio à culpa non est propriè, nisi largè, & abusiuè redemptio, & quòd præseruatio à peccato, & eius debito omninò præiudicat redemptioni, quia secundùm fidem non est alia redemptio, nisi actualium peccatorum, nec remissio, aut liberatio, nisi à seruitute, & captiuitate actuali in re, ita vt peccata nondum commissa nequeant esse redemptionis materia, sicut nec confessionis, & absolutionis, & concludit sic: quid enim absurdius, quàm asserere, quòd B. Virgo redempta fuerit vera, & propria redemptione ab aliquo, vel aliquibus peccatis mortalibus personalibus, à quibus certissimum est fuisse præseruatam? Igitur sentit, quòd nec à peccato originali fuerit redẽpta, quia eadem est vtrobique ratio. Quartò, fol. 584. num. 66. & 67. nititur

stabi-

ſtabilire ex Auguſtino contra Iulianũ; quòd nullus filiorum Adæ, pro quo mortuus extitit Chriſtus, fuit exemptus à morte peccati, & eius debito quicumque ille ſit. Quòd ſi Auguſtini verba, alicuius, vel etiam Deiparæ exceptioni additum reliquerent, nequaquam S. Doctor ſuo argumento hæreticum concluderet, &c. Item infrà affirmat, quòd ſi regulæ generales, *Omnes peccauerunt, &c.* aliquam exceptionem admitterẽt, nullius eſſent roboris: ergo iſte Pater, nec vult admittere, nec de facto admittit exceptionem Virginis à peccato originali? Et ſecundùm eius doctrinam, quando Auguſtinus in libro de Natura, & Gratia, qui etiam eſt cõtra Iulianum, excepit Virginem Mariam, non concluſit hęreticum? Nec alicuius roboris fuerunt illius rationes? Quintò, fol. 629. num. 180. circa finem concludit ſic (non enim Virgo de facto iuſtitiam originalẽ accepit, vt eius paſsibilitas, & mortalitas oſtendebant:) Cum ergo in ſententia iſtius, & omnium Aduerſariorum paſsiones iſtę procedãt à peccato originali de facto contracto; ſequitur, quòd ſub iſta negatiua, non habuit de facto iuſtitiam originalem, admiſsit affirmatiuam, habuit de facto peccatũ originale. Sextò, §. 7. fol. 624. à num. 166. ex baptiſmo Virginis Mariæ deducit hoc argumentum. Virgo Maria fuit abluta, atque baptizata à Chriſto Domino; ablutio autem ſpiritualis non eſt niſi à peccato, ſaltem in alio commiſſo: qui enim nullibi immundus, aut inquinatus fuit, non indiget, vt lauetur, &c. ergo conſequentia legitimè, & neceſſariò deducenda eſt: igitur Maria fuit immunda, & inquinata? Nec valet dicere, vt ipſe dicit, quòd fuit immunda, & inquinata in Adamo; tùm, quia etiam hæretici poſſent dicere, quòd non baptizamur propter maculã propriam, ſed propter debitum, & peccatum in Adam: tùm, quia ipſe non ponit debitũ Virginis in Adam, neque in ſemine, imò iſtud pro viribus impugnat, ſed intrinſecè in ipſo inſtanti animationis. Item ſi propter debitum in Adamo teneor baptizari in Chriſto: igitur propter debitum in Adamo poſſum redimi, & præſeruari à Chriſto, quòd iſte ſemper negat. Septimò, deducitur intentum huius Scriptoris ex eo, quòd omnes rationes adductas à Patribus Dominicanis, pro ſua contractione actuali de morte corporali, folio 625. num. 170. & illud communiſsimum de auis, & pro auis, &c. adducit, corroborat, & omnibus viis ſibi poſsibiliùs nititur comprobare, igitur idem in quantum idem ſemper eſt natum facere idem.

Si hoc patet ex ratione, & doctrina, euidentiùs conſtat ex Auctoribus, atque auctoritatibus ab ipſo adductis. Primò, quia fol. 619. à num. 156. §. V. expendit omnia teſtimonia Sacræ Scripturæ pro ſua opinione de debito, & ſunt illa ipſiſsima, quæ adducuntur à Dominicanis pro ſua contractione actuali. Secundò, quia pro eodem debito à fol. 608. num. 130. adducit etiam omnes Sanctos, Patres, atque Doctores adductos ab eiſdem Patribus Dominicanis pro ſua contractione, imò ſuperaddit aliquos ab illis prætermiſſos, cum tamen ex additis nullus loquatur de debito, & ex aliis paucisſimi ſint, qui non loquantur de actuali contractione. Tertiò, fol. 615. numer. 147. & fol. 637. num. 200. affirmat, quòd nullo modò poſſunt intelligi,

gi, aut explicari de debito, sed de actuali cõtractione. S. Thomas, Albertus Magnus, S. Bonauentura, Richardus à S. Laurentio, S. Antoninus, & Hugo Cardinalis, & fol. 615. num. 149. & 154. refert triginta Auctores pro eadẽ actuali contractione. Ex quibus omnibus videtur facere, vel formalem, vel virtualem illationem sic: Omnes isti Doctores affirmant, Virginem Mariam habuisse de facto actualem maculam: ergo à fortiori habuit debitum. Quartò, quia §. V. vbi inquirit, quid tenendum sit de mente Angelici Doctoris, affirmat, quòd S. Thomas subscribendo opinioni minùs piæ, & affirmando Virginem Mariam contraxisse peccatum originale, prudentissimè egit, & sapientiùs coram Deo quàm Scotus, vtpotè, quia sequutus est maiorum vestigia, ac communem, ac probabiliorem opinionem, apud antiquos, & Sanctos Patres, & concludit sic: Quia Ecclesia tanti semper habet SS. PP. auctoritatem, & doctrinam, vt contra illorum communem assensum ad definiendum aliquid processura non sit, sicut neq; vsque modò processit, &c. Compone ista, ò Lector! amore Dei: S. Thomas, inquit iste Pater, sustinuit prudentissimè opinionem contractionis actualis, quia hæc erat communis, & probabilior opinio inter SS. Patres: Ecclesia non diffiniet contra istos: ergo non diffiniet Virginem fuisse cõceptam sine peccato originali. Est ne hoc scribere pro debito? Quintò, & vltimo, eodem §. V. n. 205. affirmat, quòd S. Thomas sustinuit opinionem contrariam, seruans oppositæ suam probabilitatem (qua probabilitate aliquando fortè vsus fuit) in quo nihil falsum sensisse videtur: quia licèt prædicta sententia, aliàs vera non sit verumtamen est; & verum semper erit pro tempore illo communẽ, & probabiliorem extitisse, &c. Hoc nullus Theologus intelliget, quia inter falsum, & verum nõ est medium, diuiditur enim propositio adæquatè in falsam, & verã. Proindè si hæc propositio: Maria contraxit peccatum originale, erat vera tempore S. Thomæ: ergo etiam modò vera est, si tũc fuit falsa: ergo S. Thomas falsum sensit, sicque Auctor iste in hac latissima sua quæstione inter verum, & falsum positus, nec verum, nec falsum dicit, quia sub prętextu veri sequitur falsum, & falsum conatur introducere, vt verum, sed modò Sol iustitiæ, & æquitatis discernit, & separat omnia vera à falsis.

Concludimus, amice Lector, Deo dante, Triturationem in istis sexaginta Auctoribus, qui omnes sunt ex instituto Dominicano, excepto isto vltimo Dominico, discurrendo ab anno 1217. vsque ad istum 1659. scribentes pro sua opinione libros, opuscula, tractatus, & quæstiones magnificando suum argumentum ab auctoritate Sanctorum, & antiquorum Patrum Ecclesiæ, &c. Dico, qui scripserunt pro sua opinione ad distinctionẽ illorum, qui incidentèr in quæstionibus, aut sermonibus aliqua protulerunt verba circa hãc Conceptionis materiam, & à supra positis allegantur in suis Cathalogis, seu Elenchis, nam tales pertinent ad Ventilationem. Vbi excussa palea falsitatum, atque fictionum, apparebit granum purum veritatis, & triticum sine aristis, & zizania, ita, vt post hac Sacratissima Virgo Maria in area posita, vt in laminæ symbolo depingitur possit dicere illud Ecclesiastici: Sapientia

LAV-

LAVDABIT animam meam,& in Deo HONORABITVR, & in medio populi ſui. GLORIABITVR,& in Eccleſiis Altiſsimi APERIET os ſuum, & in conſpectu VIRTVTIS illius gloriabitur, & in plenitudine ſanctæ ADMIRABITVR,& in multitudine electorum habebit LAVDEM, & inter benedictos BENEDICETVR dicens: Ego ex ore Altiſsimi prodiui primogenita ante omnem creaturam. Gyrum cœli circuiui SOLA, & profundum abyſsi PENETRAVI, in fluminibus maris AMBVLAVI, & in omni terra STETI,& in omni populo,& in omni gente PRIMATVM habui,& omnium excellentium, & humilium corda virtute CALCAVI. &c. Ideſt trituraui,& comminui,vſque ad puluerem,&c.

Sexaginta AVCTORES in hac TRITVRATIONE poſiti, quorum dicta examinantur in VENTILATIONE, & contra quos tamtummodò contendit VERITAS ſunt ſequentes.

NVMER.	NOMINA.	ANNVS.
I.	Vincentius de Caſali.	1217.
II.	Dominicus de Pantaleonibus.	1262.
III.	Gerardus Adæ.	1280.
IIII.	Thomas Iorſius.	2303.
V.	Guillielmus de Gannaco.	1309.
VI.	Dominicus Ægydius.	1314.
VII.	Dominicus de Monteluporum.	1348.
VIII.	Henricus de Heruodia.	1355.
IX.	Ioannes de Monteſono.	1383.
X.	Ioannes Thomæ.	1390.
XI.	Ioannes Capreolus.	1409.
XII.	Iacobus de Suſato.	1415.
XIII.	Ioannes Dominicus.	1418.
XIIII.	Ioannes de Montenigro.	1435.
XV.	Ioannes de Turrecremata.	1437.
XVI.	S. Antoninus Florentinus.	1450.
XVII.	Raphaël de Parnaſio.	1465.
XVIII.	Gabriël Barelete.	1470.
XIX.	Anonymus Dominicanus.	1575.
XX.	Ioannes Bricius.	....
XXI.	Petrus de Vincentia.	....
XXII.	Petrus Bergomenſis.	1480.
XXIII.	Vincentius Bandellus.	1481.
XXIIII.	Hieronymus Forliuienſis.	1484.
XXV.	Hieronymus Albertutius.	1490.
XXVI.	Paulus Soncinas.	1492.

XXVII.	Vvigandus Vvnurt.	1494.
XXVIII.	Vvigandus Cauponus.	1494.
XXIX.	Ioannes Veri.	1496.
XXX.	Sylveſter de Pierio.	1497.
XXXI.	Didacus Deza.	1502.
XXXII.	Antonius de Brixia.	1504.
XXXIII.	Vvernerus Baſilienſis.	1507.
XXXIIII.	Albertus Caſtellanus.	1508.
XXXV.	Thomas de Vio Caietanus.	1515.
XXXVI.	Auguſtinus Iuſtinianus.	1516.
XXXVII.	Franciſcus Ferrarienſis.	1524.
XXXVIII.	Nicolaus de Finali.	1525.
XXXIX.	Arnadus à Belloviſu.	1530.
XL.	Bartholomæus Spina.	1535.
XLI.	Chriſoſtomus Iabellus.	1536.
XLII.	Albertus Duimius.	1547.
XLIII.	Melchor Canus.	1563.
XLIIII.	Thomas Elyſius.	1569.
XLV.	Paulus Gryſaldus.	1580.
XLVI.	Hieronymus Theutonicus.	1585.
XLVII.	Matthias Aquarius.	1589.
XLVIII.	Ludouicus de Sotomaior.	1599.
XLIX.	Thomas de Lemos.	1600.
L.	Petrus de Herrera.	1608.
LI.	Paulus Carraria.	1617.
LII.	Innocentius Cibus.	1620.
LIII.	Nicolaus Ricciardus.	1622.
LIIII.	Dominicus de Grauina.	1630.
LV.	Franciſcus Arauxo.	1638.
LVI.	Iuſtinus Miechouienſis.	1642.
LVII.	Mauritius de Gregorio.	1645.
LVIII.	Libellator Dominicanus.	1646.
LIX.	Hiacynctus Arpallegus.	1649.
LX.	P.F.D.A.S.T.Carmelitanus.	1658.

FINIS TRITVRATIONIS.

VEN-

VENTILABRVM VERITATIS DISPONITVR: SIVE Tridens, formatum eſt dictis ſexaginta Patrum Ordinis Prædicatorum, de quibus in ſuperiori Trituratione egimus; pro tribus, ſcilicèt: Primò, pro NOBIS, ac noſtra præſeruationis ſententia: Secundò verò, pro OMNIBVS Doctoribus antiquis, eorumque auctoritatibus, circa controuerſiam hanc de Conceptione Beatiſsimæ Virginis Mariæ: Tertiò denique, pro ſe IPSIS, ac ſua opinione de ſanctificatione in vtero poſt contractionem maculæ originalis.

QVID DICANT DE NOBIS, AC NOSTRA Præſeruationis ſententia.

§. I.

DICVNT Ergo, & affirmant ſuprapoſiti ſexaginta Scriptores, ſeu Meſſores opinionis contrariæ, quòd ſententia tenens, ac defendẽs, ſacratiſſimam Virginem Mariam fuiſſe puram, ac Immaculatam in ſua Conceptione, atque præſeruatam à culpa, & macula peccati originalis, non ſolùm eſt minus pia, ſed impia, falſa, mendax, chimerica, pernicioſa peſtis fidei, diuiniſque litteris, atque oraculis contraria, & quoddam figmentum prophanũ, erroneum, nephandum, deteſtandum, ſchiſmaticum, deliramentum, nequiſſimum ſcelus, inauditum, flagitioſumq; dogma, & iam damnata Hæreſis, vtpotè contra ſacram Scripturam per Apoſtolos, & Euangeliſtas, per Cõcilia, ſeu Synoda, à ſanctis Patribus, Officiis Eccleſiaſticis, Eccleſia vniuerſali, atque Summis Pontificibus, ſtabilitum, determinatum, declaratum, & receptum Fidei articulum. Huiuſque ſententiæ Aſſertores (nota Alphabetum, & ſi fortè dubitaueris de aliquo titulo; recurre ad Trituration em, & litteras maiuſculas in ea poſitas) dicunt ergo, quandoque inſinuando, & ferè ſemper affirmando, quòd piæ ſententiæ Aſſertores, ſunt.

Aduersarii veritatis, Audaces, Adducentes peruersas Allegationes, Armati mendaciis, ac falsitatibus. AEmuli ipsorum, Abominabiles, Amici diaboli, Anathematizati.

Bestiarum more stridentes.

Calumniatores, Cæci, & Cęcorum duces, Corruptores Scripturarum, Canes rapacissimi, Conuertentes se ad fabulas.

Dolosi, Dilaceratores, Diffamatores, Delirantes, quorum Doctrina nulla habet pro se testimonia Scripturarum, aut Sanctorum Patrum, Deprauatores sententiarum, Detractores, atque Defensores hæresis Pelagii.

Excalceatos, Extorquentes Doctorum dicta contra ipsorum intentionem.

Falsificatores Librorum, Fatui, Fabricatores mendaciorum, & Fautores prætensæ pietatis.

Garrientes, Gehennæ filii.

Hæretici, Honorantes Virginem dehonorando Christum.

Indocti, Indeuoti, Immundi, imò Immundissimi, Irreuerentes, Improbi, Insani, Imperiti, Inuerecundi, Inuidi, Immersi damnationis barathro, Impugnatores Sacrarum Scripturarum, Inhonorantes B. Virginem Mariam, inepto, fictitioque honore, Inuoluti ignorantiæ tenebris, Infideles, Ignorantes.

Loquentes in angulis, solùm coram mulierculis, pueris, labariis, sutoribus, talaribus, Laceratores SS. Patrum, Laquei diaboli, Luthero similes, Librorum corruptores, ac falsificatores, &c.

Mendaces, & Mendaciorum fautores, Mordaces, Maligni, Malitiosi, Miseri, atque Miserrimi.

Nouitatum amatores, & inuentores, Nequissimi.

Obtenebrati. Obcæcati.

Plebei, Peruersi, Pessimi, Pertinaces, Pernitiosi, Prophani, Peccatores, quia docent Virginem fuisse conceptam sine peccato originali.

Quærentes lac, & lanam, dùm prædicant ipsam fuisse præseruatam à peccato originali, & macula.

Rodentes dente canino seruos Dei, &c.

Scelerati, imò Sceleratissimi, Scorpiones, Scandalosi, Scindentes vnitatem Matris Ecclesiæ.

Theologiæ parum, vel nihil habentes, Turpes.

Vitiosi, Vulgares, Venenati lingua, vt scorpiones, Vento pleni, Vacui scientia, Vlulantes rabido ore, Vociferatores.

X. littera non habuit locum in hoc ſtabulo, ſed pro ipſa poſſunt deſeruire illa, quæ dixerunt nouiſſimè in Romana Curia: *Nec nos ad apocryphas Apoſtolorum diffinitiones, ad confictas Reuelationes, ad ſomniata Miracula, ad Bullas adulteratas recurrimus*, inſinuantes, ſiuè exprimentes, quòd totum hoc nos fecerimus, & omnia adducta pro noſtra ſententia ſint apocrypha, conficta, ſomniata, & adulterata. O humilis Religio Seraphica! quanta patiẽter ſuſtinuiſti opprobria tota die, propter innocentiam Matris Dei? Sed iam, iam.

Zelus domus tuæ (ſacratiſſimæ, ac immaculatæ Mariæ) ò Domine Deus! comedit me, & opprobria exprobantium tibi (ò Religio Seraphica!) ceciderunt ſuper me. Vt oſtendam quibus competant hęc encomia, nõ verbis, nec reddendo malum pro malo, abſit; ſed ſolùm oſtenſione veritatis. Et obſecro, Lector, vt legas, & notes ſequentia.

Olim R. P. Iacobus Albertus Caſtrenſis recognouit, ac typis mandare curauit expoſitionem Angelici Doctoris S. Thomæ ſuper Epiſtolas Pauli, & in Epiſt. ad Galatas, cap. 3. lectione 6. extant hęc verba: *Non dicit in feminibus, quaſi in multis, &c. ſed in vno, quod eſt Chriſtus, &c. vndè dicitur in Pſalm. Singulariter ſum ego, &c. Eccleſiaſt. 7. Virum de mille vnum reperi, ſcilicèt Chriſtum, qui eſſet ſine omni peccato, mulierem autem ex omnibus non inueni, quæ à peccato omninò immunis eſſet, ad minus originali, vel veniali. Excipitur puriſſima, & omni laude digniſſima Virgo Maria. Concluſionem autem, &c.* Et ad marginem extant hæc verba: *Vide hic eſſe de mente S. Thomæ, nullum habuiſſe peccatum Beatam Chriſti Matrem, nec etiam originale.* Suprapoſita expoſitio, ſicut & hæc marginalis notula extant in impreſſione facta Venetijs, & recognita per dictum Patrem Fr. Iacobum Albertum Caſtrenſem, apud Hieronymum Scotum anno 1548. in fol. pag. 482. Vt videre eſt in libro exiſtente in Biblioth. S. Franc. Matrit. litt. R. n. 17. & in Biblioth. D. D. Cardinalis Barberini. Item in eadem Bibliotheca extat aliud originale, impreſſum characteribus antiquis Pariſijs, cura, & ſolicitudine Nicolai Preuoſt, impenſis verò Petri Gandaul, Vniuerſitatis Bibliopolæ, anno 1529. in fol. & pag. 141. colum. 1. in principio, extant verba ſupra relata, exceptis marginalibus. Item in alia Pariſienſi anni 1541. Item in in alia Venetiana facta anno 1553. ac deniq; in alia Venetiana facta anno 1555. Ecce ſex diuerſæ impreſſiones, quarum ego vidi quatuor, in quibus omnibus extant ſuprapoſita verba: quis ergo illa abſtulit, ò Patres mei! ab omnibus modernioribus impreſſionibus? An Fratres MINORES? Inſuper notare debes Lector, quòd in impreſſione Antuerpienſi anno 1592. facta à P. Fr. Remigio Florentino, & in nouiſſima facta Pariſijs 1654. folio 365. prætermittuntur ſuprapoſita verba, & ad marginem extat hæc notula: *Aduertas humaniſſime Lector, iam in quibuſdã Venetijs 1553. impreſſis codicibus, poſt expoſitam Salomonis auctoritatem, hanc fuiſſe appoſitam particulam: Excipitur puriſſima, & omni laude digniſſima Virgo Maria: quã à quodã temerè adiectam, nulli dubiũ fore credimus. Nam in manuſcriptis, nec etiam alibi impreſſis codicibus, quos viderim (nam multos vidi) hæc particula reperitur. Et in eo Pariſijs impreſ. à Fr. Ioanne Alberto Caſtrenſi à mendis expurgato non inuenitur, & luce clariùs eſt, D. Thomam minimè huius fuiſſe ſententiæ, quam millies in ſua doctrina impugnat. Iſte bonus vir etiam in margine imprimi curauit hæc verba: Vide hìc eſſe de mente S. Thomæ, nullum habuiſſe peccatum B. Chriſti Matrem, nec etiam originale, &c.* Hæc ille marginator Dominicanus, in quibus etiã ipſe ſe oſtendit fuiſſe bonum virum. Nam primò ſolùm adducit impreſſionem Venetianam anno 1553. quando ſunt aliæ quinque. Secundò, dicit ſe vidiſſe multos codices, in quibus illa particula non erat, & ego exiſtimo, quòd ex antiquis ſolũ potuerit videre duos, vnum Lugduni excuſum, apud Sebaſtianum Bartholomæi Honoratum, impreſſ. anno 1556. in 4. recognitum per ſupradictum Iacobum Caſtrenſem tom. 1. pag. 999. & alterum ex editione Venetiana anno 1593. quia alia originalia exiſtimo nunquam fuiſſe. Tertiò, dato quòd eſſent alia, ſaltem non vidit primam recognitionem Caſtrenſis, & alias ſupra relatas, vel ſi vidit, & illas tacuit, fuit malitia. Quartò, dubito quomodo Albertus Caſtrenſis recognouit Venetijs anno 1548. illud opus S. Thomæ, & appoſuit illam clauſulam, & notam marginalem pro Immaculata Virginis Conceptione, & iterum recognouit idem opus anno 1556. Lugduni, & illã abſtulit? Hæc videntur incompatibilia, vel

altera hîc latet adulteratio originalium. Cũ ergo omnia iſta non fuerint facta à Fratribus MINORIBVS, videte à quibus?

Libellus ille editus contra Immaculatam Virginis Mariæ Conceptionem, cura, & ſolicitudine Fratris Petri de Vincentia, Ordinis Prædicatorum (ſiuè hîc fuerit verus, ac proprius Auctor, ſiuè Vincentius Bandellus de Caſtro nouo, vt vult Petrus Poſſinus in ſuo Vincentia victus, cap. 1. aut Hieronymus Albertuccius Bruxellus Bononienſis, vt diximus in Trituratione, num. XXI. & XXV.) excuſſus in partibus Lombardiæ primò circa annum 1480. characteribus antiquis vulgaritèr dictis, de tortis, in foliis 15. in 4. ſed ſine communi paginarum foliatione clandeſtinè, atque furtiuè ſine Typographi nomine, Superiorum facultate, anno, aut impreſſionis loco; contra quem, & alios ſibi ſimiles Anonymi, & Bandelli ediditSixtus IV. Pont. Max. illas duas repetitas Extrauagantes incipientes: *Graue nimis, &c.* vt videre eſt, in Armamentario noſtro, & ſuprà in Trituratione, num. XXXI. atque in prędallegato Poſſino loco citato. Non obſtantibus ergo pœnis, ac excomunicationibus in illis Apoſtolicæ Sedis Decretis promulgatis anno præterito 1649. in Regno Galliæ, & ciuitate Toloſana menſe Iulio furtiuis etiam typis, ac ſub nocturnis tenebris fuit ſecundò recuſſus, & occultè ſeminatus, propter quòd commota fuit ſtatim vniuerſa Ciuitas, reclamarunt Religiones omnes, & inclyta Academia, vt obuiaret ſcandalis, edidit Decretum tenoris ſequentis.

CENSVRA SACRÆ FACVLTATIS Theologiæ Academiæ Toloſanæ, ex D. Rectoris, totiuſque Academiæ aſſenſu, aduerſus opuſculum Petri de Vincentia contra Immaculatam Conceptionem B. Virginis editum.

DOminus Raimundus de Taillaſſon, generalis ſtudii Toloſani Rector, in Conuentu S. Auguſtini omnium facultatum profeſſoribus cõuocatis, verba fecit, paucis ab hinc diebus; euulgatum fuiſſe per Ciuitatem libellum quendam, cui titulus: *Fr. Petri de Vincentia, &c. opuſculum de veritate Conceptionis B. Virginis Mariæ, &c.* Nulla appoſita alicuius Ordinarii facultate, aut Doctorum approbatione: abſque etiam Typographi, locivè, editionis nomine. Quare ſacræ facultatis Theologię profeſſores, eo anteà perlecto ſæpius, & examinato aſſeruerunt, & oſtenderunt, quamplura ex ibi citatis SS. Patrum teſtimonia, non fidelitèr relata, vtpotè, aut trũcata, aut mutata, aut in alieno ſenſu adducta: ac ſæpè hanc propoſitionem ex variis Auctoribus ibidem citatis inculcari: *Feſtum Conceptionis B. Virginis non eſt celebrandum, & celebrationem eſſe prohibendam, quia concepta eſt in peccato originali*: necnon ſequẽtia verba habere pagina 61. ex Ioanne de Poliaco: *Videtur mihi, quòd non poſſit ab aliquo pro opinione teneri, ſed potiùs pro hæreſi reputari, quòd B. Virgo non contraxerit originale peccatum, vel quòd fuerit ab originali peccato præſeruata: quòd ſi aliquis tãtæ temeritatis eſſet, quòd præſumeret aſſerere, B. Virginẽ non contraxiſſe originale peccatũ, certè cõtra talẽ, tanquã cõtra hæreticum nõ argumẽtis, ſed aliter, videlicèt cũ igne, eſſet procedendũ.* Et pag. 83. ex Ioanne Dominico de Florẽtia: *B. Virgo fuit concepta in peccato originali, vt dicunt Sancti, & omnes Doctores: dicere autem oppoſitum, eſt hæricum: tùm quia eſt ſequi hæreſim damnatam Pelagii: tùm quia eſt fidei veritati contradicere, &c.* Quibus expoſitis, & matura deliberatione perpenſis: annuentibus cœteris Academiæ Patribus, præfati ſacræ Theologiæ profeſſores libellum hunc recens excuſſum cenſuerũt omninò improbandum, ſicut de facto improbarunt, ac damnarunt, improbant, & damnant, tanquam temerariũ ſcandaloſum, & toti Eccleſiæ Catholicæ maximè iniurioſum: vtpotè Decretis Summorum Pontificum Sixti IV. in extrauagantibus: *Cum præ excelſa*, & *Graue nimis*, *De reliq. & veneratione Sanctor.* OEcumenici Concilii Tridentini, ſect. 5. de peccato originali, Pii V. conſtitutione 114. in tom. 2. magni Bullarii: Pauli V. conſtitutione 97. in tom. 3. eiuſdem Bullarii: Gregorii XV. conſtit. 29. in eodem tomo apertè, & expreſsè oppoſitum. Statuitur enim illis locis feſtum Conceptionis B. Virginis ab omnibus celebrandum, etiam ſub nomine Conceptionis, illudque celebrantibus maximæ indulgentiæ cõceduntur: Et cauetur ſub pœnis excomunicationis maioris latæ ſententiæ, priuationis vocis actiuæ, & paſſiuæ in qui-

quibuſcumque electionibus,& in habilitatis perpetuæ concionandi,legendi,docendi, ſeù interpretandi ipſo facto, & abſque alia declaratione incurrēdis,ipſiqueſanctæ Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, ne quis audeat libris conſcriptis aſſerere eos hæreſis labe pollutos eſſe,aut peccare mortaliter , qui profitentur Diuam Virginem, abſque peccato originali fuiſſe conceptam, vel feſtum Conceptionis eius celebrant:aut tales libros editos apud ſe tenere, vtpotè à Sede Apoſtolica reprobatos,& damnatos, aut inter priuata colloquia dicere eam peccatum originale contraxiſſe: prout fuſiùs Lector beneuolus in locis citatis poterit videre. Decretum Toloſæ in ſchola dicti Conuentus S. Auguſtini die 9. menſis Auguſti,hora 4.poſt meridiem,1649. De mandato domini Rectoris. Roux, Secretarius,& Bidellus. Ferranond,Secretarius, & Bidellus. Sed illi, qui contempſerunt omnia relata ſacra Decreta in hoc reſcripto, eodem modò deſpexerunt hāc Vniuerſitatis Toloſanæ cenſuram ; & ſic tranſeuntes à Regno ad Regnum,& à ciuitate Toloſana in Gallia tertiò,eundemmet libellum in ciuitate Parnormitana in Siciliæ Regno furtiuè, ac occultè edere curarunt, & ſimilitèr abſcōditè divulgarunt,ſed ſtatim vigilantiſſimum S.Inquiſitionis Tribunal publico edito, vt communis eſt fama,ſub grauiſſimis cenſuris,recollegit, atque prohibuit.Sed nota, ò Lector ! conatum,& tenacitatem illorum , quia non verecundia faciati mutantes climata,& regionem eundem libellum quartò typis mandare auſi ſunt anno præterito in Venetiana ciuitate in foliis 47.in 8.paruo, prætermittentes ex prima pagina editionis antiquæ aliqua præcipuè titulum,ſcilicèt: *De B.Virginis Conceptione ducentorum, & ſexdecim Doctorum S. matris Eccleſiæ Doctorum, vera,tuta,& tenenda ſententia.* Et auctoritates Aluari Minoritæ,&Guidonis Carmelitæ,&c.& ad finem addiderunt hæc verba, quæ deſunt in prima impreſſione: *Venetiis,apud Antonium Bladum M.D. LIV. Superiorum permiſſu.* Hæc eſt hiſtoria de quadriplicata impreſſione opuſculi Petri de Vincentia , Ordinis Prædicatorum , fecerunt ne hoc FRATRES MINORES ? Sed iam de formalibus falſitatibus. Quomodò libellus iſte,qui ex papyro,characteribus, ac impreſſionis diſpoſitione,& forma,atque præcipuè ex ipſa rei veritate conſtat fuiſſe typis mandatum hoc eodem anno,fuit excuſſum Venetiis apud Antonium Bladum anno 1554. vt in ipſo dicitur, vt introducerent , quod ſtatim poſt Concilii Tridentini Sectionem, libellus ille fuerat natus , qui heri fuit exortus? Quomodò Venetiis, ſi Antonius Bladus fuit Typographus Cameralis in Romana Curia, qui eodem tempore , ſcilicèt, à parte anteà,anno ſcilicèt 1547. excudebat Romæ librum Turrecrematæ de veritate Conceptionis,vt ex ipſomet patet,& nos dicimus in Triturationenum.XV. & latiùs dicemus in Vētilat.num.195. & à parte poſt , anno ſcilicèt 1556. in eadem Curia Romana typis mandabat Bullas Pauli IIII. Summi Pontificis , & aliorum Summorū Pontificum, vt videre eſt in omnibus Bullariis antiquis in noſtra Bibliotheca exiſtentibus pro conficiendo Bullario Seraphico?ſicque Antonius Bladus nūquam fuit Typographus Venetianus,ſed Romanus , neque Aduerſarii aliquem oſtendent librum excuſſum Venetiis à tali Typographo Antonio Blado. Denique quomodò Superiorum permiſſu? A quibus Superioribus habuerunt illam permiſſionem?Et quid ſi iſta editio Venetiana ſuppoſita eſſet,vt eſt,illa Panormitana , vbi Reuiſor eſt Ieſuita,& ex nulla parte potuit eſſe vlla Superiorū permiſſio, aut facultas. Facerent ne hoc , vel fecerunt, aut ſaltem excogitarunt aliquando Fratres MINORES ſuperius ore pleno vocati falſarii, contumaces , proterui , corruptores librorum.&c?

Arnaldus Albertinus Decanus Maioricēſis, Epiſcopus Pattenſis , atque doctiſſimus Inquiſitor, &c. præter librum contra hæreticos , impreſſ. Valentiæ ann. 1534. in folio ſcripſit alterum de agnoſcendis Aſſertionibus Catholicis,& hæreticis,excuſſum Panormi ann.1552.in fol.in quo quæſtio 17.eſt de Conceptione Virginis Mariæ,& habet ſummarium continens 12.numeros, quorum primus eſt: *An aſſertio,quòd Virgo Maria ſit concepta in peccato originali,ſit ſcandaloſa?* Et ſic inculcat plura ſcitu digniſſima de hoc Myſterio. Prædictus liber etiam fuit excuſſus Romæ ann.1572.in 4.Regali,& à num.6. incluſiuè, cuius titulus eſt : *Vniuerſitas Pariſienſis tenet, quòd non fuit concepta Maria Virgo in peccato ori-*

ginali, mutilando quæſtionem abſtulerunt ex Sumario, & ex quæſtione omnia, vſque ad numer. 12. & vt occultaretur infidelitas impreſſionis, continuarunt foliationem, & numeros marginales, deſumentes materiam ex ſequenti quæſtione 18. & ſic vtranque reliquerunt mutilam, & imperfectam. Nec ſiſtit hîc patratum malum, nam cernentes Veneti, quòd Romani abſtulerant impunè dimidiam partem illius quæſtionis de Conceptione, ipſi vlterius progrediendo expunxerunt integrum Summarium, & quæſtionem, de primo, vſque ad vltimum verbũ, vt videre eſt in impreſſionibus Venetianis, ann. 1584. & 1588. inter tract. Doctorum, tom. 11. par. 2. à fol. 51. fecit, vel fecerunt hoc Fratres MINORES, aut Maiores?

R.P.Fr. Sanctius à Porta, Ordinis Prædicatorũ, ac Magiſter Sacri Palatii, Hiſpanus, ſcripſit librum ſub hoc titulo: Diuinum, ac proinde ineſtimabile, ſed & omniũ, quæ huc vſque de Chriſtifera Virgine ſcripta ſunt, præclariſſimum Mariale, &c. Recognitum, ac typis mandatum, opera, & ſtudio R.P.Fr. Alphonſi de Caſtro, eiuſdem Ordinis, in quo fol. 158. extat Sermo vnicus: *De Conceptione Virginis Mariæ, &c.* Sermo iſte extat in Mariali impreſſo Lugduni, per Ioannem Clein Alemanum, anno 1513. in 4. & Sermo iſte nõ extat in eodem Mariali, impreſſ. Valentiæ per Ioannem Joffre anno 1512. in fol. Interrogo, quis abſtulit Sermonem iſtum, an Fratres MINORES?

R.P.Fr. Andræas Gianeti de Salo, Italus, inter alia opera edidit librum de Roſario Sanctiſſimæ Virginis, & in fol. 190. habet hæc verba Italicè: *Fu mandato l' Angelo Gabriele da Dio à Maria Vergine, &c. ſi demoſtra etiam la dignita di queſta oratione per il tenore, & ſintẽtie di eſſa; imporche Maria Vergine in quella è maſſima mente commendata. Prima, per che in eſſa ſi manifeſta, come fu puriſſima perche fu neta, & munda da ogni culpa, è pero dice: Aue, cioe ſenza, ve di peccato, & di macula alcuna, &c.* Hæc expoſitio, & verba ad litteram? extant in impreſſionibus factis Venetiis anno 1587. in 4. & 1607. etiam in 4. attamen deſunt in impreſſione facta Romæ anno 1573. in 12. Quis abſtulit hæc, an aliquis Frater MINOR, qui in Romana Curia erat Magiſter Sacri Palatii?

Fuit quidam Auctor antiquus, qui edidit Sermones ſub titulo Meffret, vulgo Hortulus Reginæ appellati, &c. in quo opere ſunt tres Sermones de Cõceptione Virginis, quorum primus incipit: *Conceptus hodiernus, &c.* vbi Auctor expreſſis verbis videtur Aduerſariorum opinionem defendere: contra quem R.P. Ioannes à Lapide Theutonicus, Ordinis Carthuſianorum, ſcripſit Defenſorium, notãs aſſertiones, quibus Auctor ille Immaculatã Conceptionem Virginis nitebatur coinquinare, confutando ipſas. Hæc breuis, & docta Apologia pro Immaculata Conceptione; quę incipit: *Dominus, ac Redemptor noſter*, prodiit vna cum iiſdem ſerminobus Meffret, in impreſſione Nurembergenſi, facta anno 1496. in fol. At in ſecunda impreſſione, facta Monachi anno 1611. ex officina Nicolai Henrici, extant ſermones Meffret, ſed fuit ablata Defenſio Ioannis à Lapide, fecerunt ne hoc Fratres MINORES, vel Carthuſienſes?

In libro illo, dicto: Faſciculus Temporum, laborato à quodam Patre Carthuſiano; ſexta mundi ætate, ad annum 1354. fol. 85. pag. prima extant hæc verba: *Lector quidam Paulus nomine negando B. Virginem conceptam fuiſſe ſine peccato originali, coram toto Clero, & Populo in Cracouia, cecidit, & expirauit, ſermone nondum finito, vt teſtatur Magiſter Henricus de Hiſſia. Quod factum plures terruit in hac materia ſcribentes, fatuum eſt enim de ſecretis Dei nimis curioſius inueſtigare.* Extant hæc verba in prima editione, abſque anno, & loco impreſſionis facta, & etiam in illa per Erchardum Ratdol. anno 1480. fol. 61. & in Pariſienſi, apud Ioannem Paruum, facta ann. 1523. in 4. fol. 90. ſed deſunt in editione Venetiana, facta anno 1479. fol. 62. in qua Ciuitate ſunt Reuiſores Dominicani, & in alia fol. 61. fecerunt ne hoc Fratres MINORES?

Notitiam illius decantatiſſimi miraculi S. P.N. Dominici, quando prædicabant contra Albigẽſium hæreſes, primus diuulgauit Vincentius Bellouacenſis Burgundus, communitèr dictus, Hiſtorialis eiuſdem Ordinis Prædicacorum, qui ſcripſit parum poſt mortem

S.

S.Dominici,ſiquidem obiit ann. 1256.à quo poſteà omnes alii ſcriptores, de quibus nos in Ventilatione,num.307.latè,&c.inter illos prædictam hiſtoriam ſic refert Anton. Cucharus, Epiſcopus Azernenſis, in ſuo Elucidario,fol.218. *Ad illud, quòd ponitur in eadem lectione de B. Dominico,ſicut ſcilicèt, primus Adã fuit ex terra virginea formatus,&c. & Aduerſarius negat talem auctoritatem eſſe B. Dominici,& quòd nullo modò reperitur in rerum natura B. Dominicum ſic dixiſſe. Dicitur,quod ſatis de ſe præſumit negando veritatem, & quòd falſo modo negat: Tùm,quia Vincentius in Speculo ſub geſtis hoc dicit, & aſſerit B. Dominicum Ordinis Prædicatorum caput, & ducem ab Oxonienſi vrbe Hiſpaniæ in Albigenas peſtes venientem in libro, quem ipſe fecit de corpore Chriſti contra hæreticos Albigenæ probaſſe,quòd ſicut primus Adam fuit in agro Damaſceno de terra virginea, & immaculata formatus per illud Cantic.4. Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te: de quo libro vt dictum eſt notat Vincentius in Speculo ſub geſtis; Petrus Thomæ etiam hoc adducit in ſuis Regulis, regul.5. allegans Vincentium vt ſupra; qui liber coram hæreticis ter in fornace ardenti proiectus illæſus exiuit ad laudem Virginis. Habetur etiam ibidem, ſi quis clariùs hoc quæreret, quòd S. Dominicus dum eſſet Canonicus Regularis, in Archiepiſcopatu Toloſano, contra aliquos hæreticos ibidem exiſtentes; & tenentes tres concluſiones. Prima,quòd Chriſtus non erat Deus. Secunda, quòd in Sacramento Altaris non erat Corpus Chriſti. Tertia,quòd Virgo B. non erat Mater Dei,quia iam habuerat peccatum originale. Sed S. Dominicus oppoſuit, & facta prolixa diſputatione cum hæreticis, fuerunt concordes in hoc,quòd quilibet proiiceret concluſiones ſuas ad ignem, & illæ quæ non comburerentur tenerentur pro veritate. Poſuit ergo Dominicus Chriſti Corpus cum tribus concluſionibus oppoſitis illis hæreticorum in fornace, & ſteterũt poſt tres dies in fornace ardenti. Poſtremò verò reſpicientes fornacem poſt triduum hæretici inuenerunt Corpus Domini ſuper ignem cum tribus concluſionibus nulla læſione facta, tàm in Sacramẽto, quàm in papyro, & ſtupefacti hæretici crediderunt. Et poſitis ſimilitèr concluſionibus ſuis in fornace, illæ ſtatim combuſtæ ſunt, & ſic crediderunt per ea quæ fecit S. Dominicus. Paueant ergo filii, qui nolunt ſequi veſtigia tãti Patris. Ecce quod Auctor Speculi hoc dicit,&c.* Hucuſq; Azernenſis,& fol.213.col.1.ctiã in quit: *Ad illud quòd in eadẽ lectione imponitur B. Dominico, vbi ſic dicitur: Sicut primus Adam fuit ex terra virginea, immaculata formatus, ita decuit in ſecundo Adam fieri, quod tamen dicit Vincentius in Speculo ſub geſtis, & allegat hunc etiam Petrus Thomæ in ſuis Regul. regula 5. quare male negat æmulus, &c.* Item idem fol.96. col.1. *§. Septimò legitur de B. Dominico in quoddam opuſculo, & notat etiam Vincentius in Speculo ſub geſtis,&c.*& narrat hiſtoriam, & miraculum,vt ſuprà. Sed latiſſimè totum hoc refert folio 266. *§. Dicitur etiam a nobis, quòd ſufficit nobis Vincentium Hiſtorialem recitaſſe hiſtoriam illius libelli in fornace proiecti in quo erat ſcriptum,Virginem non contraxiſſe,&c.* & iterum narrat hiſtoriam cum eidem verbis, ac circunſtantiis. Hoc ergo ſuppoſitio ſecundùm veritatem. Ecce iſti duo Auctores antiqui, Petrus Thomæ, & Anton. Cucharus affirmant, quòd in veſtro Vincentio Hiſtoriali erat miraculũ illud de terra virginea,& immaculata,&c. Sed omnia iſta modò nõ reperiũtur in Vincentio, Nam licèt lib. 29. cap.96. pagin. 1218. ſint verba generalia de libello proiecto in ignem à S. Dominico, reliqua de terra virginea, atq; Immaculata Virgine Maria,&c. deſunt, quis ergo iſta expunxit à veſtro Vincentio, an aliquis Frater MINOR?

Marcus de Liſybona, Ordinis Minorũ, & Epiſcopus Portuenſis, ſcripſit Chronicam Fratrum Minorum, & 3.par.lib.1. cap.47. fol.27. col.4. impreſſ. Salmanticenſis anno 1570.ſic inquit: *En eſte tiempo, vn Doctor en Teologia,Rector del Eſtudio de Toloſa,quiſo publicamente perſuadir al pueblo,que la glorioſa Madre de Dios auia ſido concebida en pecado original; por lo qual,con gran furia del pueblo fue echado fuera de la Ciudad;y venido à Roma, al Papa Martino V. diò quenta de la injuria que ſe le auia hecho: y el Papa ſeñalò dia de la diſputa: y auiendoſe ſentado muchos,y graues Maeſtros,y no viniendo aquel Doctor,embiaronle a llamar;y yendole à buſcar,hallaronle muerto: lo qual puſo gran temor à todos los que defendian ſu parte,y opiniõ.* Et nihil ampliùs habet: quam hiſtoriam, ſeù miraculum deſumpſit ad litteram, ex quàm pluribus Doctoribus antiquis. Vide Cucharũ fol.96.col. 2. &c. Horatius Diola Bononienſis, Ordinis Minorum, hoc Chronicon in linguam tranſtulit Italicam, vt videre eſt in impreſſione Venetiana, facta anno 1598.in 4.& fol.37.à

ter-

tergo peruẽniens ad locum iſtum, ſic inquit: *Nel mediſſimo tempore era Rettore dello ſtudio di Toloſa, un Doctore en Theologia, il quale volendo perſuadere al populo, che la glorioſa Vergine fu conceputa in peccato originale, fu del populo furioſamẽte ſcacciato fuari della Citta, per lo che ſenne ando à Roma, à querelarſi al Papa Martino V. è ſeco oſſai ſi dolſe della receuuta inguria; ſua Sanctita, doppo che le hebbe aſcoltato prefiſſe un giorno per diſputar queſto articulo è chiamari, d' ordine di ſu Beatitudine multi grandie ſignati Maeſtri in Theologia; andarono tutti à ſedere nel logo deputato, ma non fu poi eſſequita la diſputa: è ciaſcuno rimanſe nella ſua opinione.* Nota ergo, ò Lector! quantum diſtent hęc vltima verba à veris exiſtentibus in Chronica? Quis hoc fecit contra veritatem? Non Horatius Diola, qui ſemper, & vbique tranſtulit fidelitèr, non aliquis Frater MINOR, ſed Reuiſor Venetianus, qui eſt ex Ordine Prædicatorum, deſiderans, vt *ciaſcuno rimanſe nella ſua opinione.* O opinio! quot, quantaque feciſti abſurda?

Chriſtophorus Marcellus Corcyrenſis, Archiepiſcopus, edidit quoddã Ceremoniale rituum Eccleſiaſticorum Pontificis, & Cardinalium, &c. Dicatum Leoni X. Pont. Max. & impreſſ. Venetiis apud Hieronym. de Gregor. ann. 1516. in 4. Regal. & lib. 3. cap. 11. fol. 141. ſub hoc titulo: *Quibus diebus vocentur Cardinales ad Capellam Papæ, & quibus ſit ſermo, vel non ſit?* Adducit omnes feſtiuitates, tàm de Sanctis, quàm de tempore per ſuos menſes, ad quas per anni circulum concurrunt Cardinales ad Miſſam, & alia officia ad Capellam Pontificiam, inter quas non enumeratur Conceptionis feſtum: quæ omiſſio potuit prouenire à triplici cauſa. Prima, quia tunc non celebraretur Conceptionis feſtiuitas, ſed hæc minimè ſubſiſtere poteſt, quia nõ ſolùm tempore Leonis X. ſed etiam Sixti IV. imò anteà celebrabatur hoc feſtum ſolemnitèr in Sacello Sum. Pontificis cum exiſtentia Cardinalium, cuius teſtes oculati fuerunt Bacconius in 4. diſt. 2. quæſt. 4. Bernard. de Buſtis, ſer. 2. p. 3. fol. 39. Ant. Cucharus, folio 98. Amb. Catharinus in vltim. tract. col. 108. Ludouic. à Turri, & alii quàm plurimi illius tẽporis Scriptores. Et ſic ſecunda cauſa omiſſionis potuit eſſe, quia Auctor abſolutè fuit oblitus illius feſtiuitatis Conceptionis, ſed hoc nimis durum videtur, quia eſſet incuria, & notabilis defectus Archiepiſcopi, & duriſſimum, videndo quòd ſola illa Conceptionis feſtiuitas deeſt in Kalendario. Tertia, potuit eſſe quòd in Venetiano prelo fuerit ablata à quodã nõ rectæ intẽtionis Correctore, ſeù Reuiſore, vel Approbatore; & iſta videtur magis conſona ſupra poſitis exemplis, ſed quòd iſte N. non fuerit ex Fratribus MINORIBVS, abſque vllo ſcrupulo affirmo.

Circa annum Domini 1390. ſurrexit quidam P. Dominicanus appellatus Ioannes de Monteſono, de quo loquuti ſumus in Trituratione num. IX. qui in quibuſdam Veſpertinis Sorbonicis in Vniuerſitate Pariſienſi edidit ſatis famoſam Reſumptam contra myſterium Immaculatæ Conceptionis ſacratiſſimæ Virginis Mariæ, in qua, & in aliis dictæ Reſumptæ repetitis Defenſoriis præcipuum illius aſſumptum erat probare hanc propoſitionem: Virgo Maria contraxit peccatum originale, eſſe de fide, & contrariam prorſus hæreticam, atque ex hac lapſus fuit in alios quatuordecim peſſimos errores, qui fuerunt ab eadem Vniuerſitate Pariſienſi publicè dãnati, quorum tres præcipui militantes ex diametro contra præſeruationẽ Virginis à peccato originali, ſcilicèt, decimus, vndecimus, ac duodecimus tales fuerunt. Dicebat Monteſonus, ſic: *Non omnem hominem præter Chriſtũ contraxiſſe ab Adam peccatum originale, eſt expreſsè contra fidem.* Hanc damnauit Vniuerſitas ſic: *Hæc damnatur reuocanda tanquam falſa, ſcandaloſa, & piarum aurium offenſiua, & præſumptuosè aſſerta, non obſtante probabilitate quæſtionis, vtrùm B. Virgo fuerit in peccato originali cõcepta?* Altera propoſitio Monteſoni fuit iſta: *Beatam Mariam Virginem non contraxiſſe peccatũ originale, eſt expreſſe contra fidem,* cuius Vniuerſitatis cenſura fuit talis: *Et hæc condemnatur reuocãda, tanquam falſa, ſcandaloſa, præſumptuosè aſſerta, & piarum aurium offenſiua.* Deniq; Monteſonus dicebat: *Tantum eſt contra ſacram Scripturam vnum hominem eſſe exemptum à peccato originali præter Chriſtum. ſicut ſi decem homines ponerentur exempti,* quàm ſic damnauit Vniuerſitas: *Et hæc condemnatur, ſicut præcedẽs, reuocanda tanquam falſa, ſcandaloſa, præſumptuosè aſſerta, & piarum aurium offenſiua,* Prædictarũ

pro-

propoſitionum damnatio fuit facta Pariſiis, vt dixi circa annum 1390. vt videre eſt ad finem Magiſtri Sententiarum, Vitale, Alan, & aliis. Poſt integrum verò ſæculum, ideſt, ad annum 1481. in illis tumultibus Lombardicis, de quibus Sixtus IV. in ſuis Conſtitutionibus: *Graue nimis*, ſuperſeminatũ, ac publicatum fuit per totam Lombardiam, quòd Vniuerſitas Pariſienſis iam damnauerat ſententiam præſeruationis Virginis à peccato originali, tanquam falſam, ſcandaloſam, piarum aurium offenſiuam, contra fidem, & hæreticam. Et huius damnationis teſtimonium demonſtrabant ex eiſdem articulis Pariſienſibus, occultando mendacium ſub veritatis palio, ac continuando propoſitiones Monteſoni cum cenſura eiuſdem Vniuerſitatis, ſic: *Non omnem hominem præter Chriſtum contraxiſſe ab Adam peccatum originale, eſt expreſsè contra fidem, & hæc damnatur reuocanda, tanquam falſa, ſcandaloſa, & piarum aurium offenſiua, & præſumptuosè aſſerta, non obſtante probabilitate quæſtionis: Vtrùm B. Virgo fuerit in peccato originali concepta.* Alteram continuabant ſic: *Beatam Mariam Virginem, & Dei genitricem non contraxiſſe peccatum originale, eſt expreſsè contra fidem, & hæc condemnatur reuocanda tanquam falſa, ſcandaloſa, præſumptuosè aſſerta, & piarum aurium offenſiua.* Tandem aliâ concatenarunt ſic: *Tantum eſt contra ſacram Scripturam, vnum hominem eſſe exemptum à peccato originali præter Chriſtum ſicut ſi decem homines ponerẽtur exempti, & hæc condemnatur ſicut præcedens, reuocanda tanquam falſa, ſcandaloſa, præſumptuosè aſſerta, & piarum aurium offenſiua.* Sicque architecti huius machinæ ex verbis Monteſoni, & cenſura Vniuerſitatis conſtruxerunt vnum continuũ ædificium, & hac aſtutia viſæ ſunt damnationes iſtas factas pro Immaculata Virginis Conceptione eſſe formaliter, & expreſsè cõtra ipſam, vt intuenti ſolùm corticem verborum euidenter apparet, & cum hac falſitate ſine exemplo, & hoc artificio execrabili ſeduxerunt, non ſolùm imperitos, & ignaros, ſed etiam doctos viros neſcientes hiſtoriam Monteſoni, vt exiſtimarent quaſi pro certo, ac indubitato, principio Vniuerſitatem Pariſienſem iam determinaſſe hanc propoſitionem: Maria Virgo non contraxit peccatum originale, eſſe contra fidem, hæreticam, ſcandaloſam, &c. Accipite irrefragabilem teſtem Petrum Montium, doctum Phyloſophum, qui floruit, & ſcripſit in Lombardia ad ann. 1480. in libro de legis veritate, & ſectarum falſitate, cap. 53. ſub hoc titulo: *Qualiter Pariſienſes articuli contra libertatem Dominæ noſtræ minimè ſunt tenendi.* Et incipit ſic: *Inter articulos Pariſius reprobatos etiam damnare volunt tenentes, quòd Domina noſtra ſine peccato concepta eſſet, &c.* Et infrà: *Sed ad propoſitum noſtrum proſequendo inquiunt, tenere Dominam noſtram ſine peccato conceptam, eſt opinio falſa, ſcandaloſa, præſumptuosè aſſerta, & piarum aurium offenſiua.* Et infrà: *Dum autem inquiunt idem eſt vnum hominẽ ab originali peccato exceptum eſſe præter Chriſtum, ac ſi decem homines ponerentur excempti eſt omninò falſum, quia nulla conditione decem inuenirentur habentes eandem rationem exemptionis quam Domina noſtra habuit, quia non erant matres, neque patres Dei.* Et deinceps in toto capite pro viribus impugnat Doctores Pariſienſes, vndè conſtat, quòd Doctor iſte deceptus, etiam fuit à ficto, & ſparſo rumore in Lõbardia, ex artificioſa diſpoſitione articulorum Pariſienſium; exiſtimauit enim cum aliis damnationem illam Vniuerſitatis aduerſus articulos Monteſoni fuiſſe contra Immaculatam Conceptionem: ego firmitèr credo, quòd ſeminatores huius falſitatis, & fictionis, contra Vniuerſitatem, veritatem, ac Virginem Dei matrem, non fuerunt Fratres MINORES.

Hiſtoriæ, ſeu lectiones, & vitæ Sanctorum per anni circulum, quæ communitèr circunferuntur ſub titulo: Hiſtoria Lombardica, cuius quam plurima extant exemplaria, tam impreſſa, quam manuſcripta, primò elaborata fuit à Iacobo de Voragine, Archiepiſcopo Ianuenſi, Ordinis Prædicatorum, qui ſolùm edidit 178. Legendas, in quibus nulla erat de Conceptione. Poſtea neſcio à quo Auctore, additæ ſunt 39. legendæ, ideſt, vſque ad numerum 217. omnes ergo iſtæ Legendæ 217. ſub prædicto titulo: Hiſtoria Lombardica, primò excuſſę ſunt Baſileæ, per Nicolaũ Keſſer, anno 1486. die 25. Iunii, in folio pulchris characteribus, licèt antiquis. In hoc ergo primo originali, Legenda 188. eſt de Cõceptione Virginis, à fol. 187. col. 4. vſque 189. col. 2. & incipit Legenda illa ſic: *Anſelmus Cantuarienſis, &c.* Deindè adducitur ſermo

mo S. Anſelmi incipiens: *Principium quo ſalus mundi, &c.* Deindè Decretum Concilii Baſilienſis, incipiens: *Sacroſancta generalis Synodus.* Denique adducuntur miracula de Conceptione Beatiſſimæ Virginis Mariæ, & incipiunt: *Ad informationem denique huius veritatis de Conceptione, &c.* Et omnia hæc extant in ſuis capitibus, ſeu partibus diſtinctis, ac ſeparatis. Poſtea hæc eadem Hiſtoria Lombardica prodiit reuiſa, & correcta à R. P. Claudio de Rota, Ordinis Prędicatorum, Lugduni 1540. in ædibus Petri Lucci in 4. & etiã abſque loco impreſſionis, anno 1512. per Iacobum Saccon, & per Iacobum Crozet 1554. etiam in 4. & alibi, & in omnibus iſtis impreſſionibus nouiſſimis manet variata hæc Conceptionis legenda: nam quæ in prima eſt num. 188. in vltimis eſt 185. ſed hoc parum eſſet. At inſuper omnia ſupra relata de S. Anſelmo, & Sermone eius, de Baſilienſi Concilio, ac miraculis Conceptionis, penitus fuerunt ablata, & loco illorum poſita quædam legenda breuiſſima, quæ incipit: *Tempore illo, quo Diuinæ placuit pietati, &c.* & hæc malitioſa mutatio etiam eſt parefacta, tempore illo, quo Diuinæ placuit pietati. Quis ergo facere potuit hanc peſſimam adulterationem, an aliqui Fratres MINORES?

Petrus de Natalibus, Epiſcopus Aquilinus, elaborauit Legendarium, ſeu Cathalogũ de vitis Sanctorum, qui per anni circulum celebrantur. Et liber iſte fuit excuſſus Lugduni anno 1542. & 1543. & lib. 1. cap. 42. fol. 5. & 7. adducit legendam de Conceptione Virginis, quæ ſic incipit: *Conceptio S. Dei genitricis Mariæ, non quidem ex generali Eccleſiæ conſuetudine, ſed ex ſpeciali aliquorum deuotione in pleriſque Eccleſiis celebratur. Huius autem celebrationis feſti principium fuit B. Anſelmus Prior Monaſterii Becen. poſtmodum Archiepiſcopus Cantuarienſis, propter miraculum, quod eidem apparuit, quod tale fuit. Dum enim ipſe dicti Monaſterii Prior, pro quibuſdam vrgentibus, ad partes Britanniæ nauigaſſet, &c.* Et proſequitur miraculum commune de inſtitutione feſtiuitatis Conceptionis breuiſſimè, & nihil ampliùs extat in tota illa legenda. At hoc idem Legendarium fuit excuſum Vienne, per Henricum de S. Vrſio, anno 1593. in fol. & Lugd. anno 1534. in 4. regul. Iterum per Nicolaum de Francofordia, anno 1516. in 4. cura, & ſolicitudine R. P. Fr. Alberti Caſtellani, Ordinis Prædicatorum, & fol. 12. à tergo, ſic incipiunt hæc duo exemplaria, prædictam legendam Conceptionis: *Conconceptio S. Dei genitricis Mariæ, non quidem ex generali Eccleſiæ inſtitutione, ſed ſpeciali quorumdam deuotione in pleriſque Eccleſiis celebratur. Quamvis enim B. Virgo fuerit in vtero matris, etiam ab ipſa animæ infuſionis die ſanctificata, fuit tamen in originali peccato concepta. Quod tribus rationibus comprobatur. Primò, &c.* Et ſic ingerit integrã quæſtionem pro ſua opinione, ſemper maculando Virginem Dei Matrem, & concludit ſic: *Ad rationes quæ in contrarium a pluribus hæreſim ſapientibus allegantur, ſic reſpondetur, &c.* Cũ ergo hæc omnia contra Immaculatam Virginis Conceptionem non extent in ſupra poſitis originalibus Petri de Natalibus, quis illa addidit? An aliquis Frater MINOR? vel Albertus Caſtellanus, Ordinis Prædicatorum?

Attende ad ſequentem incredibilem corruptionem. Doctiſſimus P. Fr. Guillielmus Pepin, natione Gallus Ebroicienſis, Ordinis Prędicatorum, & accerrimus defenſor myſterii Immaculatæ Conceptionis, qui mortuus eſt ann. 1527. ſecundùm alios 1529. cuius primum Sermonum opus typis fuit mandatum Pariſiis anno 1536. ſub titulo: De Aduentu Domini, ſiuè de Secretis Secretorum, apud Ioann. Paruũ, dicatum Guillielmo Paruuo Trecenſi eiuſdem Ordinis, Epiſcopo, & incipit libri prologus: *Rogo vos, atque obteſtor, &c.* in quo adducit ſermones duos pro Intemerata Virginis Conceptione, quorũ primus incipit: *Vidi librũ ſcriptũ, &c.* Et fol. 141. inquit: Quintum ſigillum probans, ſanctam fuiſſe Conceptionem Virginis Mariæ, dicitur teſtimonium Sanctorum Doctorum ab Eccleſia approbatorum. In primis nempè B. Ambroſius in ſermone quodam de B. Virgine loquẽs, dicit ſic: *Hæc eſt virga, in qua nec nodus originalis, nec cortex venialis culpæ fuit.* Item 2. B. Auguſtinus, &c. Poſt multum verò tempus, ſcilicèt 1589. fuit impreſſum Venetiis apud Ioann. Antonium Bertani, aliud opuſculum Sermonum eiuſdem Guill. Pepini ſub titulo, *De imitatione Sanctorum*, correctum per N. & fol. 20. à tergo adducit ſermonem de Conceptione Virginis, qui incipit:

Fun-

Fundamenta eius, &c. Et §.7. adducendo auctoritates Sanctorum pro immunitate Virginis, sic inquit. Tertiò, B. Ambrosius in quodam sermone de eadem Virgine, dicit sic: *Maria est, in qua nec nodus, nec cortex culpæ fuit.* Quòd autem in primo sermone de eadē Conceptione in tractatu de Secretis Secretorum addidit dicens: *Maria est, in qua nec nodus originalis culpæ, nec cortex venialis fuit*; hoc de proprio addidi ad maiorem declarationem dicti ipsius Ambrosii, sicut enim non est derogandum dictis Sanctorum minus dicendo, quàm dixerint; ita nec illis imponendum, quòd non dixerunt; possunt tamen quandoque piè interpretari dicta eorum. Quartò, B. Bernardus, &c. Hucusque in prædicto sermone impress. Venetiis. Quòd verò hæc secunda auctoritas sit ficta, falsa, atque suppositā à Correctore illo Venetiano N. sic breuitèr, atq; euidentèr demonstro, & in primis cum semel dicatur in ea *addidit* in tertia persona, & iterum *addidi* in prima, manet confusum, an hæc clausula posita sit nomine Correctoris, vel nomine ipsius Pepini, quia si est istius, vtrobique dicendum erat *addidi* in prima persona, & si Correctoris, in tertia semper *addidit*, & si fuit istius, iam textus est variatus, & auctoritas corrupta contra mentem Pepini. Item, quomodò Pepinus alioquin doctus, & eruditus poterat dicere illam bis repetitam incongruentiam, *Maria est, in qua nec nodus, &c.* Quid enim habet Maria cum nodo, & cortice, nisi addatur vox illa *Virga*, cuius est proprium nodus, & cortex? Sed trāseat hoc, pergamus ad essentialia. Bādellus, qui scripsit ann. 1481. ideſt 36. annis ante Pepinum. fol. 88. adducit eandem auctoritatem, & in primo originali, pag. 178. Anonymus, qui scripsit suum opus ad annum 1470. ideſt 46. annis ante Pepinum, par. 3. Rat. 22. cuius titulus est: De auctoritate Ambrosii in sermone de Gabaonitis, dicente: *Hæc est virga Iesse, in qua nec nodus originalis, nec cortex venialis culpæ fuit.* Sic respondit: *Et ideò dicimus, quòd ista verba non sunt Ambrosii, nec alicuius Doctoris sancti, sed fuerunt ab aliis malitiosè conficta.* Et concludit sic: signum autem, quòd hoc est fictitium est, quòd multi eorum in hac auctoritate allegant Hieronymum ad Gabaonitas alii verò Ambrosium: ergo, &c. Ego firmitèr existimo hanc esse fictionem Anonymi, quia omnes Auctores antiqui, quos vidi, allegant Ambrosium, sed admittamus pro nunc, quòd *multi* ex nostris allegent Hieronymum, & sic habebimus alios multos pro infrà dicendis. Item Turrecremata, qui scripsit ann. 1437. & 80. annis ante Pepinum, par. 12. cap. 4. fol. 250. sic inquit. Secunda auctoritas est B. Ambrosii in sermone de Gabaonitis: *Hæc est virga, in qua nec nodus originalis, nec cortex venialis culpæ fuit.* Et ad illam respondit dupliciter: *Primò, videlicèt, quòd facta exacta diligentia talis liber, nec sermo inuenitur Ambrosii, nec apud Augustinum, nec nominatur inter libros eius, &c.* Ioann. Vitalis, & Alanus Parisiensis. qui scripserunt ad ann. 1380. & ante Pepinum 137. annis, lib. 4. Ancil. 2. sic inquiunt: B. Ambrosius in sermone pertractans de Gabaonitis, per fraudem venientibus ad Iosue de sacra Virgine, ait: *Hæc est virga, in qua nec nodus originalis, nec cortex venialis culpæ fuit.* Item in officiis approbatis à Sixto IV. qui præcessit Pepinum (& de quibus ipse mentionem facit, in prædicto sermone Immaculatæ Conceptionis, de Secretis Secretorum) extat eadem auctoritas Ambrosii nulla mutata syllaba, & in Anton. Chuaro, qui scripsit ad ann. 1500. fol. 60. Ludouic. à Turri, qui scripsit ann. 1486. fol. 59. Petro Montis lib. 4. Thom. Ilyrico de Auximo, fol. 127. Pelbart. lib. 4. art. 3. Tartar, fol. 44. Et sic etiam in aliis triginta tribus Scriptoribus antiquioribus Guillielmo Pepino: quomodò ergo ipse poterat dicere: *Hoc de proprio addidi ad maiorem declarationem dicti ipsius Ambrosii.* Tene nostrum discursum, ò Lector! quia est demonstratiuum falsitatis. Pepinus scripsit suum sermonem de Secretis Secretorum ad ann. 1526. in quo dixit ex S. Ambrosio: *Hæc est virga, in qua nec nodus originalis, nec cortex venialis culpæ fuit*, in serm. Venetiano impres. anno 1589. dicit, quòd illa verba *originalis*, & *venialis* addidit ex propriis ad maiorē declarationem auctoritatis Ambrosii, quando hanc eandem auctoritatem nulla mutata littera adducunt triginta tres Auctores ipso antiquiores, & etiam quator, vel quinq; ex sua propria Religione. Potuerunt ne illi triginta tres antiqui addere ipsissima verba ad maiorem etiam declarationem dicti ipsius Ambrosii; prophetizando, quòd Pepinus sic erat illa amplianda? Item omnes Patres

Do-

Dominicani clamant, quòd ſermo iſte, & auctoritas fuit ficta à noſtris, quia nec in operibus S. Ambroſii, nec alterius Sancti reperitur: nos autem dicimus eſſe verum, quòd nec ſermo, nec auctoritas reperiuntur, ſed quòd per traditionem immemorabilem per ſpatium quadringentorum annorum inuenimus ipſam tranſcriptam in diuerſis Auctoribus antiquis, abſque eo, quòd hucuſque inueſtigare potuerimus, à quo primo habuerint originem, licèt Thom. Illyricus de Auximo, qui vixit ad ann. 1450. dicat ſe illam in quodã originale manuſc. Ambroſi, propriis oculis vidiſſe. Sed ſi eſt verum, quòd hîc dicit Corrector, vel Pepinus, iam non eſt fictus ſermo Ambroſii, ſiquidem ipſimet dant nobis correcta verba auctoritatis iuxta originale Ambroſianum, & inuenimus iam in ipſis ſermonem antiquis, ac modernis penitus incognitũ? Patres mei, hora eſt vt à ſomno ſurgamus, relinquendo phantaſticas confuſionum caligines, quia aſcendit Sol, & veritas eluceſcit, quæ ſic ſe habet. Guillielmus Pepinus non vidit ſermonem S. Ambroſii, quia non extat, cuius authoritatem ſolummodò recipimus in fide parentum, ſcilicèt, Auximi, Nogarolis, & aliorũ antiquorũ; Pepinus illã tranſcripſit ab iſtis in primo ſermone de Secretis Secretorum, & eodem modò etiam in ſecundo de imitatione Sanctorum, ſed cum iſte peruenerit ad manus Correctoris N. videns, quòd omnes ſui Scriptores affirmabant iſtam Ambroſii auctoritatem fuiſſe fictam, inuenta illa opportuna occaſione in gratiam ſuorum, voluit hoc confirmare oſtendendo ſuum Pepinum fuiſſe talis fictionis Auctorẽ; & ſic adferendo verba illa *Virga, originalis*, & *venialis*, introduxit ſuam chimericam clauſulam, cum illa æquiuocatione perſonarum *addidit*, vt pro tunc poſſet dicere fuiſſe errorẽ typographiæ, & futuris temporibus, poſſent ſui abſolutè illam adſcribere Pepino, vt de facto fecit Dominicus Semidominicanus, in 1.2. quæſt. 81. diſp. 15. num. 240. de quo nos in Tritur. num LX. ſed adeò cæcitate percuſſi vnus, & alter (vt Deo ſic permittente ad ipſorum confuſionem) nõ præuiderint fuiſſe alios triginta tres Auctores grauiſſimos antiquiores Pepino, qui eandem ipſam auctoritatem recitabant eiſdemmet verbis, quibus Pepinus in primo ſermone, vnde non potuit ipſe dicere: *Hoc de proprio addidi, &c.* quia ſi illa verba *originalis*, & *venialis* fuerunt addita, nõ à Pepino, ſed ab altero primò ex illis triginta tribus addita fuerunt, & ſic cæcidit tota machina, & impoſtura Correctoris. Qua propter dico, affirmo, & clamo, atq; vtinam clamor meus perueniat ad aures ſupremi Capitis; quòd omnia originalia Patrũ Prædicatorum, præcipuè excuſa in Italia circa hanc Conceptionis materiam extant corrupta, & vitiata, ita vt nulla præſtanda ſit eis fides in iudicio, nec extra, & comprouatur, ex triginta nouem demonſtrationibus huiuſmodi in hoc libro detectis, in quibus ex ipſiſmet impreſſionibus conſtat veritas, & ſolùm reſtat oſtendere, an hoc fecerint Fratres MINORES, aut maiores.

In omnibus itinerariis Terræ Sãctæ, vnuſquiſque dicit, & narrat quæ vidit, & expertus eſt iuxta rei veritatem. Et in illis communiter dicitur de Statione ad domum, ſeu Eccleſiam S. Annæ, vbi ſub ipſa Ara ſuperioris Templi extat locus, qui Annæ thalamus dicitur, in quo (vt inquit Ioannes Cotouicus Vltraiectenſis, c. 13. fol. 300. & P. Antonius del Caſtillo in nouiſſima impreſſione, folio 473. & cum ipſis omnes alii, quorum ferè vidi viginti ſex Scriptores) *Virgo Maria concepta, & nata putatur.* In cuius rei memoriam Minoritæ, cum peregrinis, recitata hac Antiphona: *Glorioſæ Virginis Mariæ, & Annæ matris eius conceptionis, & natiuitatis Eccleſiam deuotiſſimè viſitemus, &c.* dicunt Orationem, *Famulorum tuorum, &c.* Hoc ſuppoſito ſecũdùm veritatem, ſcias Lector, quòd P. Stephanus de Montegazza, Ordinis Prędicatorum, Italus, in ſua Relatione Tripartita Itinerarii Terræ ſanctæ, lib. impreſſ. Mediolani 1616. in 4. lib. 3. fol. 461. inquit: *De Eccleſia S. Annæ vbi nata eſt ſanctiſſima Virgo*, & tacuit, vt vides illud; vbi *concepta*, ſed hoc parui eſſet momẽti, niſi infrà referens Antiphonam, quàm ibi audiuit inquit: Antiphona: *Glorioſæ Virginis Mariæ, & Annæ matris eius, ſanctificationis, & natiuitatis Eccleſiam deuotiſſimè viſitemus, &c.* Quòd quidem eſt peregrinum mendacium, & velle decipere populum Chriſtianum cum illa falſitate, quia nec Fratres Minores nominant ſanctificationem, nec ipſe talem vocem ibi audiuit. Faciunt ne hoc Fratres MINORES?

Item

Item, aliud maioris momenti proponamus exemplum R. Pater atque venerabilis Frater Franciſcus Quareſmius Ordinis Minorum inter plura alia ſui continui ſtudii pia, ac deuota monumẽta edere curauit magnum illud opus: *De Sacratiſs. D. N. Ieſu Chriſti quinque vulneribus, &c.* In quinque tomos diſtributum, in quo tom. 4. ſcripſit latè de effectibus ſacrorum vulnerum, capit. 14. demonſtrans per ſemptem ſectiones, quomodò virtute vulnerum Redemptoris fuerat Sacratiſsima Virgo Maria preſeruata à peccato originali. Hoc ergo opus diſpoſitum, & approbatum ex ciuitate Mediolanenſi, vbi tunc reſidebat, remiſit propter characterum excellentiam ad Venetianam Typographiam, ibique excuſſum fuit ſumptibus Sebaſtiani Combi, & Ioannis Lanoy anno 1652. in fol. ſed Officiales illius ciuitatis curarunt extrahere, & de facto extraxerunt totum illud cap. 14. agens de Immaculata Conceptione à fol. 196. vſque 221. & loco totius capituli appoſuerunt hanc notulam, ſeù admonitionem ad Lectorem: *Subſequebatur hic in oraine caput decimumquartum (tractans de Immaculata Virginis Conceptione) ſed iuſtis de cauſis decreuit SS. Inquiſitio eximere illud ab hoc opere.* Quando autem Pater Quareſmius vidit ſuum opus mutilum, clamabat de iniuria ſibi, & myſterio facta, & pro remedio ſcripſit ad Romanam Curiam non paucas epiſtolas quarum aliquas ego habui, & legi; fui enim tunc præſens, &c. fecerunt ne hoc Fratres MINORES?

Sed quid immoramur exemplis, cùm de hac materia poſſemus adducere non tot, quin plura, incipiendo, ab illa decantata, ac celeberrima fictione Bernenſis ciuitatis cuius acta in 4. partes diuiſa apud me habeo, & ſufficiat inſinuare pro præteritis, præſentibus, & omnibus futuris quòd contigit circa Decretum illud ſuppoſitum in Feria 4. die 20. Ianuarii 1644. *In Congregatione Generali S. Romanæ, & vniuerſalis Inquiſitionis, habita in Conuentu S. Mariæ ſuper Mineruam, coram Eminentiſs. & Reuerendiſs. DD. Cardinalibus, contra hæreticam prauitatem Inquiſitoribus Generalibus à S. Sede Apoſtolica deputatis. Eminentiſs. & Reuerendiſs. DD. Cardinales Inquiſitionis Generalis prædictæ decreuerunt, quòd quando agitur de tribuendo titulo Immaculatæ Cõceptioni B. Virginis, nullo modo permittatur, ſed ſolùm dicatur, Conceptio Immaculatæ Virgnis, & ita obſeruari mandarunt. Locſigilli. Ioannes Antonius Thomaſinus S. R. Inquiſitionis Notarius.* Hoc in quam Decretum diuulgatum per vniuerſam Europam, & per Magiſtrum ſacri Palatii, ſocios, coadiutores, atque Fratres ſuos, &c. per totam Italiam inuiolabiliter obſeruatũ; cum ad indagandã illius veritatẽ, anno 1652. & 1653. Romæ, me præſente, magna eſſet exorta lis, & contentio, in cõtradictorio iudicio, citati, & requiſiti talis Decreti fauctores, vt exhiberẽt originale, vel ſaltem demonſtrarent authenticũ illius teſtimonium; neque in regeſtis SS. Tribunalis Inquiſitionis, neque apud prænominatum Notarium, neque in alio quolibet loco totius Romanæ Curiæ potuerunt ipſum inuenire, neque hucuſque repertum eſt: fecerunt ne hoc, vel facerẽt Fratres MINORES?

Qui ergo vitiarunt pauca iſta hîc ſignata, falſificarunt illa infinita mox detegenda in Ventilatione, & vice verſa, patratores illarũ adulterationum fuerunt harum plagiatores, & ſic à priori, & à poſteriori cõfirmatur illud dictum noſtri Bernardini de Buſtis, qui ſcribendo tempore Sixti IV. Serm. vltimo de Conceptione ad finem, fol. 122. ſic inquit: *Ego verò vt præſentem Sermonem concludam, & detrahentium machinationibus obuiare queam, quia laudantes B. Virginis Conceptionem, appellant ſomniatores, vel ſomnia recitantes, ac deprauantes Scripturas Diuinas, ſeù falſificantes Sanctorum dicta, vel eorum authoritatibus abutentes, vel mendacia fingentes: Dico quòd ipſi aliis imponunt, quod fortè ipſi facere conſueuerunt. Sicut quidam Scholaris ſtrabo erat, tempore quo ego legali ſtudio operam dabam in ciuitate Papienſi, qui cum videbat aliquem ſibi cõtumelias dicere volentem, timenes ne ei improperaret, quòd eſſet ſtrabo, ſtatim ei dicebat: Tu es vnus ſtrabo, quamuis ipſe rectos, & pulchros haberet oculos. De talibus autem verificatur illud, quod poſuit Salomon Eccleſ. 10. dicens: Stultus in via ſua ambulans, cùm ipſe ſit inſipiens, omnes ſtultos exiſtimat. Et Seneca in lib. de Moribus dicit: Hoc habet omnis affectus, vt in quo ipſe inſanit, cæteros putet inſanire. Et Auguſtinus in Pſalm. 118. ſerm. 12. ait: Homo malus ſuſpicatur in alio, quod ſentit in ſeipſo, &c.* Inter vos ergo Patres & nos, iudicabit Sol Iuſtitiæ veritatis propoſitus in noſtræ laminæ ſymbolo inſinua

te propter hoc illud Domini, per Isaiam, cap. 41. nolli timere VERMIS Iacob, qui mortui estis in Israel. Ego auxiliatus sum TIBI, dicit Dominus, & Redemptor tuus Sanctus Israel. Ego posui te quasi Plaustrũ TRITVRANS nouũ, habens rostra serrãtia. TRITVRABIS montes, & COMMINVES: & colles quasi PVLVEREM pones, VENTILABIS eos, & ventus tollet, & turbo dispergetEOS: & tu exultabis in Domino, in Sãcto Israel lætaberis. Egeni, et PAVPERES quærunt aquas, & non sunt, LINGVA eorum siti aruit, ego Dominus exaudiam eos. Aperiam in supinis collibus flumina, & in medio camporum fontes: ponam DESERTVM in stagna aquarum, & terram INVIAM in riuos aquarum: dabo in solitudinem CEDRVM, & SPIMAM, & MYRTVM, & lignum oliuæ: vt videant, & sciant, & recogitent, & intelligant pariter, quia manus Domini fecit HOC. Prope facite iudicium VESTRVM, afferte si quid fortè habetis: Ecce VOS estis ex nihilo, & OPVS vestrum ex eo quod NON est: ABOMINATIO est, qui elegit VOS. Suscitaui ab Aquilone, & veniet ab ortu SOLIS: vocauit nomen meum, & adducet MAGISTRATVM quasi LVTVM, & velut Plastes CONCVLCANS humum, &c. Huc tendit nostrum Seraphicæ veritatis Ventilabrum, & Trituratio Solis Iustitiæ, in laminæ symbolo appositi: speculare, quæ ibi insinuamus, quia sunt satis ad rem.

PRO ALIIS SS. PATRIBVS, ET IPSORVM authoritatibus.

§. II.

DIcunt deinde, & affirmant Aduersarii ex vna parte, quòd hæc controuersia, & quæstio de B. Virginis præseruatione à peccato originali fuit à Scoto, & eius sequacibus ficta, & inuenta, vt lanam, & lac quærerent, &c. Et minimè ab antiquis Doctoribus exagitata, neque cognita: & ex altera parte nituntur probare, & omnibus persuadere, quod hæc propositio, seu conclusio: Beatissima Virgo Maria in sui Conceptione, vnioneque animæ ad corpus vltimatè dispositum, & totaliter organizatum, completa post quadraginta, vel octoginta dies, aut in alio termino maiori, vel minori, à sua prima generatione, carnalique seminis conceptione, in primo illo vitæ momento, vel instanti suæ existentiæ habuerit, atque contraxerit de facto, & formaliter, verè & realiter illam maculam, culpam, & originale peccatum, quo omnes aliæ puræ creaturæ maculatę fuerunt in sua conceptione, ac vitæ exordio, à quo vocantur, & sunt filii iræ, &c. Non solùm fuisse prolatum, scriptum, & prædicatum à multis, & innumerabilibus Sanctis, IN MVLTITVDINE copiosa, siuè, vt alii dicunt, absolutè ab OMNIBVS, & singulis Doctoribus antiquis, & Ecclesiæ Patribus, tam Regularibus, quàm Sæcularibus, Scripturariis, Theologis, Concionatoribus, atque Canonistis, qui OMNES vno ore NEMIME discrepante, apertè, clarè, omninò, firmiter, manifestè, & constanter, per amplissima testimonia, ac fundatissimam Doctrinam, quam non solùm vt solidissimam veritatem, sed vt Catholicum dogma, fidelibus suis docuerunt à principio nascentis Ecclesiæ, incipiendo ab Apostolis, & Euangelistis, & sic successiuè ab OMNIBVS aliis; non tantum in communi, & vniuersaliter, per verba generaliter prolata, sed specialiter, & singulariter, loquendo de B. Virgine Maria in indiuiduo, ipsam expressè signando, & nominando, ita vt NVLLVS ex Antiquis ausus fuerit contrarium dicere, vel affirmare. Hæc sunt Aduersariorum verba, vt videre est in Trituratione: quomodo autem hæc suæ opinionis antiquitas compatiatur cum nostræ sententiæ nouitate, ipsi videant, quia si ab Scoto inuenta, quomodò ab Apostolis, et Euangelistis determinata?

Pro confirmatione ergo huius Asserti adducunt TRECENTOS QVINDECIM Sanctos, Patres, atque antiquos Doctores, & Scriptores; & in hoc argumento ab authoritate sumpto, ita vim faciunt, vt illud iudicent vnicum, totale, solidum, potissimum, ac vt ipsi dicunt, inconcussum, et nunquam labefactandum principium, in quo tanquam in firmissima petra, ac durissima rupe sua opinio

opinio nititur,& nitetur,atq; fragilesfluctus & refluxus maris, ſine formidine caſus, aut ruinæ periculo in æternũ reſiſtet. Hoc quod in ſuis libris ſcripſerunt antiqui Patres Dominicani,hoc moderni in priuatis colloquiis per totum terrarũ orbem diſſeminare nituntur,præcipuè in Romana Curia(me teſte) inter Prelatos, Congregationes, Cardinales, &c. Qua perſuaſione imbuti, de omnibus ſcriptis,& aliis adductis pro noſtra ſententia non ſolùm rident,ſedirridẽt.At numerus iſte Sanctorum,atque Doctorum,qui inter magnos Patres fuit,& eſt reputatus, vt maximus, fortè inter Fratres Minores erit minimus? Quia ipſe Sol veritatis erat in occaſu, & ſic vmbræ videbantur magnæ; poſuerant enim tenebras,& facta fuit nox, & in ipſa pertranſibant,& tranſierunt vſque adhuc omnes Doctores ab ipſis citati, & adducti, ſed iam Sol veritatis peruenit ex Aurora ad meridiem,& perpendiculariter tanget capita, non tibias, & ad eius ortum congregati ſunt omnes illi AVCTORES, & in cubilibus ſuis collocabuntur, à quo hucuſque graſſantes vmbraticæ fictiones diſſipabuntur, & ſine dubio fugient à facie eius.

Vt hoc ergo argumentum ab auctoritate, ſeu numeroſa Sanctorum congeries, atque copioſa multitudo OMNIVM Patrum, & Doctorum antiquorum conſtet euidenter fuiſſe, & eſſe Babylonicam turrim confuſionis, fabricatam non ex lapidibus quadratis, aut lateribus coctis, ſed ex puluere, limo, & luto,&ſuper arenam fundatã,& ſtatuam hanc nihil habere ex auro,argento,& ære,ſed fuiſſe ſomniatam ex teſta,cinere,&fauilla.Notare debesLector,quòd primus operariusGuillielmus de Gannaco, Auctor incognitus, & cum ipſo ſecundus Ioannes Capreolus ſolùm inuenerunt, & adduxerunt pro ſua opinione QVADRAGINTA Auctores abſque auctoritatibus. Succeſſit Ioannes de Turrecremata, & vt robuſtior ſuis anteceſſoribus addauxit CENTVM,& impleuit auctoritates,quę in quadraginta defuerant. Sed inter iſtos adduxit glebas, & paleas, licèt paucas. Gabriel Barelete ſecutus eſt veſtigia Turrecrematæ, & adduxit CENTVM, in quibus etiã ſunt aliqui claudicantes. Poſt illum venit Anonymus,& introduxit DVCENTOS, licèt eius intentio,vt dicitur in eius libri principio,fuerat adducere ducentos quinquaginta,ſed quinquaginta remanſerunt in atramento,& calamo, & ab hoc cępit clara fictio, & creuit aperta multiplicatio Auctorum. Poſtea ingreſſus eſt Petrus de Vincentia, & recollegit DVCENTOS SEXDECIM,& cõtinuata eſt illa chimerica multiplicatio, & fantaſtica fictio. Acceſſit poſt iſtos Vincentius Bandellus de Caſtronouo habens ſpiritũ feruentiorem aliis, & hinc inde per fas, vel nefas de ſaccis,& aliis peciis, fecit DVCENTOS SEXAGINTA OCTO, & ab hoc creuerunt à mare vſque ad mare, vitia teſtimonia,& mendacia. Hos malè enumerauit quidam Cæſar de Petro Michele, Delphinus PhiſcicusParmeſanus,de quo infra claſ.9.qui in libro cuius titulus,Italicè: *Maria de la Madre Vergine,&c.*cap.9. fol.29. à tergo inquit: *Come tiene la Fede Chriſtiana,& inſpeciale docento & ottonta Dottori Theologi lecui auttoritadi, con li lor nomi ſi poſſono vedere adunate per Frate Vicenzo da Caſtelnouo ſopra di queſta materia, &c.* Addidit ergo Lombardus iſte duodecim Auctores,quia non ſunt 280.vt ipſe dicit,ſed 268. Venit denique omnium nouiſſimus (& verè nouiſſimus Auctorum) Paulus Gryſaldus, & exhauſit in hac materia omnem ignorantiam,atque malitiam: nam derelinquens plurimos, quos in Anteceſſoribus ſuis inuenerat apertè fictos, & clarè multiplicatos, ſuppoſuit alios de nouo,& adduxit DVCENTOS TRIGINTA SEPTEM. Corrector Bandelli addiditTRES, alii VNVM, vel DVOS,ſicque OMNES Doctores,&Auctores recollecti à ſexagintaPatribus Operariis, ſeu Meſſoribus in Trituratione iam relatis, cum Scriptura, Synodis, Gloſſa, & Officiis, ſunt TRECENTI QVINDECIM, vt ordine Alphabetico extant diſpoſiti ſupra in Area, & infra inVẽtilatione,& Horreo.Hos ergo diuiſerunt per diuerſas claſſes,vocando ipſos CELEBERRIMOS, & PRÆCLARISSIMOS,necnon PERITISSIMOS, atque ILLVSTRES, imò decem & octo ex his vocant ore pleno BEATOS, & SANCTOS, qui neque à Martyrologiis, neque ab aliquo alio Scriptore tali decorantur titulo, vt hoc ficto, & ſuppoſito elogio Patronos ſuæ opinionis honorarent, & introducerent in Sancta Sanctorum, vt ſic inter tot Sanctos non eſſet Sancta Conceptio Virginis

ginis Dei Matris, imò Petrus de Vincentia adducens ſexaginta nouem Auctores ex Ordine Prædicatorum, illos diuidit in duas claſſes, & in prima ſub hoc titulo: *Dicta Sanctorum Doctorum ſacri Ordinis Fratrum Prædicatorum de materia Conceptionis B. Virginis.* Et hîc collocat S. Thomam, S. Vincentium, S. Catherinam, Albertum Magnum, Hugonem de S. Theodorico, Annibaldum Romanum, Petrum de Tarantaſia, Robertum Anglicum, Ioannem Dominicum de Florentia, Ioannem de Turrecremata, Petrum de Palude, Durandum de S. Portiano, Iacobum de Voragine, Iacobum de Lauſana, Ioannē Litimber, Ioannem Boſnienſem, Anglum de Bononia, Martinum Polonum, Vincentium Hiſtorialem, Thomam de Linchino, Guillielmum Paraldum Heruæum, Iacobum de Peruſio, Bombologninum Bononienſem, Ioannem de Bublia, Ioannem de Neapoli, Durandellum, Robertū Olkot, Romanum, Leonardum Stantium, & S. Antoninum Archiepiſcopum Florentinū, & hoc non ſolùm in primo originali Vincentię, ſed etiā in vltimo impreſſo Venetiis hoc anno. En totius huius numeroſi ædificii, ac Sancti principium, medium, & finis. Sed fortè hic erit ſine honore.

Notare inſuper debes pro hoc Auctorum, atque auctoritatum vltimo, ac finali iudicio, ſtricto librorū examine, ac veritatis exactiſſima inquiſitione, quòd nullus hucuſque ex Scriptoribus noſtris pro Immaculata Virginis Conceptione antiquus, aut modernus, de Auctoribus, auctoritatibuſq; ab Aduerſariis in medium adductis pro ſuæ opinionis confirmatione, aliquando dubitauit, vel ſaltem in mentem venit fuiſſe fallaces, atque dolosè introductas, & ſic omnes vnanimiter ſana, ac bona fide, quaſi eſſent nitidæ, ſolidæ, indubitatæq; veritates pro viribus, iam ex Theologicis principiis, & illationibus, iam ex aliis eorundem Doctorum, atque Sanctorum Patrū teſtimoniis conabantur ſatisfacere, reſpondē do ad obiecta; ſed cùm primum fundamentū ab Aduerſariis poſitum eſſet ruinoſum, fictū, & falſum, dolatum, atque diſpoſitum, vt hiſpanicè dici ſolet: *Guiſado todo al guſto de ſu paladar, ò cortado, y hecho a la medida de ſu deſeo*, ac pro ſua opinione clarū, & expreſsū, & noſtri, propter occupationes, vel quia nō habebant ad manus Doctorum, atque Sanctorum Patrum originalia nullus, nullus, & tertio nullus ipſorum verba recognouerit omnes, omnes, & tertio dico omnes, reſpondendo ex fantaſia, & abſque vero, ac ſolido fundamento in incertum proiiciebant ſolutiones ſuas. Vnde ex vtroq; latere exortæ ſunt tenebræ; & facta eſt nox ſuper cunctos Scriptores terræ; nam Aduerſarii ex vna parte terga vertentes veritati fingebant Auctores, & auctoritates, vt ligarent quod in Sanctis Patribus, erat ſolutum: noſtri verò non reſpicientes in Auctoribus, & auctoritatibus veritatem; ſed attendentes tantummodò ad ſibi propoſita verba per Aduerſarios ſoluebant, quod non erat ligatum, & facta eſt confuſio magna in omnibus, quia quantùm illi fingentes vitiabant textum, & verba Sanctorum, tantùm iſti recedebant à vero ſenſu, & intelligentia ſanę, ac venerandæ doctrinæ Patrum, ſed iam omnibus oritur veritatis Sol, vt omnia collocentur in cubilibus ſuis.

Hæc igitur vniuerſalis, & omnimoda recollectio, ſiue numerus TRECENTORVM QVINDECIN Doctorum, & SEXCENTARVM QVADRAGINTA auctoritatū, fabricatus à ſexaginta Patribus Dominicanis, peccat ex omni parte corruptis, ac peſſimis humoribus, & ſic neceſse eſt applicare ipſi, vt ægrotanti, quaſdam iuſtitiæ, & æquitatis minoratiuas, vt ad ſanitatem veram reducatur. Et noſtri Hieroglyphici pariter adimpleatur illud: *Et ſanitas in pennis eius*, quod facimus per claſſes ſequentes. Neque in ipſis ſtatuimus irrefragabilem regulam: nam vnus, & idem Auctor pertinet ad diuerſas claſſes, v. g. vnus eſt multiplicatus, & ſimul eſt pro nobis, alter eſt fictus, & pariter nullam de ipſo adducunt auctoritatem, alii ſunt dubii, & ſimul multiplicati, & ficti, &c. Quarè hic ſolùm conſtituimus concluſiones vniuerſales, vt alliciant animum, & excitent deſiderium cognoſcendi integram veritatem, & circunſtantias illius enucleatas, & detectas in Ventilatione latiſſimè, & in Horreo compendioſè,

CLAS-

CLASSIS I.

In qua proponuntur Doctores, & Auctores PHANTASTICI, atque CHIMERICI, quorum opera nec visa vnquam, aut allegata fuerunt ab aliquo Scriptore classico, vel non classico: imò quod magis est, nec nomina, aut cognomina ipsorum saltem audita inter literatos, aut posita in aliqua Nomenclatura Ecclesiastica antiqua, vel moderna reperiuntur; sed fuerunt tam Autores, quàm opera penitùs FICTA, & sine vllo fundamento adducta, & plura sine vlla controuersia MVLTIPLICATA, sumpta occasio ex nomine, cognomine, dignitate, vel diuerso libri titulo, in illis TRECENTIS QVINDECIM, ac TRECENTIS QVADRAGINTA auctoritatibus adductis à Patribus DOMINICANIS pro sua opinione de actuali contractione peccati originalis.

1 ABel Dominus.
2 Angelus Bononia.
3 Annibaldus Ciftercien.
4 Annibaldus Romanus.
5 Anonymus Antiquus.
6 Anselmus Conturbiensis.
7 Armachanus, vel Armatharius.
8 Bruchardus Minorita.
9 Compilator Speculi.
10 Elucidarius Scripturæ.
11 Erardus Martyr.
12 Galbaneus Bononiensis.
13 Gilbertus Canonista.
14 Gilbertus Magister.
15 Guillielmus Altisiodoren.
16 Guillielmus Canonista.
17 Guillielmus Durantus.
18 Guillielmus Episcopus Meten.
19 Guillielmus de Roma.
20 Henricus de V[illegible]i.
21 Hugo de Argentina.
22 Hugo Ferrariensis.
23 Hugo Gallicus.
24 Hugutius Canonista.
25 Iacobus Anglicus.
26 Iacobus de Losona.
27 Innocentius Episcopus.
28 Innocentius Papa.
29 Innocentius Papa V.
30 Innocentius Papa II.
31 Ioannes Bosniensis.
32 Ioannes Calcar Carthusiar
33 Ioannes Compilator.
34 Ioannes Diuchot.
35 Ioannes de Gallicis, Dominicanus.
36 Ioannes Gallicus, Augustinianus.
37 Ioannes Gallicus Canonista.
38 Ioannes Gallicus Minorita.
39 Ioannes Gallicus Parisiensis.
40 Ioannes Richardi.
41 Ioannes Rigaldus.
42 Ioannes Sernigacii.
43 Ioannes Sterigatii.
44 Ioannes Theutonicus Auginianus.
45 Ioannes Theutonicus Canonista.
46 Ioannes de Turrecremata Canonista.
47 Ioannes de Villa Abbatis.
48 Laurentius Canonista.
49 Michael de Furno.
50 Moneta Magister.
51 Nicolaus Gallicus.
52 Petrus de Parma.
53 Petrus Tripolitanus.
54 Pictanus Summista.
55 Polidophorus Doctor.
56 Reginaldus Rothomagensis.
57 Romanus Magister.
58 Sinebaldus Romanus.
59 Speculator Iuris.
60 Stephanus Canonista.
61 Theophilus Alexandrinus.
62 Thomas de Ales.
63 Thomasinus Dominicanus.
64 Thomas de Suetonia.
65 Vgo Doctor Antiquus.
66 Vincentius Banchellus.
67 Vviliermus Canonista.

CLASSIS II.

In qua enumerantur Auctores INCOGNITI, non COMPARENTES, nulliusque OPINIONIS, aut FAMÆ, quorum opera impressa non fuerunt, nec manuscripta inueniuntur, quæsita per diuersas, atque insigniores Bibliothecas totius Europæ, nec in Nomenclatoribus antiquis, aut modernis, nisi in aliquibus qui scripserunt post Bandelum, Turrecrematam, Vincentiam, &c. nec de ipsis Aduersarii aliquam adducunt auctoritatem: & sic sunt ex omni parte SVSPECTI: ita vt nullo modo in iudicio, vel extrà aliqua eis adhibenda sit fides, quousque ipsos ostendant, & demonstrent, quod absque dubio non facient, quia vbi dicunt stare, facta omni diligentia per nos, & alios non fuerunt reperta.

1 Albertus de Brixia.
2 Aldrebandinus de Tuscanella.
3 Alexander Nequam.
4 Angelus de Bononia.
5 Antonius de Bononia.
6 Bartholomæus de Bononia.
7 Bernardus de Claramonte.
8 Bernardus Oliueri.
9 Bernardus Papiensis.
10 Bindus Minorita.
11 Bombolongimus Bononiensis.
12 Bonifacius de Cremona.
13 Constantinus de Montebudello.
14 Dominicus de Cathalonia.
15 Durandellus Parisiensis.
16 Facinus de Ast.
17 Franciscus Herculanus.
18 Garricus Doctor.
19 Geraldus de Stenis.
20 Gotifredus Parisiensis.
21 Gualterus Anglicus.
22 Guidus Gallicus.
23 Guidus Portugalen.
24 Guillielmus de Alcona.
25 Henricus Minorita.
26 Iacobus Ægidius.
27 Iacobus de Beneuento.
28 Iacobus de Casa.
29 Iacobus Pictauiensis.
30 Ioannes de Albavilla.
31 Ioannes de Biblia.
32 Ioannes Bricius.
33 Ioannes de Ceruo.
34 Ioannes CliuKot.
35 Ioannes de Francofort.
36 Ioannes de Litemberg.
37 Ioannes Parisiensis.
38 Ioannes de Poliaco.
39 Ioannes de Verdiaco.
40 Leonardus Mansuetus.
41 Leonardus Statius.
42 Marinus Cistercienſis.
43 Nicolaus Achiora.
44 Nicolaus Alexius.
45 Nicolaus de Esculo.
46 Paulinus Bernardinus.
47 Paulus de Perusio.
48 Petrus Canuanus.
49 Petrus Galdinis.
50 Petrus Mediolanensis.
51 Petrus de Palma.
52 Petrus de la Scala.
53 Phisiologus Poëta.
54 Raphaël de Parnasio.
55 Remigius Rhemensis.
56 Richardus Anglicus.
57 Robertus Anglicus.
58 Robertus Mediolanensis.
59 Seuerianus Sanctus.
60 Seuerus Doctor Beatus.
61 Sichardus Cremonensis.
62 Stephanus Doctor.
63 Theodorus Episcopus.
64 Theodorus Theutonicus.
65 Thomas de Linchino.
66 Vgolinus de Vrbeveteri.
67 Vincentius Herculanus.
68 Vincentius Septarius.

CLASSIS III.

In qua ponuntur Auctores, qui licet fuerint in rerum natura, attamen OPERA illorum LIBRI, vel AVCTORITATES, aut VERBA, adducta ab Aduersariis nec reperiuntur, nec extant, nec Aduersarii ipsos ostendere possunt, nisi iterum fingendo.

1 ADam Anglicus.
2 Alanus Doctor.
3 Albertus de Padua.
4 Alcuinus Beatus.
5 Antonius de Azaro Parmen.
6 Antonius de Padua.
7 Athanasius Magnus.
8 Bartholomæus Brixiensis.
9 Bonifacius Papa Primus.
10 Clemens Papa VI.
11 Cyrillus Alexandrinus.
12 Dominicus de Dominicis.
13 Glossa Ordinaria.
14 Gregorius Nyssenus.
15 Guillielmus de Gannaco.
16 Guillielmus OKam.
17 Honorius Papa III.
18 Iacobus de Perusio.
19 Iacobus de Viterbio.
20 Ioannes Chrisostomus.
21 Ioannes Genesius.
22 Ioannes Monachus.
23 Ioannes de Montenigro.
24 Ioannes de Rupella.
25 Laurentius Calcaneus.
26 Lucas Beatus Minorita.
27 Maximus Episcopus.
28 Nicolaus de Aquavilla.
39 Nicolaus Treueth.
30 Odo Murismunden.
31 Richardus Rodulphus.
32 Robertus Conton.

CLASSIS IIII.

In qua signantur Doctores, quorum opera impressa, vel manuscripta extant, sed auctoritates adductæ ab Aduersariis nihil dicunt pro sua opinione, vel sunt FICTÆ, & FALSÆ, atque ADVLTERATÆ, non quomodocumque, sed à primo, vsque ad vltimum verbum.

1 ANdræas Ierosolymitanus.
2 Basilius Cæsarienſis.
3 Bonifacius Papa III.
4 Bruchardus Episcopus.
5 Cassiodorus Senator.
6 Cæsarius Arelatensis.
7 Clemens Papa V.
8 Collectarius Canonista.
9 Cyprianus Carthaginensis.
10 Ephræm Syrus.
11 Fulbertus Carnotensis.
12 Fulgentius Africanus.
13 Gilbertus Porrectanus.
14 Græcus Doctor.
15 Gratianus Compilator.
16 Guillielmus Parisiensis.
17 Haymo Alberstatensis.
18 Hyrenæus Lugdunensis.
19 Illarius Pictauiensis.
20 Innocentius Papa I.
21 Ioannes Cassianus.
22 Ioannes Damascenus.
23 Isidorus Hispalensis.
24 Katherina Senensis.
25 Lotharius Dominus.
26 Olympus Hispanus.
27 Origenes Adamantius.
28 Paulus Burgensis.
29 Petrus de Bruco.
30 Petrus Rauenas.
31 Prosper Rhegiensis.
32 Rectitius Beatus.
33 Richardus de S. Victore.
34 Seuerinus Boetius.
35 Soccus Cistercienſis.
36 Titus Bostrensis.
37 Vbertinus de Casali.
38 Zacharias Chrisopolitanus.

CLAS-

CLASSIS V.

In qua adducuntur Auctores, qui in hac materia sunt DVBII, & PROBLEMATICI, vel INCONSTATES, aut INDIFFERENTES, & vt plurimum MENDACITER adducti; quia in locis citatis ab Aduersariis, vel in aliis pro nostra fuerunt sententia.

1 Alexander de Ales.
2 Armandus de Bellovisu.
3 Arnaldus Salernitanus.
4 Bartholomæus de Pisis Minor.
5 Bernardinus Senensis.
6 Bonauentura Sanctus.
7 Dominicus de Soto.
8 Franciscus de Ast.
9 Gerardus Odonis.
10 Guillielmus Paraldus.
11 Henricus de Gandauo.
12 Henricus de Hurimaria.
13 Hærueus Natalis.
14 Iacobus de Voragine.
15 Ildifonsus Toletanus.
16 Ioannes Apistrin.
17 Ioannes Bacconitanus.
18 Ioannes Dominicus.
19 Ioannes à S. Geminiano.
20 Ioannes Scotus.
21 Landulphus Neapolitan.
22 Landulphus de Saxonia.
23 Leonardus de Vtino.
24 Linconiensis Episcopus.
25 Martinus Polonus.
26 Melchior Canus.
27 Nicolaus Gorran.
28 Odo de Castro Rodulphi.
29 Odo Gallicus.
30 Officia Ecclesiastica.
31 Paratus Doctor.
32 Petrus Comestor.
33 Petrus Damianus.
34 Petrus Ieremias.
35 Petrus de Palude.
36 Philippus de Mõtecalerio.
37 Porchetus de Saluaticis.
38 Richardus de Mediavilla.
39 Robertus HolKot.
40 Robertus de Tornaco.
41 Sedulius Presbyter.
42 Thomas Aquinas Sanctus.
43 Thomas de Vvalleis.
44 Vincentius Valentinus.

CLASSIS VI.

In qua dantur Auctores adducti cum aliquali fundamento, inspecto solum verborum cortice; tamen in rei veritate locuti sunt IRREGVLARITER, vel ÆQVIVOCE, vel DVBITATIVE, aut denique OBSCVRE, in aliorum sententia, & sensu longè distincto à nostra controuersia,

1 Aegidius Zamorensis.
2 Anonymus, siue Ioannes.
3 Bartholomæus de Pisis Dominic.
4 Franciscus Ferrariensis.
5 Guidus Archidiachonus.
6 Guillielmus Durandus.
7 Iacobus de Lausana.
8 Ioannes Beleth.
9 Ioanes Theutonicus.
10 Iordanus Theutonicus.
11 Isidorus Mediolanensis.
12 Mauritius Parisiensis.
13 Paganus de Pergamo.
14 Petrus Calo Clugiensis.
15 Raymundus Compilator.
16 Vvlricus Argentinensis.

CLASSIS VII.

In qua proponuntur Patres,& Auctores adducti ab Aduersariis cum PARVO,aut LEVISSIMO,vel NVLLO prorsus fundamento,solùm propter quasdam vniuersales locutiones, & verba prolata VAGE,& INDETERMINATE.

1 ABraham Syrus.
2 Ambrosius Sanctus.
3 Anselmus Cantuariensis.
4 Aurelius Augustinus.
5 Beda Venerabilis.
6 Bernardus Abbas.
7 Conradus Saxo.
8 Eugenius Papa IV.
9 Eusebius Emyssenus.
10 Gregorius Magnus.
11 Gregorius Nazianzenus.
12 Guillielmus Antisiodorensis.
13 Hieronymus Sanctus.
14 Hostiensis Cardinalis.
15 Hugo de S. Victore.
16 Iacoponus Minorita.
17 Innocentius Papa III.
18 Ioannes Andræas.
19 Ioannes Balbus.
20 Ioannes Calderinus.
21 Ioannes de Herphordia.
22 Leo Papa I. Sanctus.
23 Nicolaus de Lyra.
24 Petrus Lombardus.
25 Rabanus Fuldensis.
26 Rupertus Abbas.
27 Scriptura Sacra.
28 Synoda,seu Concilia.
29 Vincentius Historialis.
30 Zozimus Papa.

CLASSIS VIII.

In qua denique adducuntur Doctores, & Auctores, qui VERE, & REALITER loquendo DIRECTE,ac FORMALITER,in propris terminis ad propositam controuersiã, & quæstionem sustinuerunt opinionem Aduersariorum,licet dimidia pars ipsorum ad sanum sensum reduci poterant,vt videre est in Ventilatione.

1 AEgidius Romanus.
2 Albertus Magnus.
3 Aluarus Pelagius.
4 Antoninus de Florentia.
5 Augustinus de Ancona.
6 Bartholomæus de Spina.
7 Beltrandus de Turre.
8 Durandus S. Portiano.
9 Gabriel Barelete.
10 Gregorius de Ariminio.
11 Guidus Maioricensis.
12 Hugo de S. Theodorico.
13 Ioannes Capreolus.
14 Ioannes de Neapoli.
15 Ioannes de Turrecremata.
16 Petrus de Tarantasia.
17 Præpositus,vel Præpositiuus.
18 Raynerus de Pisis.
19 Thomas de Vio Caietanus.
20 Vincentius Bandellus.

Hæc est OMNIS illa copiosa multitudo militaris, & totus exercitus adductus ab Aduersariis pro sua opinione, ad compendium redactus, siue illi 315.Doctores,& Auctores illustrissimi, clarissimi, sanctissimi,&c. per suas classes distributi. Si ergo ab hoc decantato numero 315.extrahimus 67.primæ classis,quia fuerunt ficti, & multiplicati, remanent 248.Et si ab hoc excludas alios 68 secundæ classis,qui sunt incogniti, ex maiori parte suspecti, vtpotè de Ordine Prædicatorum,& quia eius opera,nec impressa, nec manuscripta inueniuntur, nec de illis adducunt auctoritatem, sed tantùm nuda nomina Auctorum,ac de ipsis nulla notitia inuenitur in Nomenclatoribus vniuersalibus,ac præcipuis: ex quo deducitur, quòd etiam sunt ficti, aut nullius momenti sepulti

pulti in terra obliuionis, qui cùm vocati,& quæſiti fuerint,non poſſunt comparere in iudicio,tantùm remanẽt 180. Ex his etiã relegandi ſunt 32. tertiæ claſſis, quia ſine dubio ſunt falsò,&mendaciter adducti,vt ex ipſorũ operibus conſtat, & euidenter demonſtratur in Ventilatione,& ſic remanent 148. At eadẽ cauſa,& ratione ſunt retrahendi 38. quartæ claſſis,& ſic remanent 110. Et ſi ab his ſubſtraxeris 44.claſſis quintæ, quia examinati ferè omnes ſunt pro noſtra ſententia, licèt nonnulli videantur indifferentes, ſeu problematici, ad vtramque partem ſe inclinantes, tantùm remanent 66. Et ſi ab his excludas 16. illos ex ſexta claſſi irregulares, & cum æquiuocatione loquentes, qui ſolùm apparenter videntur fauere contrariæ ſententiæ, non tamen in rei veritate; quia loquuntur in alio ſenſu, id eſt,de Conceptione prima carnis, concupiſcentia,&c. remanent 50. Ex quibus ſi demas Sanctos,Patres,& Auctores adductos in ſeptima claſſi,qui ſunt 30 quia ſine fundamento vllo, vel paruo, ſed propter leuiſſima aliqua verba fuerunt adducti, cùm in rei veritate nihil dicant, remanent 20. & hi viginti ſunt illi poſiti in octaua claſſi, qui verè, & realiter, ac directè ſunt pro ipſis abſque vlla controuerſia. Sed notare debes, quòd ex his viginti ſunt ex Ordine Prædicatorum tredecim, partes in hac controuerſia, & teſtes non omni exceptione maiores, quibus in hoc iudicio nulla fides præſtari debetur. Alii ſeptem ſcripſerunt tempore Ioannis XXII. à quo receperunt aliqui dignitates, &c. Ecce ergo ad quos reducta eſt tota illa machina TRECENTORVM QVINDECIM Sanctorum. Ecce omnis numerus Doctorum eius apud te eſt: conſtituiſti terminos eius, VIGINTI, qui præteriri non poterunt.

Suppoſito ergo ſecundùm veritatẽ, quòd iſti viginti ſunt OMNES, quotquot adducere poteſtis,vbi eſt magnus ille, atq; copioſus numerus TERCENTORVM QVINDECIM Auctorum, atque vniuerſaliſſima illa propoſitio: OMNES Doctores Antiqui, Sancti Patres,& Religioſi,&c? Omnis Sacra Religio Carmelitana clauditur in vno? An omnis Ordo Minorum concluditur in duobus? An omnis Ordo Eremitarum S. Auguſtini exhauritur in tribus? An omnis literatura Dominicanæ familię exhauſta eſt in tredecim Scriptoribus? Et quando adderetis Paulum Gryſaldum,& Mauritium de Gregorio, aut alios ſimiles, quorum opera ſunt plena,&c. &c.&c. quid inde? An opinio,quæ his arriſit, poteſt eſſe benè fundata? Denique omnium Sanctorum Patrum, atque Eccleſiaſticorum ſæcularium multitudo,profunda,ac penè infinita ſcientia à principio naſcentis Matris Eccleſiæ,compromiſit in vno incerto,& nullius momenti Præpoſito, vel Præpoſitiuo, cuius proprium nomen fuit Petrus Præpoſitus(qui etiã vt creditur,fuit ex Ordine Prædicatorũ) & ſi vultis,adiungite Ioannem illum de Paliaco, vel Policratis,Auctorem à quinque Summis Pontificibus damnatum, cuius opera,quia prohibita,& fortè ex ſentẽtia publicè combuſta,iam nõ comparent: vbi ſunt ergo iſti Sancti Patres, atque Doctores Eccleſiæ præſtantiſſimi,illuſtriſſimi, præclariſſimi, atque ſanctiſſimi, qui conſtanter,aſſertiuè,atque ſignando, & nominando dixerunt,Virginem Mariam fuiſſe conceptam in peccato originali? Quæſiui, legi, tranſiui, & ecce non erant.

Sed quia Aduerſarii ſæpeſæpiùs non tantùm inſinuatiuè, ſed expreſsis, ac formalibus verbis dicunt, & affirmant, quòd non ſolùm illi 315. Auctores ab ipſis adducti ſunt pro ſua opinione,ſed & MVLTI alii quos breuitatis cauſa prætermittunt, nec aliqui verentur addere illam vniuerſalem OMNES Doctores NVLLO excepto,&c. Decreui percurrere omnes libros Eccleſiaſticos, antiquos,& modernos; impreſſos, ac manuſcriptos,quos inuenire potui, & hanc Conceptionis materiam, vel directè ſub titulis peccati originalis, maculæ,mundationis, purgationis,&c. vel indirectè,ſcilicet,puritatis, innocentiæ,pulchritudinis,impeccabilitatis(non refero vocem ſanctificationis, quia ſolùm dicere, abſque alio addito: Virgo Maria fuit ſanctificata in vtero,eſt indiferens propoſitio ad ſanctificationem in primo inſtanti, vel ſel ſecundo) calamo quoquomodo tetigerunt, ac de ipſis compaginaui ingentem Tomum ſub titulo: *Militia Immaculatæ Conceptionis, contra malitiam originalis peccati*, in quo videbitur,an illud MVLTI, & OMNES Aduerſariorum militent ſub militia, vel ſub malitia. Inter illos tantummodò inuenio ſequentes,

tes, qui aliquando, vel ſemper fuerunt pro contraria opinione; apparenter, vel in rei veritate; expreſsè, vel inſinuatiuè, quos ordine Alphabetico damus in h ac ſpeciali claſſe.

CLASSIS IX.

In qua pro totali complemento, ac claritate noſtræ Ventilationis, damus Auctores antiquos, et modernos VAGANTES extra Elenchos, et Indices Aduerſariorum, atq; ab illis PRÆTERMISSOS, quia illos non viderunt, aut ſi ipſos adducunt, eſt ſub nominibus, ac citationibus INCOGNITIS in ſecunda claſſe poſitis.

ANonymus quidam (non ſuprà poſitus in Trituratione num. xix. nam de illo clarè conſtat fuiſſe Dominicanum, imò et ipſummet Bandellum) ſed alius qui ſcripſit Opuſculum breuiſſimum de peccato originali, incipiens ſic: *Hæc ſunt dicta Sanctorum, atque Doctorum Eccleſiæ loquentium de peccato originali, quòd à tranſgreſſione peccati primorum parentum Adæ, & mulieris generantur, contraxerunt, & contrahunt in conceptu, excepta vnica perſona Domini noſtri IeſuChriſti, qui ſolus ſine peccato conceptus eſt de Spiritu Sancto ex Maria Virgine. Paulus Apoſtolus ad Rom. 5. Sicut per vnum hominem, &c.* Et ſic concatenando auctoritates aliquas Sanctorum, præcipuè Auguſtini, adducit triginta duas, ita quod ex propriis nec vnicum ſaltem verbum proponat. Et tandem concludit cum Epiſtola Sancti Bernardi, quam tranſcribit de prima ad vltimam litteram, et in illa concluditur Opuſculum. Cognoſcitur autem ex omnibus illis, quòd intentio Auctoris erat demonſtrare, Virginem Dei matrem Mariam fuiſſe conceptam in originali peccato: extat hoc cum aliis Opuſculis de diuerſis materiis manuſcriptum, in Bibliotheca ſuperiori Scorialis in membranis optimo charactere, in fol. magn. & ad finem totius libri extant hęc verba: *Hoc volumen comparauit Raphael de Mercatellis, digniſſimus Epiſcopus Roſen. S. Bauonis, iuxta Gandauum, anno Domini* 1486. Conſtat ergo de antiquitate Opuſculi, ſed non de Auctore; an fuerit Dominicanus, nec ne? poteſt eſſe, quòd hoc ſit Opuſculum Raphaelis de Parnaſio Ianuen. vel alterius ex illis adductis ab Aduerſariis in Ventilatione, quorum auctoritatem nullam adducunt aſtutè, & calidè, quia cùm in hoc Opuſculo omnes ſint auctoritates Sanctorum, & nullum verbum habeat ex ſe Autor, citarunt Auctorē, & Opuſculum, ſed ſine auctoritate; certiſsimum eſt, quòd Opuſculū extat; certū eſt, quod auctoritates ſunt ipſiſſimæ illę, poſtea adductæ à Bandello, & aliis; probale, quòd fuit labor alicuius Patris Dominicani; cotingens, quòd fuerit Raphaelis de Parnaſio, vel alterius: ſi autem fuit alicuius extrauagantis, hunc addo pro veſtra opinione, videte vos ſecundùm veritatem, ſi debet dici Auctor, qui ſolùm refert aliorum dicta?

Antonius Fanentinus, quem Bandellus appellat præclariſſimum virum, & maximum Philoſophum, ſed tacens illius ſtatum; compoſuit quædam carmina in laudem libri eiuſdem Bandelli, quæ incipiunt: *Quiſquis ait Matrem Chriſti, ſine labe creatam, &c.* & extant fol. 110. Sed exiſtimo verſus illos fuiſſe eiuſdem Bandelli, quia redolent eius ſtyllum, aut illius Patris Dominicani, de quo Leander. Alb. lib. 4. fol. 145. inquit: *Antonius Macho Fauentinus ſcripſit ſermones, &c.* ſed cuiuſcumque fuerint carmina illa, Auctor laudauit Bandellum, & commendauit librum, credens eſſe vera, quæ in illo dicebantur: nec cenſores libros approbantes, inter Doctores Eccleſiaſticos computantur.

Archangelus Rubeus, Cremonenſis, Canonicus Regularis Lateranenſis, & Epiſcopus Caleni in opere ſuo: De Incarnatione, &c. impreſſo Romę, anno 1614. in fol. in 3. diſt. pag. 36. expreſsè defendit: *Virginem Mariam fuiſſe conceptam in peccato originali.*

Bandinus Metlici Doctor antiquus ſcripſit Summam, ſeu Compendium Theologiæ ſcholaſticæ; opus ſemel, & iterum typis mandatum Louanii, anno 1557. & Viennæ Panoniæ, anno 1519. in fol. recognitum per Benedictum Chilidonium, Abbatem Viennæ ad

Sco-

Scotos,&c. Et in 2. ſent. diſt. 30. vniuerſaliter docet; quòd peccatum Adę omnes reos fecit, &c. Et cùm ab hac regula non excipiat Virginem, videtur ipſam comprehendere, iuxta vſitatam Aduerſariorum conſequentiam. Item in 3. ſent. diſt. 3. inquit: *Chriſti autem caro non fuit peccatrix in Chriſto, id eſt, alicui peccato obligata, quia ex carnis delectatione nata non eſt, nec poſteà peccauit: fuit verò peccatrix in matre, ſed ſuperueniente Spiritu Sancto tota mundata eſt, &c.* Cùm ergo auctoritas iſta propter illa duo verba, *peccatrix in matre*, & *mundata eſt*, videatur militare pro opinione Aduerſariorum, & iſtum communem, atque antiquũ Doctorem non adducant ſub proprio nomine, licèt referant alios, quàm plures incognitos Auctores, vt Pictanum in Summa ſua, Petrum Capnanum, & alios huiuſmodi in 3. ſent. diſt. 3. credo, quòd iſte ſit vnus illorum, & quòd ex induſtria mutarunt nomen illius, & prætermiſerunt auctoritatem, vt ſic maneret occulta veritas; quia Auctor loquitur de carne, non de anima; de obligatione exorta ex parentum delectatione, et quòd ex hac fuerit peccatrix in Maria, tranſeat, quia noſtra præcipua quæſtio nõ eſt, an caro Mariæ fuerit ex delectatione nata in vtero Annæ, et in illa prima conceptione carnali obligata peccato. Sed an in animatione cõtraxerit culpam, et maculam formalem. Concludimus ergo quod Bandinus, ſiue perſonatè adductus fuerit, ſiue non, nec expreſsè, vt de ſe patet, nec interpretatiuè eſt pro ipſorum opinione.

Cæſar Delphinus de Petro Michele, Phiſcicus Parmenſis, ſcripſit lingua Italica parvum librum de Beata Virgine, impreſ. anno 1588. in 8. et fol. 28. cap. 11. ſub hoc titulo: *Qual mente la Madre Vergine nel peccato originale conceputa per riſpeto di quello, auante che naſceſſe nel ventre della madre fù ſanctificata.* Tenet formaliſſimis verbis, Dei Matrem Mariam fuiſſe conceptam in originali macula: ſed vt Medicus.

Chryſippus Presbyter Hieroſolymitanus, qui vixit ad annum 415. ſcripſit ſermonem de S. Maria Deipara, incipientem: *Virgam Ieſſe ſemper virentem, &c. omni quidem tempore Beatam prædicare, admirari, & laudibus extollere conuenit, &c.* vt videre eſt in B. VV. PP. impreſ. Colonienſ. part. 6. tom. 2. fol. 711. in quo inter alia inquit: exurge, Domine, in requiem tuam; tua enim requies, inquit, eſt Virgo, et vterus tua requies, quia tibi cubile efficitur, et habitatio: ſurge, Domine; nam niſi tu exurgas è ſinu paterno, inquit, genus noſtrum quondam lapſum non reſurget. Surge, Domine, quia etiam ſi exurgas, non ſeparaueris à gloria paterna, et verſas in terra, non relinquens cœlos, et licèt appareas in carne, non imminues poteſtatem, quam habes ante ſæcula. Tu, et arca ſanctificationis tuæ: *Cùm enim tu inde ſurrexeris, ſigillabis arcam ſanctificationis tuæ, tuncque arca cum omnibus exurget à lapſu, in quo vel illam conſtituit Euæ cognatio.* Hæc vltima verba cum ſufficienti fundamento adducere poterant Aduerſarii pro ſua opinione, ſi aliquis ipſorum ipſa vidiſſet, ſed in rei veritate ſunt vniuerſalia; deinde loquuntur de tempore Incarnationis Verbi Diuini. Item ſurgere à lapſu, in quo illam conſtituit Euæ cognatio, ſolùm arguit debitum, et obligationem. Item quòd Chryſipus in toto illo ſermone non agit de Conceptione paſſiua, nec ſaltim nominat peccatum originale; ac denique in principio Sermonis vocat Virginem Mariam *ſemper virentem, & omni tempore* Beatam, quòd cum peccato, et macula ſaltem pro vnico inſtanti difficillimè cõponuntur. Item quia ex illo verbo ſigillabis, conſtat, quod loquartur de ſigillo virginitatis, quo ſigillata fuit Maria à caſu Euæ, et cæterarum mulierum à corruptione conceptionis, et partus: de hoc enim agit in toto Sermone.

Franciſcus Syluius à Brania Comes, et Doctor Duacenus in 3. part. D. Thomæ, quæſt. 27. fol. 90. impreſ. Antuerpien. 1618. in fol. in quæſt. de ſanctificatione, artic. 2. docet, nõ fuiſſe ſantificatã ante animationem, et in 3. artic. quærens: an Virgo fuerit concepta in peccato originali, ſic reſpondit: *Videtur probabilius, quòd B. Virgo fuerit concepta in peccato originali. Suadent hoc ſcripturæ generales, &c.* et adducit aliquas Patrum auctoritates communes. Sed poſtea in impreſſione facta Duaci, anno 1622. in fol. pag. 101. non ſolùm reformauit prædictam opinionem, ſed etiam interpretatus eſt S. Thomam pro noſtra ſententia, cuius verba damus ad literam in noſtra Militia, &c.

Gaſpar Ram. Doctor Hiſpanus, Aragonen

ſis

ſis ſcripſit duo Opuſcula parua, probando, *Viginem Mariam contraxiſſe originale peccatum*, & illa manuſcripta (nunquam enim fuerunt typis mandata) aliquando habui ex Conuentu Arcualenſi, contra quem ſcripſit noſter Portel in Reſponſ. part. 2. caſu 32. per totum; ſed Doctor iſte à proprio Regno pulſus in exilium datus, ad Salmantinam ſe contulit Vniuerſitatẽ, vbi neſcio, qua de cauſa taliter depoſuit ſuam illam priſcam opinionem, quòd in Sermonibus, lectionibus, ac feſtiuis acclamationibus deinceps fuit acerrimus Immaculatæ Conceptionis Defenſor, ac Propugnator.

Germanus Sanctus, priùs Cizinenſis Epiſcopus, & poſtea Patriarcha Conſtatinopolitanus, qui claruit ad ann. 730. edidit Theoriam rerum Eccleſiaſticarum, quæ extat in Biblioth. VV. PP. tom. 8. à fol. 53. & incipit: *Eccleſia eſt templum Dei, &c.* Poſt medium, fol. 59. col. 1. littera A. ſic inquit: *Bibite ſanguinẽ meum pro vino mixto vobis in remiſſionẽ peccatorum, & in vitam æternam. Chriſtus Dei ſapientiam, & virtus, ſuam carnem ædificauit, ex virum non experta caſta matre, & Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis, &c.* Hanc auctoritatem adducit ad probandum, Virginem contraxiſſe debitum peccati originalis, vel ipſam originalem culpam formaliter, Pater ille, de quo in Trituratione, num. lx. quia ſi Maria fuit *præpurgata anima, & corpore*: ergo habuit in anima, & corpore maculam purgatione dignam? Sed notare debuerat Auctor iſte, quòd illa propoſitio *præ* denotat præuenientem purgationem animæ, & corporis. Item ibi loquitur Germanus de tempore Incarnationis, quando Virgo adminiſtrauit carnem, & ſanguinem, vel ergo ibi corpus, & anima Mariæ præpurgata fuerunt à macula exiſtente, in ipſis, vel ab aliqua, quæ ineſſe poterat, primùm non poteſt dici, ſecundùm pro noſtra eſt ſententia: ergo Germanus ſine fundamento fuit adductus à prædicto Patre Carmelitano. Item quomodò iſte Auctor non vidit quod Germanus ibidem *§. Diaconus; &c.* & *§. Supplicatione, &c.* vocat Mariam Immaculatam? & *§. Deinde oſtendente, &c.* loquens de ſtola rubra ſanguinis Chriſti, inquit: *Vt purpuram tinctam ex immaculato ſanguine Deiparæ, &c.*

Guillielmus Eſtius, Cancellarius in Academia Duacena, in epiſtol. D. Pauli, tom. 1. impreſ. Duaci, ann. 1614. in fol. ad cap. 5. ad Roman. fol. 75. ad illa verba: in quo omnes peccauerunt, &c. Propter hanc Pauli vniuerſalem, Eſtius nullum excipit, niſi ſolum Chriſtum Dominum, Virginem autem Mariam, nec includit, nec excludit, nec nominat, ſed cùm ad finem dicat: *Vt cumque alii quidam, quos non iudicamus, aliter hac de re ſapiant*, videtur ſe inclinare in contrariam opinionem, ſine iudicio tamen noſtræ, &c. in Curſ. Salman. quæſt. 81. diſput. 15. dub. 4. num. 151. fol. 617. pro opinione debiti adducitur Eſtius in 3. ſect. diſt. 3. §. 15.

Guillielmus Paruus, ſecundùm aliquos, Ordinis Prædicatorum, & ſecundùm alios, Canonicus Regularis Sancti Auguſtini, vel Epiſcopus Pariſienſis, qui vixit ad annum 1220. edidit abſolutiſſimum opus in Cantica Canticorum, de quo paſſim Martinus del Rio traſcribit paginas integras, cap. 4. & 6. fol. 199. & 328. expreſsè affirmat, *Virginem Mariam fuiſſe conceptam cum originali culpa.* Iſtum non adducunt Aduerſarii ſub hoc nomine. Vide Ventilat. num. 132. & num. 196. ſi hic eſt, vel non diſtinctus ab alio Guillielmo Paruo adducto pro noſtra ſententia à Serrano lib. 2. cap. 28. num. 4. & Euſebio Nieremb. in lib. Exception. Concilii Tridentini, cap. 26. fol. 445. ipſi videant. Del Rio in Iſagoge, fol. 26. de nominibus, ac vita huius Auctoris latam adducit notam, vide ibi.

Henricus Goethals, Tornacenſis, in ſuis Quodlibetis, Quodlibet. 5. impreſ. Pariſiis anno 1518. in fol. à pagina 584. vſque 589. habet quæſt. diffuſam tractans, & ſuſtinens: *Quòd Conceptio Virginis Mariæ non eſt celebranda ratione Conceptionis*, & perconſequens defendit opinionem Aduerſariorum.

Homo quidam, cuius ſtatus, aut tempus, quo vixerit, non exprimitur; creditur tamen fuiſſe ex Ordine Prædicatorum, qui circa annum 1480. edidit officium de contaminatione, & corruptione Virginis Mariæ, vt refert Bernar. de Buſtis in 3. part. ſui Marialis, Serm. 9. par. 1. fol. 102. ſic dicens: Qua propter offlcium compoſui de ipſius puriſſimæ Virginis innocentia, non vt homo quidam fecit *illius contaminatione, & corruptione.* Magnam enim infert Beatæ Virgini contumeliam, multùmque illam offendit, qui

Hymnos, vel Antiphonas ad eius gloriam componere ſimulat, vt eam quandoque peccato maculatam, atque à diabolo poſſeſſam fuiſſe demonſtret: de talibus enim ſub laudis colore Matrem Dei vituperantibus ipſa valdè conqueritur, dicens, &c. Tales autem faciunt, ſicut ſcorpio, qui antè lingit, & cauda pungit. Dicunt enim ſimilem ſententiam: *Laudetur Beata Virgo, quæ non niſi per inſtans fuit contaminata peccato, laudata ſit Mater Dei, quæ paruo tempore ſtetit ſerua diaboli.* Ceſſate à talibus Virginis laudibus, quibus vilipenditur ipſa, & eius dulcis filius, &c. Hæc & alia habet Buſtos, contra illum audaciſſimum hominem, qui ſub deteſtandis titulis edidit ad æmulationem propoſitum officium. Quis autem fuerit homo iſte, penitùs ignoratur, & exiſtimo non fuiſſe Bandellum, tum quia eius officium non eſt ſub titulo *Contaminationis, & corruptionis*, ſed ſanctificationis, tum quia Bandellus edidit ſuum, cùm eſſet Generalis ad annum 1506. iſtud autem videtur laboratum antè annum 1480. Sed cuiuſcunque fuerit, Officium habebat Antiphonas, & Hymnos, pro *contaminatione, & corruptione* Sanctiſſimæ Virginis Dei Matris.

Hunaldus Doctor antiquus, ac contemporaneus Sancti Bernardi in epiſtola ad Præpoſitum, quæ extat inter epiſtas Philippi Abbatis Bonæ Spei, fol. 97. loquens de Incarnatione Chriſti, ſic inquit: *Cauſæ ergo illæ communes, vt dicere cœperam, in congignendis corporibus operantur, velut cùm ſeges, vel arbor ex ſemine ſuo naſcuntur. In Conceptione verò virginali non ſolitus naturæ curſus, ſed alia penitùs cauſa, primùm operata eſt, licèt aliæ ſunt ſubſecutæ. Alia cauſa non creata ſuperuenit, quæ carnem Verbo Dei perſonaliter vniendam, de carne Virginis ſequeſtrauit, & eandem ab originali peccato mundauit. De hac, vt arbitror cauſa, ſiue initio corporis Chriſti loquebatur Hylarius, &c.* Verba iuſta videntur apertè, & clarè conſtituere in carne virginea peccatum originale tempore Incarnationis Verbi Diuini, vt denotat illa clauſula: *Quæ carnem Verbo Dei perſonaliter vniendam de carne Virginis ſequeſtrauit, & eandem ab originali peccato mundauit*, ſed ex ipſa etiam euidenter detegitur, qualis fuerit modus loquendi Antiquorum in hac materia; nam peccatum originale conſtituebant in carne, & mũdare ſumebant pro præſeruare, idemque erat carnem Virginis à peccato originali mundare, ac præuenire, ſeu ſuperuenire Spiritum Sanctum, ne ſanctiſſima caro illa in ſequeſtratione, ſeu deciſione, aliqua concupiſcentia, libidine, aut carnali delectatione pollueretur, & hoc erat mundare in carne Virginis peccatum originale, quod ineſſe poterat in ipſa Virgine Matre. Vnde ſi Hunaldus expreſsè diceret: Deus in vtero Annæ ſequeſtrauit carnem Mariæ: *Et eandem ab peccato originali mundauit*, iuxta ſuum modum loquendi nihil exprimeret aduerſus Immaculatam Virginis Conceptionem, ſed de hac antiqua acceptione terminorum, *peccati originalis*, atque *mundare*, ſæpè reddibit ſermo in Ventilatione.

Ioannes Heſſels Doctor Louanienſis, in quadam epiſtola ſcripta Fratri Antonio Soblonio, Guardiano Athenſi in Prouincia Frandriæ, quæ incipit: *De Conceptione Deiparæ, quæſtionem moues, &c.* Et extat apud Cornelium Stulthingium in Bibliot. Eccleſiaſt. tom. 2. fol. 46. opinionem Aduerſariorum tuetur, & expugnat magis piam, ſed quia ſæpè repetit iſta verba: *Opinionem noſtram*, exiſtimo eſſe alicuius Patris Dominicani.

Michael Lot, Ordinis Prædicatorum Hiſpanus, & in Vniuerſitate Perpinianenſi, Lector in epitome, ſiue collectione Magiſtri Sententiarum Petri Lombardi, impreſ. Perpiniani anno 1594. in octauo, in diſt. 3. fol. 268. excitat hoc dubium: Dubitatur ſtatim, an caro, quã Filius Dei aſſumpſit, eſſet peccato obligata priùs, quàm conciperetur. Pro cuius intelligentia animaduertendum eſt, quòd quædam particula ex puriſſimis ſanguinibus Beatæ Mariæ Virginis accepta eſt, ex qua caro, quam Filius Dei aſſumpſit, facta eſt. Quærit ergo dubium propoſitum, an ſanguis ille aſſumpus, eſſet peccato obnoxius, antequam conciperetur caro Chriſti ex ipſo facta. Reſpondit Magiſter, obnoxium fuiſſe, quia reliquà caro Virginis obnoxia erat peccato; ergo & illa particula: *Aduerte tamen, vt meliùs hoc intelligatur, tenere expreſsè Magiſtrũ, Virginem Mariam fuiſſe in peccato originali conceptam, à quo tamen in Conceptione Filii Spiritu Sancto ſuperueniente, totaliter liberata eſt*, quod aliqui intelligunt per totalem eradicationem fomitis. Alii verò per huiuſmodi debilitationem, quòd impoſterum non fuit

ei

ei ampliùs fomes ille occaſio peccati: peccatum ergo originale quãuis ratione culpæ, reatus pœnæ æternę ablatum, fuerit in Virgine per quandam ablationem, quæ loco circunciſionis fiebat, remanſit tamen fomes, à quo in Conceptione filii fuit liberata, & accepit poteſtatem generatiuam, ſiue ad concipiendum filium Dei ſupernaturaliter, quę colliguntur ex Ioanne Damaſceno. Hucuſque ille Epitomator, atque Collector Magiſtri Sententiarum in ſuo dubio, vbi in ſignatis verbis *expreſsè* tenet Virginem fuiſſe conceptam in peccato originali, ſed *expreſsè* fallitur in illis: *tenere expreſsè Magiſtrum, Virginem Mariam fuiſſe in peccato originali conceptam.* Nam quòd *expreſsè* affirmat Magiſter eſt, carnem Virginis priùs peccato fuiſſe obnoxiam; errat autem *expreſsè*, qui dicit, hoc eſſe *expreſsè* tenere, Virginem Mariam fuiſſe conceptam in peccato originali: & patet *expreſsè* ex iſdem verbis Magiſtri, & tuis. Nam ſanguis ille aſſumptus à Verbo, ſiue caro Chriſti antequã conciperetur, fuit peccato obnoxia, ſicut reliqua caro Virginis; & tamen Chriſtus non contraxit peccatum originale, quia priuſquàm aſſumeretur, fuit ab Spiritu Sancto purgata: ergo idem dicendum erit de reliqua carne Virginis, quæ purgata fuit, antequam animaretur, ſed de hoc aliàs in Petro Lombardo, num. 246.

M. L. Iuriſperitus, ita adducit Vincentius Bandellus Anonymi cuiuſdam carmina, fol. 110. pro ſui libri recomendatione, quæ ſic incipiunt: *Reginæ meritas laudes commendat Olympi, &c.* Quis autem fuerit ille iuris peritus M. L. perſonatè ſub has duas litteras à Bandello introductas, Deus ſcit. Sed ego ſub humana fragilitate degens dicerem, quòd qui finxit Sanctos, Auctores, libros, tractatus, capita, auctoritates, ac verba, non trepidaret, nec calamum conquaſſaret in duabus litteris. At cùm in iudicio Romanæ Eccleſiæ non ſit teſtis legalis M. L. tranſeat.

Meffret Concionator antiquus, ac celebris, ſcripſit Sermones de tempore, ac de Sanctis, vulgariter Hortulus Reginæ appellati, qui poſtea fuerunt excuſſi Nurembergæ, ann. 1496. & Monaci anno 1611. in fol. hic ergo incognitus Auctor, quia neſcitur, quis fuerit, quando vixerit, eius proprium nomen, vel ſtatus, adducit de Conceptione Virginis Mariæ tres Sermones, in quibus videtur defendere Aduerſariorum opinionem, nam Ser. 3. ſic inquit: *Omnes homines primorum parentum peccato naſcuntur obnoxii, &c. excepto Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui ſolus Spiritu Sancto conceptus eſt, & ſic liquet, quòd Maria ſubiecta fuit huic legi peccati originalis, &c.* Et ſic proſequitur. Item Serm. 1. inquit: *Rectè ſicut ipſa hodie in ſua Conceptione à peccatis originalibus eſt mundata, & à Deo ſanctificata, ſecundùm illud Prophetæ: Sanctificauit Tabernaculum ſuum altiſſimus, &c.* Tamen in Serm. 2. ait: *Quia aiunt aliqui ob deuotionem, Virginem eſſe conceptam abſque labe peccati originalis, quibus aſſentit Anſelmus in libro de Conceptione Virginis, dicens, &c.* Et poſtquam adduxit auctoritates Anſelmi, atque Sanctæ Brigittæ, probantes immunitatem Virginis à peccato originali, ſic proſequitur: *Sed contra hoc eſt, quaſi totus cætus Sanctorum Doctorum, ipſam ſicut, & alios homines, in peccato originali conceptam aſſerentium, & ad hoc ſonat Auguſtinus, &c.* Poſitis igitur duabus opinionibus, ſic concludit Meffret Sermonem illum: *Sed quia dicit Ariſtotelis: Medium in omnibus eſt laudabile. Ne ideò videar ad vnam partem magis, quàm ad aliam declinare, volo cum Ieſu per medium illorum ire; hoc enim tenens cum primis: ſi Beatiſſima Virgo Maria ſine originalibus eſt concepta, tunc benedictus ſit Deus Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui eidem Filio ſuo tàm mundam præparauit manſionem, in qua dignatus eſt miſericorditer nouem menſibus habitare. Et quòd Dominus Deus ſit propter hoc benedictus, dicit ſapiens, Eccleſ. 32. Age conceptiones tuas, non in delictis, ſed in his omnibus Dominum benedicito, quaſi diceret: O homo, celebra Conceptiones Virginis, quæ propter te factæ ſunt, & non in delictis, hoc eſt, noli temerè defendere vnam illarum partium, vbi fortè cadere poſſes in peccatum, ſed de hoc ſufficit piè dubitare, & Dominum benedicere. Sed hoc teneo cum ſecundis, ſi, vt dicunt, Maria in originalibus eſt concepta, tunc ſtatim eſt ſanctificata, purgata, licèt non in eodem inſtanti, quo fuit imperceptibiliter infecta, & hoc propter repugnantiam culpæ, & gratiæ; tamen factum eſt in aliquo inſtanti proximo, ſicut naturæ poſſibile fuit. Et hoc iterum apparet, quàm ſolicitè diuina gratia Beatam*

Virginem in puritate ſeruauit, quia tempore imperceptibili, & breuiſſimo ipſam in originali permiſit, & quam citiſſimè potuit fieri ipſam per gratiam emundauit, & hoc quo ad ſecundum. Et hîc concludit Sermonẽ, ex quibus colligitur primò, quòd Meffret fuit problematicus, & ſi in aliquã ſe inclinauit partẽ, fuit ad noſtram ſententiam, quod probo ex eodem Sermone, littera H. col. 1. fol. 29. vbi ſic inquit: *Quia Virgo Maria concepta eſt, ſecundùm Anſelmum, veniente Sole, hoc eſt, gratia ſuperabundante Spiritus Sancti, cum animæ infuſione, quæ facta eſt triceſima quinta die à Conceptione carnali, quæ fuit facta hodie. Concepta eſt igitur ſpiritualiter, hæc ſpetioſiſſima Virgo Maria, tanquam margarita alba, abſque vlla macula, ita vt cœleſtis Sponſus ad ipſam dicere potuiſſet illud Cant. 4. Tota pulchra eſt amica mea, & macula non eſt in te.* Si ergo gratia Spiritus Sancti venit in Condeptione Mariæ cum animæ infuſione, quando facta fuit animatio triceſima quinta die poſt Conceptionem carnalem, & illam vocat ſpiritualem Conceptionem, & illam ſine vlla macula, vt Maria poſſet dici, tota pulchra, &c. nihil aliud nos dicimus, nec affirmamus: & ſic Meffret, non ſolùm fuit problematicus, ſed etiam expreſsè pro nobis. Secundò dico, quòd Aduerſarii ſub aliquo incognito nomine hunc citant Auctorem pro ſua opinione, quia aliqua verba, quæ extant in his Sermonibus Meffret, reperio inter illos incognitos ex aduerſo, adductos in Sermonibus ſuis, ſed cùm hoc non conſtet ſecundùm veritatem, illum in iſta claſſi præmittere decreui. Tertiò dico, quòd licèt Pater Ioannes à Lapide Carthuſianus ſcripſerit Apologiam contra Sermones iſtos Meffret pro Immaculata Virginis Conceptione fuit ex ingenti deuotionis zelo ſemper laudando, ſed ex hoc non debent Patres Dominicani exiſtimare Meffret fuiſſe pro ipſis, vt ex ſuprà dictis vnicuique conſtare poteſt.

Nicephorus Conſtantinopolitanus, Archiepiſcopus Sanctus in epiſtola, ſeu fidei profeſſione, quæ habetur apud Baronium tom. 8. ad ann. Chriſti 811. fol. 571. littera C. loquens de Verbo incarnato, inquit: *Inhabitans enim in vtero Sanctiſſimæ incontaminatæ Deigenitricis Virginis, & in anima, & in carne præmundata Spiritu, & totum in ſe ipſo ſuſcipiens ex ipſa quod noſtrum eſt, quemadmodum in principio plaſmans, & viuificans hominẽ, proceſſit Deus incarnatus, manens quod erat Deus, &c.* Propter illa tria verba: *anima, & carne præmundata*, hãc adducit ſub prætextu debiti Pater Carmelitanus in 4. tom. Curſ. Salmant. fol. 614. num. 143. contra actualem præſeruationem; ſed notare poterat iſte bonus Pater, quòd iſte eſt communis, & vſitatus modus loquendi apud Græcos, nam vox *præmundata* idem valet, ac præmunda, ſicut inter Latinos præelecta, præparata, præſeruata, de quo vide Euſebiũ Nieremberg. in lib. excep. fol. 179. cap. 13. ſed dato quòd vox illa ſumenda eſſet in toto rigore; ſi Maria fuit præpurgata in carne, & corpore, conſequenter fuit præpurgata in anima, & ſpiritu, & ad ſummum ex hoc ſolùm poteſt fieri argumentum pro debito, non verò pro actuali contractione, quia illa propoſitio *præ* ſemper denotat anticipatam actionem.

Philippus Haruentius communiter dictus Eleemoſynarius, & Abbas ſecundus Cœnobii Bonæ Spei, Canonicorum Ordinis Præmonſtratenſis in Hannonia, atque contemporaneus Sancti Bernardi, & cui ſcripſit epiſtolam, quæ eſt in Ordine 10. cuius opera fuerunt coniunctim typis mandata in fol. Duaci, anno 1621. habet pro opinione Aduerſariorum ſequentia verba lib. in Cantic. Cantic. cap. 13. fol. 266. col. 1. inquit: *Sunamitis interpretatur captiua, vel deſpecta, ſiue coccinea. Virgo autem, vt cæteri, naturaliter filia fuit iræ, à cuius eam maculis non potuit conuerſatio penitùs expedire: in qua & ſi virtus ei affuit culparum damnabilium expulſiua; adhuc tamen grauatur vinculo, & naturæ legibus eſt captiua. Quæ quoniam in peccatis naturaliter eſt concepta, eius conuerſatio culpis, vel leuibus eſt infecta; infectionis meritò mundioribus Dei oculis eſt deſpecta, ſed eiuſdem humilitas tandem per gratiam eſt reſpecta. Reſpexit enim humilitatem ancillæ ſuæ, eamque ſemel, & iterum reuocauit, & à captiuitate, & aeſpectu reuocatione gemina liberauit: vt quàm culpabilem lex iræ, lex tenuerat genuina, prorſus à culpa liberam ſeruaret poſtmodum lex diuina, &c.* In his verbis videtur Philippus conſtituere in Sacratiſſima Virgine, non ſolùm peccatum originale, ſed etiam actualia, vt doctè notat, & expendit Ioan. Eu-

Euseb. Nierember. in Excep. Concilii, capit. 26. fol. 474. in speciali Appendice. Item in eodem libro 6. cap. 40. fol. 279. inquit idem Philippus: *Prima illa mulier, quæ pomum vetitum malè continens appetiuit, esuque illicito virum malè vxorium irretiuit; statim sub arbore, lãguori, vel morti potiùs est addicta, & eadẽ mors posteris, iure tãquam hæreditario, derelicta: sub hac igitur arbore, quæ fructu mystico venustatur, tota iacens posteritas mortis legibus onustatur: dùm in culpa, quam arbor intulit, languit omnis, & ingemit creatura, quam de illis parentibus profert similimis genitura. Sub eadem arbore Virgo pari vinculo tenebatur, cùm diuina bonitas (quòd apud se multis retrò sæculis tegebatur) respexit benigniùs, & præ cunctis mulieribus hanc elegit, vt per eam redimeret, quos damnanari hæreditaria mors coegit. De ligno igitur ad lignum, electam Virginem transportauit, cùm eductam à culpa, ad maioris culmem gratiæ sublimauit, cùm à næuo liberam paternæ, & hæreditariæ læsionis, ad fidem, & amorem saturæ suæ transtulit passionis. &c. Cùm igitur de sub arbore malo, quæ mortem intulit, est erepta, sub arbore nihilominus malo, quæ vitæ fructum attulit, est transuecta, &c.* Ex hac existimat Pater Theophilus Raynaudus, Philippum apertè tenuisse Aduersariorum opinionem. Denique lib. 2. cap. 14. fol. 157. expressè affirmat, solum Christum non habuisse in sua Conceptione originale peccatum, sic dicens: *Quem decorem nullus filiorum Adam obtinere meruit ex natura, quia nullius conceptio, nullius caruit vitio genitura, sed te solum decorauit singularis munditia, excellentia specialis, quem diuino conceptum Spiritu solum fudit vterus virginalis. Hoc autem non priùs, non amplius cuiquam hominum manifestas, quam mihi, mi dilecte, quam singulari merito sic honestas, vt te Deum, & hominem certa pariam veritate, mater sponsi, sponsa filii, mira, & incomparabili castitate.* Hæc sunt præcipua, quæ habet Philippus, in quibus apertè, clarè, & expressè videtur sensisse, Virginem Mariam contraxisse peccatum originale.

Pro nostra verò sententia habet alias auctoritates, videlicèt lib. 1. cap. 13. fol. 121. sic inquit: *Quis autem vel inuenitur paratior ad trahendum, vel agilior reditur ad currendũ, quàm Virgo, cuius caro à peccati est prorsus onere leuigata, tractuque leuigante Deo trahenti mirabiliter adunata? Sic verò tracta Virgo, quòd nulli alteri nouit datum, iam currit, &c.* Item infrà lib. 2. cap. 1. fol. 139. *Quibus Euæ meritò maledictio durior est inflicta: cui primo delinquenti lege misera conformantur, & peccatis obnoxiæ materna similitudine deformantur. Inter quas miseras, & deformes huic Virgini pulchritudo amplior est concessa, quæ maledictum vetus, & legem hæreditariam supergressa, obumbrante spiritu omnem à se æstum malitiæ, peccati maculam longè fecit.* Et infrà cap. 6. fol. 145. *Candor Virginis est carnis munditia, & integritas virginalis, quam non lædit macula, non corruptio corporalis, &c.* Alia non pauca verba his similia habet lib. 6. cap. 8. & lib. 1. cap. 3. lib. 4. cap. 1. & lib. 5. cap. 12. atque lib. 2. cap. 20. Sed hæc omnia prætermitto, quia in rei veritate non loquuntur formaliter de ipsa Conceptione Virginis, sed sunt absoluta, atque generalia verba, & transeo ad demonstrandum ex hoc vno antiquo Auctore docto, atque contemporaneo Sancti Bernardi, qualiter prisci illi Doctores intelligebant, atque docebant, peccatum originale nihil aliud esse, quàm concupiscentiã generantis relictã in carne genita: nullumque aliud peccatum originale agnouisse, nisi infectionem illam carnis ex genituræ indecentia, libidine, ac delectatione seminatum à parentibus ante animationem, seu animæ infusionem.

Philippus ergo Abbas ex professo loquitur de peccato originali in Epistola 2. ad Heroardum, sumpta occasione ab hac excitata quæstione: *Dubitas quidẽ, & quæris, cùm Christi caro in lumbis fuerit Adæ, sicut & nostra, quomodò non inde & ipsa peccatum contraxerit, sicut & nostra?* Nota quomodo constituebant peccatum Adæ in carne nostra. Sed quare hoc peccatum non fuerit in carne Christi, sic dubitabat Heroardus: *Cùm igitur caro Adæ peccato inobedientiæ suum immortalitatis decorẽ exuerit: aut semiplenè corrupta est, aut plenè & tota. Quomodò autem caro Adæ, sicut nec mea peccato concupiscentiæ semiplenè potuit corrumpi, non legi, non intellexi, non etiam (vt arbitror) possem doceri. Si autem plenè, & tota corrupta est, quomodò caro Christi, quæ à lumbis peccatoris Adæ defluxit, illæsa seruabitur. Legi, non intellexi: non dico non possem, sed non possum doceri. Hæc est tuæ continentia quæstionis*, cui sic respondit Philippus: *Miraris, cur in Adam Christus fuerit, sicut & nos: cur non inde peccatum, & ipse contraxe-*

rit, ſicut & nos. Cùm enim dicitur: omnes in Adã fuimus, in hac vniuerſitate continetur, & Chriſtus, cùm verò dicitur: omnes in Adam peccauimus: ab hac vniuerſitate excipitur Chriſtus. Neque enim in Adam peccauit, qui nuſquam, vel vnquam peccauit, de quo Scriptura: qui peccatum, inquit, non fecit. Cùm ergo de Adam loquens Apoſtolus dicit, in quo omnes peccauerunt, & ſi Chriſtum ibidẽ non excipit; eum tamen debere excipi, alibi manifeſtat, vbi de eo dicit: Eum qui non nouerat peccatum: vnde conſtat, quia non omnes in Adam peccauerunt, qui tamen in Adam fuerunt; ſed illud veraciter dicitur, quia omnes qui peccauerunt, in Adam peccauerunt. Sicut enim omnes qui naſcituri eramus de Adam fuimus in Adam: ſic omnes qui peccatores naſcituri eramus de Adam, peccauimus in Adam, &c. Omnia hîc propoſita principia pro noſtra ſunt ſententia. Proſequitur ſic Philippus: *Erat ergo iam tunc in Adam ſeminarium poſteritatis, quo gignere filios potuiſſet, nutu liberæ voluntatis: quia & ſine impulſu libidinis ſe gremio vxoris maritus infudiſſet, & illa ſine damno integritatis concipiens maturo tempore, ſine gemitu peperiſſet. Et quoniam generantes nihil præter carnem adgenitos transfudiſſent, & geniti nihil præter carnem à generantibus accepiſſent: ſecundùm eam ſolam in parentibus fuiſſe, filij veraciter dicerentur, à quibus ſolius eiuſdem carnis originem ſortirentur, &c.* Et poſt aliqua de obedientia, ſubiectione carnis, atque membrorum ante peccatum, proſequitur. *Eadem verò membra, & ante peccatum genitalia quidem erant, ſed pudenda non erant: quia nulla in eis concupiſcentia, nullus indecens appetitus, nulla repugnantia, nulla prorſus erat inquietudo, ſed honſtas, munditia, tranquilitas, obedientia, ſanctitudo. Poſt peccatum meritò pudenda nominantur: quoniam adeò ſpiritui reluctantur, vt ad generandũ, non niſi libidine moueantur. Hoc eſt vnde Adam filios ſuo ſic infecit, ſic quaſi in radice poſteritatis ſuæ ſeriem tabefecit: vt quoniam in generando, non ſolùm caro, ſed & concupiſcentia carnalis operatur, quicumque gignitur eo modò, eiuſdem reatu concupiſcentiæ teneatur. Licèt enim virum, & fœminam iungat, non adulterina copula, ſed potius coniugalis, licèt non luxuriandi, ſed generandi gratia, celebretur complexus maritalis, licèt Abraham centenarius, & Sara nonagenaria adgenerandum promiſſum Iſaac copulentur: licèt Zacharias, & Eliſabeth in generando Præcurſorem Domini, prænuntianti Angelo quodam modo famulẽtur: tamen iuſti parentes iuſtum filium non poſſunt generare, quia ſine concupiſcentia non poſſunt generare. Eget ergo tàm Ioannes, quàm Iſaac medicamento circunciſionis ad abolendum generationis contagium, quoniam à quibus accipiunt, vt ſint homines, ab illis accipiunt, vt iniuſti ſint homines: cùm ab illis trahunt, non ſolùm carnis ſubſtantiam, ſed & carnis concupiſcentiam. Secundùm hoc autem in parentibus dicuntur fuiſſe, quòd eos à parentibus certùm eſt accepiſſe, vnde & in illis quodam modo peccaſſe iudicantur, per quorum concupiſcentiam generantur, &c.* Hoc ergo generationis contagium in carne ſeminante concupiſcentiam, & ſeminata, vocat infrà peccatum originale dicens: *Omnes ergo qui eo modo tàm incommodo ſumus nati, originalis culpæ ſumus vinculis obligati: imò antequam in hanc lucem veniamus, in ipſo conceptu morti ſumus miſerabiliter deſtinati, & licèt non actuali, tamen originali peccato condemnati. Quod peccatum ob hoc originale meritò nominatur, quia æſtu concupiſcentiæ per quã generandi opera conſummatur, illi primi homines, exigente inobedientia, primitus inflammãtur; à quibus cæteri homines ducta concupiſcentialiter origine propagantur, vel fortè ob hoc originale non immeritò dicitur, quia ille motus indecens, vel prurigo noſtræ carnis, quaſi quoddam vitium eſt, & origo: dum per complexum maris, & fœminæ nullus penitùs generatur, niſi primum caro ſeminantis impulſu libidinis excitatur. Quia ergo priùs caro concupiſcit, & poſtmodùm generat, rectè non tàm caro, quàm concupiſcentia eius, noſtra debet origo iudicari: & ideò peccatum, quod per illam nobis dicitur irrogari, non inconuenienter originale meruit nominari. Hoc peccato ab Adam vſque ad Chriſtum omnes proculdubio vinculantur, quia omnes per concupiſcentiam generantur: & ideò neceſsè habent à Chriſto decimari, id eſt, eius Sacramentis ſalutaribus expiari, &c.* Et concludit ſic. *Qui ergo non a carnalibus deſideriis more noſtro, ſed deſuper originem carnis traxit, profectò in conceptione originale vitium non contraxit: quia non aliunde cuilibet naſcenti peccatum aſcribitur, quam quod ei per parentum concupiſcentiã, ſeminali ratione tranſcribitur. Si enim & ego ſine parentum concupiſcentiam concipi potuiſſem, fortè originalibus vinculis obſtrictus non fuiſſem: quia nihil ab eis præter carnis ſubſtantiam accepiſſem: per quam homo tantùm, non homo perditus extitiſſem. Sic etiam quia Virgo Sancto plena Spiritu, de carnali concupiſcientia non concepit, & ex*

ea

ea præter carnem Dei filius nil accepit: non immeritò idem Christus immunis est à peccato, &c. Qui autem fuit in illis, id est, Adamo, & Abrahamo, secundùm carnem tantùm, quæ bona est, non secundùm concupiscentiam, quæ mala est: constat, quia nec est in Adam præuaricatus, & ideò nec in Abraham decimatus. Sicut enim non fuit in Adam, qui nihil traxit de Adam, sicut nullus fuit in illo, nisi secundùm id, quod traxit de illo, nec aliud quisquã de illo traxit, quàm quòd in conceptione de parentibus suis traxit. Nos ergo, qui de parentibus nostris carnem, & concupiscentiam traximus secundùm vtramque in illis fuimus: & ob hoc in Adam non solùm fuisse aicimur, sed & peccasse, quando scilicèt ille vnus homo peccauit, à quo per successionem nostra omnium origo concupiscentialiter emanauit, &c. Et in hoc sensu explicat infra: illud Psalm. 50. Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea: ex quibus omnibus euidenter cõstat, quòd Philippus pro eodem sumit nasci, generari, concipi, & oriri, atque ab hac prima origine peccatum originale constituit in carne concupiscentia parẽtum genita, quòd quidem est extrà propositum nostrum, quia non inquirimus, an Virgo Maria fuerit genita per concupiscentiam parẽtum? Omnia superiùs dicta confirmant verba eiudẽ Philippi, epistola 5. ad Ioannem, vbi sic dicit: *Ex quo Eua Deo per inobedientiam contradixit carni eius diuina vltio æstu libidinis, sic inflixit, vt postmodum ad effectum concipiendi nullatenus peruenire t, nisi carnis concupiscentiam, tàm suæ, quàm alterius præsentiret. Et quoniam cùm ad gignendum carnaliter peruenitur, caro gignentis priùs carnali concupiscientia delinitur: non incongruè eadem concupiscientia potest nostræ carnis origo, vel initium appellari, sine cuius præuio blandimento nostra generatio non potest consumari. Et ii quidem, qui ad gignendum nos, carnis suæ materiam infuderunt, eiusdem etiam in nos carnis concupiscentiam transfuderunt, & hæc transfusio nostram omnium naturaliter inficit genituram, quia vitium quasi conuersum dicitur in naturam. Propter quod Apostolus tàm nos, quàm cæteros natura filios iræ dicit, quia videlicèt per illam sumus concupiscentiam generati, per illam originalibus vinculis obligati. Inde etiam idem peccatum, quo quisque nostrum, antequam boni quicquam, vel mali faciat, naturaliter obligatur, originale non incongruè nominatur: quia ab illo caro nostra originem quodam modo videtur accepisse, & ei hoc initium generatio carnalis intulisse. Sed hanc originem, siue initium Christo Maria non donauit, quæ tamen eum carnaliter generauit, quia ad gignendum eum sementiuam carnis suæ materiam ministrauit, inter ministrandum, nullo præuentu libidinis æstuauit, &c.* Ecce quomodo in sententia Philippi, & perconsequens antiquorum, Christus fuit sine originali, Maria fuit cum originali, id est, Christus genitus sine concupiscentia carnis; Maria autem cum illa, & sic naturaliter sicut cæteri fuit filia iræ, quia habuit originale vitium, & naturaliter in peccatis est concepta. &c. Et sic intellige, & explica, quæ extant in tribus primis auctoritatibus suprà positis, sed tunc nihil concludere possunt Aduersarii pro sua opinione; quia ad summum probant debitum proximum, & peccatum originale in causa, non autem formale. Item iuxta posita principia, explica etiam illud Philippi in Cant. Cant. lib. 2. cap. 21. fol. 163. dicentis: *Verùm quia caro Christi concepta de Spiritu, originale sibi vitium non contraxit ad culpam, quam non nouerat, infusam sibi animam non attraxit, sed sicut istam tàm conceptio, quàm conuersatio seruauit impollutam, sic illam creatio, & creãtis dignatio ab omni labe reddidit absolutam, &c.* Et infra cap. 23. fol. 167. *Quantùm credenda est Virgo mater, filium dilexisse, in quo, & culpa nihil habuit, & natura obstupuit ius inolitum perdidisse? Concipiens quippè Virgo, non amplexum pertulit, non iuncturam pariens, nullum sensit dolorem corporis, non læsuram originalis culpa, quæ pridem quasi versa fuerat in naturam, longè pulsa doluit, nec omninò potuit comprehendere genituram. Solebat ab antiquo lex peccati præuenire quamlibet parituram, & tàm matrem, quàm filiũ impellebat, velut tributarios ad vsuram; cunctis æquè nascentibus imprimebat proprii numismantis percussuram, nec erat quis tàm felix, vt euaderet hanc præssuram. Sola Virgo proferens miro modò primogenitum singularem, in conceptu, & in partu non experta sententiam generalem, gauisa est talem proximum, imò & talem filium se habere, in quo nihil proprium originalis iniuria potuit obtinere, &c.* Licèt hæc omnia per contrapositionem ad Christum Dominum sigillatim, expressè, & in indiuiduo quoad genituram, seu conceptionem, originalem culpam, & iniuriam naturæ, &c. verificaret Philippus in persona Sacratissimæ Virginis Mariæ nihil affirmaret

ret contra noſtram controuerſiam, quæ non agit de concupiſcentia parentum, ipſorum libidine, ac carnis infectione, ſed gratiæ priuatione in anima. Hoc latè retuli, quia ex his etiam conſtat, in quo ſenſu loquutus eſt Sanctus Bernardus in epiſtola ad Lugdunenſes, & quid tunc impugnabant Doctores. Lege etiam epiſtolã 6. eiuſdem Philippi, quæ incipit: *Guadeo quod & ſi aliquid, &c.* vbi à §. incipiente: *Quia igitur à Conceptione Chriſti omnis prorſus carnalis concupiſcentia relegatur, non incongruè Maria illius carni dediſſe originem abnegatur: quam dediſſe, tunc nimirum propriè diceretur, ſi ad concipiendum propria concupiſcentia duceretur. Et quia eandem Conceptionem ſuperueniens in Virginem, Spiritus operatur, rectè origo huius carnis eidem Spiritui adſignatur, vt ipſe non immeritò Auctor huius originis affirmatur, &c.* Et hîc proſequitur demonſtrando, quòd in hac Cõceptione caro Chriſti nullo fuit tacta vitio, & quòd illo vitioſo caruit initio, & origine. Aduerſarii autem ex hoc vitio carnis, & infecta origine conceptionis primæ in matre, tranſeunt ad initium, ac originẽ prolis in animatione, ſed deberent ponderare illam Philippi diffinitiuam ſententiam: *Vnde conſtat, quia non omnes in Adam peccauerunt, qui tamen in Adam fuerunt, &c.* Si non omnes ergo aliqui fuerunt in Adam, qui in illo non peccarunt: hæc autẽ pluralitas ſolùm verificari poteſt in Chriſto, & Maria. Item illa: *Quia non aliunde cuilibet naſcenti peccatum aſcribitur, quàm quòd ei per parentum concupiſcentiã ſeminali ratione tranſcribitur, &c.*

Simon de Caſsia, Ordinis S. Auguſtini, qui ad annum 1340. floruit in ciuitate Florentina in expoſitione Euangeliorum, ſiue de Religione Chriſtiana, lib. impreſ. Baſileæ, anno 1517. in fol. in lib. 2. de Virgine Maria, eiuſque proceſſu: & de his quæ in ipſa, & per ipſam pro noſtra redemptione geſta ſunt, &c. fol. 19. col. 4. ſic inquit: Oblatio mortem inferentium primę porrecta eſt mulieri, ex qua omnis eſt dãnata propago, & perpetuata damnatio; quouſque per altitudinem diuinæ proprouidentiæ, ſuæque benignitatis tempore præfinito adeſſet nouiter mundo producta mulier, cui vitę prẽcium, imò ipſa vita poſsit offerri. Quæ cùm ab æterno prædeſtinata, præuiſa, præfigurata, prophetata fuiſſet propè finem ſæculorum naſcitura nuntiatur ab Angelo, *& ex vtroque ſterili parente concipitur, in propagatione ipſa damnatione ſeruata, qua originaliter procedit infectio; animatur ordine ſeruato naturæ, ſed illicò ſanctificatur. Naſcitur ex originali purgata contagio, & in ipſa primò natura humana reuerſa eſt in puritatem, in qua primus factus prothoplaſtus. Naturalibus creſcit augmentis, &c.* Licèt Auctor iſte in ſignatis verbis, ſecundùm verborum corticẽ, videatur tenuiſſe Aduerſariorum opinionem; illum tamen non adducunt, fortè quia ipſum non viderunt, vel ſi viderunt, iudicarunt non eſſe pro ſua opinione, ſed pro noſtra ſententia, vt in rei veritate eſt, quia loquitur de contagio in propagatione, ſeu prima conceptione, nam ipſa damnatione ſeruata, qua originaliter procedit infectio, fuit generata à parẽtibus; hæc enim probant debitum, non actualẽ contractionem; & ſi in Maria reuerſa fuit natura in puritatẽ, in qua factus fuit primus homo, & illa puritas erat iuſtitiæ originis: ergo Maria illam habuit in ſua Conceptione: ſi enim hoc diceret propter ſanctificationem, etiam in Ioanne, & Ieremia reuerſa eſſet natura humana ad puritatem, quam habuit in Adam. Alia circa hanc auctoritatem damus in noſtra Militia; adducitur enim hîc, vt videant Aduerſarii, quòd nihil intactũ relinquimus, quod directè, vel indirectè ſuam poſſit reſpicere ſuam opinionem.

Iſti ſunt Auctores à veſtris Scriptoribus prętermiſſi, & quos ſuperaddit veritas ad illos 315. adductos; in quibus ſolummodò inuenietis octo pro veſtra opinione ſubſiſtentes. Quærite ergo alios in tota litteratura Eccleſiaſtica antiqua, & moderna, vt verificetis illud, & MVLTI alii, & illud OMNES Doctores? quia exiſtimo quod nullum, vel rariſſimum inuenietis verum, ac formalem Scriptorem pro veſtra opinione, niſi enumerare velitis illum inſignem Doctorem, *Barragan el Pellero de Burgos*, vel alterum Italum *de Lepore*, & alios huiuſmodi, & hæc de Auctoribus.

DE

DE AVCTORITAIBVS, PROPOSITIONIBVS, & RATIONIBVS contentis in illis centum quindecim Actoribus adductis ab Aduerſariis.

DIximus de Auctoribus, reſtat ſolùm, vt aliquid dicamus ſeorſim de ipſorum AVCTORITATIBVS: ſuppoſito ergo pro indubitato principio, quòd inter argumenta ad probandam aliquam concluſionem (cuiuſcumque ſcientiæ, præcipuè Theologiæ ad fidei dogmata ſtabilienda) primum, ac validius deſumitur à ratione, vltimum, atque infirmius ab AVCTORITATE, de quo omnes Controuerſiſtæ latiſſimè: accipe in indiuiduo de hac Conceptionis materia Ambr. Cathar. Ordin. Prædicatorum, in tract. ad Patres ſui Ordinis in 1. expugnatione Aciei, fol. 19. ſic dicentem: *Antequam verò ſigillatim ad hæc reſpondeam, generali vna reſponſione ſatisfaciam, qua ſimul cuncta hæc admodùm debilitantur. Primò enim ex Philoſophi ſententia Auguſtini, Hieronymi, Thomæ, Boetii, & omnium Auctorum, illud ſine controuerſia eſt, quòd locus ab auctoritate eſt infirmiſſimus. Quarè eleganter dixit Auguſtinus, Ordo diſcendi eſt, vt rationem præcedat auctoritas. Infirma enim ratio videri poteſt, quæ cùm reddita fuerit auctoritate, poſteà per quam firmetur aſſumit, è conuerſò enim eſt, vt infirmitatem auctoritatis ratio firmet. Deinde cõtra hanc auctoritatẽ hominum infirmitatẽ multa, & quidem longè validiora, vel ſingula, vel certè omnia opponuntur. Primò enim auctoritas plurimorũ cõtraria, ſicut enim clauus clauo truditur, ita auctoritate auctoritas exploditur, &c.* Hoc dupici vſitato in Scholis medio, AVCTORITATIBVS, atque rationibus conantur Aduerſarii probare, Virginẽ Mariam fuiſſe in peccato originali conceptam, ſed ſemper, & vbique præferunt, & anteponunt argumentum ab AVCTORITATE, ita vt ipſæmet rationes componant, & comprobent tantummodò ex AVCTORITATIBVS, in quo prorſus deuiant à recta ratione: ſed tranſeat hoc, quia hîc non inquirimus de AVCTORITATIBVS per ordinem ad rationem, ſed per reſpectum ad veritatem, & legalitatem.

AVCTORITATES ergo adductæ ab Aduerſariis ſunt in duplici differentia, aliæ permiſtæ, & incluſæ in ipſiſmet rationibus, de quibus non curamus in hoc opere, licèt incidenter ſtatim aliqua dicemus. Aliæ verò ſunt meræ AVCTORITATES, quia ſine ratione, neque aliquo adminiculo concomitante adducuntur ſub illis Auctoribus 315. de quibus ſuprà, & omnes iſtæ AVCTORITATES ſunt 640. & has tantummodò ventilamus in toto hoc opere inquirendo, qua veritate illas adduxerunt. Ex his ergo 640. aliquæ adducuntur, & citantur vniuerſaliter, ac confusè dicendo, *& in multis Tractatibus ſuis*, non exprimendo quales fuerint illi Tractatus, vt in Alenſi, & Dominico de Dominicis, &c. De aliis eodemmodo dicunt, *& in aliis Sermonibus ſuis* non ſignando Sermones, vt in Leonardo de Vtino, Socco, Petro Ieremia, Petro de la Scala, &c. De aliquibus verò dicunt, *& in pluribus locis*, vt in Anonymo, Auguſtino de Ancona, & Alberto Magno, &c. Tandem in quibuſdam nullam adducunt remiſſionem, ſeu citationem, ſed tantummodò Auctorum nomina ſicca, ac nuda, vt in Alexandro Nequam, & Roberto de Tornaco, &c. Sed omnia hæc præter quam quòd fuerunt friuola verba, ex phãtaſia loqui, & nihil dicere, etiam ſunt falſa, & ficta, vt ſuis demonſtrabitur locis, ãtamen his, ac aliis defectibus prætermiſſis. Denique de multis Doctoribus adducunt Sermones, vel Tractatus, ſed nullam tranſcribunt AVCTORITATEM, & ex iſtis ſunt in toto opere 158. quarũ tantummodò ſemptẽ ſunt veræ, ac ſubſiſtẽtes, quia tales, quales, aliquæ inueniuntur ſimilitudines, & vmbræ, vel conceptionis, aut peccati, vel maculæ, &c. At omnes aliæ, ſcilicèt 151. nulla excepta, ſunt fictæ, falſæ, atque mendaciter adductæ, ita vt nec vna ſola ſit, in qua non lateat aliqua capitalis fallacia, patens, ac manifeſta deuiatio à veritate. Quare hæc facta eſt regula generalis, quæ tantùm habet vnicam (non duas) exceptiones: vbicumque Aduerſarii adducto Auctore pro ſua opinione tacent AVCTORITATEM, vel Auctor nihil dicit, vel aliquod ibi extat verbum fauens Immaculatæ Conceptioni, vel aliqua clauſula expreſsè dicens, vel continens aliquid contra ipſorum opinionem, vt ſigillatim ſuis locis in Ventilatione demonſtrabitur: & hæc de illis 158. citationibus, ſeu AVCTORITAIBVS in embryone.

Aliæ ſunt, non tantùm citationes, ſed etiã formales AVCTORITATES, quia Aduerſarii

ſarii adducunt ipſa Doctorum verba, & ſunt 482. & iſtę omnes (ſi tantùm excipias ſeptem) ſunt penitus corruptæ, additæ, diminutæ, ſuppoſitæ, fictæ, adulteratæ, aut mendaciter adductæ in toto, vel in parte præcipua, & eſſentiali. Itaque in omnibus AVCTORITATIBVS, ſimul ſumptis, ſcilicèt 640. cum ignorantiis, adinuentionibus, malitiis, &c. vitia maiora, ac capitalia, excedentia ab humero, &, ſurſum mutãtia ſententiam, ac corrumpentia ſenſum, ſunt pluſquam TRIGINTA TRIA MILLIA. O quàm ad rem præſentem dixit veſter Ambroſ. Catharinus, vbi ſuprà, de prima via veſtrarum machinationum in hoc Conceptionis myſterio, fol. 6. *Quid enim tàm noxium in agro Dominico, quam ibi lolium, & zizania ſeminare: vnde excuti purum tritici granum, potiùs deceat, &c.* Minora verò vitia, ſeu venialia, quæ licèt non corrumpant totaliter ſententias, illas tamen alterant, & retorquent in prauum ſenſum, litteraliter, ac verbatim enũmerata ſunt pluſquam CENTVM VIGINTI SEX MILLIA, & ſi aliquis timoratus, animo territus, atque mente ſtupefactus audiens hoc ſic in relatione, & vniuerſaliter prolatum, non crediderit, vel ſibi prorſus impoſſibile videatur, quòd homines docti, Catholici, ac Religioſi talia ac tanta potuerint excogitare figmenta, ſolùm vt Sacratiſſimam Dei Matrem Mariam Angelorum, & hominum Reginam in illo ſuo Conceptionis puncto macularent, ſuſpendat iudicium, & non verbis, ſed operibus credat, tangat vulnera, legat ſequentẽ Ventilationẽ, vbi omnia hìc ſummatim relata, non ex coniecturis metaphiſicis, aut phantaſticis illationibus; ſed mathematicè ad oculum, clarè, & diſtinctè, ſine verborum fuco, aut rectthoricis circumlocutionibus ex ipſiſmet Authoribus 315. & AVCTORITATIBVS adductis 640. ac in medio poſitis, ad examen, & iudiciũ vocatis, veritas demõſtrabit, & comprobabit noſter Sol Iuſtitiæ, cuncta ventilando, vt ſciatis deinceps reprobare malum, & eligere bonum, vt in depicto ſymbolo in principio poſito inſinuatur, & hæc de AVCTORITATIBVS. Sed quia ſicut in Auctoribus quærimus AVCTORITATES, & in iſtis propoſitiones, ideò de his aliqua breuiter dicemus.

DE PROPOSITIONIBVS.

PROPOSITIONES in Auctoribus, ſeu auctoritatibus contentę poſſunt eſſe in triplici differentia, genericæ, ſpecificæ, & in indiuiduo, genericas vocamus vniuerſales, cõmuniter, ac generaliſſimè loquẽtes de omnibus, abſque vlla exceptione, & ſunt, vt inplurimum, regulariter ſequentes, & ad quas reducuntur aliæ ſimiles.

OMNES in Adam peccauerunt, & ſunt filii iræ.

Peccatum Adæ originaliter tranſiit in omnes poſteros.

Vnuſquiſque peccatum, & maculam origins habet ex Adam.

Omnibus competit illud Dauid: in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea.

Omnes homines indigent redemptione, & gratia per Chriſtum.

Solus Chriſtus innocens, & ſine peccato fuit conceptus.

Omnes homines, præter Chriſtum, ab Adam propagati contrahunt peccatum originale.

Nullus ex viro, & fœmina carnaliter genitus, vel conceptus ex libidine, & concupiſcentia, non eſt à peccato immunis.

Aliæ PROPOSITIONES ſpecificæ ſunt, quæ loquuntur ſigillatim de materia Conceptionis Mariæ ex Ioachimo, & Anna, ſed propoſitæ, vt ſonant, & vt iacent in auctoritatibus, ſunt indifferentes, & æquiuocæ, quæ indigent diſtinctione, vel declaratione ex antecedentibus, aut conſequentibus, quia in rei veritate non attingunt formaliter, & directè principalis controuerſiæ noſtræ punctum, & præcipuæ ſunt ſequentes.

Virgo Maria fuit ſanctificata in vtero. Diſtinguendum eſt, an hoc fuerit in primo inſtanti animationis, vel in ſecundo?

Feſtiuitas Conceptionis non eſt celebranda, quia fuit in peccato. Notandum, an loquatur de Conceptione carnali, facta die 8. Decembris? an de animatione ipſa?

Maria concepta fuit in peccato originali. Examinandum, an loquatur de carne, vel de anima, de peccato parentum, vel proprio, de defectu, & indecentia generationis, vel de culpa, & macula geniti?

Ma-

Maria fuit purgata, mundata, vel liberata à peccato in vtero matris. Inquirendum, an loquatur de carne ante animationem? vel an istæ voces supponant pro præseruare, ex eodem, vel alio Auctoris testimonio.

In prima sanctificatione Mariæ fuit ligatus fomes, in secunda extinctus. Videndum, an fomes sit in carne? Et examinandum, an procedat à peccato originali prolis, vel peccato generationis parentum? vel an sit necessaria hæc consequentia, habet fomitem; ergo habuit originale.

Maria peccauit in Adam. Videndum, an sit recta consequentia: ergo habuit originale in seipsa, vel solùm sequatur ex illa debitum, & obligatio remota?

In Maria remanserunt pœnalitates ortæ à peccato, & mortua est propter peccatũ. Explanare licèt, an peccato suo, vel Adæ, vel an peccato parentum generantium carnem mortalem?

Maria fuit peccato originali infecta, & coinquinata contagio in sua Conceptione. Declara, an infectio, vel contagium fuerit in carne, ex immunditia seminis? Et an hæc potuerit sanctificari, vel dicatur sanctificata, ante animationem, vel in ipsa?

Maria fuit obnoxia peccato, habuit reatum, & obligationem, &c. Constare debet, quòd hæc sunt idem, cùm habere maculam actualem, & culpam originalem formaliter.

Vltimæ PROPOSITIONES in indiuiduo sunt illæ, quæ formaliter, directè, atque in propriis terminis exprimunt punctũ præsentis controuersię; siue vt vno solo verbo omnia dicam; sunt illæ, quas Aduersarii quærebant, & desiderabant inuenire in Auctoribus, & auctoritatibus à se adductis, & sunt consequentię ipsorum, in omnibus suis argumentis: videlicèt.

Maria Virgo in sua animatione contraxit peccatum originale.

Mariæ anima, habuit maculam, culpam, & labem communem.

Maria non fuit immunis à peccato originali, ed tantùm ab actuali.

Maria, vel eius anima fuit in primo instanti sine gratia, & cum peccato.

Maria fuit possessa à peccato originali, filia iræ, & Dei inimica pro primo instanti suæ Conceptionis, vel animationis.

Maria, quia fuerat auersa, fuit reconciliata, & redempta à Christo ab actuali seruitute peccati, in qua fuit lapsa ab infusione animæ suæ, &c.

Maria non ante animationem, nec in ipsa animatione, sed ante Natiuitatem, ex vtero sanctificata fuit.

Istæ sunt omnes PROPOSITIONES, quę remotè, propè, & propriſsimè attingunt, aut attingere possunt hanc Conceptionis materiam, iuxta Aduersariorum opinionem; ex quibus primæ, id est, vniuersales, plures sunt in Scripturis, Canonicis sanctionibus, & Theologicis disputationibus, &c. Sed cum illæ, sic vniuersaliter prolatæ loquantur de lege communi, potentia ordinaria, atque ex conaturali exigentia rerum: ad præsentem controuersiam, de priuilegio, & speciali gratia, nihil, vel parum (testibus ipsismet Aduersariis) ad argumentationis efficiam iubant. Secundæ magis specificæ, & quæ ex propinquo videntur attingere istius controuersiæ punctum, in aliquibus Sanctis Patribus, Ecclesiæ Doctoribus, ac Sacrę Theologiæ Magistris passim reperiuntur; sed ita indifferentes, & æquiuocæ, vt necesse sit ex antecedentibus, vel subsequẽtibus verbis indagare Auctoris mentem, aut ex proposita materia legitimũ, atque genuinum, secundùm veritatẽ eruere sensum: & de his agit totus hic liber. Tertię verò loquẽtes in indiuiduo, propriis, ac formalibus terminis, vt suprà manẽt propositæ, vel alia ipsis æquiualens, in NVLLO Ecclesiæ Sancto, in NVLLO iterùm dico antiquo Patre, in NVLLO affirmo tertiò Scriptore Ecclesiastico ab exordio Religionis Christianæ, vsque ad annum 1260. fuit dicta, neque scripta, imò existimo, quòd nec fuerit excogitata. Ab anno autem 1260. vsque ad præsens, subsistentes, veri, ac classici Scriptores reales (sic loquor propter aliquos nominales, quorum nomina citantur, sed opera fortè non fuerunt, & certè non sunt, vt vidimus in Trituratione, & latiùs in Ventilatione) solùmmodo reperiuntur viginti septem, quorum decem & octo sunt ex Ordine Prædicatorum, & alii nouem ex reliquo Ecclesiæ corpore; & hanc esse veritatem, fateor, profiteor, & probo ad solarem Ventilationem, & meridianam lucem.

Pro isdem PROPOSITIONIBVS notandum etiam est, quòd antiqui Patres, ac Sancti (loquimur de illis, qui scripserunt ante annum

num 1150. Bernardum, Anſelmum, atque Magiſtrum Sententiarum, &c.) aliqui loquendo, vt Interpretes exponendo, ſacram Scripturam in veteri, aut nouo Teſtamento: alii velut Anthagoniſtæ dimicando contra perfidos hæreticorum errores: alii denique, vt Magiſtri, docendo fideles, & inſtruēdo populos: omnes inquam illi, aut loquebantur de Deo, eiuſque puriſſima eſſentia, aut de creatura, eiuſque inſtabilitate, & inconſtantia, natura humana in Adamo recta, & iuſta, vel poſtea per culpam vitiata, deque ſua propagatione, cauſa mali, peccati originalis radice, effectibus, fragilitate, ac morte, &c. Aliquando verò abſolutè loquendo per ordinem, ac reſpectum ad Redemptorem, atque Reſtauratorem mundi, nullum tamen verbum proferentes directè, vel indirectè de eius Sanctiſſima Matre Maria. Alii loquuti ſunt formaliter, & præciſè de ipſa redemptione per Verbum Dei Filium facta, de eius carnis aſſumptione in Virginis vtero, impeccabilitate, innocentia, & ſanctitate ſegregata ab omnibus aliis Angelis, & hominibus, &c. Et ex iſtis Doctoribus nonnulli incidenter, & de connotato, & tanquam correlatiuo, ac termino, à quo Chriſtus pro hominibus factus eſt homo, nominabant Deiparam Mariam, vel aliqua illius proferebant elogia iuxta ſubiectam materiā. Alii denique in ſingulari, ac in indiuiduo cōfecerunt integras Homilias, vel Sermones, recenſendo Sanctiſſimæ Virginis Mariæ prærogatiuas, gratias, ac myſteria per ipſam operata; nihil tamen affirmando de eius Conceptione paſſiua, ſeu animationis inſtanti, licèt aliqui, pauciſſimi tamen, loquantur perfunctoriè de parentibus, generatione, origine, primordiis, conceptione, ortu, natiuitate, & aduentu, vt videbimus in ipſiſmet auctoritatibus adducendis in Ventilatione. Ex his ergo tribus modis loquendi, ſeu PROPOSITIONVM generalibus Sāctorum, atque Doctorum antiquorum, Aduerſarii poſt exortam controuerſiam quæſierunt in hac vltima claſſe, tanquam propria, & ſpeciali Virginis originale peccatū illius, & non inuenientes vnum, qui loqueretur de animatione, ſeu peccato originali in indiuiduo, aſcenderunt ad ſecundam, vbi Sancti agebant de Chriſto, ac de eius ineffabili Incarnatione, & cùm in ipſa non inueniſſent, niſi pauciſſimas PROPOSITIONES, appellarunt ad tertiam, & vniuerſaliorem, & quidquid in antiquis inuenerunt de natura humana, Adami lapſu, de peccato, & carnis corruptione, &c. omnia conduxerunt ad domum Ioachim, & tumultuatim quaſi in ſaco confuſo introduxerunt ſingula in cubiculo, imò vt propriùs loquar, in lectulo Genitricis Mariæ poſuerunt tenebras, & facta eſt nox, ac manibus propriis ſtrictos terminos ſuæ opinionis, & noſtræ controuerſiæ conſiſtentes in ſolo vno puncto, & præciſſo animationis inſtanti, fecerunt mare magnum, & ſpatioſum, congregando ad eum vitia puſilla cū magnis, & reptilia verborum, quorum non eſt numerus. Sed Patres mei, ortus eſt iam Sol veritatis, & omnia, ac ſingula à vobis adducta in cubilibus ſuis collocabuntur, & auferetur ſpiritus in illis PROPOSITIONIBVS introductus, & omnia turbabuntur, & deficient, & triturata in puluerem reuertentur.

DE RATIONIBVS.

DE RATIONIBVS, ſeu Theologicis argumentis adductis ab Aduerſariis in ſuis tractatibus, ac libris contra Immaculatam Virginis Mariæ Conceptionem, atque auctoritatibus in ipſis contentis, nihil hîc dicimus, nec vnicum ſaltem verbum ad iuſtitiæ iudicium, ac veritatis examen volumus reuocare: tum quia neceſsè eſſet curare de alio ſecundo, ac maiori volumine; etenim RATIONES pro opinione minus pia, hucuſque excogitatæ, ſunt variæ, & occupant maiorem partem librorum; nam cùm Turrecrematæ opus componatur ex tredecim partibus, ſolùm parte 6. agit de auctoritatibus, alias autem duodecim adimplēt RATIONES. Anonymi liber habet quatuor partes, & in ſola vna proponit auctoritates, quia aliæ tres ſunt ex RATIONIBVS. Bandellus tàm in primo Opuſculo, quàm in ſecundo Tractatu recognito, ac edito à Didaco Deza, habente fol. 112. tantummodò à fol. 14. vſque ad 50. refert auctoritates, nam in aliis argumentatur à RATIONE. Spina ſimiliter, cuius Opuſculum conſtat ſeptem partibus ad finē ſeptimæ, adducit auctoritates, &c. Conſtat ergo quòd RATIONES occupant maiorem partem, & incomparabili exceſſu ſuperant

au-

auctoritates,& sic esset de nostro labore,& libro. Tum quia RATIO potest esse bona, vel mala,non sic vera, vel falsa; nostrum autè assumptũ tantùm est discernere veritatẽ à falsitatibus in hac Cõceptionis materia patratis. Tum quia ipsimet Aduersarii vnanimiter fatentur RATIONES omnes pro sua opinione adductas, solummodò habere probabilitatẽ, & efficatiam (vel vt ipsi dicunt) euidentiã ex dictis Sanctorum Patrum, atque sentẽtiis antiquorum Doctorũ,& sic dum argumẽtantur RATIONIBVS, statim recurrunt ad auctoritates, ita vt nulla sit ratio ab ipsis adducta, quæ non scateat,sitque auctoritatibus plena, vt statim in aliquibus exẽplis adducendis apparebit.De his igitur RATIONIBVS,& auctoritatibus in illis inclusis, propter causas assignatas,nihil dicimus in hac nostra Ventilatione. Sed sciat Lector, quod auctoritates istæ inclusæ in RATIONIBVS, & adductæ solùm, quasi incidenter ad corroborandũ sua proposita argumẽta, etiam redundant vitiis, corruptionibus, impostoris, falsitatibus, fictionibus,atque mendaciis,sine numero,pondere,mensura,fundamento,vel veritate.

PRIMVS FASCICVLVS, adductus à Bandello in sua disput. seu primo opere, & à Didac.Deza in secundo correcto (nec dissentiunt in stylo Turrecremata, & Barthol.deSpina:isti enim quatuor Scriptores sunt anguli,quibus nituntur cardines, & vbi circunuoluuntur quadrigæ, & elemẽta huius phãtasticę machinæ)de Auctoribus, & auctoritatibus, de quibus nos sigillatim in Vẽtilatione, igitur Aduersarii ad finẽ capitis 26.inquiunt:*Patet igitur glorioſe Princeps veritas primæ conclusionis, quam ex dictis,atque sentẽtiis ducentorum fexagita Doctorum illustriũ probandam, primo loco promiserã. Ex auctoritatibus quippè iam allegatis, quas ferè omnes in proprio fonte vidi,perspicuum est Doctores Sanctos,& approbatos,Pontifices Summos, Canonistas peritissimos, Theologos, seculares clarissimos, eruditissimos Monachos, ac postremò omnium quatuor Ordinum Mendicantiũ Doctores principales,& clarissimos, tenuisse,atque prædicasse, B. Virginem in originali peccato fuisse conceptã,&c.* Sic prosecũtur:*Cap. 27.in quo ponitur prima ratio, sumpta ex parte redemptionis,quæ probat,quòd B.Virgo fuit cõcepta in originali peccato,& cõtinet* §8.*auctoritates, & decem rationes partiales.* Et sic incipit capitulum:*Post igitur tot illustrium Doctorũ clarissimas cõtestationes gloriosè Princeps supereſt, vt rationes efficacissimas in medium adducamus,quæ B. Virginem in originali peccato fuisse conceptã,secundùm fidei veridatem clarè, apertèque demonstrant. Prima ergo ratio talis est: omnes homines,qui per Christum redẽpti sunt, habuerunt in seipsis aliquod peccatũ,siue fuerunt sub aliquo reatu,vel seruitute peccati,sed B. Virgo gloriosa fuit per Christum redempta; ergo B. Virgo fuit aliquando sub peccato. Consequẽtia patet,& Minor probatur primò,quia Apostolus dicit* 1.*ad Thim.*2.*&c.*Et sic incipiũt concatenare illas octoginta quinque auctoritates in titulo promissas ex Augustino,Leone, Bernardo, Gregorio, Ambrosio, Remigio,&c. Peruenimus ergo, ò Lector,ad primam RATIONEM non solùm probabilem, *secundùm fidei veritatem* claram,apertam, atq; demonstratiuam, adductã ab illis, qui *in proprio fonte* viderunt ferè omnes auctoritates,& pro hac primaRATIONE inuenerunt in Sãctis Patribus,non duas,vel tres, sed *octoginta quinque*; ex his Patres mei relictis *octoginta*, pro hoc fasciculo ad examen reuocat, & ad lucẽ extrahit veritatis Sol, solummodò *quinque*,& qualiter inueneritis istas *quinque*,iudicate de aliis *octoginta*.Neq; illas quinque volumus seligere ad libitum, vt non existimet aliquis, quod in his *octoginta quinque* auctoritatibus erant, simul zizania, & triticũ, & ad deteriora manum porreximus, sed triturabimus, & ventilabimus illas tantùm quinque adductas à suprà dictis vestris Mesloribus ex agro,& operibus Sancti Remigii.

Pro confirmatione ergo propositæ RATIONIS sic inquiunt: Item Remigius super Psalm.139.sic dicit: *Tam copiosa quippè Dominici sanguinis redemptio extitit, vt totius mundi peccata redimeret, & veluti quodam diluuio salutari orbem terrarum à suis sordibus expiaret. Et ipse,inquit,redimet Israel ex omnibus iniquitatibus eius, id est, mortis suæ pretio fideles de peccati morte suscitabit,& de diaboli redimet potestate.*Et infrà iterum redeunt ad eandẽ auctoritatẽ, sic dicentes: *Præterea omnes fideles pretio mortis Christi sunt de morte peccati suscitati, & de potestate diaboli redempti; vt dicit B. Remigius super Psal.*139. Et verba ista tàm primæ, quàm secundæ auctoritatis extant, nulla mutata littera in vtroque originali Bandelli, & ipsius Correctoris Dezæ, sicq; reperiuntur in quatuor locis distinctis, & nõ possunt recurrere

ad errores Typographiæ. S. Remigius non ſcripſit ſuper Pſalmos: opus enim illud eſt Remigii Altiſiodorenſis Epiſcopi, Ordinis S. Benedicti, vt latè videbimus in Ventilatione, num. 267. ſed tranſeat hoc, admitamus æquiuocationem, in citato Pſal. 139. qui incipit. *Iſte Pſalmus eſt Dauid, &c.* fol. 358. nec verbum, nec iota extat auctoritatum, vel auctoritatis adductæ ab Aduerſariis, & ſic quatuor illæ citationes fuerunt falſæ. Vnde coactus ſum reuoluere totum illud ingens opus Remigii ſuper Pſalmos, & ad finē Pſalmi 129 qui incipit: *Poſt inceptum, &c.* fol. 344. inueni ſi non auctoritatem illius vmbram, inquit enim Remigius: *Et ſicut ego ſpero in Domino, ſic omnis Iſrael ſperet in Domino, quia apud Dominū, & merito omnis Iſrael, id eſt, omnis fidelis ſperauit in Domino, quia apud ipſum eſt miſericordia, id eſt, ipſe naturaliter eſt miſericors. Et nequis deſperet multitudine peccati apud Dominū eſt copioſa redemptio, tàm originalium, quàm actualiū criminum, tam criminalium, quàm venialium. Vel copioſa redemptio, tàm Gentiū, quàm Iudæorū, & ipſe redimet. Hic copioſa eſt apud illum redemptio, quia quotidie peccata dimittit, & in futuro idē ipſe redimet Iſrael ex omnibus iniquitatibus eius, quia nullus omninò ſine macula de hoc mundo tranſibit, quin oblatione ſacrificii, & orationibus indigeat abſolui.* Hęc eſt Remigii auctoritas, & ſi ab hac ſuā tranſcripſerunt Aduerſarii, exceptis illis duobus verbis, *copioſa redemptio*, & illud: *ipſe redimet Iſrael ex omnibus iniquitatibus eius*, monia alia ſunt ficta, & falſa.

Ioan. de Turrecrem. par. 8. cap. 1. fol. 152. à tergo in RATIONNE ſumpta ex parte redemptionis; adducit ſupràpoſitā auctoritatē. Sic maior verò patet per illud Palmi 129. apud Dominū miſericordia, & copioſa apud Deum redemptio, vbi dicit Gloſſ. Ordinar. *Apud Dominum etiam copioſa redemptio, qui totus mundi peccata redemit, & ideò copioſa, quia ipſe qui ſine peccato præceſſit, redimet ex omnibus iniquitatibus eius. Iſrael ſe vendere potuit, & non redimere, ille qui ſine peccato fuit, poteſt redimere.* Ecce habemus iterum eandem auctoritatem, ſed Turrecremata non citat Remigium, ſed Gloſſam Ordinariā. Ex hac ſine vlla dubitatione fabricarunt Bandellus, & Deza ſuam, quia illi, vt exiſtimo non legerunt Remigiū, ſed videntes, quòd auctoritas non erat in citata Gloſſa Ordinaria, & quòd vt illā diſpoſuerat Turrecremata, erat quædam confuſa agregatio verborum, nihil probans, & vt occultaretur, fictio citarunt Remigium in Pſal. 139. vbi nihil eſt, vt ſuprà diximus. Sed quidquid ſit de hoc videamus, qua veritate loquutus fuit Turrecremata, & in primis non eſt in Gloſſa Ordinaria, ſed Interlineali, quæ ſunt diſtinctiſſimæ Gloſſæ, ſed tranſeat hæc in aduertentia, & videamus fidelitatē verborū: totam illam clauſulā: *Apud Dominum, etiā copioſa redemptio, qui totius mundi peccata redemit*, finxit ex proprio cerebro, quia in nulla Gloſſa extat, ſed ad illud Pſalmi. *Copioſa*, inquit Interlinealis, *quia ille qui ſine peccato præceſſit, delet peccatum ſequentium*, mutauit ly *delet*, poſſuit *redimet*, & pro *peccatum ſequentiū* appoſuit illd: *ex omnibus iniquitatibus eius*; ad illud Pſalmi: *Et ipſe redimet.* Inquit Interlinealis: *Sanguis qui totius mūdi peccata redemit*, quæ omnia prætermiſſit Turrecremata. Ad illud *Iſrael*, inquit Gloſſa: *Iſrael vendere potuit, ſed non redimere*, & infrà: *Ille qui ſine peccato poteſt redimere*; in his ſolùm addidit verbum *fuit*; ex vna ergo. Poſtilla diuerſarum auctoritatum fecit vnam auctoritatem continuam.

Secundam auctoritatē ſic referunt. Minor verò probatur per B. Remigiū ſuper epiſt. 2. ad Corinth. 5. ſic dicentē: *Omnes enim homines, qui Chriſti aduentum præceſſerūt, & ſecuti ſunt, ſpiritualiter mortui ſunt, quia nullus extrà peccatum Adæ fuit, niſi Chriſtus, qui venit ſine peccato, & mortuus eſt pro omnibus prædeſtinatis ad vitā, vt Proſper, & Ioannes Chriſoſtomus, & alii Doctores dicunt. Hæc ille.* Auctoritas auten Remigii citata epiſt. 2. ad Corinth. cap. 5. fol. 216. ſic ſe habet: *Charitas enim Chriſti vrget nos, id eſt, charitas Chriſti, qua vos diligimus, compellit nos talia dicere, ſcilicèt vt nos laudemus vobis, volentes vos reuocare ab amore pſeudo Apoſtolorum ad amorem Chriſti, & noſtrum, æſtimantes hoc, & certum tenentes, quoniam ſi vnus, id eſt, Chriſtus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui, qui eius aduentum præceſſerunt, & ſecuti ſunt, & pro omnibus mortuus eſt Chriſtus. Omne genus humanū propter peccatū originale, quod trahit ex Adam, & in corpore, & in anima mortuū eſt, quia dictum eſt Adæ: in quacunq; die comederis ex eo morte morieris. Mortuus eſt illo die, quo comedit in anima, & factus eſt in corpore mortalis, quia poſtmodùm mortuus eſt. Sicut ergo nullus homo extra Adæ progeniem, ita nullus extrà peccatum, & mortes illius, præter vnum Chriſtū. Venit ergo Chriſtus ſine peccato naſcens, ſine peccato conuerſans in mundo, in-*

nocen-

nocenter mortuus est pro omnibus prædestinatis ad vitã. Et vt propter dicit, & Ioannes Chrisostomus, aliique Doctores, licèt omnes non credant, & etiã omnes credentes non saluentur: ille fecit quod suum erat, pro omnibus moriens, &c. Confer ergo, ò Lector, hanc Remigii auctoritatem, cum illa adducta ab Aduersariis, & videbis quoad litteram non pauca verba discrepantia, quoad sensum verò omnia, quia reduxerunt ad mortem spiritualem, quòd Remigius dicit de temporali, & sententia Prosperi, & Chrisostomi, quæ vt vides loquitur de sufficientia mortis Christi, quoad nõ credentes, & credentes dãnandos copullarũt cum peccato Adæ, & quòd nullus extra illud fuit, nisi solus Christus, & sic vno ictu vitiarunt Remigium, Prosperũ, & Chrisostomum.

Tertiã auctoritatẽ adducunt: Item B. Remigius super epist. ad Hebr. 9. *Christus, inquit, per propriũ sanguinẽ introiuit semel in sancta æterna redemptione inuenta. Eius enim sanguine omnes homines redẽpti sunt à seruitute, qua propter peccatum primi parentis captiui tenebantur. Tantùm enim erat peccatũ nostrũ, vt aliter redimi nõ possemus, & saluari, nisi vnigenitus Dei Filius pro nobis moreretur; morte enim sua factus est nobis Redemptor, vt per suam mortem indebitam illam, quæ nobis debebatur auferret.* Auctoritas extat in Remigio citato, cap. 9. fol. 452. ad illa verba: introiuit semel in sancta æterna redemptione inuẽta, num. 12. *De hac redemptione dicitur per Zachariam patrem Ioannis: visitauit nos, & fecit redemptionẽ plebis suæ, redemptio autem ad captiuos pertinet, & nos captiui eramus captiuati à diabolo in primo parẽte nostro. Si enim sanguis hircorum, &c.* Et postriginta quinque lineas, num. 17. prosequitur sic: *In hunc modum testamentũ vitæ æternæ, quod à Christo accepimus non aliter nobis firmũ manere poterat, nisi ipse morte sua illud roborasset: tantùm enim erat peccatum nostrũ, vt aliter non potuissemus redimi, & saluari, nisi vnigenitus Dei Filius pro nobis moreretur, & quia ad illud consequendũ, quod ipse promiserat indigni eramus, ipse nobis morte sua mediator factus est, vt per suã mortẽ indebitã illam, quæ nobis debebatur, auferret, &c.* Hæc sunt Remigii verba, ex quibus patet, quod Aduersarii ex principio, & fine; peccato originali, & Christi testamento vnam suo modo composuerunt auctoritatem. Sed nõ curemus de hoc, dum tamẽ ostẽdant in Remigio illam clausam principalem: *Eius enim sanguine omnes homines redempti sunt à seruitute, qua propter peccatum primi parentis captiui tenebamur.* O bone Deus, quanta hucusque sustinuisti in multa patientia!

Quartam auctoritatem adducunt ex eodẽ sic: Item idem vbi suprà *Nemo enim sine sanguine christi effusione redimitur, qui pro nobis effusus est in remissionem peccatorum. Hæc ille. Item idem vbi supra: Christus, inquit, tantùm semel mori voluit, quia vna eius morte omnium hominũ redemptio facta est: vna enim oblatione omnes nos redemit.* Remigius vbi suprà num. 22. loquens de sanguine sacrificii legalis, sic inquit: *Corpora enim quantùm ad legem pertinet, mundabantur aspersione, siue effusione sanguinis animalium, leuiaq; peccata relaxabãtur, sed in hoc, quia maiora crimina non tollebat, non erat perfecta mundatio; perfecta autẽ mundatio, & remissio sanguine Christi consistit, qui pro nobis effusus est in remissionem peccatorũ, sine eius sanguinis effusione nemo redimitur, &c.* Et post 34. lineas, num. 26. ad illa verba: offerat semetipsum, quẽadmodum Pontifex, &c. inquit: *Alioquim hoc est, si aliter esset, vt semel passus non prodesset omnibus, sæpiùs oportebat eum crucifixi ab origine mundi, hoc est, quot fuerunt electi, & quot futuri sunt pro singulis mori illum oporteret, si eos redimere vellet, sed noluit, nisi tantùm semel mori, quia vna morte illius redemptio facta est.* Hęc sunt omnia Remigii verba, ex quibus Aduersarii suas breues finxerunt auctoritates, sed illos deprecor, vt ostẽdant istas duas propositiones vniuersales: quia illa: eius morte *omnium hominum* redemptio facta est? et illa: vna enim oblatione *omnes nos* redemit? propositiones sunt de fide hîc, sed sine fide, nec veritate adductæ.

Quintam auctoritatem sic adducunt. Vndẽ Remigius super epist. 1. ad Corinth. cap. 6. *Ille, inquit, qui redimitur captiuus priùs tenebatur, & seruus est illius, à quo redimitur, sic genus humanum captiuum tenebatur à diabolo, sed sanguine Christi redemptum est à captiuitate, & factus est seruus illius. Hæc ille.* Verba Remigii sunt hæc præalegata epistola, & capit. num. 20. fol. 140. *Empti enim estis pretio magno, non auro, neque argento, sed sanguine Christi, ille qui emitur, siue redimitur, captiuus tenebatur, & seruus est illius, à quo redimitur. Sic genus humanum captiuum tenebatur à diabolo. Seruusque erat diaboli, quoniam accipiendo dulcedinem pomi vetiti, vendidit semetipsum illi. Redemptus verò sanguine Christi, illius seruus est, eiusque voluntati obtemperare debet, &c.* In hac auctoritate solùm

vitiarunt, ſequentia prætermiſerunt, illud *emitur*, & addiderunt ly *priùs* in qua voce eſt totum pondus auctoritatis: deinde abſtulerunt omnem illam clauſulã: *Seruuſque erat diaboli, quoniam accipiendo dulcedinem pomi vetiti, vendidit ſemetipſum illi.* Item addiderunt illud *à captiuitate*, atque alia parui momẽti. Et hæc ſunt vitia, quę continentur in primo faſciculo extracto à prima Aduerſarioriorum RATIONE, ſi ſunt, vel non repręhẽſione digna, alius iudicet, quod ego affirmare poſſum, in verbo veritatis eſt, quòd alię octoginta auctoritates illius primæ RATIONIS ſunt eiuſdem furfuris, &c.

SECVNDVS FASCICVLVS, & ſecunda Aduerſariorũ RATIO habet protitulo, *Cap. 28. in qua ponitur ſecũda ratio, ſumpta ex parte concupiſcentiæ libidinoſæ, & continet 20. auctoritates.* Hæc ergo, quæ ſolùm continet viginti auctoritates, ſic ſe habet: *Omnes homines ex viro, & muliere per libidinem, & concupiſcentiã generati fuerunt cum carentia iuſtitiæ originalis, quæ eis debebatur, ſi Adam non peccaſſet, ſiue in originali peccato ſunt concepti, quod idem ſignificat. Sed B. Virgo fuit ex viro, & muliere per libidinem, & concupiſcentiam generata; ergo B. Virgo fuit cum carentia iuſtitiæ originalis, ſiue in originali peccato concepta.* Pro confirmatione huius argumenti ex viginti auctoritatibus promiſis ab Aduerſariis, hæc eſt vna, quaſi in faſciculo adducta ex Auguſtino, & aliis: *Item idem*, ideſt, Auguſtinus *in 2. lib. ſui Manualis: Quia, inquit, homo ſine peccato eſſe non poterat, ſi ex ſeminum commixtione deſcenderet: idcircò Dei Filius, vt inquinatos à peccato mundaret ſine commixtione ſeminum factus eſt homo, aſſumens ex Virgine naturã, & non culpam. Eadẽ verba ponit Gregorius in 17. Moralium cap. 16. & Anſelmus in libr. de Conceptu Virginali.* Hæc eſt auctoritas, ſed vide quibus eſcateat vitiis: remittunt nos ad Manuale Auguſtini in libro 2. ſed Manuale Auguſtini non habet librum ſecundum eſt enim vnus, & indiuiſus liber, vt videre, eſt Tomo 9. à fol. 172. impreſ. Pariſien. & incipit liber ille: *Quoniam in medio, &c.* non dicunt, in quo capitulo ſit auctoritas adducta, cum liber ille habeat 16. capitula, ſed hæc vitia parui eſſent momenti, ſi ibi eſſet auctoritas, ſed eſt falſum, & fictum, quia neque auctoritas, nec illius vmbra extat in toto Manuali. Deinde adducunt pro eadem Gregarium in lib. 17. Moral. cap. 16. liber ille 17. Moral. incipit hoc modo: *Quotiens in Sãcti viri, &c.* & caput. 16. ſic: *Terminum circundedit aquis, &c.* Et in hoc non dico auctoritatem integram, ſed neque vnicum ſolum illius verbum extat. Ad ducunt etiam pro eadem auctoritate Anſelmum de Conceptu Virginali, & tacent capitulum, quando liber habet 28. capita, ſed hoc excuſationem haberet, ſi in aliquo illorum eſſet propoſita auctoritas, ſed in toto illo tractatu de Conceptu Virginali, neque apex de tali extat auctoritate; ex omni ergo parte auctoritas iſta chimerica eſt, & phantaſtica, ſed ne mireris, Lector, in his progredere vltra, quia fortè obſtupeſces.

Hanc eandem auctoritatem iterum adducunt infra Bandellus, & Deza fol. 91. ad RATIONEM 13. ſumptam ex parte diuinæ omnipotentiæ, ſic dicentes: *Sed de potentia ordinaria præſupoſito peccato Adæ, non potuit Deus B. Virginem, nec aliquem ab Adam, ſeminaliter propagatum à peccato originali præſeruare, vt dicit Auguſtinus in ſecundo libro Speculi, vbi ſic ait: Quia nemo hominum ſine peccato eſſe poterat, ſi ex ſeminum commixtione deſcenderet, idcircò Dei Filius, vt inquinatos à peccato mundaret ſine commixtione ſeminum factus eſt homo, ſumens ex Virgine naturã, non culpã. Idem dicit Gregorius in 2. Moral. cap. 16. & Auguſtinus in 1. & 4. contra Iulianũ, ſicut in ratione 2. primæ cõcluſionis ſuprà dictum eſt.* En ò Lector! iterùm reproducunt auctoritatem eãdem, vt patet ex ipſa, & Aduerſariorum teſtimonio in vltimis verbis, ſed nota quibus concomitatam vitiis illam introducant. Dixerant in antecenti: *Quia homo ſine peccato eſſe non poterat*, hic verò vniuerſaliori modo: *Quia nemo hominum ſine peccato eſſe poterat* ibi, *aſſamens*, & hic *ſumens*. Sed tranſeant iſta, quia parui momenti ſunt, ſupra dixerunt Auguſtinum, protuliſſe hæc verba *in 2. libro ſui Manualis*; hic verò tranſmutant citationem *in 2. lib. Speculi*, non ſpecularis, ò Lector, tam manualia vitia? Niſi velint dicere, quòd eadem auctoritas eſt in vtroque libro, & quid eſſet, ſi neque in illo Manuali, neque in hoc Speculo extaret? Tria Specula ſunt in operibus Auguſtini, primum inuenies Tom. 3. à fol. 204. & incipit: *Quis ignorat ſcripturis, &c.* Secũdùm tom. 9. à fol. 188. & incipit: *Adeſto mihi verum, &c.* Tertium in eodẽ tom. à fol. 218.

218.& incipit: *Quoniam chariſſimi,&c.* in quo Patres mei ex his tribus Speculis Auguſtini eſt hæc veſtra auctoritas? Nullus enim ipſorum habet ſecundum librum: ſed vt breuiter nos expediamus, dicite mecum, quod in nullo, quia in rei veritate in nullo extat talis auctoritas, nec illius vmbra, & ſic neceſsè erit, vt quæratis in Auguſtino aliud quartum Speculum, & in ipſo auctoritatem, ſed hoc non difficile, ſed impoſſibile eſt. Item ſuprà adduxerunt Gregorium *in lib.* 17. *Moral. cap.* 16.& hîc *in* 2. *Moralium, cap.* 16. Videte quãta eſt diſtantia inter librum ſecundum, & decimum ſeptimum? Cui ex his citationibus credemus? non primæ, quia ibi non extat auctoritas, vt ſuprà demonſtrauimus, non huic ſecundæ, quia in lib. 2. Moral. qui incipit: *Scriptura ſacra,&c.*& cap. 16. incipiente: *Vidi Dodi Dominum,&c.* Nec verbum extat huius auctoritatis. Solùm enim in illo lib. 2. non cap. 16. ſed 17. col. mihi 42. reperiuntur ſequentia: *Sed iam Satham redeat, id eſt, ab effectu ſuæ malitiæ; vis illum diuina conſtringat: quia iam apparuit in carne, qui in peccati contagione, ex carnis nihil habeat infirmitatis.* Si ex hac finxerunt ſuam, ipſi videant, quia aliam non inuenient in Sancto Gregorio. Item in auctoritate antecedenti adduxerunt Anſelmum in lib. de Conceptu virginali, ſed hîc re ſeriùs conſiderata retraxerunt calamum ab hac Anſelmi in poſtura, ſed loco illius introduxerunt iterum Auguſtinum *in* 1. & 4. *contra Iulianum*; tacendo tamen capita illorum librorũ, vt ſic labor terreret indagatorem veritatis, & deſperaret de illius aſſecutione in tanta paginarum molle, ſed attendite diffinitiuæ ſententiæ, vt hiſpanicè dici ſolet: *En viſta y reuiſta*, quia ſemel, & iterum, atque tertiò vidimus, ac legimus libros iſtos Auguſtini contra Iulianum exiſtentes, tom. 7. & liber 1. incipit: *Contumelias tuas,&c.* & lib. 4. incipit: *Iam nunc ab alterius,&c.* Sed in iſtis duobus libris talis auctoritas non extat, imò neque verba, niſi vnum, vel alterum diſparatum, & ſine vlla connexione. Ecce do vobis omnia, quæ ibi reperiuntur.

In primo libro contra Iulianum, inquit Auguſtinus, citans Ambroſium ſuper Lucam: *Non enim virilis coitus, inquit*, id eſt, Ambroſius, *vuluæ virginalis ſecreta reſeruauit, ſed immaculatum ſemen inuiolabili vtero Spiritus Sanctus infudit. Solus enim per omnia ex natis de femina Sanctus Dominus Ieſus, qui terrenæ contagia corruptelæ immaculati partus nouitate non ſenſerit, & cœleſti maieſtate depulerit,&c.* Et infrà poſt integram colunam ex eodem Ambroſio proſequitur. *Ideò, inquit, & quaſi homo per vniuerſa tantatus eſt, & in ſimilitudine hominũ cuncta ſuſtinuit, ſed quaſi de ſpiritu natus abſtinuit à peccato. Omnis enim homo mẽdax, & nemo ſine peccato, niſi vnus Deus. Seruatum eſt igitur, vt ex viro, & muliere, id eſt, per illam corporum commixtionem, nemo videatur expers eſſe delecti,&c.* Si ab hac non tranſcripſerunt Aduerſarii ſuam auctoritatem propter illas duas voces, *homo*, & *commixtione*, alia non extant verba in toto illo primo libro Auguſtini contra Iulianum, & ſi ab hoc loco omnia alia verba, & illorum ſtructura, eſt falſa, ficta, & ſuppoſita. In libro verò 4. cõtra Iulianum, cap. 4. fol. 224. lit. F. hæc habet: *Non autẽ dixi, quòd interpoſitis aliis ex libro meo verbis me dixiſſe dixiſti, ideò filios eſſe ſub diaboli poteſtate, quia de corporum commixtione naſcuntur. Aliud eſt enim dicere, de corporũ commixtione naſcuntur: aliud quia de corporum commixtione naſcuntur. Non autem ibi cauſa mali eſt, quia de corporũ commixtione naſcuntur. Neq; enim etiam ſi natura humana primorum hominum peccato vitiata non eſſet, poſſent filii niſi de corporum commixtione generari. Sed ideò ſub diaboli poteſtate ſunt, qui de corporum commixtione naſcuntur, antequam per ſpiritum renaſcantur, quia per illam naſcuntur concupiſcentiam, qua caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & aduerſum ſe cogit concupiſcere ſpiritum,&c.* Et ſtatim pro horũ confirmatione addit: *Cur autem non creditis, hominibus in paradiſo conſtitutis ante peccatum, diuinitus potuiſſe concedi, vt tranquilla motione, & cõiunctione, vel commixtione membrorũ ſine vlla libidine filios procrearẽt: aut in eis ſaltem libido talis eſſet, cuius motus, nec præcederet, nec excederet voluntatem?&c.* Et poſt fol. 225. litt. F. inquit: *Nunquid dicit figmentum ei ſe qui finxit, quare me ſic feciſti? An non habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa originis vitiatæ, atque damnatæ facere aliud vas in honorem, ſecundùm miſericordiam, & aliud in contumeliam ſecundùm iudicium? Ideò non vtrumque in honorem, ne hoc meruiſſe ſe exiſtimet tanquam in culpata natura. Ideò non vtrumque in contumeliam, vt iudicio ſuperexultet miſericordia,&c.* Et tandem concludit fol. 226. capit. 11. ſic: *Quis enim negat*

futurum fuiſſe concubitum, etiamſi peccatum non præceſſiſſet? Sed futurus fuerat, ſicut aliis membris, ita etiam genitalibus, volunt à te motis, non libidine concitatis, aut certè etiam ipſa libidine, vt non vos de illa nimium contriſtemus, non qualis nunc eſt, ſed ad nutum voluntarium ſeruiente, &c. Hæc ſunt omnia, quæ habet Auguſtinus in illo libro 4. contra Iulianum, quæ præſentem poſſunt concernere materiam, ex quibus deducimus breuiter ſequentia. Primò, quòd ex auctoritate adducta ab Aduerſariis, ibi non ſunt, niſi duo tantummodò verba, ſcilicèt illa cauſalis *quia*, & vox illa *commixtione*. Secundò, quòd Auguſtinus inuehitur in Iulianũ hæreticum, propterea, quia ad verba ſua adderat cauſalem illam *quia*, & ſi hoc ita ſenſit Auguſtinus, quia erat contra ſuam mentem, & veritatem, quid dicet ſacratiſſima Virgo Maria de illis, qui non ſolùm hîc, ſed millies addiderunt iſtam cauſalem *quia*, tam in Auguſtino, quàm in aliis Doctoribus, vt ipſam macularent; vt paſſim demonſtrabitur in Ventilatione? Tertiò, quòd S. Auguſtinus in hoc libro non negat Dei potentiam, vt Aduerſarii proponunt in hac ſua RATIONE, vt non poſſit ex eadem maſſa originis vitiatæ, atque damnatæ facere aliquod vas in honorem, ſed potiùs defendit Dei virtutem, & potentiam, quoad hoc contra hæreticos, licèt non explicet Sanctus Doctor, an illa potentia ſit ordinaria, vel abſoluta? ſed ſi vultis ſcire vnico verbo, quę potentia fuit neceſſaria ad præſeruationem Virginis Mariæ; dicite, qua potentia in veſtra ſententia Deus illam ſanctificauit in vtero, quia ipſa illam præſerſeruauit: eadem enim potentia, qua potuit in ſecundo inſtanti expellere originale, potuit & in primo. Quartò, nota quòd ſecũdùm Auguſtinum non reſultat originale ex commixtione corporum, vel ſeminum, ſed ex concupiſcentia, & libidine, non ſubiecta rationi, vel voluntati, vnde ſi in generatione Mariæ caro Ioachimi, & Annæ non concupiuit aduerſus ſpiritum, quòd Deus ordinariſſima potentia potuit facere, quia valdè ſenes, & Sanctiſſimi fuerunt, & ex præcepto Angeli ſe coniunxerunt, Maria non contraheret originale, & de hoc ſatis.

Quia iterum reddit calamus ad propoſitã Aduerſariorum auctoritatẽ. Anonymus Via 2. ratione 1. cuius titulus eſt: *Incipiunt rationes 2. Viæ, quæ ſunt tredecim, quarum prima hæc eſt: Si Beata Virgo in originali peccato concepta nõ fuiſſet, Chriſtus non omnium hominum Redemptor fuiſſet.* Hanc ſuam primam RATIONEM inter alia probat ſic: *Item Auguſtinus in 2. lib. de Eccleſiaſticis Dogmatibus, qui dicitur Manuale, cap. 13. Quia, inquit, primi parentes peccauerunt, &c. ſed quia homo ſine peccato eſſe non poterat, ſi ex commixtione ſeminum deſcenderet, ideò Filius Dei ſine commixtione ſeminis pro nobis facius eſt homo, aſſumens ex Virgine naturam, non culpam, &c.* Ecce tertio deſcendit in arenam eadem met auctoritas, vt ex ipſius verbis conſtat, ſed mutato habitu: nam ſi eam ſupra adduxerant ex Sancto Auguſtino in Speculo, & in Manuali, hîc introducitur ſub alia citatione, ſcilicèt in lib. 2. de Eccleſiaſticis Dogmatibus, qui dicitur Manuale, cap. 13. notate ergo qua veritate hęc noua perſonata auctoritas introducitur ad ſcenam. In operibus S. Auguſtini, tom. 3. fol. 44. col. 4. & in nouiſſima impreſſione in Appendice, fol. 380. extat liber de Eccleſiaſticis Dogmatibus, ſiue de Diffinitionibus orthodoxæ fidei, ſed eſt liber vnicus, non habens ſecundum, & ex hac parte iam eſt mendoſum illud de *lib. 2. de Eccleſiaſticis Dogmatibus*, ſicut etiam illud, *qui dicitur Manuale*, nam liber iſte nunquam fuit dictus Manuale. Deinde talis auctoritas, aut illius ſignum, aut vmbra non inuenitur, nec eſt in cap. 13. nec in aliquo alio (habet enim 88. capita) & ſic totum hoc eſt fictũ, et falſum, ſicut præcedentia. Denique in multis diſcrepant verba iſtius à præcedente, quia vbi illa: *quia nemo hominum*, iſta habet: *ſed quia homo*, vbi in illa: *ſine peccato eſſe poterat*, in iſta additur *non*. Item in iſta prætermittitur totum illud: *vt inquinatos à peccato mundaret*, item ad illud: *factus eſt homo*. Hîc adiunctum fuit: *pro nobis*, atque illud: *aſſumens*. Si ergo vna indiuiſibilis actoritas adducta à vobis in tribus diſtinctis locis, ſeu RATIONIBVS, & ex tribus Sanctis Auguſtino, Gregorio, & Anſelmo, quorum opera notiſſima habentur præ manibus, citata non in vno, vel altero libro, ſed in decem diuerſis, ſcilicèt Manuali, tribus Speculis, de Eccleſiaſticis Dogmatibus, in primo libro, & quarto contra Iulianum, in ſecundo, atque decimoſeptimo Moralium, ac tandem in libro de Conceptu virginali, eſt falſa, ficta, ſuppoſita, ac mendaciter adducta

cta in toto, & in partibus, ita vt nec vnum ſolum verbum poſſitis aſſignare, vbi requieſcat pes eius, quia nullibi reperitur, qualia vel quanta vitia in aliis decem, & nouem eſſe putatis? Sufficiat pro nunc credere quòd ſunt, vt ſuprà propoſitum eſt ſine numero, pondere, & menſura.

TERTIVS FASCICVLVS.

Pro tertia ratione, quæ talis eſt: *Omnes homines præter Chriſtum, qui poſt Adæ peccatum mortui ſunt, habuerunt aliquod peccatum, ſed Beata Virgo eſt homo, non Chriſtus, quæ mortua eſt poſt Adæ peccatum igitur, &c.* Adducunt ex Auguſtino quendam Faſciculum ſic. Item Auguſtinus in libro Hyponoſticon: *Mors enim propter peccatum introiuit in orbem terrarum. Omnibus quippè hominibus tàm iuſtis, quàm iniuſtis, propter peccatum Adæ, quòd prima natiuitate traxerunt, mors temporalis iſta debetur. Nos enim peccato morimur victi; Chriſtus autem innocens mori voluit, vt moriendo mortem noſtram, captiuaret.* Item in eodem: *Dic ergo, quærenti mihi, ſi peccatum paruulus nullum carnaliter natus atraxit: cur tàm breui dierum ſorte mortis aſtringitur? Non enim me fingente, ſed Apoſtolo prædicante dictum eſt: propter peccatum mors, & ſtipendia peccati mors. Sed ſecundùm errorem veſtrum iniquus eſt Deus, vt mori paruulum patiatur, non habentem peccatum, per quod poſſit vita priuari, hæc ille.* Hanc rationem idem confirmat ſuper Pſalm. 34. ſic dicens: *Adam mortuus eſt propter peccatum, Maria ex Adam mortua eſt propter peccatum; caro autem Domini ex Maria mortua eſt, propter delenda peccata, hæc ille.* Item in 6. contra Iulianum: *Vos, inquit, negantes originale peccatum in pueros traduci, profecto cogimini dicere, Deum eſſe inualidum, vel iniuſtum, ſub cuius poteſtate imago eius in paruulis tantis malis affligitur.* Item in 2. de Baptiſ. paruulorum: *Noſtrum, inquit, corpus mortuum eſt propter peccatum: ſolùm autem Chriſti corpus mortuum eſt ſine peccato; vt fuſo ſanguine ſine culpa omnium culparum cyrographa delerentur.* Item in eodem: *Teneamus, inquit, indeclinabilem fidei confeſſionẽ: ſolus vnus eſt, qui ſine peccato natus eſt in ſimilitudine carnis peccati: ſolus ſine peccato mortuus eſt propter noſtra peccata. Hæc ille.* Idem in eodem: *Nulla, inquit, pœna alicui debetur niſi propter peccatum, excepto illo, qui in flagella paratus eſt abſq; peccato. Hæc ille.* Item idem, de perfectione iuſtitiæ: *Qui negat, inquit, in omnem hominem peccatum introiſſe, negare vtique debet in illos mortem pertranſiſſe. Mors enim intrare non potuit, niſi intrante peccato; quia verò in omnes homines mors pertranſiit, neceſsè eſt in omnes pertranſiſſe peccatũ. Et quia originale peccatum, cum quo paruulus naſcitur, oculis carnis videre non poſſumus; omnes autem ex Adam carnaliter natos, etiam ſi iam in Chriſto renati ſint, videmus mortis legibus aſtringi, per hoc quod videmus, id quod non videmus, cogimur confiteri. Faciliùs enim fieri potuit, vt tranſeunte peccato, pœna minimè ſequeretur, quàm vt nullo comitante peccato, partem ſumat pœnæ, qui nihil habuit culpæ.* Item idem ad Sabinum Comitem. *Chriſtus, inquit, mortuus eſt pro peccato non ſuo, ſed alieno; cæteri verò omnes non alieno, ſed ſuo moriuntur peccato. Hæc ille.* Et iſte eſt Aduerſariorum faſciculus continens, vt vides nouem auctoritates, in quibus inuenies vitia ſequentia.

Dicunt in duabus, primis in libro Hypognoſticon, & cùm ſint ſex libri, non ſignant in quo; ſed prima ficta eſt, & ſuppoſita à primo vſque ad vltimum verbum, quia non extat in illis ſex libris; ſolùm enim in primo, circa principium, inquit Auguſtinus: *Quæ eſt enim perditio vitiorum, niſi mors? ſed viuorum malè viuentium, qui in ſecunda morte peribunt: non viuorum iuſtorum, id eſt, requirentium Deum, quibus tantùm propter peccatum Adæ, quod traxere naſcentes, mors non ſecunda, ſed prima debetur.* Vide, ò Lector! quid commune habeat hæc auctoritas cum illa Aduerſariorum? Non ergo errabis affirmando, totam fuiſſe fictam. De ſecunda auctoritate dicunt: *Item in eodem*, id eſt, Hypognoſticon, nam de libro eſſet falſum, nam pars auctoritatis antecedentis eſt in lib. 1. & hæc in lib. 5. in qua vitiarunt ſequentia: nam vbi Auguſtinus: *Cur breuis dierum, &c.* Ipſi: *Cur tam breui dierum ſorte.* Item prætermiſerunt hæc verba Auguſtini: *Quia vbi peccatum non eſt, vtique mors eſſe non debet*, quia his declarabatur mens Auguſtini. Item vbi Auguſtinus ſolùm: *Per peccatum mors.* Ipſi addiderunt: *Et ſtipendia peccati mors.* Item vbi Auguſtinus: *Ac per hoc ſecundùm errorem.* Ipſi abſolutè: *Secundùm errorem.* Tertiam auctoritatem ex Pſalm. 34. adducunt etiam inter auctoritates Auguſtini, & illam examinamus latè in Ventilatione, num. 34. auct. 1. pro nunc ſat erit ſcire, quòd etiam eſt in multis vi-

tiata

tiata. Quarta ex lib.6. contra Iulianum,extat cap.9.ad finem; ſed intereſt hîc tranſcribere omnia Auguſtini verba, vt videat Lector, vnde, & quomodò ſit extracta hæc auctoritas contra Immaculatam Virginis Conceptionem: inquit ergo contra Iulianum Pelagianum,& ſuos ſequaces: *Ipſa verò quæ communis eſt vobis hæreſis veſtra, quantùm Manichæos adiuuet, iam quidem ſæpè monſtraui, ſed ne hic quidem eſt omitendum. Enumerant Manichæi mala,quæ in paruulis monſtrant,quæ Cicero quoq; commemorat in libris de Republica, vnde ipſa eius verba iam tranſtuli. In quorum malorum commemoratione dicit: non vt à matre natura, ſed vt à nouerca hominem in has ærumnas eſſe proiectum. Huc accedunt etiam illa, quæ non quidem omnes paruulos, ſed tamẽ plurimos cernimus perpeti multa, & varia mala, vſque ad dæmonum incurſus. Atque concludunt dicentes, cùm ſit iuſtus, & omnipotens Deus, vnde iſta mala patitur imago eius in paruulis, niſi quia vera eſt, inquiunt, quam nos aſſerimus duarum naturarum boni, ſcilicèt maliq; commixtio? Hos Catholica redarguit veritas, confitens originale peccatum, per quod factum eſt dæmonum ludibrium genus humanum, & laborioſæ miſeriæ deſtinata propago mortalium. Non autem iſta eſſet, ſi humana natura per liberum arbitriũ, in quo ſtatum primum condita, perſtitiſſet. Vos autem negantes originale peccatum, profectò, aut cogemini dicere Deum, vel inualidum, vel iniuſtũ, ſub cuius poteſtate imago eius in paruulis, ſine vllo, vel proprii, vel originalis peccati meritò, tantis affligitur malis, &c. ſed & vobis tam malitioſum venenum antiqui draconis irrepſit, vt & Catholicos horrore Manichæi nominis infametis, & Manichæos peruerſitate veſtri dogmatis adiuuetis.* Ex hac Catholica Auguſtini impugnatione, atque combinatione hæreticorum Manichæorum aſſerentium duos eſſe Deos,alterũ creatorem bonorum,& alterum malorum,& Pelagianorum negantium peccatum originale,amputatis capite,ac pedibus,Aduerſarii ſuam truncatam extraxerunt auctoritatem; & hoc non legaliter, nam addiderunt illam principalem clauſulam: *In pueros traduci,* & prætermiſerunt alteram: *Sine vllo, vel proprii, vel originalis peccati meritò*, ſed quid ex erroribus extrahendum erat?

Tres ſequentes auctoritates adductæ ex lib.2.de Peccatorũ meritis,& remiſſione,ſeu de Baptiſmo paruulorum contra Pelagianos, qui incipit: *De Baptiſmo paruulorum Marcellinę, &c.* Extant tales,quales: nam prima,& in noſtro ordine quinta inuenitur cap.30. ſed vbi Auguſtinus: *Chriſtus autem corpus ſolum mortuum ſine peccato.* Ipſi ſic: *Solùm autem Chriſti corpus mortuum eſt ſine peccato.* Sequens auctoritas ſexta, extat poſt tres columnas, cap. 34. ad finem, à qua abſtulerunt clauſulam vnam principalem,ſcilicèt: *Sine peccato vixit inter aliena peccata,*& addiderunt alteram,ſcilicèt: *Solus ſine peccato*, nam in Auguſtino non extat, ly *ſolus.* Septima auctoritas extat antè iſtas duas,videlicèt cap.16.ad finem,ſed longè aliter eſt in Auguſtino, ſic dicente: *Nulla autem vindicta,nulla correptio,nullum Dei flagellum debetur, niſi peccato, excepto illo,qui in flagella paratus eſt, vt experiretur omnia ſecundùm ſimilitudinem,ſine peccato, vt eſſet Sanctus Sanctorum, Sacerdos interpellans etiam pro Sanctis, qui non mendaciter etiam quique de ſe dicant. Dimitte nobis debita noſtra, &c.* Si hanc conferas cum ſuprapoſita adducta ab Aduerſariis inuenies quod in paucis conueniant: Octaua autoritas, quę in hoc faſciculo eſt prȩcipua, ac maior,& quaſi depicta pro Aduerſariorum RATIONE,ex libro de perfectione iuſtitię,exiſtente ad finem Tom.7.cuius principium eſt: *Sanctis, Fractribus, & Epiſcopis.* Eſt falſa,& ficta à primò, vſque ad vltimum verbum, ita vt nec vmbra,nec ſignum illius extet, in toto illo libro:adduxerunt enim antecedentes, cum aliqua veritatis apparentia,licèt quoad ſubſtantiam parui momenti, vt hanc introducerent ex proprio marte fabricatam. Nona,& vltima auctoritas, ex epiſtola ad Sabinum Comitem,etiam eſt ficta,quia inter epiſtolas Auguſtini nulla extat ad Sabinum, neque ad Comitem illum, niſi ad Bonifacium, cui ſcripſit Auguſtinus duas epiſtolas,in prima,quæ eſt in ordine 70,nihil habet:& in ſecunda exiſtente fol.188.quæ incipit: *Domino, & eximio, &c.*inquit: *Quandiu in hac vita conuerſaris, ſine peccato te eſſe non credas, &c.* Videant ergo Aduerſarii,vbi eſt hic Sabinus Comes, & ipſius epiſtola, & auctoritas, quia in Auguſtino non extat.

QVARTVS FASCICVLVS in cap.30. ſic adducunt ſuam quartam RATIONEM efficaciſſimam, vt ipſi dicunt: *Omnes homines, pro quibus Chriſtus eſt mortuus, ha-*

hæbuerunt de facto aliquod peccatum, ſed pro B. Virgine Chriſtus eſt mortuus: ergo B. Virgo de facto habuit aliquod peccatum, ſed non habuit actuæle, ergo originale. Pro hac adducunt magnum faſciculum auctoritatum ex Sancto Auguſtino, ſic: Maior verò probatur per Auguſtinum in 6. contra Iulianum, negantem pueros Chriſtianorum contrahere originale peccatum, vbi ſic dicit: *Totus iſte Apoſtolicæ epiſtolæ locus, ſi te ab hac tua prauitate non corrigit, nimis obduruiſti. Commendat enim Deus ſuam charitatem in nobis, quia cùm adhuc inimici eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt. Hoc tu dictum paruulis exceptis, vis putari. Vbi ſic abs te quæram: ſi non ſunt paruuli inter peccatores habendi, quomodò pro eis mortuus eſt Chriſtus, qui pro peccatoribus eſt mortuus? Reſpondebis, non pro ſolis peccatoribus Chriſtum eſſe mortuum, quamuis & pro peccatoribus ſit mortuus, ſed nuſquam legis in diuinis Auctoribus mortuum eſſe Chriſtum, etiam pro eis, qui nullum habuerunt peccatum? Sed attende, quam validis teſtimoniis vrgearis. Tu dicis etiam, pro peccatoribus Chriſtum eſſe mortuum: ego verò dico, non niſi pro peccatoribus mortuum. ita vt reſpondere cogaris, ſi nullo peccato paruuli obſtricti ſunt, non eſſe Chriſtũ pro paruulis mortuũ. Dicit enim Apoſtolus ad Corinth. Quoniam vnus pro omnibus mortuus eſt: ergo omnes mortui ſunt, & pro omnibus mortuus eſt Chriſtus. Nullo modo hìc negare permitteris, non niſi pro hiis qui mortui ſunt, mortuum fuiſſe Ieſum. Quos ergo hoc loco intelligis mortuos? Nunquid eos, qui de corpore exierunt? Quis ita diſſipiat, vt hoc ſapiat? Eo modo itaque intelligimus mortuos omnes, pro quibus mortuus eſt Chriſtus, quomodo alibi dicit: Et vos cùm eſſetis mortui in delictis, viuificati eſtis cum illo. Ac pro hoc quod dicit vnus, quidem pro omnibus mortuus eſt: ergo omnes mortui ſunt, oſtendit fieri, ſi potuiſſe, vt moreretur Chriſtus, non pro mortuis, id eſt, pro peccatoribus. Ex hoc enim probabit omnes mortuos eſſe, quia pro omnibus mortuus eſt vnus. Conſequens ergo eſſe voluit, vt omnes intelligantur mortui, ſi pro omnibus mortuus eſt. Quia ergo non in corpore reſtat, vt in peccato mortuos eſſe omnes, pro quibus mortuus eſt Chriſtus? Nemo neget, nemo dubitet, niſi qui ſe negat, aut dubitat eſſe Chriſtianũ. Quapropter ſi nullum trahunt peccatum paruuli non ſunt mortui; ſi non ſunt mortui, non eſt mortuus pro eis Chriſtus, qui non eſt mortuus niſi pro mortuis. Tu verò iam in primo libro contra me clamans, dixiſti: Chriſtum etiam pro paruulis mortuum: ergo nullo modo negare permiteris, paruulus trahere originale peccatum. Reddi ergo mecum ad illud, quòd ad Roman. cœperam dicere. Commendat, inquit, Deus charitatem ſuam in nobis, quoniam cùm adhuc inimici eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt.* Et infra: *Originale, inquit, peccatum, quod in parente regenerato dimittitur, tranſiit in prolem, & manet in ea, quouſque, & ipſa regeneretur: cùm enim dictũ ſit vnus pro omnibus mortuus eſt; ergo omnes mortui ſunt, quo corde, quo ore, qua fronte paruulos mortuos negatis, pro quibus Chriſtum mortuum, non negatis? Si enim pro eis mortuus eſt; ergo & ipſi cum omnibus peccato mortui ſunt. Verba hæc ſunt Apoſtolica, ſed arma ſunt noſtra, quibus ſi repugnare nolis, intelligis quod ſine dubitatione credendum eſt: nulli Chriſti mortem eſſe neceſſariam, niſi ei, qui in peccato mortuus eſt. Hæc ille.* Et infra: *Per vnum, inquit, hominem peccatum intraſſe in mundum, & ita in omnes homines pertranſiſſe, in quo omnes peccauerunt, non exiſtimemus, fas nobis eſſe aliter accipere, niſi vt omnes mortuos eſſe credamus, pro quibus murtuus eſt Chriſtus. Ad omnes enim ætates pertinere non dubitamus, quod Apoſtolus ait: Beneficium Dei, qui eruit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in Regnum filii charitatis ſuæ. Explica, inquis, quomodò peccatũ perſonæ illi poſſit abſcribi, quæ nec voluit peccare, nec potuit? Sed ſi vos ſententiam rectam in veſtrũ tortum ſenſum torquere noletis, audiretis Apoſtolum, hoc breuiter explicantem, qui cùm dicit vnum fuiſſe, in quo omnes peccauerunt, in illo vno, omnes mortuos eſſe dixit, vt vnus alius pro omnibus moreretur. Vnus enim pro omnibus mortuus eſt; ergo omnes mortui ſunt, pro quibus mortuus eſt Chriſtus. Nega igitur, Chriſtum pro paruulis mortuum, vt eos excipias de numero mortuorum, hoc eſt, de contagio peccatorum.* Et infra: *Propter hoc, vinculum quod conectitur ex primo Adam, nec ſolui poteſt niſi in ſecundo Adam; propter hoc inquam, vinculũ mortis mortui reperiuntur infantes, non iſta morte notiſſima, quæ à corpore animã ſeparat, ſed ea morte, qua tenebantur omnes, pro quibus mortuus eſt Chriſtus: ſcimus enim, ait Apoſtolus (quòd à nobis ſæpiſſimè repetendum eſt) quoniam ſi vnus pro omnibus mortuus eſt: ergo omnes mortui ſunt, & pro omnibus mortuus eſt Chriſtus. Quòd apertiùs ita dicitur: Illi ſunt à mortuis vinculo liberati, pro quibus mortuus eſt inter mortuos liber, vel multò apertiùs: illi ſunt liberati à peccato, pro quibus mortuus eſt ille, qui nunquam fuit*

in peccato. Hæc sunt stabilimenta fidei Christianæ, qui ea subuertere nititur, stătibus illis ille subuertetur. Hæc ille. Iste fasciculus auctoritatũ Augustini habet sequentia vitia.

Inquit enim præallegato lib. 6. contra Iulianum, cap. 1. fol. 237. *Frustra omninò contenditis, nec ab originali peccato paruulos regeneratione mundari; non hoc ostendit, qui dixit: quicumque baptizati sumus in Christo, in morte eius baptizati sumus: Dicendo enim, quicumque, non vtique paruulos fecit exemptos, &c.* Et sic adducit aliqua testimonia Pauli ex epist. ad Roman. cap. 6. vt ex illis probet; etiam paruulos regenerari per Christum, & post 28. lineas inquit: *Totus itaque iste epistolæ Apostolicæ locus si te ab ista prauitate non corrigit, nimis obduruisti, &c.* Ecce habemus, Lector, principium auctoritatis adductæ ab Aduersariis, in qua est primum vitium, quòd hanc clausulam adductam ab Augustino ad probanda verba suprà posita, adducunt Aduersarii ad probandum hanc suam. *Contra Iulianum negantem pueros Christianorum contrahere originale peccatum*, quando in toto illo libro, nec solum vnicum verbum habet Augustinus de pueris Christianorum. Deinde prætermitendo sex lineas, desumpserunt verba illa: *Comendat enim, &c.* Et in illis alterarunt sequentia: vbi textus *autem*, ipsi *enim*, anteposuerunt vocem, *Deus*, & vbi Augustinus cum legitimo Pauli textu *peccatores*, ipsi posuerunt ly *inimici*. Item addiderunt ly paruuli, quòd in textu non est, etiam addiderunt ly *Christus*, & infrà ly *Christum*. Item vbi Augustinus: *Quamuis sit etiam pro peccatoribus mortuus*, ipsi sic: *Quamuis, & pro peccatoribus sit mortuus*. Item vbi Augustinus, *quòd quidem*, ipsi, *sed nusquam*. Item vbi Augustinus: *Habuerunt omninò peccatum*; ipsi abstulerunt ly *omninò*, & infrà addiderunt ly *Christum*, & ly *Apostolus*, & iterum ly *Christus*. Item infrà vbi Augustinus: *Intelligimus mortuos, pro quibus omnibus vnus mortuus est Christus*, ipsi sic: *Intelligimus mortuos omnes, pro quibus mortuus est Christus*, quòd diuersum facit sensum. Item vbi Augustinus cum sacro textu: *Mortui in delictis, & præputio carnis vestræ.* Ipsi vitiantes vtrumque abstulerunt illud, *& præputio carnis vestræ*, cum sua intẽtione. Item vbi Augustinus, *viuificauit cum illo*, ipsi sic: *viuificati estis cum illo*. Item vbi textus: *ostendens*, ipsi: *ostendit*, & iterum addiderunt ly: *Christus*. Item vbi Augustinus solùm: *nisi pro mortuis*, Aduersarii ex proprio cerebro addiderunt: *id est, pro peccatoribus*, deinde prætermiserunt tres lineas, & continuarunt textũ dicentes: *consequens ergo esse voluit*, cùm in Augustino dicatur: *vide quia consequens esse voluit*. Item vbi Augustinus conditionaliter: *esse mortuos omnes, si pro omnibus Christus mortuus est*, ipsi abstulerunt conditionalem, *si*, & addiderunt ly, *Christus*. Item vbi Augustinus: *contra nos*, ipsi *contra me*. Item vbi textus in plurali: *eos trahere originale peccatũ*, ipsi pro relatiuo *eos* apposuerunt *paruulus*; denique remitentes tres lineas, continuarunt verba illa: *Redi ergo mecum, &c.* Ista sunt vitia primæ clausulæ, seu auctoritatis, sed perge mecum ad alias.

Dicunt igitur, *et infrà: Originale, inquit, peccatum, &c.* Et benedicunt *infrà*, nam post quatuor columnas Augustinus dicit: *Ita & & originale delictum*, sed ipsi dixerunt, *originale peccatum*; latiùs enim patet *delictum*: Augustinus, *& transiit in prolem delicto*, at Aduersarii abstulerunt coniunctionem &, atque dixerunt absolutè de suo peccato, *transiit in prolem*, addentes ad maiorem fictionẽ, *& manet in ea*, quia in Augustino non est ly *in ea*. Item vbi Augustinus: *nisi & ipsa*, Aduersarii: *quousque & ipsa*. Item prætermiserunt malitiosè illa Augustini verba: *quis intelligit? nunquid ideò non est delictum?* vt sic fugerent à voce illa *delictum*, & vt adimplerent clausulam, & sensum loco præcedentium, addiderunt illud: *cùm enim dictum sit*, quæ verba non extant in Augustino. Deinde remittentes tres lineas, continuarunt textum sic: *Si enim pro eis mortuus est, ergo & ipsi cum omnibus peccatoribus mortui sunt*; extant autem in Augustino sic: *Si autem etiam pro eis mortuus est, qui vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, & isti cum omnibus.* Item derelinquentes decem lineas, continuarunt præcedentes illud: *Verba hæc sunt Apostolica, &c.* Sed in Augustino non est ly *hæc*. Denique, vbi Augustinus: *Sic dubitatione credendum est, etiam si non intelligas.* Ipsi sic: *Sine dubitatione credendum est nulli Christi mortem esse necessariam, nisi ei, qui in peccato mortuus est.* Notare amore Dei, qua conscientia potuerunt addere hanc clausulam: *Nulli Christi mortem esse necessariam, nisi ei, qui in peccato mortuus est*, cuius nec sola vna littera extat in Augustino, vt deducerent pro consequentia,

tia, quòd si Virgini Mariæ fuit necessaria mors Christi; ergo priùs fuit mortua in peccato.

Pro sequenti auctoritate dicunt; & *infrà*: *Per vnum, inquit, hominem, &c.* Et verum est, quod *infrà* transactis tribus columnis ad finem; cap. 3. inquit Augustinus: *Per vnum tamen hominem, &c.* In qua clausula aliqua variarunt, præcipuè quia vbi Augustinus: *Nisi vt omnes mortuos esse credamus, in primi hominis peccato, pro quibus mortuus est Christus.* Ipsi abstulerunt verba illa: *In primi hominis peccato*, desiderantes stabilire ex Augustino, quòd Virgo Maria non solùm in Adam, sed etiam in seipsa fuerat mortua in peccato. Deinde derelinquentes decem lineas continuarunt capitulum quartum, cum antecedentibus capitis tertii, dicendo absolutè: *Ad omnes enim ætates permitere, &c.* quæ in Augustino extant sic: *Quòd vt Apostolico testimonio comprobarem ad omnes ætates, dixi pertinere.* Item prætermitentes alias quadraginta lineas, continuarunt textum, dicendo: *Explica inquis, &c.* Sed hic etiam derelinquerunt ly *iustè*, & alias duas lineas, & vbi Augustinus: *In illo vno mortui sunt omnes, vt moreretur vnus pro omnibus.* Aduersarii sic: *In illo vno omnes mortuos esse dixit, vt vnus alius pro omnibus moreretur*, & in sequentibus derelinquerunt ly *etiam*, & vbi Augustinus: *eximias*, ipsi: *excipias, &c.*

In vltima auctoritate dicunt, & *infrà*: *Propter hoc vinculum, &c.* Hæc extant taliter *infrà*, quòd est post duodecim columnas, vide si est satis *infrà*, & vbi Augustinus dicit: *Morte nouissima*, ipsi: *notissima.* Item, vbi in textu absolutè: *Quoniam vnus pro omnibus mortuus est.* Aduersarii conditionaliter: *Quoniam si vnus, &c.* Item addiderunt ly *Christus*; & prætermiserunt duas lineas, vt continuarent textum. Denique clausulam illam, qua totum suum concluserunt intentum: *Hæc sunt stabilimenta fidei, &c.* Desumpserunt ex libri exordio, transeuntes à fine libri, ad principium, continuando verba, quæ distant inter se per septemdecim columnas, & hæc stabilimenta fidei, sic sunt proposita ab Augustino: *Si tibi Christiana fides displicet, apertiùs confitere: nam Christianam fidem aliam non poteris inuenire: vnus homo est ad mortem, vnus ad vitam, ille tantùm homo iste Deus, & homo. Per illum est mundus inimicus factus Deo, per istum mundus reconciliatus Deo, electus ex mundo, sicut in Adam omnes moriuntur, sic in Christo omnes viuificantur, sicut portauimus imaginem terreni, portemus imaginem eius, qui in cœlo est. Hæc stabilimenta fidei Christianæ, qui subuertere nititur, stantibus eis, ipse subertetur.* Hec reduxistis ad vestras auctoritates, pro opinione de sanctificatione, & pro peccato originali Virginis Mariæ, sed quo fundamSto? qua veritate? Nec recurrere potestis ad diuersa originalia, quia in omnibus extant, vt suprà diximus; nec vnus, vel duo sic deuiarunt à veritate, nam etiam Anonymus adducit hanc auctoritatem, Via 2. Ration. 3. fol. 45. non solùm cum suprà enumeratis viciis, sed etiam cum aliis.

FASCICVLVS QVINTVS,

capitulum 31. & rationem quintam componunt, ex prærogatiua Christi sic: *Solus Christus fui in sui Conceptione sanctus*: & *solus Christus*, & *sola anima eius fuit sine peccato*: & *soli Christo non fuit opus renasci*: & *omnes homines, excepto Christo, habuerunt aliquod peccatum; ergo Beata Virgo, quæ fuit homo, non Christus, non fuit in sui Conceptione sancta, nec fuit sine peccato*, & *ei fuit opus renasci*, & *perconsequens habuit originale peccatum*; *antecedens probatur primò, quantùm ad primam partem.* Adeò magnus (tàm materialiter in latitudine, ac numero auctoritatum, quàm formaliter in vitiis, ac falsitatibus) & grauis est fasciculus iste, vt nec Gigas in magnitudine, atque in pacientia Iob ipsum supportare poterit, vt ex ipso constabit: habet enim, vt vides quatuor partes. Prima est; quòd solus Christus fuit in sua Conceptione sanctus. Secunda, quòd solus Christus in sola anima eius fuit sine peccato. Tertia, quòd soli Christo nõ fuit opus renasci. Quarta, quòd omnes homines, excepto Christo, habuerunt aliquod peccatum. Istas quatuor clausulas probant non aliis rationibus, sed quàm plurimis auctoritatibus volentes, ex gloria Filii concludere ignominiam Matris, ex illa voce solus sola solum (omnes enim propositiones ex ipsa componuntur) desolare Immaculatã Virginis Conceptionẽ. Detegere omniũ figmenta, esset labor immensus, & sic decreui regulare solummodò primam ad veritatis apicem, vt ex ipsa cognoscatur, quales sunt aliæ tres, neque hanc ad examen reuocab o integram, quia etiam esset nimis onerosum mi hi,

&

& legenti, ſed ſolùm aliquas præcipuas partes, primas, atque ab Aduerſariis collocatas in fronte aciei, tanquam fortiores, & incontraſtabiles.

Inquiunt ergo ſic: Antecedens probatur primò, quantùm ad primam partẽ; nam Auguſtinus in libro, qui dicitur Speculum, cap. 12. ſic dicit: *Caro namque Chriſti ſanctificatione diuinæ gratiæ per donum Spiritus Sancti, ita formata eſt, & in vnitate Filii Dei abſque vlla peccati originalis ſorde aſſumpta; vt ex ipſa Conceptione ſanctificata, nullum poſſet deinceps recipere peccatum. Nam cæteri homines ad hoc ſanctificantur, vt peccatis careant, quæ priùs habebant. Solus autem homo ille Dominicus ad hoc ſanctificatus eſt, vt peccatum in ſe nullum reciperet. Hæc ille.* Item Gregorius in 18. Moral. cap. 39. *Nullus Sanctorum quantumlibet virtutibus plenus exiſtat, poteſt vllo modo æquari ei, de quo ad diſtinctionem noſtræ ſanctitatis dictum eſt: quòd ex te naſcetur ſanctum: nos quidem, & ſi ſancti efficimur, non tamen ſancti naſcimur, id eſt, concipimur, quia naturæ corruptibilis conditione conſtringimur, vt cum Propheta dicamus: ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea. Hæc ille. Ille ergo ſolus vere citer ſanctus eſt natus, qui ex commixtione carnalis copulæ non eſt conceptus. Non ergo adæquabitur ei topazion de Æthiopia, ac ſi patenter dicat: Alii Sancti, quia expeccati nigredine ad gratiam veniunt, æquari Deo homini in puritate non poſſunt.* Hæc prima pars præſentis faſciculi ex duabus auctoritatibus componitur, vna Auguſtini, altera Gregorii, primam Auguſtini adducunt ex libro Speculi, cap. 12. ſed cùm vt ſuprà dixi, in operibus Auguſtini ſint tria Specula, in primo Speculo exiſtente tom. 3. quod incipit: *Quis ignorat, &c.* Talis auctoritas non extat; conflatur enim tantummodò ex auctoritatibus ſacræ Scripturæ, & non procedit per capita. Secundum Speculum exiſtens tom. 9. cuius initium eſt: *Adeſto mihi verum lumen, &c.* In rei veritate non eſt Auguſtini, ſed fuit confarcinatum ab aliquo ſtudioſo, longè poſteriore Auguſtino, nam in illo introducuntur verſiculi ex libro 3. Boetii, qui vixit multum poſt Auguſtinum, ſed tranſeat hoc, quia iam inuenitur inter opera Auguſtini; liber ergo iſte procedit per capita, ſed caput 12. allegatum ab Aduerſariis, ſic ſe habet: *Verùm quia caro neſcit ſpiritum, & inuiſibilia, à viſibilibus non videntur; per fidem enim ambulamus, & non per ſpeciem, humanæ tu Deus noſter nimis bonus, & pius conſulens infirmitati, dignaris te nobis inſinuare, non tua proprietate, ſed aliqua quadam ſimilitudine, vnde & noſtrorum qualitatem membrorum habere deſcriberis, volens paſſionum indigna de te ipſo ad hæc præferre, & quia ſicut es, te nequimus ſcire in præſenti miſeria, per noſtra nos ad tua trahas, & nos dum condeſcendis nobis facilius, ſurgamus tibi.* Hoc eſt, totum illud caput 12. & in quo ex tota auctoritate adducta ab Aduerſariis, inuenitur ſolummodò vox illa *caro*, quia aliud verbum magnum, vel paruum non extat. Tertium Speculum exiſtens in eodẽ tom. 9. quod dicitur Speculũ peccatoris, incipiens: *Quoniam chariſſimi, &c.* habet tantùm capita octo: cùm ergo ibi non ſit caput 12. citatum ab Aduerſariis, iam conſtat quod ex illa parte capitis, totum eſt quædam ficta chimera, ex parte Speculi, etiã fuit quædam deteſtabilis fictio, quia in nullo ex tribus relatis Speculis extat talis auctoritas, nec vmbra, aut verbum ilius, niſi illud iam dictum *caro*, & *Chriſtus*: cùm ergo non ſit in capitulo citato, neque in Speculis; ſolùm reſtat inquirere, an talis auctoritas ſit in aliquo alio opere Sancti Auguſtini, vt ſic ſaltem ſaluemus Aduerſarios à tam ingenti mẽdacio, & ad hoc dico, quòd nec in toto Auguſtino talem auctoritatem oſtendent Aduerſarii, quia facta omni diligentia, nullam ibi inuenire potui, habens cum ipſa identitatem, imò neque vniuocationem, & ſi aliquid ampliùs vultis audire, neque analogiã, & ſic pro ea, vel quærite aliud quartum Speculum, vel alium ſecundum Auguſtinum.

Sed videamus, an iſta emendationem accipiant ab altera auctoritate Sancti Gregorii? In libro ergo 18. Moralium non cap. 39. vt dicunt Aduerſarii, ſed cap. 27. colum. 626. lit. D. ſic inquit: *Sed ne acceptis quiſque virtutibus extollatur à ſancto viro*, id eſt Iob, *nunc dicitur: Non adæquabitur ei topazium de Æthyopia, ac ſi apertè dicat: Nullus Sanctorum quibuslibet virtutibus plenus, ex iſta tamen nigredine mundi collectus, æquari ei poteſt, de quo ſcriptum eſt, quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius Dei. Nos quippè, & ſi ſancti efficimur, non tamen ſancti naſcimur, quia ipſa naturæ corruptibilis conditione conſtringimur, vt cum Propheta dicamus: ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis peperit*

perit me mater mea. Ille autem solus veraciter sanctus natus est, qui vt ipsam conditionem naturæ corruptibilis vinceret, ex commixtione carnalis copulæ conceptus non est. Et post 67. lineas sic prosequitur: *Non adæquabitur ei topazium de Æthiopia, ac si patenter insinuet, dicens: Hi qui ex peccati nigredine ad conuersionem veniunt æquari Deo, homini, omninò non possunt, quamuis multis colorum virtutibus resplendere videantur.* Nota, Lector, adulterationes capitales in hac sanctissimi Doctoris Gregorii auctoritate; nam vbi Gregorius simpliciter dixit: *Æquari ei potest.* Ipsi cum vniuersali: *Potest vllo modo æquari ei.* Et cum hac clausula concatenarunt illam: *De quo ad distinctionem nostræ sanctitatis dictum est*, quæ in Gregorio non est, & huic coniunxerunt illud: *quòd ex te nascetur sanctum.* Diuersissimum enim sensum, atque sententiam faciunt verba Gregorii, dicentis: *Nullus Sanctorum quibuslibet virtutibus plenus, ex ipsa tamen nigredine mundi collectus, æquari ei potest, de quo scriptum est, quòd nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Abstulerunt enim cauillosè hanc præcipuam distinctionis notam: *vocabitur Filius Dei.* Et sic statim addidit Gregorius hæc verba ab Aduersariis omissa: *Nec æquari potest gloria Vnigeniti habita per naturam, aliis accepta per gratiam, &c.* quæ nostræ sententiæ sunt totum fundamentum. Item ad illam Gregorii propositionem: *nos quidem, & si sancti efficimur, non tamen sancti nascimur*, addiderunt ipsi absque vllo timore, *id est, concipimur*, vt sic introducerent suam conceptionem. Item in illa propositione Gregorii: *Ille autem solus veraciter sanctus natus est, qui vt ipsam conditionem naturæ corruptibilis vinceret ex commixtione carnalis copulæ conceptus non est*; posito relatiuo *qui*, transierunt ad illud, *ex commixtione carnalis copulæ conceptus non est*, derelinquentes illud: *vt ipsam conditionem naturæ corruptibilis vinceret*; nam Gregorius agit de corruptione carnis in amissione virginitatis, vt de se patet. Item prætermittentes integram columnam, continuarunt illud, *ac si patenter dicat*, quando in Gregorio dicitur: *ac si patenter insinuet.* Item vbi Gregorius dicit: *Hi qui ex peccati nigredine ad conuersionem veniunt æquari Deo homini, omninò non possunt.* Aduersarii sic: *Alii Sancti, quia ex peccati nigredine ad gratiam veniunt, æquari Deo homini in puritate non possunt*; addiderunt causalem *quia*, & illud *ad conuersionem* mutarunt *ad gratiam*, & prætermiserunt illud *omninò*, atque addiderunt illud *in puritate*, sicque tota hæc Gregorii auctoritas à primo, vsque ad vltimum vberbum est vitiata, atque pessimè adulterata.

Secunda pars huius fasciculi componitur ex sequentibus auctoritatibus, quas sic adducunt. Item Bernardus ad Lugdunenses: *Quamuis*, inquit, *paucis filiorum hominum datum sit cum sanctitate nasci, nulli tamen donatum est cum sanctitate concipi, vt vnisanè seruaretur, sancti prærogatiua conceptus, qui omnes sanctificaret, solusque absque peccato veniens purgationem faceret peccatorum. Solus itaque Dominus Iesus de Spiritu Sancto conceptus, qui solus est in conceptione sanctus. Quo excepto, cæteros omnes respicit, quòd vnus ait: ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis, &c.* Et in Sermone Assumptionis: *Beata*, inquit, *Maria hac singulari prærogatiua in concipiendo gaudet, quia non in originali peccato filium, quem admodum cæteræ omnes, sed superueniente Spiritu Sancto, sola de sanctificatione concepit. Hoc idem dicit Leo Papa, Theophilus, & Richardus de Sancto Victore, vt suprà allegatum est. Idem dicunt Alexander de Ales, Bonauentura, Richardus, Albertus, & Sanctus Thomas, & alii antiqui Theologi in* 1. *Sentent. dist.* 16. *& in* 3. *vbi ponunt, quod Christus secundùm humanitatem aliter sanctificatus est, quàm alii homines, quia ipse de non sancto negatiuè factus est sanctus; alii verò de non sancto priuatè facti sunt sancti, ex quibus patet veritas primæ partis antecedentis.* Prima ex epistola Ad Lugdunenses, sic se habet: *Quamobrem, & si quibus, vel paucis filiorum hominum datum est cum sanctitate nasci, non tamen & concipi: vt vnisanè seruaretur, sancti prærogatiua conceptus, qui omnes sanctificaret, solusque absque peccato veniens purgationem faceret peccatorum. Solus itaque Dominus Iesus de Spiritu Sancto conceptus, quia solus, & antè conceptum sanctus. Quo excepto de cætero vniuersos respexit ex Adam natos, quòd vnus humiliter de seipso, ac veraciter confitetur in iniquitatibus, inquiens, cõceptus sum: & in peccatis concepit me mater mea.* Principium auctoritatis in aliquibus manet variatum, sed transeat hoc: illa tamen Aduersariorum clausula: *Nulli tamen donatum est cum sanctitate concipi*, est penitùs adul-

terata, & multò magis incomparabiliter: *Solus itaque Dominus Iesus est de Spiritu Sancto conceptus, qui solus est in conceptione sanctus.* Nam Bernardi verba sunt longè diuersa; inquit enim: *Solus itaque Dominus Iesus de Spiritu Sancto conceptus; quia solus, & ante conceptum sanctus.* Obserua, si potuit esse pro re præsenti execrabilior adulteratio? Ex causali Bernardi, *quia* fecerunt relatiuum *qui*, & abstulerunt aduerbiũ *antè*, vt efficerent propositionem, habentem hunc sensum: solus Iesus fuit de Spiritu Sancto conceptus, quia solus ipse fuit in Conceptione sua sanctus: vel vice versa, quia solus Iesus fuit in sua Conceptione sanctus, dicitur, vel fuit de Spiritu Sancto conceptus, quando S. Bernardi verba expressè dicunt: solus Iesus fuit de Spiritu Sancto conceptus, quia solus ipse fuit antè conceptionẽ suã sanctus; ex quibus Aduersarii solùm deducere poterant hanc illationem; ergo Virgo Maria non fuit de Spiritu Sancto concepta; quia antè suan conceptionem non fuit sancta, vel aliter: quia Maria ante suam conceptionem non fuit sancta, ideò non fuit de Spiritu Sancto concepta: quomodocunque ergo accipiantur Bernardi verba, Aduersariorum semper est pessimum vitium. Item vbi Bernardus: *Quo excepto de cætero vniuersos respexit ex Adam natos.* Ipsi sic: *Quo excepto cæteros omnes respicit, quod vnus ait:* illud aduerbiale *de cætero vniuersos*, fecerunt vniuersalissimam, *cæteros omnes*, relinquẽtes ly *vniuersos*, quia voluerũt expungere illud, *ex Adam natos*, cum quo concordat ly *vniuersos*, denique mutarunt etiam & tempus, nam vbi Bernardus, *respexit*; ipsi de præsenti, *respicit*, & vtinam ipsi hoc respiciant in futuro.

Sed iam ad aliam auctoritatem Bernardi ex Sermone Assumptionis, quæ in toto hoc fasciculo præcipua est, & fundamentum multarum accedamus. Et in primis hanc ipsam adducunt in Sancto Bernardo, vt videbimus in Ventilatione, num. 44. auctorit. 2. sed ab hac est primò diuersa, inquiunt enim ibi. Item, idem in alio Sermone Assumptionis: *Beata*, inquit, *Virgo hac singulari prærogatiua, in concipiendo refulsit, quia filium non iniquite, quemadmodum cæteræ omnes, sed superueniente Spiritu Sancto sola de sanctificatione concepit. Hæc ille.* Hic verò sic eandem adducunt. Et in Sermone Assumptionis: *Beata*, inquit, *Maria hac singulari prærogatiua in concipiendo gaudet, quia non in originali peccato filium, quemadmodum cæteræ omnes, sed superueniente Spiriritu Sancto, sola de sanctificatione concepit. Hoc idem dicit Leo Papa, &c.* Istæ duæ auctoritates adductæ ab Aduersariis in hoc vno principali verbo differunt; scilicèt, quia in prima dixerunt: *Quia filium non in iniquitate*; hìc verò aliter vertendo iniquitatem, dicunt: *Quia non in originali peccato filium, &c.* Et hoc ipsum, sicut Bernardus in illo Sermone Assumptionis dicunt Sanctus Leo, Theophilus, Richardus de Sancto Victore, Alexander de Ales, Bonauentura, Richardus de Mediavilla, & Sanctus Tomas? Optimè Patres videamus, quomodò hoc dicit Sanctus Bernardus, & posteà inquiremus, atque iudicabimus de aliis. Sanctus Bernardus habet de Assumptione Virginis Mariæ quinque Sermones existentes in eius operibus à colum. 247. vsque 257. sed in nullo extat talis auctoritas, & sic ex hac parte est falsa allegatio ista de Sermone Assumptionis; neque iste potuit esse error typographiæ, quia vt dixi, sic adducitur in duplici loco; auctoritas igitur hæc stat in Sermone de verbis Apocalypsis: qui incipit: *Signum magnum, &c.*, vbi colum. 265. littera A. inquit Bernardus: *Excellentissimum nobis Virginis nostræ meritum, & singularis gratia commendatur. Nihilominus fulgeget etiam nouus ille conceptionis modus, vt non in iniquitate, quemadmodum cæteræ omnes, sed superueniente Spiritu Sancto sola, & de sola sanctificatione Maria conciperet. Nam quòd verum Deum, & Dei Filium genuit, vt idem ipse Dei hominis Filius vnus omnino Deus, & homo prodiret ex Maria, abyssus est luminis, &c.* Si ergo cum hac vera conferas adductam ab Aduersariis, non solùm reperies illam vitiatam, sed adulteratam in illa præcipua clausula, *quia non in originali peccato filium, &c.* quæ contra omnem veritatem introduxerunt, & peccatum originale, vt sic macularent Dei Matrem. Conuicti ergo de hoc patenti mendacio in Bernardo, quid dicemus de super additis verbis: *Hoc idem dicit Leo Papa, Theophilus, Richardus de Sancto Victore, & idem dicunt Alexander de Ales, Bonauẽtura, Richardus, Albertus, & S. Thomas?* Nisi quod cum vno Bernardo etiam vitiarunt, & macularunt istos cœto Ecclesiæ

cleſiæ Doctores, ac antiquos Patres, quia in nullo ipſorum reperient ſuprà poſitam propoſitionem. Vide in Ventilatione Doctores iſtos, nam ibi reperies omnes auctoritates illorum pro hac materia.

Tertia faſciculi pars ſit ex ſequentibus, vbi dicunt: Quòd verò ſolus Chriſtus, et ſola anima eius fuerit ſine peccato, quæ eſt ſecunda pars antecedentis, patet nam Auguſtinus in 1. de Baptiſmo parulorum: *Solus*, inquit, *Chriſtus ſine peccato natus eſt, quem ſine virili cõplexu Virgo concepit.* Item ſuper Ioannem: *Chriſtus*, inquit, *ſolus fuit ſine peccato, ſolus ſine macula, non cuius maculæ abſterſæ ſint, ſed cuius macula nulla fuit.* Et 2. de Nupt. et concup. *Omnes*, inquit, *ſub peccato naſcimur, per vnum, qui ſolus ſine peccato fuit, liberamur.* Et in Inchiridione: *Cùm humanum genus peccata longè ſeparaſſent à Deo, per vnum mediatorem, qui ſolus ſine peccato eſſet, oportuit nos reconciliari Deo.* Et ſuper Ioannem: *Solus Chriſtus de peccato nos liberare potuit, qui ſolus ſine peccato venit.* Et ſuper Pſalmos: *Solus eſſe innocens infans potuit, qui de Adam ex libidine natus non fuit.* Et ſuper Pſal. 140. *Chriſtus verè agnus immaculatus dicitur, quia in eo ſolo peccatum nullum inuentum fuit.* Idem tenet in quadraginta quatuor locis, ſicut allegaui in alio libello, quem intitulaui Comiti Petro de Gambara, ciui Brixienſis in 13. Ration. 2. Viæ. Item Ambroſius in lib. de Arca Noe: *Solu Chriſtus potuit eſſe iuſtus, & ſine peccato, cùm omnis generatio hominum oberraret, niſi natus ex Virgine generationis obnoxiæ, minimè teneretur.* Et ſuper Beati immaculati: *Solus Chriſtus eſt, in quo peccatum nullum fuit.* Idem tenet in ſex aliis locis, ſicut ſuprà dictum eſt. Item Hieronymus ſuprà Cantica: *Solus Dominus Ieſus peccatum nullum habuit, qui, & ſolus inter mortos liber fuit.* Item Gregorius 11. Moralium: *Solus Chriſtus in carne ſua mundus à peccato extitit, qui per carnalem delectationem huc non venit.* Et lib. 9. *Solus Chriſtus inter omnes iuſtus apparuit, & ad pœnam ſolus ſine culpa peruenit.* Item Leo Papa ad Flauianum: *Captiuitas noſtra aliter ſolui non poterat, niſi cauſam noſtram ille ſuſciperet, qui verus homo eſſet, & ſolus peccati contagium no haberet; ideò Dei Filius ſumpſit ex Matre naturam, non culpam.* Et infrà: *Fides Catholica in eo ſolo acquirit ſalutem, in quo ſolo ſe homo inuenit innocentem.* Et in Sermone 5. Natiuitatis: *Solus Chriſtus inter homines innocens eſt natus, qui ſolus ſine concupiſcentia eſt conceptus.* Et in 8. de Paſſione: *In ſolo*, inquit, *Chriſto natura hominis fuit ſine culpa.* Et in Serm. 12. *Solus*, inquit, *Filius Beatæ Virginis natus eſt abſque delicto, non extraneus ab hominum genere, ſed alienus à vitiorum crimine.* Et idem tenet in duodecim locis, ſicut notaui in alio libro. Idem tenet Origines, Ioannes Caſſianus, & alii Doctores, ſicut ſuprà allegatum eſt. Quòd ante ſola anima Chriſti fuerit ſine peccato, patet per Hieronymum ſuper Pſalm. ſic dicentem: *Vnica eſt anima Chriſti, quæ ſola ſine peccato fuit.* Et Auguſtinus ad Optatum de origine animæ: *Omnis anima excepta mediatoris, aliquo peccato infecta fuit*, &c. Iam vides Lector, quòd in hoc ſolo faſciculo ſunt decẽ & octo formales auctoritates; remiſſiones verò ex Auguſtino quadraginta quatuor, ex Sancto Ambroſio ſex, ex Sancto Leone duodecim, ex Origine, & Ioanne Caſſiano duæ, ſicque omnes ſimul ſumptæ ſunt octoginta duæ, in quibus ſine vllo eſcrupulo dico, & affirmo eſſe pluſquam quingenta vitia parua, & magna, & quæ penitus alterant ſenſum, nam de aliis minoribus ſi verbatim eſſent, enumeranda procederemus in infinitum, & quia horũ maior pars detegitur in Ventilatione ab illis ſuperſedeo: non enim poterant iſta exactè examinari, niſi tranſcribendo ad litteram omnes auctoritates exiſtentes in illo libro allegato, in 2. Via, Ratione 13. cuius titulus eſt: *Si Beata Virgo nullum vnquam peccatum habuiſſet non ſolùm Chriſtus illam prærogatiuam ſingularem, quam Sancti ſibi ſoli attribuunt, habuiſſet.* Et principium, ſiue rationis exordium, ſic ſe habet: *Tertia decima ratio talis eſt: Illud quod ſancti Doctores in ſignum ſingularis prærogatiuæ, & excellentiæ ſoli Chriſto attribuunt, iniquum impium, & nepharium eſt Virgini Mariæ, vel alteri homini attribuere, vnde non glorietur in conſpectu eius omnis caro, & ne excellentia capitis aliis membris attribuatur, quia gloriam meam alteri non dabo: ſed fuiſſe immunem à peccato originali in ſui Conceptione omnes Sancti Doctores ſoli Chriſto attribuunt in ſignum ſingularis excellentiæ, & prærogatiuæ: ergo impium eſt hoc Virgini attribuere, quòd videlicèt ſit concepta ſine peccato originali. Conſequentia patet cum maiori; minor verò probatur inductione, & ratione: primum patet inducendo per auctoritates*

Sanctorum, & conſequenter adducit in illa ratione 13. octoginta octo auctoritates, quæ ferè omnes componuntur ex propoſito nomine ſolus ſola ſolum: quomodò ergo iſtæ poterunt plenè ventilari, niſi in ſpeciali libro? Sed Deus prouidebit.

FASCICVLVS SEXTVS, capitulum 32. & rationem ſumptam ex parte remiſſionis peccati, ſic componunt Aduerſarii. Sexta ratio eſt talis, omnes illi quibus neceſſaria fuit remiſſio peccatorum, habuerunt aliquod peccatum de facto: quia nõ ſoluitur, niſi ille qui eſt ligatus, & peccatum nõ remittitur, niſi ei, in quo formaliter exiſtit, ſed Beatæ Virgini fuit neceſſaria remiſſio peccatorum; ergo Beata Virgo habuit aliquod peccatum de facto, conſequentia patet cum Maiori; Minor verò probatur, nam Anſelmus, &c. & adducunt pro probatione Minoris auctoritates Anſelmi, Bernardi, atque Auguſtini, de quibus nos in Ventilatione, & poſt alias ſic inquiunt de eodem Auguſtino. Et in epiſtola ad Hieronymũ de origine animæ: *Certus ſum, & firmiter teneo, nullam in humano genere eſſe animam, cui non fuerit neceſſarius ad remiſſionem peccati Chriſtus Ieſus.* Et in eadem epiſtola: *Tenemus*, inquit, *de hac reſententiam tuam continentem Catholicæ Fidei veritatem, quia certi ſumus omni animæ humanæ neceſſariam fuiſſe liberationem ex obligatione peccati per Ieſum Chriſtum crucifixum.* Cùm iſtas duas auctoritates ex epiſtola Auguſtini ad Hieronymum non adducant inter alias Auguſtini, de quibus infrà num. 34. illas decreui ſolùm ad examen reuocare hîc. Sanctus ergo Auguſtinus, vt videre eſt Tom. 2. epiſtola 28. fol. 20. colum. 4. ſcripſit Hieronymo epiſtolam, receſens in ea varias de animarum origine ſententias, & inter alia circa principium, littera E. ſic dicit: *Certus etiam ſum animam nulla Dei culpa, nulla Dei neceſſitate, vel ſua, ſed propria voluntate in peccatum eſſe collapſam: nec liberari poſſe de corpore mortis huius, vel ſuæ voluntatis virtute, tanquam ſibi ad hoc ſufficiente, vel ipſius corporis morte, ſed gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum: nec omninò eſſe animam vllam in genere humano, cui non ſit neceſſarius ad liberationem mediator Dei, & hominum, homo Chriſtus Ieſus.* In iſta parua auctoritate adducta ab Aduerſariis, habentem ſolummodò duas lineas, vitiarunt ſequentia, primò abſtulerunt illud aduerbium *etiam*, quia faciebat relationem de ſuperioribus. Secundò, addiderunt illud, *firmiter teneo*, quæ nullo modo extant in Auguſtino. Tertiò abſtulerunt omnia verba intermedia, quia ibi agebat de peccato, propria voluntate commiſſum. Quartò illud: *Certus ſum, & firmiter teneo*, coniunxerunt cum illo *nullam in humano genere*, quia huc tendebat ipſorum deſiderium. Quintò, addiderunt illam vniuerſalem negatiuam *nullam*, vt ſic includerent animam ſacratiſſimæ Dei Matris Mariæ. Sextò, reprehenſibili intentione abſtulerunt ly *nec omninò*, quia videbant ſolo illo termino temperari propoſitio Auguſtini, nam illud *omninò* claudit deuitum, obligationem, obnoxietatem, & reatum, &c. Septimò, vbi Auguſtinus, *cui non ſit neceſſarius* de præſenti; ipſi, *cui non fuerit neceſſarius* de præterito, vt ſic reducerent tempus etiam ad Virginis ſæculum. Octauo, peſimè vbi Auguſtinus *ad librationem*; ipſi *ad remiſſionem*, vt cum adulterata voce introducerent ſuam propoſitam concluſionem de remiſſione peccatorum, quia iudicabant, quod liberare erat indiferens ad liberationem lapſus contracti, vel contrahendi, à caſu; vel ab eius periculo, non ſic remitto, nono & vltimo, vt totum ſuum explerent conatum, addiderunt illud *peccati*. Eſt ne credibile, vel eſſet, quòd in auctoritate habente decem & octo verba, eſſent nouem adulterationes capitales?

Autoritas altera ſic extat in Auguſtino poſt integram columnam: *Quæcumque enim eligenda eſt, abſit, vt impugnet hanc fidem, de qua certi ſumus, omni animæ, etiam paruuli infantis neceſſariam eſſe liberationem ex obligatione peccati, eamque nullam eſſe, niſi per Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum.* Patres in hac auctoritate, vbi ſunt illa veſtra verba: *Tenemus de hac reſententiam tuam continentem catholicæ Fidei veritatem*, quæ nec hîc, nec in tota epiſtola Auguſtini extant. Item vbi eſt in Auguſtino illa vox *humanæ*, vel vbi eſt in veſtra auctoritate, illa Auguſtini, *etiam paruuli*. Item ad quid, vbi Auguſtinus, neceſſariam *eſſe*, tranſtuliſtis de præterito, nullam *fuiſſe*, denique quo fine prætermiſiſtis illud, *eamque nullam eſſe*, ſi hæc ſunt pauca, vel parui momenti, vitia contra Virginé vos ipſi iudicate.

Reddi-

Reddite ad cor (quia veritas clamat in plateis) exiſtimantes, quòd non tantã vitiorum congeriem, in hoc libro detegit iuſtitiæ radius, quantam ſub aliis miſericordiæ fraternæ ſepultam ſilentio, relinquit charitas. Occultat enim maiora noſter Seraphicus Sol, volens ex leuioribus corripere amore, hucuſque in fide ſuorum parentum deceptos catholicos, pios, atque eruditos Theologos. Et hæc de RATIONIBVS dicta ſufficiant.

PRO IPSIS, ET SVA OPINIONE DE ſanctificatione Virginis Mariæ.

§. III.

DIcunt, & affirmant quod tenere, defendere, ac credere, ſacratiſſimam Virginem Mariam conceptam fuiſſe cum originali peccato, & maculatam extitiſſe in illo primo ſuæ animationis inſtanti, & quòd poſt contractionem culpæ fuerit infrà breuiſſimum tempus, ſiue citiſſimè ſanctificata, purgata, mundata, atque liberata ab illa macula, &c. Eſt magis PIVM, quàm oppoſitum de eius præſeruatione, & immunitate. Hancque ſuam opinionem iam eſſe determinatam, deciſſam, & diffinitam ex ſacra Scriptura, & Conciliis, per Sanctos Patres, omnes Eccleſiæ Doctores: Summos Pontifices, catholicũ, & canonicum Dogma, vt fidei Articulum receptũ: quapropter illam tenent, ac pro viribus defendunt; quia in hoc ſunt, & ſe demonſtrant eſſe ſeruos Dei altiſſimi, Magiſtros Eccleſiæ, fidei CATHOLICÆ ardentiſſimos Inquiſitores: atque in hac materia eſſe teſtes incorruptos, & ab omni ſuſpitione liberos: circa Patrum intelligentiam ſemper, & vbique inuictiſſimos pugiles veritatis, & ipſius amicos, filios, ac fratres, & vt ſimul ſe oſtendant ſanctos, ſanctiſſimos, ampliſſimoſque viros, in vnitate Eccleſię continuò permanentes, captiuantes intellectum in obſequiũ ſoliusChriſti, non vanæ, & ineptæ deuotionis; ſitque vt excellenti ingenio pollentes, virtute animi, & omni humana, diuinaque ſcientia præclaros, doctrinæ nitore rutilantes, quorum calceamenti corrigas, non ſunt alii digni ſoluere, ſingulariter Prædicatorum vocabulo inſignitos, nomine, & re omnibus cæteris præſtantiores, tanquam habentes oculos inter reliquos, quos veritas, ac ſacrę Scripturæ lumen irradiauit, non debere cæcos, & cæcorũ duces ſequi, hinc ardẽtiſſimo zelo, manſuetudine, ac ratione nituntur ſua doctrina, & monitis, vt Fratres MINORES ad ſinum Matris Eccleſiæ reducantur, vt relicto, in hac parte, ſuo errore, viam veritatis agnoſcant: vnde actum fuit, vt quidam Iuuenis ipſorum, in publica Diſputatione, Palatio, & Schola Ferrarienſi, pugnantes, ac dimicantes pro pia ſententia de præſeruatione, cum glorioſo triumpho, & circunſtantium ingenti admiratione OMNES ſuperauerit, vicerit, ac confutauerit. Hæc, & alia dicunt de ſe, ſed tranſeat, ò Lector, totum hoc; quia aliquando mendaces ſunt filii hominum in ſtateris ſuis. Et laus in ore proprio, &c.

Dicunt inſuper quod TOTA ſua Religio, ac in vnum VNIVERSA Prædicatorum Familia hanc ſequitur, & tenet opinionem; ad cuius rei comprobationem, Turrecremata (incipio ab hoc, quia etiam hîc incœpit diſtinguere Auctores per diuerſas claſſes) par. 6. capit. 29. adducit vigintiocto Doctores Dominicanos. Anonymus, qui poſt illum ſcripſit, via 3. par. 2. illos ampliauit vſque ad quinquaginta duos. Poſteà Petrus de Vincentia Alph. 6. ipſos extendit vſque ad ſexaginta nouen. Deinde Vincentius Bandellus de Caſtronouo, capit. 23. eoſdem auxit vſque ad ſeptuaginta duos, iuxta numerum Diſcipulorum Chriſti, vt ſuprà diximus in Trituratione; venit omnium poſtremus Paulus Gryſaldus, & in cathalog. 5. ipſos fecit creſcere vſque ad octoginta duos. Sed veritas hinc inde recolligens ab his, & aliis citatos, inuenit eſſe nonaginta duos omnes adductos: quos ſimul diſpoſitos ordine Alphabetico, inuenies in ſuprà poſita Area, & in ſequenti Ventilatione patebit. Igitur TOTA, ac VNIVERSA Familia Ordinis Prædicatorum,

torum, tenentium opinionem de ſanctificatione, in nonaginta duobus Scriptoribus clauditur,& concluditur?

Hoc Patres, non patior, hoc non ſuſtineo, & propter veſtræ Religionis honorem deteſtor, & contradico: nam ſi per tot temporum turricula, & tot Recollectores, atque Meſſores litteratiſſimos ſolùm inueniuntur in veſtro Ordine nonaginta duo Auctores, & Scriptores pro veſtra opinione; ergo illa non eſt totius veſtræ Religionis: quia in nonaginta duobus Scriptoribus non clauditur TOTA Religio, & magna, ac magnifica litteratura Ordinis Prædicatorum. An ita laudati in antecentibus elogiorum cumulo, tantùm habent nonaginta duos Doctores? Et qnid ſi ab his excludantur ficti, & multiplicati, de quibus infrà? Vt ergo Patres mei, hic antiquatus inter vos error, penitùs diluatur, ego non ſum ſexaginta relati in Triturationе, ſed vnus; nec Dominicanus, ſed Fran. ciſcanus, nec recollegi veſtros Autores per ſpatium quadrigentorum annorum, vt fecerunt veſtri ſuprà relati à Vincentio de Caſali, vel Gerardo Adæ, vſq; ad Arpalegũ, & tamen oſtendam vobis mathematicè, & breuiter, quod abſque vlla comparatione, plures ex veſtris ſunt pro ſententia præſeruationis Virginis Mariæ, ac Immaculata Conceptione, quàm pro illa Sanctificationis.

CLASSIS I.

In qua adduco DVODECIM præfiguratos in duodecim Patriarchas (loquor Bandelli more, & vt non deſint numeri ſacri, nec claſſes diuerſæ) qui non incidenter, ſed ex profeſſo, in Libris, Opuſculis, Tractatibus, ac Sermonibus pro noſtra ſcripſerunt ſententia, ſcilicet.

1 AMbroſius Catharinus, Italus, & Compſæ Archiepiſcopus, in Diſputatione pro veritate Immaculatę Conceptionis ad ſanctan Synodum Tridentinam, &c. In duas partes diuiſa lib. impreſ. Romæ, anno 1551. in fol. Item in Summa de Peccat. per integrum capitulũ, à fol. 53. impreſ. Romæ, 1550. in 4. Item in libro Diſceptationum de peccato originali, ad ſacros Theologos, à fol. 43. lib. impreſ. Rom. 1651. in 4. Item in alio Opuſculo, quod extat inter Opuſcula illius, à fol. 1. vſque 103. in 4. inpreſ. Lugduni, 1542. Item in alio Opuſculo, ſeu Diſputatione ad Patres, & Fratres Ordinis Prædicatorum, impreſ. Senis, ann. 1532. in 4. Item in alio Opuſculo de Controuerſia, cum Patribus ſuę Religionis, impreſ. cum antecedenti. Item in Epiſtola Pauli ad Roman. cap. 5. fol. 54. impreſ. Venetiis, 1551. in fol. Item in Enarrationibus in prima capita Geneſeos, à colum. 242. lib. impreſ. Romæ, 1552. in fol. Item in lib. Annotationum in Commentar. Caietani, lib. 4. à fol. 272. lib. impreſ. Lugduni, 1542. in 8.

2 Vincentius Iuſtinianus Antiſt. Hiſpanus, in Additionibus ad vitam Beati Ludouici Beltran, Ordinis Prædicatorum, per totum caput, ſeu Opuſculum integrum, lib. ſeorſim multoties typis mandatus Matriti, ann. 1615. in 8. Maioricæ 1616. in 12. Oſcæ in 16. in vita Beati Ludouici, Valentiæ 1593 Hiſpali 1616. in 4. & 1615. etiam in 4.

3 Ludouicus Beltran, Beatus Hiſpanus, in Sermone de Conceptione Virginis Marię, præcipuè in par. 4. Extat Sermo apud Patrẽ Ioannem Euſebium Nieremb. in lib. Except. cap. 24. fol. 384. & in lib. de Obiecto in epiſtola à D. D. Cardinalem de Sandoual, pagin. 50. extat etiam manuſcript. in Scoriali, & ipſum aliquando vidi apud D. D. Antonium Calderon, Archiepiſcopum Granatenſem, cuius etiam authenticam copiam habui à D. D. Michaele de Lanuza, Regio Aragon. Conſiliario.

4 Guillielmus Pepin, Gallus Ebroicenſis, in lib. Sermonum de Imitatione Sanctorum, adducit Serm, pro Immaculata Virginis Conceptione, à fol. 20. vſque 30. lib. impreſ. Venetiis, 1589. in 8. Item in lib. prænotato de Aduentu Domini, ſiue de Secretis ſecretorum, habet pro eadem Serm. 2. à fol. 237. lib. impreſ. Pariſis, ann. 1536. in 8. Item in lib. Speculum aureum, ſuper ſeptem Pſalm. Pœnitentiales, Lectione 53. fol. 186. & in Pſalm. 4. Lect. 4. fol. 230. lib. impreſ. Pariſis, 1539. in 4. Venetiis, 1573. Et in Expoſitione

ne lib. Geneſeos,& Exodi,in Allegorico ſenſu paſſim.

6 Mauritius à Villaprobata, Italus, in lib.dicto:Noua Corona Beatæ Virginis Mariæ, pro viribus defendit Immaculatam Virginis Conceptionem, Serm.3. in principio, & Serm.5. & 6. 10. 11. 13. & 14. & 21.30. & 32. lib. impreſ. Pariſiis, anno 1512. in fol. paruo.

6 Petrus Dorè, ſiue Auratus, Gallus, in libro,cuius titulus eſt:Limage de Vertu, demonſtrant, La Vie de Noſtre Dame, &c. per quatuor capita, adducit plures Scripturæ auctoritates, ad probandam Immaculatam Virginis Conceptionem, à fol. 1. vſque ad 28.lib.impreſ.Pariſiis,1540.in 4.pàruo.

7 Stephanus Mendez,Hiſpanus,in libro de altiſſima dignitate Dei Matris,&c. libro 3.cap.19.à fol.145.vſque 245. tuetur latiſſimè Immaculatam Conceptionem, lib. impreſ.Barchinonæ;ann.1606.in fol.

8 Thomas Campanella, Italus, edidit Tractatum magnum, & egregium pro Immaculata Conceptione, quòd manſcriptum, cum aliis eiuſdem Auctoris operibus ſeruabat Romæ quidam N. à cuius manibus non potui illum extrahere, quia omia ſimul opera vendere volebat.

9 Hieronymus Baptiſta de Lanuza,Epiſcopus Balbaſtrenſis, Hiſpanus, in Tractatu Euangeliorum,Tract.4.§.18.num.135. fol. 28.& Tract.5.num.209.fol.122. & Tom.3. Homil.34.fol.317. lib. impreſ. Cæſaraugustæ,ann.1636.in fol.Item edidit quàm plura Opuſcula pro Immaculata Conceptione. Vt videre eſt in noſtro Armamentario, column. 515. Regeſt. & apud Euſebium Nieremb. in lib.Except.cap.24.à fol.41.Præcipuè in vita eiuſdem,impreſ.Valentiæ,anno 1648.cap. 12,fol.160.

10 Franciſcus à Cruce, Hiſpanus, ac Epiſcopus Sanctæ Marthæ, ædidit Opuſculum,ſeu Theologicam demonſtrationem,pro myſterio Immaculatæ Conceptionis, lib.impreſ.Limæ,an.1653.in 4.

11 Baltaſar Arias, Hiſpanus, in libro Sermonum de Sanctis, in feſtiuitate puriſſimæ Conceptionis Virginis ſanctiſſimæ, à fol. 23. vſque 42. eruditè præſeruationem Mariæ adſtruit, libro impreſſo, Valentiæ, 1614.in 4.

12 Antonius Nauarro Lerenenſis, Hiſpanus,in 1.Tom.Sermonum deSanctis,à fol. 47.vſque 73.probat præſeruationem Virginis Mariæ, rationibus, auctoritatibus, ac congruentiis. Item in Serm. Purificationis, lib.impreſ.Matriti,1593.in 4.

CLASSIS II.

Vbi adduco alios VIGINTI QVATVOR (deſignatos in illis viginti quatuor Senioribus Apocalypſis, qui mittebant Coronas ſuas ante Thronum Dei,&c.) qui etiam expreſsè,clarè,& aſſertiuè tenuerunt opinionem piam, de Immaculata Virginis Conceptione,videlicèt.

1 IOannes Taulerus antiquus,ac venerabilis Doctor Theutonicus, in ſuis operibus Serm. de Purificatione Virginis Mariæ,fol.547. lib.impreſ. Coloniæ,1615. in 4.Regali.

2 Raymundus Paſchalius, Hiſpanus, in Expoſitione epiſtol. Beati Pauli ad Roman. cap.1.fol.94. & cap.5. fol.243. & fol.333. lib.impreſ.Barchinonæ,ann.1624. & 1637. in fol.

3 Hieronymus Almonacirius,Hiſpanus, in Cantic. Canticorum,capit.4. fol. 214. & cap. 8. & alibi ſæpè lib. impreſ. Compluti, 1588.in 4.

4 Robertus Guellin in libro de Honore Virginis,Gallice Enigma 2.à fol.22.lib. impreſ.Pariſiis,1619.in 8.

5 Dominicus de Baltanas, Hiſpanus,in Sermonario de Sanctis,Serm.de Conceptione,fol.2.impreſ.Hiſpali,1558.in 4.

6 Thomas Ramon, Hiſpanus, in libro, cuius titulus eſt: Nueuas, y diuinas Indias, &c.à fol.1.vſque 82.lib.impreſ.Cæſaraugustæ,1624.in 4.

7 Bartholomæus deLedeſma,Hiſpanus, Epiſcopus Guaxaquenſis, in lib.de Sacramentis in genere, Tractat. de Baptiſmo, difficul. 5.fol.159.liber impreſſus Salmanticæ,1585. in fol.

8 Bal-

8 Baltaſar Sorius, Hiſpanus, in Sermonibus Deiparæ, ac Sanctorum, per circulum anni, &c. in Serm. de Conceptione, à fol. 19. vſque 23. impreſ. Tortoſæ, 1538. in 4. Item in libro contra ſeptem blaſphemias, cap. 1. & 10. lib. impreſ. Valentiæ, 1511. in 4. Item in Mariali habet Sermones quinque de Conceptione, à fol. 1. vſque 28. lib. impreſ. Deturſæ, ann. 1538. in 4.

9 Ioannes Verol, vel Heroalt, communiter dictus Diſcipulus in Sermone de Conceptione Beatæ Mariæ Virginis, qui eſt in ordine 5. & in Serm. de Beata Virgine, qui eſt in ordine 162. fol. 608. lib. impreſ. Venetiis, 1584. in 4. & Nurimbergiæ, 1520. in fol.

10 Marcus de Serra Alcodius, in Commentar. in 1. 2. D. Thomæ, quæſt. 81. artic. 3. fol. 425. lib. impreſ. Romæ, 1653. in 12.

11 Michaël ab Inſulis, Italus, Epiſcopus Salabrinſis, in libro de Fraternitate Roſarii, &c. cap. 5. fol. 36. & 39. lib. impreſ. Coloniæ, 1624. in 8.

12 Emanuël de Bargas, Hiſpanus, in Serm. 3. Feriæ Paſchatis in Parochia Sancti Nicolai Hiſpalenſis, fol. 7. impreſ. Hiſpali, 1619. in 4. & Serm. S. Annæ, fol. 21. etiam Hiſpal. 1620. in 4.

13 Hieronymus Taix, Hiſpanus, in lib. de Miraculis D. noſtræ de Roſario, & Pſalterio, &c. diſt. 1. cap. 7. fol. 51. lib. impreſ. Barchinonæ, 1602. in 8.

14 Alphonſus de Cabrera, Hiſpanus, Tom. 1. conſiderat. Euangeliorum, vbi adducit Serm. 3. pro Immaculata Conceptione, à fol. 174. vſque 228. impreſ. Cæſarauguſtæ, 1610. in 4. & Barchinonæ, 1609.

15 Alphonſus de Auendaño, Hiſpanus, in Commentar. Euangelii D. Matthæi, Tom. 1. cap. 1. fol. 36. & 39. & 40. lib. impreſ. Matriti, 1593. in fol.

16 Ioannes de Montoia, Hiſpanus, in lib. Compendium Doctrinæ Chriſtianæ, fol. 207. & 258. impreſ. Granatæ, 1595. in 4. Item in lib. de Roſario, &c. cap. 13. fol. 63. impreſ. Cordubæ, 1592. in 8.

17 Ioannes Sagaſtizabal, Hiſpanus, in libro Exhortationes ad deuotionem Beatæ Virgis Mariæ, lib. 1. cap. 4. à fol. 15. vſque 24. et fol. 876. et lib. 2. cap. 9. fol. 183. et lib. 4. fol. 499. et 654. et 874. lib. impreſ. Cæſarauguſtæ, 1597. in 4.

18 Laurentius Gutierrez, Hiſpanus, in Serm. de Incarnatione, latiſſimè impreſ. Matriti, 1618. in 4. Item in Serm. pro Immaculata Conceptione, impreſ. Salmanticæ, 1619. in 4. et etiam ſcripſit epiſtolam cum aliis ad ad Summum Pontificem.

19 Ioannes de Luna, Hiſpanus, in libro Serm. Aduentualium, habet Serm. 2. pro Immaculata Virginis Conceptione, à fol. 259. vſque 280. libro. impreſ. Matriti, 1608. in 4. cuius verba damus in Militia.

20 Philippus de Meneſes, Hiſpanus, in lib. dicto: Lux animæ Chriſtianæ, &c. affirmat quod Virgo à ſua creatione habuit gratiam, impreſ. Compluti, 1567. in 4.

21 Anonymus Bernenſis, in lib. ſub hoc titulo: Defenſorium impiæ falſitatis, à quibuſdam PſeudoFratribus Ordinis Prædicatorum, excogitatum principaliter contra mundiſſimam ſemper Benedictæ Virginis Mariæ Conceptionem, &c. impreſ. Bernæ, 1509. in 4.

22 AlphonſusGyron, Hiſpanus, inPromptuario Contionum, in Contione de Conceptione, à fol. 60. impreſ. Moguntiæ, 1605. in 8. et Salmanticæ, 1602. in 4.

23 Ioannes Andræas Coppenſtein, Maldalenſis, in libro Contionum, ex Sancto Thoma, et Sancto Bonauentura, Serm. de Conceptione, fol. 656. impreſ. Maguntiæ, 1616. et 1614. in 8. licèt hîc nihil habeat expreſſum. Item in libro Clauis prædicandi Roſafarium, lib. 1. cap. 12. fol. 121. impreſ. Coloniæ, ann. 1613. in 8. et Heydelbergæ 1629. in quibus variat textus. Item in libro: Nucleus Serm. de Annuntiatione, et Aſſmptione, et Sanctæ Annæ, præcipuè part. 6. numer. 1. et in Serm. de Natiuitate, part. 4. fol. 672. lib. impreſ. Coloniæ, 1634. in 4. Item in lib. de Confraternitate Roſarii, lib. 2. cap. 9. fol. 178. impreſ. Heydebergæ, 1630. et Cotoniæ, 1613. in 8.

24 Nicolaus Coeffeteau, Gallus, et Epiſcopus, Maſſilienſis, in lib. de Innocentia, et gratia Beatæ Mariæ, cap. 5. à fol. 211. vſque 283. lib. impreſ. Pariſiis, 1623. in 8. Item in lib. Monarchiæ Eccleſiaſticæ, Catholicæ, &c. lib. 1. cap. 9. fol. 220. impreſ. Lutetiæ, 1623. in fol.

CLAS-

CLASSIS III.

Vbi ascendendo altiùs refero alios SEXAGINTA *præfiguratos, per illos sexaginta fortes ambientes lectulum Salomonis, tenentes gladium, & ad bella fortissimos, &c. quorum aliqui expressis verbis, alii verò æquiualentibus, tenuerunt, Virginem Mariam fuisse conceptam sine peccato originali. Et sunt.*

1 HVgo de Patoflorido, Italus, in opere Sermonum, Serm. de Auntiatione, fol. 122. & 125. & Serm. de Natiuitate, fol. 234. & 236. & Serm. 2. post Octamam Epiphaniæ, qui est in ordine 24. & Ser. 10. Omnium Sanctorũ, fol. 3. col. 1. impres. Lugduni, 1528. & Antuerpiæ, 1617. in 8. & confirmatur, quia cùm sit Auctor antiquus, Aduersarii nihil inuenerunt in illo pro sua opinione.

2 Iaymius de Rebulloſa, Hiſpanus, in libro Conceptuum ſpiritualium ſuper Magnificat, Lect. 9. de Concept. lib. impreſ. Matriti, 1600. in 8.

3 Antonius Ruiz de Cabrera, Hiſpanus, in Serm. de Puriſſima Conceptione Virginis Mariæ, impreſ. Granatæ, 1636. in 4.

4 Hieronymus Fuſer, Hiſpanus, in vita Hieron. Bapt. de Lanuza, lib. 3. cap. 12. lib. impreſ. Ceſaraguſtæ, ann. 1648. qui abſque dubio magis piam tenet ſententiam, vt ex loco citato conſtat, vide etiam eius verba apud Euſeb. Nieremb. in lib. Except. cap. 24. §. 4. fol. 401. & Alphonſum Maluend. fol. 24.

5 Bernardus de Nieua, Hiſpanus, in Summario Manuali informationis Chriſtianæ, verbo Excommunicat. 77. lib. impreſ. Metinæ à Campo, 1556. in 4.

6 Antonius Feo, Hiſpanus, in Sermonario, par. 2. Serm. de S. Ioſeph, Diſcurſ. 2. fol. 31. & Serm. de S. Anna, fol. 285. lib. impreſ. Vlyſibonæ, 1615. in fol.

7 Petrus Spinel, Hiſpanus, ſcripſit librũ maguum, in quo probat ex diuerſis locis S. Thomæ, Virginem Mariam non contraxiſſe originale peccatum. Cùm eſſem Romæ, agebatur cum Reuerendiſ. Patre Generali, Ordinis Prædicatorum, de eius impreſſione, ſed fruſtra.

8 Ioſephus Gonçales, Hiſpanus, Archiepiſcopus Compoſtellanus, in Annua celebritate, pro Immaculata Conceptione Virginis Mariæ, de quo ſæpè ſæpiùs audiui, loquentem D. D. Ioanem de Aſtorga, illius Sanctæ Eccleſiæ Archidiaconum, & in hac regali curia omnium Eccleſiarum Procuratorem generalem. Vide Ioannem Antonium Velazquez lib. 4. Diſſert. 9. Adnot. 2. fol. 368.

9 Ioannes Bromiart, Gallus, in Summa Prædicantium, Tom. 2. verbo: Maria, cap. 3. articul. 33. Et de hoc confirmatur, quia cùm fuerit Auctor antiquus, non adducitur pro opinione contraria, lib. impreſ. Antuerpiæ, 1614. & Venet. 1586. in 4. & alibi.

10 Bernardus de Lutzemburg, Theutonicus, in ſpeciali Opuſculo de Beata Virgine, quòd aliquando apud me habui, impreſ. in 4. & extat in Bibliotheca Sancti Antonii de Vbeda.

11 Claudius de Rota, Gallus, in Legendario, ſeu Additionibus ad Hiſtoriam Lombardicam, legenda 193. de Viſitatione Virginis, libro impreſſo Venetiis, anno 1554. & alibi ſæpè.

12 Ioannes de Fenario, Generalis Italus, ſcripſit Tractatum pro Immaculata Conceptione Virginis, & multa alia dixit, ac fecit, vt refert Ambroſius Cather. in opere 3. col. 66. Vide etiam Velazquez, lib. 5. de Maria Immaculat. Concept. Adnot. 1. num. 5. fol. 454. Anonymum Franciſcanum, num. 7. Ioannem Euſeb. in lib. Except. cap. 5. fol. 355.

13 Thomas de Truxillo, Hiſpanus, in Theſauro Contionatorum, in Serm. de Conceptione Beatæ Mariæ, in noſtram ſe inclinat apertè, fol. 288. libro impreſſo Lutetiæ, ann. 1585. in 8. & Venetiis, ann. 1582. in 4. & alibi.

14 Paulus Ryſtius in libro dicto: Monomachia hominis, & ſerpentis, lib. 2. cap. 7. à fol. 110. vſque 116. lib. impreſ. cum imagine Immaculatæ Concept. in principio, ann. 1519. ſed veriùs, 1619. in 8.

15 Ioan-

15 Ioannes de Viterbio, Italus, ædidit librum pro Immaculata Virginis Conceptione, vt referunt Daniel Agricola in Corona, fol. 175. Guerrer. Concor. 17. Andræas Mendus, fol. 10. Christ. de Vega, Paleſt. 3. Cert. 16. fol. 121. Marrac. in Cathal. ad annum 1465.

16 Nicolaus Baccaſſenus, Taruiſinus, poſteà Summus Pontifex Benedictus XI. in Commentariis ſuper Matthæum, cap. 5. fol. 21. col. 3. lib. impreſ. Venet. 1603. in fol.

17 Leonardus Italus, in lib. Sertum fidei, Serm. Feriæ 4. Dominicæ 4. Quadrageſimæ, de Baptiſmo, littera D. impreſ. abſque anno, & loco, in fol.

18 Ludouicus de Torres, Hiſpanus, in Antiphona: Salue Regina, Declamat. 1. fol. 14. & Declamat. 3. fol. 98. & Declamat 4. fol. 163. & 5. fol. 216. lib. impreſ. Romæ, anno 1592. in 8.

19 Cornelius de Sneckis, Flander, in Roſario B. Mariæ, Serm. 12. fol. 35. & Serm. 13. lib. impreſ. Pariſiis, 1514. in 4.

20 Didacus Ximenez, Hipanus, in Inchiridione, ſeu Manuale Doctrinæ Chriſtianæ, fol. 64. lib. imp. Salmant. 1567. in 8.

21 Didacus de Ianguas, Hiſpanus, in lib. de cardinalibus, & præcipuis Chriſti, & Sanctorum operibus, lib. 3. Contione 2. fol. 150. licèt videatur problematicus, lib. impreſ. Matriti, 1602. in 4.

22 Dominicus de S. Cruce, Hiſpanus, in libro dicto: Roſario Regale, Roſ. 3. quinquag. 3. fol 312. & Roſ. 4. quinquag. 3. fol. 368. lib. impreſ. Pariſiis, 1608. in 8.

23 Sebaſtianus de la Plata, Hiſpanus, in Serm. de Præſentatione Virginis, fol. 8. & fol. 12. Serm. impreſ. Hiſpali, 1623. in 4.

24 Stephanus Paris, Aurelianenſis, & Epiſcopus Auellonen. in lib. de Inſtitutione Chriſtiani hominis, Homil. 74. fol. 290. & Homil. 75. lib. impreſ. Pariſiis, anno 1561. in 8. Et in Expoſitione: Verbum caro factum eſt, Lect. 18. fol. 91. & Lect. 22. fol. 111. impreſ. Pariſiis, 1555. in 8.

25 Vincentius Ferrinus de Caſtelnouo de Garfanana, Italus, in Alphabeto, exemplare 1. num. 829. & num. 858. lib. impreſ. Venetiis, 1587.

26 Vincentius Hensbergius, Germanus, in Viridario Mariano, fol. 47. & fol. 136. & fol. 237. præcipuè fol. 247. & 246. 272. 275. 276. lib. impreſ. Antuerpiæ, ann. 1615. in 8.

27 Bartholomæus de la Bella, Italus, in Sermonibus Chriſtophori de Auendaño, à ſe traductis, in Sermone de ſolemnitate puriſſimæ Conceptionis, à fol. 1. vſque 25. lib. impreſ. Venetiis, 1633. in 4.

28 Franciſcus de Figueroa, in Tractatu de dulciſſimo Nomine Mariæ, Diſcurſ. 4. fol. 25. num. margin. 29. & 132. & 256. & 416. licèt ſemper loquatur timide, fortè propter ſuos, lib. impreſ. Limæ, 1642. in 4.

29 Franciſcus Pinelo in quadam Concione de Aſſumptione Virginis, extat apud Simonem Diaz in lib. de Domina noſtra de la Fuenſisla, fol. 160.

30 Cyprianus Hubertus, Italus, in breui Tractatu de Incarnatione, fol. 11. lib. impreſ. Veruli, 1589. in 4.

31 Iacintus Vallexo, Hiſpanus in lib. Exercitii quotidiani ſanctiſſimi Roſarii, Meditatione 1. fol. 13. lib. impreſ. Oſcæ, anno 1635. in 16.

32 Iacobus Albertus Caſtrenſis, Italus, in Commentariis S. Thomæ, in epiſtolas Pauli, epiſtol. ad Galathas, cap. 3. Lect. 6. fol. 143 in marginali notatione, vt videre eſt in impreſſionibus Venetiana, 1548. & Pariſien. 1541. & alia Venetiana, 1553. & aliis, de quibus, & infrà in Sancto Thoma, num. 293. ad finem.

33 Hypolitus Maria Taleapetra, Italus, in Sermonibus Ferdinandi de Peralta, in Ser. de Conceptione, lib. impreſ. Venetiis, 1613. in 4. Item in lib. de ſanctiſſimo Roſario, lib. 5. fol. 450. & fol. 461. lib. impreſ. Venetiis, 1647. in 8.

34 Antonius Poltus de Collemancio, Italus, in lib. de Suprema felicitate cœli, lib. 3. cap. 7. vſque 16. & cap. 8. & 9. 11. 14. & 16. impreſ. Perſuſiæ, 1575. in 4.

35 Ioannes de Mata, Hiſpalus, in libro Paradiſus virginalis, Serm. de Conceptione, impreſo Pampilonæ; 1631. in 4. & Compluti 1647. & latinè Antuerpiæ, 1652. & italicè Venetiis, 1638. in 4.

36 Abraham Bzouius Polonus, in Sacro Pancarpio, fol. 11. licèt ſub titulo Sanctificationis, multa habet pro Immaculata Conceptione, lib. impreſ. Venetiis, 1611. in 4. Item

in

in Monile Gemmæum, gem. 3. est pro festo Conceptionis, lib. impres. Venetiis, 1614. in 4. & Coloniæ 1615. Item in Florida Mariana, in Festo Sanctificationis, lib. impres. Venetiis, 1612. in 4. & Coloniæ, 1617. in 8. Item super Salue Regina, Concione 5. & 6. fol. 86. & 87. impres. Venetiis, 1598. in 4. Vide fol. 108. Item Tom. 18. Annalium, fol. 606. lib. impres. Coloniæ, 1627. in fol.

37 Ioannes Ferdinandus, Hispanus super Ecclesiastem, cap. 1. fol. 23. num. 12. lib. impres. Romæ, 1621. in fol.

38 Andræas Gianeti de Salo, Italus, in Rosario, Mysterio 1. fol. 15. lib. impres. Venetiis, 1587. in 4. & Romæ, 1573. & in explanatione Salutationis Angelicæ, fol. 190. impres. Venetiis, 1607. in 4. & 1587. sed verba hîc posita cum explitatione, desunt in impressione Romana, facta anno 1573. in 4. Vide etiam fol. 195. & Tom. 2. Hebdom. 30. fol. 99. Item in libro dicto: la Quercia de la Vergine, fol. 36. & 56. impres. Tiuoli, anno 1647. in 8.

39 Hieronymus Verobaldus, Italus, recollegit de Rosario suprà positi Auctoris omnes sententias, inter quas sunt illæ de Cõceptione, vt videre est in lib. impres. Venetiis 1587. in 4.

40 Ioannes Aquilanus in libro Sermonum Quadragesimalium, in Sermone Annuntiationis, fol. 789. impres. Venetiis, 1586. & 1499. in 8.

41 Ludouicus Granatensis, in Concionibus de præcipuis Sanctorum festis, in Concion. de Conceptione, à fol. 41. lib. impres. Antuerpiæ, 1584. in 4. & Romæ, 1587. Lugduni, 1598. & iterum, 1602. Item in Silua locorum, verbo: Maria, fol. 68. impres. Salmanticæ, ann. 1586. in 4. Item in Compendio Doctrinæ Christianæ, fol. 258. lib. impres. Granatæ, 1595. in 4.

42 Matthias Fassanus, Italus, in Considerationibus spiritualibus. R. P. Philippi Diaz, in Sermone de purissima Conceptione, lib. impres. Venetiis, 1607. in 4.

43 Cornelius Tiraboscus Brixianus, Italus, in Duodecim Canticis, Cant. 3. & à fol. 1. vsque 48. libro impresso Venetiis, ann. 1603. in 12.

44 Guillielmus Oonselus, Flander, in libro: Sintaxis ad expeditam verbi Dei tractationem, fol. 204. verbo: Maria, lib. impres. Antuerpiæ, 1622. in 12. Regali. Et in Sermone Hugonis de Pratoflorido, Serm. 1. & 2. Annuntiationis, lib. impres. Antuerpiæ, 1617. in 8.

45 Sanctius à Porta, Hispanus, in Mariali, à fol. 139. & fol. 168. sed nota quod huius Marialis est duplex impressio, vna Lugduni, per Ioannem Clein, Alemanum, anno 1513. in 4. & altera Valentiæ, 1512. in fol. & in hoc deest Serm. de Concept. & Serm. de Natiuit. in ordine 14.

46 Alphonsus de Castro, Hispanus, in recognitione Sermonuum Sanctii à porta, secundùm impressionem Lugdunensem: nam in Valentiana deest Sermo de Conceptione, vt suprà dixi.

47 Gaspar Cathalanus, Hispanus, designatus Episcopus Ilerdensis, in epistola ad D. Michaëlem Baptistam de Lanuza, quæ extat integra apud Euseb. Nieremb. Except. cap. 24. à fol. 574.

48 Vincentius Martinellus, Episcopus Venafrensis, in Diocæsana Synodo habita die 21. Septembris, præcepit, vt seruaretur dies Conceptionis, vt videre est in lib. impres. Romæ, 1635. in 4. fol. 11.

49 Mauritius de Vargas, Hispanus, in Serm. de Angelico Doctore S. Thoma, plura dicit pro Immaculata Virginis Conceptione, Sermo iste fuit impres. in ciuitate Mexicana, anno 1655. in 4.

50 Ioannes Viguerius, Hispanus, in lib. Institutionis ad Christianam Theologiam, cap. 18. & 20. lib. impres. Antuerpiæ, 1565. in fol. & 1558. & 1575. & Venetiis anno 1571. in 4.

51 Alanus de Rupe, Theutonicus, in Rosario, seu Psalterio, fol. 56. & par. 2. cap. 5. fol. 110. & fol. 118. & fol. 133. & fol. 275. & 280. & 414. lib. impres. Coloniæ, anno 1624. in 8.

52 Angelus Pintini, Italus, in lib. edito Florentiæ, anno 1589. in 8. inquit: Ad quam fuit exaltata in sua sanctificatione, vel præseruatione, aut vere Conceptione, absque originali peccato, &c.

53 Antonius Stabilius à S. Angelo, in lib. Introductorio ad singula Euangelia, lib. 3. de Maria Virgine, fol. 379. lib. impres. Venetiis, anno 1610. in 8.

54 Ioannes Reinardus Deyenſis, in Sermonibus Quadrageſimalibus, de Peregrinatione generis humani, in Serm. de Annuntiatione, fol. 45. libro impreſ. Lugduni, anno 1518. in 8.

55 Ioannes Lopez, Epiſcopus Crotonenſis, in Epitome Sanctorũ, Tom. 4. fol. 12. lib. impreſ. Romæ, 1596. & Venetiis 1605. Item in lib. Roſarii, capit. 18. fol. 123. lib. impreſ. Metinæ à Campo, 1595. in 4.

56 Didacus Aluarez Metinenſis, Hiſpanus, Archiepiſcopus Tranenſis, & Salpienſis, in Diſput. Theologicis, quæſt. 81. articul. 3. Diſp. 174. fol. 517. lib. impreſ. Trani, 1617. in fol. & in Iſaiam Tom. 1. lib. 1. capit. 8. fol. 208. & lib. 2. cap. 19. fol. 403. impreſ. Romæ, 1599. in 4. Et in Serm. de Concept. impreſ. Trani, 1622. in 4.

57 Ioannes à S. Thoma Vlyſiponenſis, in 1. par. D. Thomæ, Tom. 1. Diſput. 2. per integram quæſtionem, de qua vide Armamentarium noſtrum, colum. 489. ex impreſſione Matritenſi, atque nouiſſima Ianuenſi.

58 Ignatius Cautinio, in Sermonario, par. 1. Tractat. 3. à fol. 44. vſque 67. Conſid. 6. lib. impreſ. Vlyſipone, 1736. in fol. & in Sermone Paſchatis, impreſ. ibidem, anno 1630. in 4.

59 Conradus Peregrinus, Toloſanus, ſi fuit Ordinis Prædicatorum, vt affirmant Leander Albertus, & Alphon. Fern. Placentinus, fol. 346. in Serm. Purification. Alphab. x. noſtram tenet ſententiam, lib. impreſ. ann. 1495. Vide in Ventil. num. 150.

60 Meffret vulgo: Hortulus Reginæ, qui, vt creditur, fuit ex Ordine Prædicatorum, Serm. vltim. de Concept. fol. 30. littera I. *§. Sed quia dicit Ariſtoteles, &c.* æqualiter ſe inclinat ad præſeruationem, & ſanctificationem, lib. impreſ. Monachii, 1611. in fol. & Nuremberg. 1496. cuius auctoritatem dedimus ſuprà. in claſſe ix.

CLASSIS IIII.

In qua deſignamus SEPTVAGINTA DVOS, non præfiguratos per ſeptuaginta duos diſcipulos Domini, vt dicebat Vincentius Bandellus, ſed per 72. bobes, de quibus in lib. Numerorum, cap. 31. vel per perſeptuaginta duos ſacræ Scripturæ Interpretes: quorum aliqui formaliter, & expreſsè aliqui verò interpretatiuè, aut ſecundùm rigoroſam vocum, aut proprietatem verborum, vel ſaltem piè interpretati, pro noſtra videtur ſententia.

1 DOminicus de Guzman, ſanctiſſimus, ac Religionis Predicatorum fundator inclytus, non ſolùm in illa ſentẽtia, ex libro cõtra Albigenſes, ab omnibus Scriptoribus repetita, de qua nos infrà in Ventilatione, num. 307. ſed etiam in Serm. ſecundo ad eoſdem Albigenſes, & Serm. 3. vt videre eſt in Alano de Rupe, impreſ. Coloniæ, ann. 1624. in 8.

2 Henricus Suſo, Theutonicus, in Dialogo Sapientię, cap. 16. fol. 93. impreſ. Coloniæ, 1588. Vide Euſeb. lib. Diſſertat. epiſtol. 15. fol. 288. & in Sacro Sylabo, §. 7.

3 Ignatius Louuet, Diuionenſis, in Theſauro Apoſtolico gratiarum, &c. fol. 58. lib. impreſ. Duaci, 1635. in 8.

4 Petrus de Tapia, Archiepiſcopus Hiſpalenſis, Tom. 1. Catenæ moralis, lib. 2. art. 8. num. 9. fol. 160. lib. impreſ. Hiſpali, 1654. in fol. & in quadam conceſſione facta D. D. Ludouico Fernandez de Cordoua, Marchione de Pliego, de qua nos habemus copiam.

5 Petrus Venerus, Hiſpanus, in epiſtola miſſa ad Summum Pontificem, cum aliis Patribus, extat apud Euſebium Nieremb. in lib. Exept. cap. 24. fol. 414.

6 Ludouicus de Aliaga, Hiſpanus, vnus fuit ex octo, qui ſcripſerunt pro Immaculata Conceptione, vt ſuprà.

7 Paulus Minerua Barenſis, Italus, in Sententiis Paræneticis, S. Nicolai Epiſcopi, & Martyris, in Commentario 188. fol. 293. lib. impreſ. Neapoli, 1604. in 4.

8 Petronius Marrinus, Italus, in libro Roſarii, pro confraternitate Bolonienſi, fol. 45. lib. impreſ. Mazeratæ, 1646. in 12.

9 Philippus de Salazar, Hiſpan. in Ser. de Cruce, fol. 7. impreſ. Valent. 1633. in 4.

10 Gregorius Lazarus Taruisinus, in Commentariis Nicolai Buccasseni, super Matthæum, ad capit. 5. fol. 21. colum. 3. Et in Indice impres. Venetiis, 1603. in fol. se inclinat in magis piam sententiam.

11 Andræas Eborensis, Hispanus, in lib. Sententiarum, & exemplorum, fol. 251. verbo: Maria, lib. impres. Venet. 1585. & 1576. in 12. Regali.

12 Ioannes de Marieta, Hispanus, in Vitis Sanctorum, par. 3. lib. 22. fol. 46. lib. impres. Conchæ, 1596. in fol.

13 Ioannes Ludouicus Viualdus à Monteregali, Italus, in libro: Opus Regale, in cap. de magnificentia Regis Salomonis, fol. 276. lib. impres. anno 1512. in 8.

14 Archangelus Caracciola de Riualta, Italus, in lib. de Rosario, fol. 86. lib. impres. Paduæ, 1647. in 8.

15 Antonius de Poço, Hispanus, in Concione Sancti Ioannis Euangelistæ, impres. in ciuitate Mexicana, 1612. in 4.

16 Antonius de Cazeres, Episcopus Astoricensis, Hispanus, in Sermone Capituli Generalis, &c. fol. 2. impres. 1605. in. 4.

17 Iosephus de Ariano, Italus, in libro: Rosario florito, &c. fol. 81. & fol. 100. impres. Neapoli, 1644. in 4.

18 Ioannes de Torreblanca, Hispanus, in lib. de Rosario, in Tabula concionatoria, lib. impres. Vallysoleti, 1630. in 4.

19 Ioannes de Segouia, in lib. de Prædicatione Euangelica, lib. 1. cap. 23. fol. 148. & lib. 2. cap. 49. fol. 552. lib. impres. Compluti, anno 1573. in fol. & Brixiæ, anno 1586. in 4.

20 Tilmannus Sybergensis, Flander, in Enchiridione locorum EcKii, capit. 15. lib. impres. Antuerpiæ, 1534.

21 Ferdinandus de Placentia, Hispanus, in Sermone de Dominica Incarnatione, pro secundo Sabbato Quadragesimæ, fol. 5. & 8. impres. Hispali, 1629. in 4.

22 Nicolaus Strata de Turino, Italus, in libro de Compendio Rosarii Virginis Mariæ, fol. 144. & in Littaniis, fol. 175. impres. Turini, 1588. in 4.

23 Gregorius Martinez Segouiensis, Hispanus, super 1. 2. D. Thomæ, art. 3. dub. 1. concluf. 1. lib. impres. Toleti, 1622. in fol. solùm concedit debitum.

24 Gabriel Vazquez, Hispanus, in Serm. de Mysterio Trinitatis, fol. 11. impres. Hispali, 1612. in 4.

25 Didacus de Victoria, Hispanus, in fundatione Confraternitatis Sanctissimi nominis Dei Neapolitan. vt dicitur in lib. impresso Neapoli, absque anno impres. in 12. à fol. 45. vsque 154.

26 Didacus Ortiz, Hispanus, in Sermone festiuitatis Sancti Stephani, fol. 5. impres. Hispali, 1609. in 4.

27 Lambertus Campestris, Italus, recognoscens opus D. Thomæ, in 1. Sentent. dist. 44. quæst. vni a, artic. 3. vt videre est in editione Lugdunensi, anno 1520. Vide Marraccium in Notis ad Sanctum Isidorum, fol. 212. Item in recognitione Summæ Rayneri de Pisis, Tom. 1. capit. 5. fol. 258. à tergo in margine.

28 Petrus Martyr Balneoregiensis, in Opusculo de columba cœlesti, lib. 4. fol. 27. & fol. 19. & in lib. Iucubrationum Rosarii, lib. 4. cap. 1. sect. 4. fol. 121.

29 Petrus Goar Perusinus, in Rituali Græcorum, à se translato in multis locis, lib. impres. Lutetiæ Parisiorum, anno 1647. in fol.

30 Michael de Gisleriis, vel Alexandrinus, postea Pius V. renuntiatus, in Decreto contra propositiones Michaelis Bay, dato anno 1567. Vide nostrum Bullarium, & Tom. 3. R. P. Ioann. de Ripalda de ente supernaturali, ad finem, & in aliis Bullis: vide Marrac. in Pontif. Marian. fol. 198.

31 Raphael de la Columbe, Italus, in lib. de duplici Aduentu, in Sermone Conceptionis, impreso Florentiæ, anno 1627. in 4. & 1619.

32 Rodulphus Clutius, Flander, in Sermonibus Dormi securè, Ioannis de Vuerdena, Ordinis Minorum à se recognitis Serm. 5. à fol. 38. vsque 49. impres. Coloniæ, anno 1612. in 8.

33 Iacobus Gandensis Holandus, in Sermonibus Michaelis Vngari, vt videre est in lib. impres. Parisiis, 1516. in 8.

34 Ioannes de Altamura, in tribus Tomis de Rosario, Tom. 1. fol. 67. impres. Neapoli, 1640. in 4.

35 Nicolaus Diaz in lib. Rosar. fol. 159. ad diem 8. Decemb. imp. Vlysiponæ. 1575. in 16

36 Nicolaus Lorinus, Italus, in Serm. de Conceptione, impreſ. Florentiæ, 1615.

37 Leander Albertus, Nomenclator Religionis Prædicatorum, Italus, in lib. Coronæ glorioſæ Virginis Mariæ, fol. 131. lib. im. preſ. Bononiæ, 1598. in 8. nec opponitur in aliis operibus à ſe edictis italicè.

38 Lucas Ferdinandus de Aiala, Hiſpanus, in Horto de Auguſtiſſimo nomine Mariæ, num. 27. Aromat. 15. fol. 53. & Aromat. 52. fol. 93. lib. impreſ. Matriti, anno 1648. in 8.

39 Ludouicus de Vrreta, Hiſpanus, in Hiſtoria Regum Ætiopiæ, lib. 2. cap. 2. fol. fol. 394. & cap. 13. lib. 2. fol. 557. lib. impreſ. Valentiæ, anno 1610. in 4.

40 Martinus de Arbelaiz in Sermone Octauæ Sanctorum, fol. 22. impreſ. Lermæ, 1621. in 4.

41 Calixtus de Miſſanello, Italus, in lib. de Roſario, par. 9. cap. 6. fol. 390. lib. impreſ. Neapoli, 1641. in 8.

42 Cornelius Suarez, Hiſpanus, in Acclamatione funebri R. P. Ioan. Falconi, fol. 3. Serm. impreſ. Matriti, 1639. in 4.

43 Gundinſaluus de Arriaga, Hiſpanus, in lib. dicto: Sanctus Thomas de Aquino, Tom. 1. capit. 5. §. 6. fol. 114. num. 8. & cap. 8. §. 2. fol. 217. lib. impreſ. Matriti, 1648. in fol. & Tom. 2. cap. 7. §. 5. fol. 595. lib. impreſ. ann. 1652.

44 Didacus de Ojea, Hiſpanus, in lib. de Roſario Dominæ noſtræ, fol. 18. lib. imp. Matriti, 1589.

45 Dominicus Gianeti, Italus, de Septem Gaudiis Virginis Mariæ, lib. impreſ. Florentiæ, 1648. in 12.

46 Thomas Gonçalez, Hiſpanus, ſcripſit cum aliis pro Immaculata Conceptione, vide quomodò in Euſeb. Nieremb. in lib. Except. fol. 416.

47 Bartholomæus Angelus de Neapoli, Italus, in Roſario, & Tractatu de Indulgentiis, fol. 83. lib. impreſ. Venet. 1617. in 8.

48 Bartholomæus de Medina, Hiſpanus, in 3. par. D. Thomæ, art. 2. quæſt. 27. fol. 345. in Expoſitione litteræ, lib. impreſ. Venetiis, 1602. in fol.

49 Franciſcus Combeffis,, in Additionibus, ſiue nouo Auctario Bibliothecæ VV. PP. colum. 1223. lib. impreſ. Pariſis, anno 1648. in fol. Et in SS. Patribus Ampliloquio, & Andræa Cretenſi, &c. fol. 338. impreſ. Pariſis, 1644. in fol.

50 Franciſcus Foreirus, Hiſpanus, eſt pro Immaculata Conceptione, vt dicit Andræas de Peruzzinis in Analyſi puriſſimæ Conceptionis, art. 2. fol. 63. & ſuper Iſaiam, cap. 7. fol. 124. vocat Beatam Mariam intactam, illibatam, &c.

51 Gerardus Moſanus, Germanus, in ſolemnitate Conceptionis, vt extat in Bibliot. Homil. impreſ. Lugduni, anno 1588. Tom. 4. fol. 63.

42 Hieronymus de Mieſſes, Hiſpanus, in Sermone de Sancta Thereſia, §. 2. fol. 5. impreſ. Compluti, anno 1629.

53 Ioannes Hurtadus de Mendoza in libro Dominæ noſtræ de Atocha in Prologo impreſ. Matriti, 1604. in 8.

54 Hieronymus de Ferrariis Fontinus, in Repertorio lucupletiſſimo Ioannis Duns Scoti, fol. 53. lib. impreſ. Venetiis, anno 1588. in 4.

55 Iulius Hyſſopius Cæſenatis, in ſuprà poſito Repertorio, in multis locis, præcipuè num. 21. & 23. impreſ. vt ſuprà.

56 Hieronymus Vernerius, Corrigienſis, & Cardinalis, præcepit obſeruari feſtum Conceptionis, lib. impreſ. Aſculi, ann. 1596. in 4. fol. 42.

57 Alphonſus de Riuera, Hiſpanus, in lib. de Roſario, ad diem 8. Decembris, lib. impreſ. Matriti, 1641. in 24.

58 Alphonſus Maldonatus, Hiſpanus, in Chronica vniuerſali, fol. 103. à tergo, lib. impreſ. Matriti, 1623. in 4.

59 Alphonſus Fernandez Placetinus, Hiſpanus, in Hiſtoria ciuitatis Placentin. lib. 2. cap. 28. fol. 201. ad annum 1530. lib. impreſ. Placentiæ, anno 1627. in fol. & in libro de deuotione, & miraculis Roſarii, fol. 27. lib. impreſ. Matriti, 1627. in 4. & in Concertatione ſua impreſ. Salmant. 1617. in 4. non docuit contrarium, licèt ſæpiſſimè agat de Scriptoribus Conceptionis.

60 Alphonſus Ciaconius, Biacenſis, in lib. Romanorum Pontificum, & Cardinalium, fol. 340. libro impreſſo Romæ, anno 1601. in fol. & in lib. dicto: Deuotionario, fol. 296. impreſ. Romæ, anno 1600. in 16. & 1601. in 12.

61 Al-

61 Alphonsus à Castro, Hispanus, in Mariali Sancii à Porta, à se correcto, & emendato, in tribus Sermonibus, de quo egi in Ventilabro.

62 Albertus de las Casas, Generalis Hispanus, in capitulo Andalusiæ, ad ann. 1523. Vide Euseb. Nieremb. in lib. Exception. cap. 23. §. 1. fol. 355. & fol. 359. & in nostro Armamentario.

63 Antonius de Sotomayor, Hispanus, Inquisitor Generalis in Regno Hispaniarum, scripsit epistolam cum aliis octo grauissimis Patribus ad Summum Pontificem, pro mysterio Immaculatæ Conceptionis, quam adducit Ioann. Euseb. in lib. Except. capit. 24. fol. 414.

64 Ioannes Paulus Nazarius, Italus, in 3. par. D. Thomæ. quæst. 27. art. 2. fol. 342. lib. impres. Bononiæ, 1625. in fol.

65 Ioannes à Penna, Hispanus, fuit pro Immaculata Virginis Conceptione. Ita Franciscus à Sosa, Velazquez lib. 4. Dissert. 3. Adnot. vnica, fol. 350. Antonius de Leon in Biblioth. manuscript. & alii quàmplures.

66 Ioannes de la Cruz Talabricensis, Hispanus, in 2. par. Directorii conscientiæ, lib. 2. cap. 7. fol. 76. lib. impres. Toleti, ann. 1631. in 4.

67 Ioannes de la Fuente, cum aliis Fratribus suæ Religionis scripsit ad Summum Pontificem, pro Immaculata Conceptione. Vide Ioann. Euseb. Nieremb. in lib. Except. fol. 414.

68 Ioannes Gonçalez, primus moderator Academiæ Complutensis, scripsit epistolam cum aliis suprà relatis, de quibus Ioann. Euseb. Nieremb. in lib. Exception. vt suprà fol. 415.

69 Ioannes Laurentius Carrascosa, Hispanus, in Poëmate de Conceptione, apud Sanctium Zapata, fol. 88.

70 Bartholomæus Carrança, Archiepiscopus Toletanus, Hispanus, in Summa Conciliorum, fol. 369. lib. impres. Venetiis 1546. in 8. & alibi sæpè.

71 Thomas Botthinus de Luca, in lib. Mancipium glorioſiſſimæ Virginis, fol. 25. lib. impres. Oruieti, 1631. in 12.

72 Baltasar de Rixa, Hispanus, in lib. de Rosario, fol. 84. libro impresso Valentiæ, ann. 1596. in 8.

CLASSIS V.

In qua damus in alio numero maiori CENTVM VIGINTI *Auctores, præfiguratos in illis, de quibus dicitur in Actis Apostolorum, cap. 1. erat autem turba hominum, simul ferè centum viginti, &c. tum mulieribus, quæ vt figura correspondeat figurato, nec istæ hìc defficient; qui licet non omnes assertiuè, clarè, & expressè nostram sustinuerint sententiam, in generali, vel particulari vtuntur vocibus fauentibus immunitati, ac puritati V. Mairæ, quorũ aliqui fuerunt problematici, alii suam retractarunt opinionem, alii fugientes totaliter à sua voce sanctificationis, amplexati sunt nostram, Conceptionis, quæ (vt Aduersarii dixerunt in Triturazione, num. LVIII.) antè Gregoriũ XV. semper fuit habita, vt protestatiua magis piæ, atque sonabat idem quod Immaculata Conceptio. Ac denique hìc collocantur illi qui loquentes de B. Virgine Maria, & in materia in qua poterant oblata illa occasione, suam detegere mentem nullus illorum expressis, vel non expressis verbis aliquid docuit, vel scripsit contra Immaculatam Virginis Conceptionem.*

1 HYacintus Polonus, Beatus, fuit pro Immaculata Virginis Conceptione, vt affirmat Pater Ioan. Euseb. Nieremb. in lib. Except. cap. 23. fol. 351.

2 Hieronymus Sauanarola, Ferrarienſis, in. libro, cuius titulus eſt: Molti deuotiſſimi trattati ad exortationi de i fideli, & deuoti Chriſtiani, &c. fol. 157. in explicatione Salutationis Angelicæ, latè lib. impreſ. Venetiis, 1547. in 8. Item in lib. Confeſſionale, 63. latè lib. impreſ. Venetiis, 1520. in 8. Item in Homil. ſuper Ruth, & Micheam, cap. 7. Michæ Homil. 21. fol. 269. lib. impreſ. Salmanticæ, 1556. in 4.

3 Bartholomæus de los Martyres, Epiſcopus, in lib. Doctrinæ Chriſtianæ, &c. à fol. 313. adducit Sermonem pro feſtiuitate Conceptionis Dominæ noſtræ, & fol. 317. vocat Conceptionem Immaculatam, &c. iuxta traductionem D. D. Ioannis de Ariſtizaual, equitis aurati, liber impreſ. Matriti, anno 1653. in 4.

4 Franciſcus Creſpi de Valdauia, Epiſcopus Vicenſis, ſcripſit pro Myſterio Immaculatæ Conceptionis, eruditam epiſtolam ad Philippum IIII. Hiſpaniarum Regem, vt videre eſt apud Ioannem Euſebium Nieremb. in epſtola ad Alexandrum Septimum Summum Pontificem, poſt medium, §. In hoc quidem: cuius etiam apud nos habemus copiam ſimplicem.

5 Didacus de la Rea Peralta Ariquipenſis, Hiſpanus, in Regno Peruano actualiter ſcribit de Immaculata Virginis Conceptione: & adeò fragat huius myſterii deuotione, vt ſemper manè, & poſt prandiũ, & ad cenam, præcipuè quando adderant menſæ Fratres Minores, præcipiebat ſuis fidelibus, vt gratias redderent Deo ſic. Laudatum ſic, ac benedictum Sanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum, atque ſanctiſſima Virgo Maria concepta abſque labe originalis maculæ, nec illius debito: ita Reu. Pater Frater Didacus de Queuedo, Prouintiæ Limenſis Cuſtos, teſtis oculatus.

6 Dominicus de Eſcobar, Concionator egregius, & quem non ſemel prædicantem audiui, conſtanter fatebatur in concionibus, Virginem Mariam fuiſſe conceptam abſque originali peccato.

7 Vitalis N. Inquiſitor Gallus, licèt prius minus piam ſuſtinuerit ſententiam, poſteà tamen iuſſu Vniuerſitatis Pariſienſis illam cum aliis Montiſonitis publicè retractauit, vt affirmat Ioannis etiam Vitalis, Minorita, in Tractatu de Conceptione Virginis Mariæ.

8 Ioannes Adam Sueſonæus, Doctor Pariſienſis, ad annum 1390. noſtram ſententiam de Immaculata Virginis Conceptione amplexus eſt, vt teſtatur Robertus Gaguinus in Tractatu de Conceptione in Prologo ad Vniuerſitat. Pariſien.

9 Gaufridus de Sancto Martino, Doctor etiam Pariſienſis, ex cenſura Academiæ palinodiam recantauit, de quo idem Robert. Gaguinus vbi ſuprà.

10 Ioannes Nicolaus, Doctor Pariſienſis, & prius Montiſoniſta opinionem ſuam publicè abiurauit, teſte eodem Gaguino loco vbi ſuprà.

11 Petrus de Canchero, Pariſienſis Doctor, cum aliis ſuprà relatis, ſuperatus à veritate publicè ſe retractauit, vt ex ipſo Roberto Gaguino, dicemus in Ventilatione, num. 158.

12 Petrus Cheriaco, Doctor etiam Pariſienſis inſigni, famoſaque proteſtatione primam ſuam abiurauit opinionem, vt ex ipſo Gaguino conſtat, vbi ſuprà.

13 Petrus de Palude, non ille Patriarcha Ieroſolymitanus, ſed alter modernior, ad annum 1390. cum aliis Montiſoniſtis, tanden magis piam ſententiam amplexus eſt, de quo Ioann. Vitalis, & Alanus, & etiam videre eſt num. 158.

14 Nicolaus de Finali, Italus, ſcripſit Tractatum ſub titulo Conceptionis, vt diximus in Triturat. num. xxvii.

15 Petrus de Portocarrero, Hiſpanus, adducebatur pro Immaculata Conceptione à D. D. Antonio Calderone, Archiepiſcopo Granatenſi, in ſuo Aſſertore Dominicano, neſcio tamen quis ille fuerit.

16 Hieronymus Xauierre, Generalis Ordinis Prædicatorum, Hiſpanus, in Statuto à ſe edicto pro tota ſua Religione, de quo vide Ioannem Antonium Velazquez, lib. 5. fol. 454. & Hyppolitum Marraccium in Purpura Mariana, fol. 214. licèt in Brebiariis ſuo tempore editis, extet officium ſub titulo Sanctificationis.

17 Hyacintus Maidalchinus, Italus, in Concione de Conceptione Virginis Mariæ, impreſ. Venetis, 1644. ex Hyppol. Marrac. in Biblioth. fol. 615.

10 Ion-

18 Ioannes Veri, Gallus Contionator, solemni protestatione coram Vniuersitate Parisiensi, contrariam abiurauit opinionem, die 16. mensis Septembris, ann. 1497. de qua habemus trasumptum in carta expansa, vt diximus in Trituratione.

19 Ioannes de Montesono, Doctor Parisiensis, Hispanus, licèt acerrimus opugnator sententiæ magis piæ, tandem monitus, & requisitus sub censuris Vniuersitatis Parisiensis, atque Summi Pontificis, coactus est reuocare opinionem oppositam, vt videre est ad finem Magist. sentent. & in Histor. Roberti Gaguini, Spondano, & aliis, vide quæ diximus in Trituratione.

20 Paulus Condestabile, Hispanus, scripsit pro Immaculata Virginis Conceptione, vt dicit Andræas de Peruzzinis, art. 2. Eusebius in lib. Except. cap. 23. fol. 356.

21 Paulus Robado, par. 4. Concione 1. agit de Immaculata Conceptione Virginis, vt dicit Serran. lib. 2. cap. 30. num. 25.

22 Rodulphus Chitius, in Sermone de Conceptione, vt refert Andræas de Peruzin. in Analysi, fol. 62. Sermonem istum inuenire non potui, sed Auctor hic recognouit, & edere curauit, lib. Sermonuũ, Dormi securè, cõmuniter dictum Ioannis de Vverdena, Ordinis Minorum, in quo, Serm. 5. est de Conceptione, à fol. 38. vique 48. lib. impres. Coloniæ, 1612. in 8.

23 Cyprianus Beneti, in lib. de prima orbis sede, de Concilio, & Ecclesiastica potestate ad Leonem X. &c. in 6. & vltima conclusione, lib. impres. Romæ, 1515. in 4.

24 Thomas de Maluenda, Setabitanus, in lib. de Paradiso, capit. 60. fol. 191. in hanc videtur se inclinare sententiam, vel saltem in aliis operibus super Scripturam, & de Antechristo, impres. anno 1650. nihil dicit pro sua opinione.

25 Nicolaus de Cusa, Cardinalis, in diuersis locis expressissimè nostram tenet sententiam; si autem hic fuit ex Ordine Prædicatorum, vt affirmant Antonius Senensis, Pius, & alii Nomenclatores Dominicani, iam alterum habemus Auctorem ex Religione Dominicana.

26 Landulphus Carthusianus, qui scripsit celebrem illum librum: Vita Christi: nostram subst inuit sententiam, vt videbimus in Ventilatione, num. 203. si hic fuit priùs ex Ordine Prædic. vt affirmat Sixtus Senensis in sua Biblioth. Sanct. lib. 4. etiam inter hos debet enumerari.

27 Hortensius Ludouicus Cicada, Ianuensis, typis mandare, curauit cursum Theologicum R. P. Ioan. de S. Thoma, in quo fol. 119. nostram tenet sententiam, lib. impres. Genue, 1654. in fol.

28 Franciscus de Mesia, Hispanus, in lib. de Colloquio Rosarii, petitione 6. fol. 30. & fol. 41. libro impresso Hispali, anno 1573. in 4.

29 Thomas Elias Ardizzoni, Ganuensis, edere curauit cum suprà posito Hortensio opus R. P. Ioannes de S. Thoma, & sic etiam est pro nobis.

30 Thomas de Hybernia quondam socius de Sorbona, in Summa florum, quæ incipit: Abii in agrum: manusc. in Bibliot. Scorialis, verbo: Maria, si fuit Ordinis Prædicatorum, vt volunt, Anton. Senensis, Placentinus, & alii.

31 Petrus de Leguizamo, Hispanus, in Legendario Flosantorum, Magistri Millan à se recognito, & impres. anno 1578. in fol. de quo Ioannes Tamaius de Salazar, fol. 239. & 240.

32 Ioannes Sanchez, hispanus, in eodem Legendario Sanctorũ, &c. Doctoris Millan, impres. Hispali, anno 1572. in fol. secundùm eundem Ioannem Tamaium de Salazar, fol. 239.

33 Ægidius Fuscarius, Magister sacri Palacii, vt referunt Vincentius Antist, Ordinis Prædicator. & Peruzzinus in Analypsi, art. 2. fol. 63. Ioan. Euseb. in lib. Excep. cap. 23. fol. 356.

34 Seraphinus Caballus de Brixia, Italus, in lib. de Rosario, fol. 59. & fol. 251. impres. ann. 1582. in 4. atque in Martyrologio, & Kalendario. de quo Christ. de Vega Palest. 3. cert. 7. num. 279. fol. 82.

35 Ioannes de Palentia, Salmanticensis, in Kalendario, ac Martyrologio suæ Religionis, ad diem 8. Decemb. vt videre est apud Vegam vbi suprà, & Euseb. Nieremb. fol. 348 Tamaium, fol. 251. & alios quamplures.

36 Carbonel N. Episcopus Gratianopolitanus, de quo Moren. in lib. de Concep. cap. 5. fol. 393. Velazq. lib. 4. Dissert. 8. Adnot. 1.

Iuſtinian. Antiſt. fol. 12. & nos in Armament. tario, col. 665. & alii.

37 Dominicus de Monte Luporum, vel de Monte lobos, in Tractatu de Concept. circa annum 1348. quem adducit Alphon. Fernandez Placentinus. Antonius de Leon in Biblioth. manuſcript. claſſe vi. Marracius, & alii. Vide Triturat.

38 Thomas de Spina fuit pro ſententia de Immaculata Conceptione, vt refert Ioan. Euſeb. Nieremb. in lib. Except. capit. 23. fol. 358.

39 Thomas Manrique, Hiſpanus, adducitur pro Immaculata Concept. ab eodem P. Ioan. Euſeb. cap. 23. fol. 356.

40 Vincentius de Caſali, Italus, edidit Tractatum ſub titulo Conceptionis, de quo diximus in Trituratione, num. 1. & propter hoc allegatur à Marraccio, Leone, Tamaio, & aliis pro noſtra ſententia.

41 Vvigandus Cauponus, ſiue Vvnurt Germanus, licèt ediderit quodam Opuſculum, ſeu Dialogum, pro contraria opinione de ſanctificatione, poſteà illam abiurauit, de quo Henricus Spondan. ad annum 1494. num. 14. & Trithemius, vt diximus in Trituratione, num. xxvii. & xxviii.

42 Bartholomæus Ferrarienſis, Italus, in lib. de Ieſu abſcondito, &c. circa annum 1530. noſtram ſuſtinuit ſententiam, vt referunt Serranus lib. 2. cap. 50. num. 15. & Anton. de Leon claſſe ix.

43 Nicolaus Rodulphus, Generalis, in Martyrologio Ordinis Prædicatorum, impreſ. Romæ, 1637. in 4. Regali: vtitur voce Conceptionis, non ſanctificationis, vt erat in aliis præcedentibus.

44 Bartholomæus de Miranda, Hiſpanus, ſuſtinuit ſententiam de Immaculata Virginis Conceptione, teſte Ioan. Euſeb. Nieremb. in lib. Except. cap. 23. fol. 356. & etiam hoc affirmabat Anton. Calderon in ſuo diſpoſitio Aſſertore Dominicano.

45 Franciſcus Rethza, Hiſpanus, in lib. ſuper Salue Regina, Tom. 1. vt refet Ion. Anton. Velazquez in ſuo libro de Maria immaculatè concepta, fol. 50.

46 Raymundus Paſcelius adducitur ab eodem Velazquez inter Aſſertores Dominicanos piæ ſententiæ, lib. 4. Differt. 9. Adnot. 2. num. 12. fol. 671. primæ impreſ.

47 Iacobus Atrebas Belga ſcripſit epiſtolam ad Capitulum, pro myſterio Immaculatæ Conceptionis, ita Anton. de Leon Pinelo in ſua Bibliotheca manuſcripta, claſſe viii.

48 Dominicus Præſentatus, Tom. 1. lib. 7. cap. 12. in Serm. de Conceptione, qui eſt in ordine 55. noſtram ſuſtinet ſententiam, ſecundùm Andræam de Peruzzinis, in Analyſi Concept. art. 2. fol. 63.

49 Iacobus Auſtratus in 3. lib. Moral. capit. vltimo, vt teſtatur Ioannes Euſebius Nieremb. in lib. Except. cap. 23. §. 1. fol. 355.

50 Iacobus de Suſato, vel Luzato Germanus ſcripſit Tractatum ſub titulo Concept. ad annum 1415. & fortè ex hoc citatur pro noſtra ſententia ab Antonio de Leone, claſſ. vi. Vide Hypp. Marrac in Biblioth. fol. 646. & ſuprà in Triturat. num. xii.

51 Ioannes Baptiſta, Eroniſta, & Archiepiſcopus Montis Libani, in lib. à ſe traducto de fundamento fidei, &c. Vide de hoc Ludouicum à Velluga in vita Duorum, fol. 175.

52 Guillielmus de Balone, Gallus, Epiſcopus Ebroicienſis, & Confeſſarius Regis Francorum poſt magnos tumultus, tandem palinodiam recantauit, de quo Spondanus, ad annum 1387. num. 7. Velazquez lib. 4. Diſſertat. 10. Adnot. 3. num. 7. fol. 380. & in alia impreſſione, fol. 694. Robert. Gaguinus, & alii.

53 Matthæus N. Capellanus S. Brigittæ, ſolemniter celebrabat feſtum Immaculatæ Conceptionis, de quo Gotſchalcus Holen, Ordinis Sancti Auguſtini, Auctor antiquus, in Serm. Concept. qui eſt in ordine 10. & poſt ipſum alii.

54 Anonymus, Theutonicus, in libro dicto, Horologium æternæ Sapientiæ, in Commendatione B. Virginis, lib. impreſ. coloniæ, 1496. in 4.

55 Nichael N. Gallus, Prædicator eximius, affirmabat, quod ſuus Ordo paulatim accederet ad ſententiam de Immaculata Cõcione, &c. Ita Valentinus Gerardus, Gallus, in Trinpho Virginis, part. 3. Diſt. 2. pagin. 753. & Anonymus, Franciſcanus, in Indice, & alii.

56 Peraza, Auctor Ordinis Prædicatorum, ſcripſit Sermones pro Immaculata Virginis

ginis Conceptione, vt legi in quodam indiculo D.D. Antonii Calderon, pro suo Assertore Dominicano, à quo etiam adducebat alios sex Anonymos, de quibus nihil dico, quia fortè coincidunt cum illis, à me visis, & infrà adducendis.

57 Iacobus de Lausana, vel de Losana, Episcopus ad vtramque partem se inclinat, sed præcipuè ad nostram, inspectis ipsorum verbis, vt videbimus in Ventilatione, numero 135.

58 Ioannes Thomæ, Doctor Parisiensis, socius, & frater Ioannis de Montesono, licèt priùs ediderit librum contra Immaculatam Conceptionem, posteà publicè in Conuentu Fratrum Minorum Parisien. suam opinionem abiurauit, de quo latè Vitalis, & Alanus, vide in Trituratione.

59 Arnadus à Belloviſu, vel de Belbis, Barchinonensis Hispanus, edidit Tractatum de Conceptione. Ita Alphon. Fernandez, & Marraccius in Biblioth. fol. 143.

60 Moltaphonsus quidam, eiusdem Ordinis, adducitur pro Immaculata Conceptione ab Anonymo Franciscano, num. 23. quis autem hic fuerit, ignoro.

61 Thomas Caccinus, Italus, in Historia Ecclesiastica, impres. Florentiæ, anno 1636. pag. 22. num. 4. ad finem.

62 Remigius Florentinus in traductione Epistolarum, & Euangeliorum totius anni, fol. 407. lib. impres. Venetiis, 1616. in 4. licèt in scolio epistolæ ad Galathas, aliter videatur sentire.

63 Innocentius Ciuus Gisi, Italus, in lib. Decisiones Morales suprà semptem Psalm. pœnitentiales, Tom. 2. fol. 63. ad finem, tandem se inclinat in magis piam, lib. impres. Venetiis, 1620. in 4.

64 Hieronymus Theutonicus in Sum. Theologiæ S. Thomæ, fol. 268. impres. Venetiis, 1585. in 8.

65 Hyppolitus Helmanus, Venetus, qui superiorem Summam correxit, & emendauit: nam dato, quòd antecedens fuerit nostræ sententiæ, etiam hic enumerandus erit.

66 Hieronymus de Medicis à Camerino, licèt ad 1. 2. D. Thomæ, lib. impres. Venetiis, 1614. quæst. 81. artic. 3. fol. 521. videatur oppositam tenere sententiam; tamen in formali explicatione, 3. par. imp. Salodii, 1622. in 4. ad quæst. 27. articul. 1. non satis se explicat.

67 Anonymus Aragonensis, qui adiurauit demoniacũ, pro nobis videtur fuisse. Vide Goschaldum Holen in Serm. de Conceptione ad finem.

68 Anonymus, Hispanus, in lib. Dominæ nostræ, vulgo Peña de Francia, fol. 32. pro nobis videtur esse, lib. impres. Salmanticæ, 1567. in 4. & 1614. in 8.

69 Anonymus in vita B. Alberti Magni, dicens, quòd Virgo fuit sine væ, pro nobis esse videtur, lib. imp. Antuer. 1621. in 12.

70 Anonymus Dominicanus, in vita Clementis Papæ, ad annum 1387. pro nobis videtur fuisse. Lege Henr. Spondanum Tom. 2. num. 7.

71 Anonymus liberatus à magno suæ salutis periculo, magis piam tenebat sententiã, vt videre est in lib. 5. Sanctæ Theresiæ, cap. 5. fol. 60. libro impresso Salmanticæ, anno 1578. in 4.

72 Anonymus in Conclusionibus S. Thomæ, impres. Antuerpiæ apud Gasparem Bellerum, anno 1614. in 12. Regali ad quæst. 27. nihil in contrarium dicit.

73 Marcus Laurens, pro nostra adducitur sententia, nullum tamen inuenio solidum fundamentum.

74 Nicolaus de Finali, citatur in Monile Christi, & Mariæ, à Ioanne Salazar de Tamayo, ad annum 1525. fol. 286. sed nescio, quo fundamento.

75 Antonius Senensis, anteà vocatus Antonius de la Concepcion, licèt in sua Bibliot. passim adducat Scriptores suæ Religionis, semper sub titulo Conceptionis, nunquam in contrariam se inclinat opinionem, vide lib. impres. Parisiis, 1585. in 8.

76 Ioannes Michaël Pius, in lib. de Illustribus viris Ordinis Sancti Dominici, &c. impres. Bonon. 1617. in fol. licèt referat omnes Scriptores, nunquam assentit ipsis.

77 Sixtus Senensis, qui in sua Bibliotheca sancta, lib. 4. à fol. 190. lib. impres. Lugduni, 1591. in fol. citat Auctores suæ Religionis, nec verbum habet pro contraria. Item in lib. 5. Adnot. 177. & 178. & 179. & 180. agit de illis verbis, Ecce enim in iniquitatibus cõceptus sum, & lib. 6. Adnot. 286. & 287.

&

& 288. agit de peccato Adæ, in quo omnes peccauerunt, & tamen nihil dicit expresè, nec tacitè de B. Virgine.

78 Rodericus de Cardenas, Episcopus Seguntinus in Philippinis, Serm. habito die Incarnationis, in Hospitali Amoris Dei, in ciuitate Mexicana.

79 Anonymus, Dominicanus, cuius opus Sermonuum extat manuscriptum in Bibliot. S. Ioannis Regum, Pluteo x. num. 61. qui adducit Sermones duos de Conceptione, sed nihil contra Immaculatam sententiam.

80 Anonymus antiquus, qui addidit legendas ad Historiam Lombardicam, in lect. 193. fol. 170. vt videre est in lib. impres. Lugduni, 1554. in 4.

81 Franciscus de Serris in quadam adnotatione ad Sermonem Conceptionis Gabrielis Barelete, fol. 217. col. 2.

82 Ioannes Nicolaus in quæstione addita ad Summam Rayneri de Pisis, Tom. 2. pag. 542. capit. 8. sub hoc titulo: Conceptionem Deiparæ Virginis, qua primum in vtero materno formata est Immaculatam piè credi, sed non ab Ecclesia certo asseri, vel credendum proponi, &c. Videtur nostram tenere sententiam, lib. impres. Lugduni, 1655. in fol.

83 Onuphrius Elysius in Thesauro sanctissimi Rosarii, fol. 65. & 81. lib. impres. Neapoli, 1636. in 4.

84 Manzius Salmanticensis, fuit pro sententia Immaculatæ Conceptionis, vt videre est apud Ioan. Eusèb. in lib. Except. cap. 23. §. 1. fol. 355.

85 Christophorus de Torres in Serm. S. Thomę Aquinatis, §. 2. non dissentit, Serm. impres. Cordubæ, 1615. in 4. nec in Serm. S. Theresiæ, §. 12. fol. 26. Serm. impres. Matriti 1627. in 4.

86 Andræas de Socino in opere Ludouici Viualdi, fol. 276. de quo suprà, non videtur desentire.

87 Conradus Koellin in Commentariis in 1. 2. D. Thomæ, impres. Venetiis, 1599. in fol. licèt pag. 24. agat latè de peccato originali, tamen non includit Beatam Mariam in illa lege communi.

88 Seraphinus Caupponi à Porrecta, in Suma Theologiæ D. Thomæ, impres. Venetiis, anno 1588. in 4. Regali, quæst. 100. articul. 2. fol. 115. potiùs se in nostram inclinat sententiam, & à multis aliis pro ipsa allegatur.

89 Henricus de Erfodia, siue Herbodia, Germanus, edidit de Conceptione Beatæ Virginis Tractatum. Ex Marrac. in Bibliotheca, Tom. 1. fol. 555. Alphon. Placentin. in Concert. fol. 373.

90 Petrus de Verona, Sanctus Martyr, pro nostra citatur sententia à R. P. Ioann. Eusèb. in lib. Except. cap. 23. fol. 351.

61 Franciscа Vacchina de Viterbio, ex Dominicana Familia fuit deuotissima Mysterii Immaculatæ Conceptionis. Vide Marrac. in Lilia Mariana, 118. & 126. ex Roberto de Robertis in eius vita, impres. ann. 1613.

92 Laurentia Stroza, Monialis. S. P. Dominici, in Monasterio S. Nicolai de Prato, in lib. Hymnorum, fol. 96. lib. impres. Florent. 1588. in 8.

93 Armandus de Bellovisu, Gallus, in duplici collatione, expresè loquitur pro magis pia sententia, vt videre est in Ventilatione, num. 30.

94 Guillielmus Peraldus, vel Paraldus, Episcopus, de quo latè in Ventilat. num. 112 videtur esse pro nostra sententia, & nihil habere pro contraria opinione.

95 Dominicus de Soto, Hispanus, sub illis verbis: vt dicitur de Beata Virgine, &c. nostram protestatus est sententiam, vide in Ventilat. num. 68.

96 Iacobus de Voragine, Archiepiscopus Ianuensis, indiferens esse videtur, ac problematicus, lege num. 140.

97 Ioannes Dominicus de Florencia, licèt scripserit contra, tamen habet verba fauentia puritati Virginis Mariæ, vide dicenda num. 169.

98 Ioannes à S. Geminiano semper loquitur expresè pro Immaculata Conceptione, vt videre est num. 176.

99 Lenonardus de Vtino, Italus, aliqua verba habet clara, & expressa pro nostra sententia, vide ipsa in Ventilat. num. 208.

100 Martinus Polonus, Episcopus, si illius sunt Sermones signati in Ventilatione, num. 214. pro nostra fuit sententia.

101 Melchior Canus, Episcopus Hispanus, nec est expresè pro nobis, nec clarè contra nos, imò ab aliquibus citatur pro nostra sententia, vide num. 217.

102 Ni-

102 Nicolaus Gorran, Gallus, in diuerſis Sermonibus fauet Immaculatæ Conceptioni, vide Ventil. num 217.

103 Ioannes Balbus, Ianuenſis in rei veritate fauet ſententię magis piæ, vt videre eſt in duabus ſuis auctoritatibus adductis in Ventilat. num. 154.

104 Paulinus Bernardinus inſtituens confraternitatem Neapolitanam, ſub titulo Conceptionis pro nobis eſt, vide infrà num. 236.

105 Petrus Calo Clugienſis, vt conſtare videtur ex eius originali abraſo, pro nostra erat ſententia, vide num. 240.

106 Petrus Ieremias, Siculus ex abulſis Sermonibus de Conceptione, conſtat noſtram tenuiſſe ſententiam, vide num. 245.

107 Petrus de Palude, Patriarcha Conſtantinopolitanus, licèt ſuper Sententias clarè ſuſtinuerit Aduerſariorum opinionem; in Sermonibus clariſſimè eſt pro noſtra ſententia, vt videre eſt num. 249.

108 Robertus Ol Koth, Doctor Anglicus tam in Cõmentario libri Sapiẽtiæ, quam ſuper Prouerbia Salomonis, expreſsè noſtram tenet ſententiam, vt dicemus num. 275.

109 Thomas de Vvaleis Iorſius, Doctor Anglus, ac S. R. E. Cardinalis ſuper Pſalm. non eſt contra nos, & ſuper Prouerbia Salomonis, eſt expreſsè pro nobis, vide quæ diximus in Triturat. num. iv. & dicemus in Ventilatione, num. 301.

110 Vincentius Bellouacenſis communiter dictus Hiſtorialis Burgundus in loco allegato ab Aduerſariis, ſcilicèt Mariali, nihil habet contra noſtram ſententiam, & in Speculo Hiſtoriali videtur eſſe pro nobis, lege num. 309.

111 Vincentius Ferrer, Sanctus patria Valentinus, Hiſpanus, in Sermonibus nihil dicit expreſsè contra præſeruationem Virginis Mariæ à peccato originali, imò ibi eſt pro immunitate, ſed clarè, eſt pro nobis in marginali adnotatione in operibus S. Thomę, vide num. 311. & Euſebium Nieremb.

112 Syluester de Pierio, Italus, de quo in Triturat ione, num. xxx. quia licèt in Commentariis, ſeu abreuiatione Capreoli, videatur ſuſtinuiſſe opinionem Aduerſariorum, & præcipuè in Summa; tamen in Roſa Aurea, de quæſtionibus impertinentibus, Tract. 3. fol. 290. col. 4. caſ. 51. enumerat inter alia myſteria ſancta, ac pura Virginis Conceptionem, lib. impreſ. Lugdun. 1521. in 8. Item in Conflatu Sancti Thome, quæſt. 25. art. 15. fol. 196. à tergo, expreſsè eſt pro Immaculata Virginis Conceptione, lib. impreſ. Peruſiæ, 1519. in fol.

113 Narciſus Camos, Hiſpanus, in lib. cuius titulus: Iardin de Maria, plantado en el Principado de Cataluña, &c. pag. 14. & pag. 87. & alibi ſemper loquitur ſub titulo Conceptionis, liber impreſſus Barchinone, anno 1657. in 4.

114 Bordas, Magiſter Prior Murtianus adducitur pro magis pia opinione, à R. P. Euſeb. Nieremb. in epiſtol. ad Summum Pontificem Alexandrum Septimum.

115 Iuſtinus Miechouienſis Polonus, de quo num. lvi. licèt ſuper Littanias Lauretanas, Diſcurſu 135. & 136. & 137. ſit pro contraria ſententia, vt vidimus ſuprà num. LVI. citato; tamen deinceps, ſcilicèt Diſcurſ. 138. fol. 309. in magis piam ſe inclinat ſententiam verbis notatione digniſſimis.

116 Didacus Deza, Hiſpanus, licèt in minoribus conſtitutus, ſcripserit poſita ſuprà num. xxxi. tamen factus Archiepiſcopus Hiſpalenſis, carrexit, ac diſpoſuit Breuiarium illius S. Eccleſiæ, in quo fol. 222. eſt Officium de Immaculata Conceptione, vt videre eſt in impreſſione facta, anno 1521. in 4.

117 Nicolaus Ricciardus, dictus Monſtruus, de quo nu. LIII. in Littanias Lauretanas, fol. 212. Serm. 14. à num. 6. videtur expreſsè ſe inclinare in magis piam ſententiam, vide ibi quibus verbis, & in noſtro Armam. Regeſto, col. 527.

118 Paulus Carraria de Caſali, in illo ſuo lib. de Regulis Iuris, de quo ſuprà num. li. ſemper, & vbique problematicè ſe habet, ita vt in tota illa quæſtione, quæ latiſſima eſt, nunquam ſuam aſſertiuè proferat ſententiam, quòd obſeruatione videtur dignum.

119 Dominicus de Guzman, abſque alio ſigno, vel caritate adducebatur pro noſtra ſententia à D. D. Antonio Calderon.

120 Thomas de Aquino, Angelicus Doctor huius vltimæ claſſis ſigillum eſt, & corona, qui in quinque ſuæ doctrinæ locis, pro magis pia militat ſententia, de quibus latè agimus in noſtra Militia Immaculatæ Cõcep-

ceptionis, & hic succintè in Ventilatione, num.296.ad finem.

Hæc est prima ex Sacra Prædicatorum Familia acies, seu Area Doctorum, atque Scriptorum expresè, vel insinuatiuè, clarè, aut interpretatiuè militantium pro sententia de Immaculata Virginis Conceptione, vbi sunt ducenti octoginta octo milites, siue pura grana, dico pura, quia pro puritate militant, & quia nullum inuenietis in ipsis suppositum, fictum, multiplicatum, adulteratum, vel mendaciter adductum, &c. Licèt verùm sit, quòd aliqui (præcipuè ex hac vltima classe) confusè, tepidè, indeterminatè, problematicè, aut ineficaciter loquantur, sed quamuis non concludant formaliter pro nostra sententia, hoc habent certum, ac indubitatum pro ea, scilicèt, quòd cùm fuerint ex Ordine Prædicatorum, habita occasione, nihil affirmarunt pro contraria Sanctificationis opinione, vt constabit legenti nostram *Militiã Immaculatæ Conceptionis contra malitiã originalis peccati, &c.* vbi omnium prædictorum verba damus ad litteram: siue quos ego reperire potui ibi; sunt enim alii quàmplures, qui intrinsecus latent, & ad manus meas non peruenerunt, præcipuè ex illa turba magna, quam dinumerare nemo poterit ex omni tribu, lingua, ac nationibus, quę sub cęlo catholico sunt, & ad gradus superiores ascendunt in Vniuersitatibus, siue Academiis sequentibus, Biacensi, Barchinonensi, Bononiensi, Bracharensi, Cæsaraugustana, Colonensi, Complutensi, Conimbricensi, Dolana, Eborensi, Erphodiana, Gandiensi, Granatensi, Hispalensi, Illerdensi, Lobaniensi, Limana, Lipsensi, Maguntina, Mexicana, Neapolitana, Olutrensi, Onatensi, Ossunensi, Ouetensi, Oxomensi, Panormitana, Parisiensi, Pinciana, Pragensi, Saguntina, Salmanticensi, Toletana, Tolosana, Tarraconensi, Valentina, Vienensi, Vlysiponensi, Vrsonensi. Restat verò, nunc in medium etiam adducere omnes Auctores eiusdem Religionis, quoquomodo militantes ex aduerso pro pinione de Sanctificatione, vt ex oppositorum plena cognitione prodeat veritatis iudicium, atque diffinita sententia, pro qua vtriusque stat, vel stare debet TOTA, ac VNIVERSALIS Familia Prædicatorũ, claros autem, & expressos signamus, *huiusmodi characteribus cursiuis.*

AREA

Siue oppsita acies, Aduersariorum, in qua ordine Alphabetico collocantur, simul CENTVM QVINQVAGINTA Auctores, atque Scriptores ex sacra Prædicatorum Familia, præfigurati in illis centum quinquaginta diebus, quibus pluit Dominus in diluuio vniuersali, quando omnis caro corruperat viam suam, vt purgaret terram, &c. quos adducunt Patres Dominicani in suis Bibliothecis, & Opusculis de Conceptione, & nos ex diuersis Nomenclatoribus recolligere potuimus, &c. Qui directè, vel indirectè facere possunt pro opinione sanctificationis: cum breui ipsorum censura, anotomia, ac purgatione à pura veritate, prout in hoc libro demonstratur.

1 ALbertus de Brixia, eius Summa nunquam fuit typis mandata, manuscripta non inuenitur, auctoritas de ipso adducta, nihil probat directè.

2 *Albertus Castellanus*, cum sufficienti fundamento adducitur, licèt Sermo positus in Triturationc non sit ipsius, quia in suo libro Rosarii, Italico idiomate impresso, expresè est pro opinione sanctificationis.

3 *Albertus Magnus*, cum sufficientissimo adducitur fundamento, licèt enucleatis ipsius verbis piè, & verè ad sanum sensum reduci poterat.

4 Albertus Duimius de Catharo, non est Auctor, neque Scriptor, sed tantùm typis mandauit opus illud Turrecrematæ de veritate Conceptionis.

5 Aldrebandinus de Tuscanella, si non est fictus, ipsius Sermones non sunt excussi,

nec

nec manus inuenitur, atque Aduerſarii nullam iſtius adducunt auctoritatem.

6 Angelus de Bononia, quando non ſit fictus, vt creditur, eius opus nunquam fuit typis mandatum, nec manuſcriptum inuenitur.

7 Angelus Bononia, ſine dubio eſt multiplicatus cum antecedenti, & ſic abſolutè excluditur.

8 Annibaldus Romanus Cardinalis, eſt ſemifictus, & multiplicatus, cum Sinebaldo, & Romano Magiſtro, & alio Annibaldo Ciſtercienſi, & fortè etiam cum Guillielmo Romano, opus ipſi adſcriptum eſt S. Thomæ, & ſic ex multiplici capite excluditur.

9 Anonymus ſcripſit librum magnum pro opinione Sanctificationis, ſed cum iſte Anonymus fuerit Vincentius Bandellus de Caſtronouo, vt ex ipſo libro conſtat identificatur cum illo.

10 *Antoninus Florentinus*, Sanctus, verè, ac realiter ſuſtinuit, & ipſam pro viribus defendit opinionem Sanctificationis.

11 Antonius de Azaro, falsò, ac mendaciter adducitur, quia in citato ſermone de Paſſione Domini, nec verbum habet: ideò Aduerſarii nullam de ipſo adduxerunt auctoritatem.

12 Antonius de Bononia exiſtimatur fictus, aut ſaltem multiplicatus, & inſuper eius Sermones non ſunt impreſſi, nec manuſcripti reperiuntur.

13 *Antonius de Brixia* cum ſufficienti fundamento adducitur, ſuſtinet enim expreſsè opinionem Sanctificationis.

14 Armandus de Belloviſu, eſt problematicus, quia pro vtraque parte habet auctoritates, ſed pro pia ſententia ſunt expreſſiores.

15 Arnadus de Belloviſu eſt fictus, ſeu veriùs multiplicatus, ſumpta occaſione ex præcedenti.

16 Auguſtinus Iuſtinianus in operibus nunc exiſtentibus, nihil expreſsè dicit, citat ſe ibi ad aliud opus, quòd nunquam fuit excuſſum, & ſic quouſque illud oſtendant Aduerſarii, non admittitur.

17 Bartholomæus de Bononia, ex vna parte videtur fictus, ex altera triplicatus, cum Antonio de Bononia, ſed quidquid ſit de Auctore, Poſtilla ſua in Lucam nunquam fuit typis mandata, nec manuſcripta inuenitur, nec de ipſo Aduerſarii vllam adducunt auctoritatem.

18 Bartholomæus de Piſis non loquitur directè ad punctum controuerſiæ, ſed agit de feſtiuitate, prout celebratur die 8. Decembris, id eſt, de prima conceptione carnali.

19 *Bartholomæus de Spina* in ſuis Opuſculis, clariſſimè defendit opinionem Sanctificationis.

20 Bernardus de Claramonte, videtur fictus, ſed quando Auctor fuerit, opus allegatum non fuit impreſſum, nec manuſcriptum inuenitur.

21 Bombologimus Bononienſis, eſt Auctor ridiculus, cuius nec nomen inuenitur in litteratura Eccleſiaſtica, & ſic ex ſeipſo, eſt relegatus.

22 Bonifacius de Cremona pro ficto reputatur, vel ad minus pro Auctore nullius nominis, cuius Sermones, nec fuerunt excuſſi, nec manuſcripti inueniuntur, nec Aduerſarii de ipſo adducunt auctoritatem.

23 *Chryſoſtomus Iabellus* eſt expreſsè pro opinione Sanctificationis.

24 Compilator Speculi iuris eſt ſeptemplicatus, vt videre eſt infrà in Guillielmo Durando, atque eius auctoritas nihil dicit.

25 Conſtantinus de Montebudello eſt Auctor ridiculus, & ab omnibus Scriptoribus incognitus, eius Sermones non fuerunt impreſſi, nec exiſtimo, quòd ſint manſcripti, & de quo Aduerſarii nullam adducunt auctoritatem.

26 *Didacus Deza* eſt expreſſus pro contraria opinione, tam ſuper Sententiarum librum, quem non viderunt Aduerſarii, quàm in Additionibus ad Bandelli Opuſculum, ſecundum de Diſputatione ſolemni Conceptionis.

27 Dominicus de Cathalonia, ſiue de Barchinona, eſt ſine controuerſia duplicatus cum Iacobo Ægidio, & fortè etiam cum Ioanne Dominico de Florentia; Tractatus enim de Conceptione ipſis adſcriptus non fuit impreſſus, nec manuſcriptus extat, & taliter quòd nec ipſi Aduerſarii de illo adducant auctoritatem.

28 Dominicus de Grauina aliqua inſinuat pro opinione ſanctificationis, de quo dicunt ſcripſiſſe Opuſculũ de feſto Concept.

ſed

ſed cùm non fuerit impreſſus, nec manuſcriptus, inueniatur, foras remanet.

29 Dominicus de Monteluporum ſcripſit Tractatũ de Conceptione: quòd non fuerit impreſſus affirmo, quòd fuerit manuſcriptus, dubitatur, & ſat eſt ad excluſiuam, quod Auctor eſt opus, ſint ſuſpecti.

30 Dominicus de Pantaleonibus, cum duplici tractatu ſuo de Conceptione, eſt ſuſpectus, ex tempore, & aliis circunſtantiis detectis in Trituratione: Auctor, & opera, vel non fuerunt, vel perierunt.

31 Dominicus de Soto, in loco allegato ab Aduerſariis in noſtram potiùs ſe inclinat ſententiam, & ſic à multis pro ipſa adducitur.

32 Durandellus, Doctor Pariſienſis fuit, ſed eius ſuper Sententias opus nunquam vidit lucem, & ſic quouſque illud oſtendant, tanquam ſi non fuiſſet.

33 *Durandus de S. Portiano* expreſsè tenet opinionem Sanctificationis.

34 Franciſcus Arauxo in contrariã ſe inclinat; ſed cùm ſolùm agat de mente S. Thomæ, & nihil expreſsè dicat pro ſua, ipſe ſe ſubſtraxit.

35 Franciſcus Ferrarienſis, loco citato ab Aduerſariis vehementiſſimè ſe inclinat in opinionem Sanctificationis, ſed adhuc non exprimit ſuam mente ſed S. Thomæ.

36 Franciſcus Herculanus Peruſinus, præterquam quòd eſt Auctor intruſus, & incognitus, & vt creditur fictus, opus citatum, non eſt impreſſum, nec manuſcriptum apparet, nec de ipſo adducunt auctritatem.

37 *Gabriel Barelete* eſt magnus defenſor opinionis Sanctificationis.

38 Gerardus Adæ, ex multiplici capite conſtanter videtur fictus, & eius officium de Sanctificatione ſuppoſitum, quia à nullo fuit viſum.

39 Guidus Gallicus, abſque dubio pro ficto reputatur, quia nulla talis Auctoris extat notitia: eius Sermones non ſunt impreſſi, nec manuſcripti inueniuntur: ſiquidem nec ipſi Aduerſarii inuenerunt auctoritatem, quam de eo adducerent.

40 Guillielmus de Alcona vehementer præſumitur fuiſſe fictum, & quoad Poſtillam ſuper Eccleſiaſten multiplicatum cum Iacobo Lauſanenſi, vel Thoma de Vualeis.

41 Guillielmus Canoniſta indubitanter eſt multiplicatus cum Compilatore Speculi & ſequentibus.

42 Guillielmus Durandi eſt multiplicatus ſic. Primò cum Compilatore Speculi. Secundò, cum Guillielmo Canoniſta. Tertiò, cum Guillielmo Duranti. Quartò, cum Guilmo Epiſcopo Metenſi. Quintò, cum Speculatore iuris. Sextò, cum Guillielmo Canoniſta, & ſeptimò, ex auctoritate cum Guillielmo Altiſiodorenſi, & poſt omnes iſtas multiplicationes auctoritas nihil dicit.

43 Guillielmus Duranti, eſt Auctor fabricatus ex antecedenti, vt euidenter demonſtratur in Ventilatione.

44 Guillielmus Metenſis, Epiſcopus, eſt idem, qui ſuprà Guillielmus Durandus.

45 Guillielmus de Gannaco adducitur ab vno ſolo Capreolo, neque aliquis in mundo vidit Auctorem, nec illum Tractatum de vera inocentia Matris Dei, & ſic ex omni parte eſt ſuſpectus.

46 Guilielmus Peraldus in libris impreſſis nihil dicit, in Sermonario manuſcripto, potiùs in noſtram ſe inclinat ſententiam; ex ipſo Sermonario conſtat, quòd auctoritas adducta ab Aduerſariis, eſt falſa.

47 Guillielmus Paruus non conſtat, an fuerit Dominicanus, imò Martinus del Rio affirmat floriſſe ante fundationem Ordini Prædicatorum, & ſic quamuis ſuſtinuerit expreſsè opinionem Sanctificationis, non fuit ex numero, & Familia Dominicana.

48 Guillielmus de Roma eſt duplicatus cum Magiſtro Romano, & inſuper ſatis probabiliter cum Annibaldo Romano, & Sinibaldo Romano. Sed quidquid ſit de iſtis tribus multiplicationibus, Sermones citati nunquam fuerunt impreſſi, nec manuſcripti viſi, nec Aduerſarii de illo adducunt auctoritatem.

49 Henricus de Heruodia, vel Herfodia cùm nullus Nomenclator claſſicus de ipſo mentionem faciat, nec ipſius Tractatum de Conceptione, aliquis viderit, nec fuerit impreſſus, nec manuſcripus reperiatur, vt fictus reiicitur.

50 Heruæus Natalis, ſiue Henricus Brito fuit problematicus, quia pro vtraque ſententia habet auctoritates. Vide Ventilat. num. 120.

51 Hie-

51 Hieronymus Albertuccius eſt multiplicatus cum ſequēti, & dato quòd ſcripſerit Tabulam Doctorum, pro opinione Sanctificationis, quod non conſtat, opus hoc non exiſtit, & ſi exiſtit, eſt illa Tabula edita cura, & olicitudine Petri de Vincētia, & ſic cum illo a cit vnum tantummodo Auctorem.

52 Hieronymus Forliuienſis ſine vlla dubitatione ex quadam inaduertētia fuit fictus ex antecedenti. Vide Triturat. num. XXIV.

53 Hieronymus Theutonicus loquitur in Sententia S. Thomæ, tanquam eius compendiator, nullumque ex ſe profert verbum. Vide Triturat. num. XLVI.

54 Hugo de Argentina quoad perſonam videtur multiplicatus cum Vlrico de Argentina; quoad opus verò cum Thoma de Suetonia, & cum pluribus aliis: ad totalem excluſionem ſat eſt ſcire, quòd Compendium Theologiæ allegatum non eſt huius Auctoris, & quòd de ipſo nullam adducunt auctoritatem.

55 Hugo Gallicus Cardinalis, &c. ſine vlla dubitatione eſt multiplicatus cum ſequenti Hugone S. Caro.

56 Hugo de S. Theodorico, vel de S. Caro, æquiuocè loquitur, neque eius auctoritates aliquid probant directè. Vide ipſas in Ventilat. num. 127.

57 *Iacyntus Arpallegus* eſt pro opinione Sanctificationis, licèt de prima intentione loquatur de diffinibilitate.

58 Iacobus Ægidius de Barchinona eſt duplicatus cum Dominico de Cathalonia: Tractatus allegatus de Conceptione eſt fictus ſine vlla controuerſia, & ſic nec impreſſus, nec manuſcriptus extat, nec ipſimet Aduerſarii de ipſo adducunt auctoritatem.

59 Iacobus de Beneuento non reperitur in rerum natura, nec Sermones eius; & inſuper videtur multiplicatus cum Ægidio Auguſtiniano Beneuentano, Epiſcopo, qui ſcripſit Sermones: ſed quidquid ſit de Auctore, opus nunquam fuit excuſſum, nec manuſcriptum reperitur, nec de ipſo adducunt formalem auctoritatem.

60 Iacobus de Lauſana eſt multiplicatus cum ſequenti; fuit Auctor claſſicus, cuius aliqua opera ſunt impreſſa: Sermones allegati extant manuſcripti, ſed eius auctoritates ad ſanum ſenſum reduci poſſunt.

61 Iecobus de Loſona ſine vlla controuerſia fuit multiplicatus cum antecedenti.

62 Iacobus de Peruſio ſecundùm probabiliſſimas coniecturas fuit Auctor fictus, vel ad minus nullius nominis, quia à nullo Nomenclatore viſus, cuius Sermones nec fuerunt impreſſi, nec manuſcripti nunc inueniuntur.

63 Iacobus de Suſato fuit in rei veritate, ſed nimis dubitatur, an ediderit Tractatum de Conceptione; indubitatum tamen eſt, quòd nunquam fuit typis mandatus, & quòd nullus illum vidit, neque ex noſtris, neque ex ipſiſmet Aduerſariis, vt dixi in Triturat. num. XII.

64 Iacobus de Voragine eſt problematicus, & potiùs in noſtram ſe inclinat ſententiam, vt latè patebit in Ventilatione.

65 Innocentius Cibus pro vtraque ſententia loquitur indifferenter. Vide ipſius verba in Triturat. num. LII.

66 Innocentius Papa Quintus eſt multiplicatus cum Petro de Tarantaſia, & ſic non facit numerum diuerſum.

67 Ioannes Balbus Ianuenſis eſt Scriptor claſſicus, eius auctoritates nihil probant pro opinione iſta Sanctificationis, ſed potiùs aliqua inſinuant pro noſtra præſeruationis.

68 Ioannes de Biblia quoad Auctorem, & auctoritatem creditur fictus, atque etiam eſt excludendus, quia eius opera nunquam fuerunt excuſa, nec manuſcripta viſa ab aliquo Scriptore antiquo, nec moderno.

69 Ioannes Boſinienſis eſt multiplicatus cum Ioanne Gallico, & Ioanne Theutonico, Canoniſta, & Dominicano, & cum aliis, vt videre eſt in Ventilatione.

70 Ioannes Brizius eſt incognitus Auctor, imò abſolutè fictus, niſi ſit ſuppoſitus pro Ioanne Thoma, qui poſteà ſuam abiurauit opinionem, de quibus latè in Triturationе, & in Ventilatione, num. 158.

71 *Ioannes Capreolus* verè, & realiter fuit pro opinione Sanctificationis.

72 Ioannes Dominicus de Florentia ſcripſit pro opinio Sanctificationis ſuper Eccleſiaſten, tamen opus illud nunquam fuit typis mandatum, & ex hac parte excluditur: Illud autem de opere glorioſo de Conceptione à ſe edicto, eſt falſum.

73 Ioannes de Francofort Auctor eſt incognitus, & vt creditur fictus, opera eius perierunt ſecundùm Aduerſarios: cùm ergo de illo nullam adducant auctoritatem, pro phantaſtico reputatur.

74 Ioannes de Gallicis eſt Auctor chimericus, & phantaſticus, multiplicatus, atque fabricatus ex aliis quatuor Auctoribus Gallis, vt videre eſt in Ventilatione, num 171. inſuper de ipſo nullam adducunt auctoritatem, & ſic ex nullo capite ſubſiſtere poteſt.

75 Ioānes à S. Germiniano, Auctor grauis, ac notus, allegatur in Sermonario de Sanctis, ſed tale opus nunquam fuit excuſſum, nec manuſcriptum ab aliquo viſum, in Sermonibus verò exiſtentibus eſt clarè, & expreſsè pro Sententia magis pia.

76 Ioannes de Linctimber, ſub magna confuſione laborat propter contradictiones Aduerſariorū: pro hîc, & nunc excluditur, quia Sermones allegati, nec fuerunt excuſſi, nec ab aliquo Nomenclatore viſi.

77 Ioannes de Montenigro ſcripſit pro opinione Sanctificationis in Concilio Baſilenſi, ſed opus illud nunquam vidit lucem, nec impreſſum, nec manuſcriptū, ſed creditur fuiſſe incluſſum in opere Turrecrematæ, & ſic cum illo identificatur.

78 Ioannes de Monteſono ſcripſit Reſumptam, & aliqua alia pro opinione Sāctificationis, at cum iſta nunquam fuerint impreſſa, nec ſaltem manuſcripta viſa, ſed damnata ab Vniuerſitate Pariſienſi, & Monteſonus Palinodiam cantauerit, etiam excluditur.

79 *Ioannes de Neapoli* ſcripſit quæſtionem quodlibetalem pro opinione Sāctificationis, de quo non eſt dubitandum, ex toto autem rigore iuſtitiæ poterat excludi ab Area, quia licèt omnia huius Auctoris quodlibeta fuerint impreſſa, hoc contra Conceptionem, nunquam fuit impreſſum.

80 Ioannes Pariſienſis vndique eſt Auctor incognitus, & pro ficto reputatur, niſi ſit multiplicatus cum Ioanne Capreolo Doctore Pariſienſi, & qui etiam ſcripſit ſuper Sententias, ſed quidquid ſit de Auctore, opus nec excuſſum, nec manuſcriptum extat.

81 Ioannes Sernigacii eſt fictus abſque vlla controuerſia, & ex aliis ridiculè fabricatus. Vide Ventilat. num. 189.

82 Ioannes Theutonicus, Canoniſta eſt multiplicatus cū Ioane Theutonico, de quo num. ſequenti, & cum Ioanne Boſnienſi, & Ioanne Gallico, Ioanne Moneta, atque cum aliis quàmplurimis.

83 Ioannes Theutonicus, Summiſta, in perſona, ac in auctoritate eſt multiplicatus, cuius verba nihil dicunt contra Immaculatam Conceptionem.

84 Ioannes Thomæ ſcripſit Tractatum pro Sanctificatione, ſed poſteà publicè illū, atq; ſuam opinionem abiurauit, vt videre eſt in Trituratione, num. X.

85 Ioannes de Turrecremata, Canoniſta, eſt multiplicatus cum Ioanne de Turrecremata Ordinis Prædicatorum.

86 *Ioannes de Turrecremata* verè, & realiter ſcripſit pro Sanctificatione Virginis poſt contractionem peccati originalis, tàm ſuper Decretum, quàm in Speculi libro.

87 Ioannes de Verdiaco ſi ſcripſit, quòd ſub lite eſt, eius opera nunquam fuerunt impreſſa, nec manuſcripta extant, atque auctoritas, quā pro illo adducunt, nihil dicit.

Ioannes Veri, fuit concionator, qui publicè prædicauit, Virginem Mariam fuiſſe conceptam in peccato originali, quod etiam publicè retractauit; cùm ergo hic non fuerit Scriptor, non facit numerum.

88 Iſidorus Mediolanenſis in opere Ioannis Capreoli, abbreuiauit tertium Sententiarum, & diſtinctionem tertiam, vbi de Sanctificatione Virginis, ſed ex ſe nullum ibi habet verbum, vnde non facit Doctorem diuerſum à Capreolo.

89 Iuſtinus Miechouienſis in rei veritate non extat clarè, & expreſsè pro opinione Sanctificationis, vt videre eſt in Trituratione, num. LVI.

90 Katharina Senenſis, Sancta, nec vllum minimum verbum dixit, aut ſcripſit contra Immaculatam Virginis Conceptionem; reuelatio enim ipſi adſcripta fuit ſuppoſita ficta, & falſa, &c.

91 Leonardus Manſuetus eſt Scriptor fictus ex aliis Leonardis ſequentibus, & ſic nec Sermones citati fuerunt impreſſi, nec manuſcripti reperiuntur, nec de ipſo adducunt auctoritatem.

92 Leonardus Statius fuit multiplicatus

tus ex ſequenti, non ſcripſit, quia Sermone de Sanctis, in quibus allegatur, & cùm non fuerint impreſſi, nec manuſcripti inueniantur, vt prorſus de fictione ſuſpectus excluditur.

93 Leonardus de Vtino, Auctor claſſicus cum paruo, vel nullo fundamento adducitur pro opinione Sanctificationis, quinpotiùs videtur expreſſus pro ſentẽtia præſeruationis.

94 *Libellator Romanus* ſcripſit pro opinione Sanctificationis. Vide Triturationem num. LVIII.

95 *Ludouicus de Sotomaior* videtur expreſſus pro eadem Sanctificationis opinione, ſiquidem pro ipſa clarè loquitur.

96 Martinus Polonus eſt ſub lite, an fuerit ex Ordine Prædicatorum, Sermones ex ipſo citati, non fuerunt typis mandati, nec manuſcripti inueniuntur, nec auctoritas adducta, aliquid probat directè, & formaliter pro contraria ſententia.

97 Matthias Aquarius illuſtrauit opera Ioannis Capreoli, & nouis additionibus auxit, ſed in cõtrouerſia de Sanctificatione Virginis, nihil addidit ex propriis, & ſic non eſt Auctor diſtinctus à Capreolo.

98 Mauritius de Gregorio iterum tymis mandare curauit in libro Pauli Sonzinatis Sententiarios Ioannis Capreoli, in quibus ſolùm addidit quandam Adnotationem communem, & in hac nihil ſpeciale dicit pro opinione Sanctificationis, & ſic eſt idem Auctor cum Capreolo.

99 Melchior Canus in tribus, vel quatuor locis nihil expreſsè affirmat pro Sanctificatione, imò in verbis fauet præſeruationi.

100 *Michael Lot* licèt à nullo ex Aduerſariis allegetur, fuit pro opinione Sanctificationis, vide eius verba in Ventilabro, claſſe 9.

101 Moneta Magiſter eſt multiplicatus ex Ioanne Boſnienſi, & Ioanne Theutonico, & aliis, & in Summa citata ab Aduerſariis, non eſt auctoritas adducta, itaque quoad auctoritatem eſt fictus.

102 Nicolaus Alexius eſt fictus Scriptor, allegatur in Sermone, qui nec impreſſus, aut manuſcriptus eſt in rerum natura, atque de illo nullam adducunt auctoritatem.

103 Nicolaus de Eſculo pro ficto reputatur, cuius Sermones nec impreſſi, nec manuſcripti reperiuntur, inſuper de illo nullam adducunt auctoritatem.

104 Nicolaus de Finali ſecundùm aliquos Nomenclatores Ordinis Prædicatorũ, ſcripſit Tractatum, in quo agebat latè de Conceptione Virginis, & quòd ſolus Chriſtus fuit ſine peccato, ſed talis Tractatus nec impreſſus, nec manuſcriptus ãb aliquo fuit viſus.

105 Nicolaus Gorran in loco adducto ab Aduerſariis, nihil dicit pro Sanctificatione, in Sermonibus verò abſolutè fauet Immaculatæ Conceptioni.

106 Nicolaus Ricciardus fuit problematicus, vt conſtat ex diuerſis eius ſcriptis, ac dictis. Vide ſuprà in Triturat. num. LIII. & noſtrum Armament.

107 Nicolaus Treueth. ſi ſcripſit librum Quodlibetorũ, quod adhuc non conſtat, quia talia Quodlibeta, nec impreſſa, aut manuſcripta extant, auctoritas ex illis adducta adhuc ad ſanum ſenſum reduci poteſt.

108 Paganus de Pergamo fuit, ſed dubitatur an ſcripſerit Sermones, quia nec impreſſi, aut manuſcripti extant, neque ab aliquo viſi fuerunt, & adhuc auctoritas exiſtimatur ficta propter rationes aſſignas in Ventil.

109 Paulus Bernardinus fuit in rerum natura, ſed allegatum Quodlibetum, non extat excuſſum, nec manuſcriptum reperitur, & cùm nullam de ipſo adducant auctoritatem, confirmatur quod dicimus num. 236. ſcilicèt fuiſſe pro nobis.

110 Paulus Carraria modeſtè, doctè, ac latiſſimè diſcurrit in hac cõtrouerſia, ſed ita ad vtranque partẽ indeterminatus, quòd in rei veritate nec pro vna, nec altera videtur eſſe, nam vt Dominicanus laudat ſuos, & vt doctus acquieſcit veritati.

111 *Paulus Gryſaldus Peruſinus* verè, ac realiter eſt pro opinione Sanctificationis.

112 Paulus Socinas adductus in Triturat̃one, num. XXVI. nec verbũ habet pro hac controuerſia, nam ipſe ſolùm abreuiauit Capreolum in primo, & ſecundo Sententiarum. Tertiũ verò vbi extat cõtrouerſia de Sanctificatione compendiauit Iſidorus de Iſolanis.

113 Petrus Bergomẽſis potuit eſſe pro opinione Sanctificationis, tamẽ hoc non conſtat, nam in Tabula operũ S. Thomæ ſolùm nititur conciliare verba, ac ſententias ſui Angelici Doctoris, quæ inter ſe pugnare videntur.

114 Petrus Calo pro vna, & altera parte adducit rationes, arguméta, ac ſolutiones, &

cèt reſolutio ſit pro opinione Sanctificationis, hæc fuit addita, ac ſuppoſita in originali manuſcripto (nunquam enim Legendarium illius fuit excuſſum) vt latè dicemus in Ventilat. num. 240.

115 Petrus Galdini Auctor eſt penitùs incognitus, ac nullius opinionis, niſi fortè etiam ſit fictus, quia tale Sermonarium, nec fuit impreſſum, nec manuſcriptum extat, nec denique de illo aliquam adducunt Aduerſarii auctoritatem.

116 *Petrus de Herrera* ſcripſit magnum opus pro opinione Sanctificationis, quod manuſcriptum extat in Bibliotheca DD. Cardinalis Barberini, & alibi.

117 Petrus Ieremias abſque vlla auctoritate adducitur ab Aduerſariis, quia nullam habebat in rei veritate pro ſua opinione Sanctificationis, imò quaſi expreſsè, & formaliter eſt pro noſtra ſententia.

118 Petrus de Palma, vel de Polonia, ſi non eſt fictus, ac ſuppoſitus, quia eius Poſtilla, nec impreſſa, aut manuſcripta vnquam fuit viſa, eſt multiplicatus cum Petro de Parma, Ciſtercienſi, vel cum ſequenti Petro de Palude, & inſuper nullam de ipſo adducunt auctoritatem.

219 Petrus de Palude in libro Sententiarum eſt expreſsè pro opinione Sanctificationis, in Sermonibus verò expreſſiſſimus, vt ita loquar, pro ſententia præſeruationis, & ſic vtriuſque, vel nullius.

120 Petrus de la Scala ſi non eſt fictus nullam locum habet in Nomenclatura Eccleſiaſtica, quia à nullo claſſico nominatur, nec Sermones fuerunt impreſſi, nec manuſcripti extant, ac denique nulla de ipſo adducitur auctoritas.

121 *Petrus de Tarantaſia* eſt pro opinione Sanctificationis, non verò vt Innocentius V. Summ. Pontifex.

122 *Petrus de Vincentia* non fuit ſcriptor, ſed ſolicitator, cuius diligentia typis mandata fuit Tabula Doctorum pro opinione Sanctificationis, de qua ſæpè in hoc libro; verus enim illius Opuſculi Auctor, vel fuit Hieronymus Albertuccius, vel Vincentius Bandellus: ſi ergo fuit hic Bandellus, vt nonnulli conſtanter affirmant, & cum maximo fundamento, quia ſunt ipſius verba nulla mutata ſyllaba, non facit numerum diſtinctum.

123 Raphael de Parnaſio, aut fuit Auctor fictus, vel nullius opinionis, & famæ Scriptor, quia de ipſo nulla extat notitia in Nomenclatoribus, nec citatum opus de Conceptione fuit impreſſum, nec manuſcriptum inuenitur, ac denique nullam de ipſo adducunt auctoritatem.

124 Raymundus de Peñafort, Sanctus, non loquitur de myſterio, & animatione, ſed de ipſa Conceptione carnali, facta die 8. Decembris, & ſic non eſt ad rem.

125 *Raynerus de Piſis* cum ſufficienti fundamento adducitur pro opinione Sanctificationis, licèt de ipſo nullam adduxerint auctoritatem.

126 Robertus Anglicus eſt multiplicatus cum quodam Richardo Anglico, de quo in Ventilatione, num. 269. & inſuper opus illud ſuper Sententias cuiuſcumque fuerit, nunquam fuit impreſſum, nec ſaltem manuſcriptum inuenitur, & auctoritas ipſa videtur ficta.

127 Robertus OlKod eſt expreſsè, ac clarè pro noſtra ſententia, vt conſtat ex duplicato ipſius opere.

128 Romanus Magiſter eſt ſepties multiplicatus, ſcilicèt cum Annibaldo Ciſterciéſi, & Romano cum Sernigacio, & Sterigacio, cum Sinebaldo, & Thomaſino, ac denique auctoritas allegata eſt S. Thomæ.

129 Sinebaldus Romanus eſt multiplicatus cum antecedenti, & cum omnibus aliis ibi contentis.

130 Speculator Iuris eſt multiplicatus cum Vviliermo Canoniſta, cum Compilatore Speculi, & cum Guillielmo Durando, Epiſcopo Metenſi.

131 Syluester de Pierio in Summa eſt expreſſus pro opinione Sanctificationis, ſed in aliis Tractatibus variat.

132 Thomas de Aquino, Sanctus pro vtraque ſententia habet auctoritates, & illæ quæ inueniuntur expreſsè pro opinione Sanctificationis fuerunt intruſæ, additæ, atque ſuppoſitæ, vnde nullomodo enumerandus eſt inter expreſſos.

133 *Thomas Elyſius* ſine vlla controuerſia fuit pro opinione Sanctificationis.

134 Thomaſinus eſt multiplicatus cum Romano Magiſtro, Annibaldo, & Sernigacio, ita vt de hoc Auctore ſit non parua confuſio;

cer-

certum autem eſt quod auctoritas adducta extat in S. Thoma.

135 Thomas de Lemos edidit Tractatũ, ſeu librum pro opinione Sanctificationis, ſecundùm aliquos Nomenclatores; ſed opus hoc nunquam fuit impreſſum, aut ſaltem manuſcriptum, & ſic tanquam ſi non fuiſſet.

136 Thomas de Linchino ſi ſcripſit Sermones, quod nimis dubitatur, opus illud, nec fuit excuſſum, nec ſaltem manuſcriptum ab aliquo eſt viſum, & auctoritas etiam videtur ficta.

137 Thomas de Suetonia eſt multiplicatus cum Hugone de Argentina, & aliis quàmplurimis, vt videre eſt in Ventilatione, num. 185. & 299. vbi plura inuenies ſcitu digna.

138 *Thomas de Vio Caietanus*, ſcripſit pro opinione Sanctificationis Opuſculum notiſſimum.

139 Thomas de Vvaleis Anglus in loco ab Aduerſariis adducto, nihil dicit contra Immaculatam Virginis Conceptionem, imò in aliis eſt pro ipſa apertè, & clarè.

140 Vincentius Banchelus eſt multiplicatus cum ſequenti, abſque vlla controuerſia.

141 *Vincentius Bandellus de Caſtronouo* ſcripſit pro opinione Sanctificationis librum Anonymum, & alterum ſub propio nomine, poſteà correctum, & auctum à Deza, vel alio: ac etiam creditur fuiſſe Auctorem illius Opuſculi editi à Petro de Vincentia.

142 Vincentius de Caſali, vel eſt multiplicatus cum antecedenti, vel abſolutè fictus, vt diximus in principio Triturationis.

143 Vincentius Herculanus fuit Scriptor fictus: opus allegatum ſuper Lucam non eſt impreſſum, nec manuſcriptum viſum, vt fatentur ipſimet Aduerſarii, cuius nullam adducunt auctoritatem.

144 Vincentius Hiſtorialis in libro allegato ab Aduerſariis, nihil dicit pro opinione Sanctificationis, in Speculo autem abſolutè in noſtram ſe inclinat ſententiam.

145 Vincentius Septarius pro ficto reputatur: nullam de ipſo adducunt auctoritatem, & cum à nullo Nomenclatore proprio, vel extraneo nominetur, ex omni parte excluditur.

146 Vincentius Valentinus, Sanctus, nihil habet expreſſum pro opinione Sanctificationis, imò pro noſtra fuit ſententia.

147 Vlricus Argentinenſis ſcripſit Summam, ſed nunquam fuit typis mandata, ex ipſius verbis conſtat, quàm ſine veritate, ac fundamento fuerit adductus pro contraria opinione.

148 Vvernerus Baſilenſis nec fuit Scriptor, nec Auctor, ſed ſolùm defenſor Fratrum Bernenſium, & ſi pro aliqua parte erat adducendus, ſine dubio eſſet pro magis pia.

149 Vviliermus Canoniſta, eſt ſepties multiplicatus cum Compilatore Speculi, Speculatore, & Guillielmo Durando, Epiſcopo Metenſi, &c.

150 Vvigandus Cauponi, ſiue Vvnurt licèt ediderit Tractatum, ſeu Dialogum pro opinione Sanctificationis, illum, & illam poſteà publicè abiuranit.

Ecce Lector centum quinquaginta Doctores, atque Scriptores ex ſacro Ordine Prædicatorum, qui hucuſque adducti fuerunt ab Aduerſariis, pro opinione de Sanctificatione Virginis Mariæ in vtero Matris ſuæ poſt contractionem peccati originalis, & quos nos recolligere potuimus, & ſuperaddere ex tota litteratura Eccleſiaſtica, & tanta diligentia quæſiti, quòd vt exiſtimo ipſimet Patres Dominicani, paucos, vel rariſſimos ad hos ſuperaddere poſſint; ſtante igitur hac firma, ac in concuſa veritate, procedamus ad iudicium, ac verificationem illius præſuppoſiti problematis, ſcilicèt, pro qua ſententia, ſeu opinione præſeruationis, aut ſanctificationis ſtat, vel ſtare debet TOTA, ac VNIVERSALIS Religio Prædicatorum. Pro præſeruatione, & omnimoda puritate Virginis Mariæ vniuerſaliter, & in communi militant ducenti octogintaocto Scriptores ex Ordine Prædicatorum, vt vidimus in relatis quinque claſſibus: pro opinione Sanctificationis in tota ſua confuſa latitudine ſolùm ſunt centum quinquaginta: ergo non pro Sanctificatione, ſed pro Præſeruatione ſtat, & ſtare debet TOTA, ac VNIVERSALIS Religio Prædicatorum. Si ſexaginta Patres Dominicani doctiſſimi, atque litteratiſſimi Scriptores, de quibus ſigillatim egimus in Trituratione, fabricantes ſuæ opinionis de Sanctificatione ædificium, & conducendo ad illam operarios à ſummo mane ſuæ Religio-

nis, vsque ad vesperam præsentis sæculi, & anni, per spatium quadrigentorum & quadraginta annorum, id est, ab anno 1217. in quo adducunt Vincentium de Casali, vsque ad annum 1658. in quo hæc scribimus, quia & nos recollegimus ab ipsis prætermissos, solummodò potuimus congregare Sanctos, & non sanctos; Patres, & filios, claros, & obscuros; suppositos, fictos, & multiplicatos, ac mendaciter adductos ex omni tribu lingua, & natione, &c. centum quinquaginta: quando non sexaginta, sed vnus; nec ex magna Religione Prædicatorum, sed ex Minori Franciscana, non per spatium quadrigentorum quadraginta annorum, nec saltem dierum recollegit ex Dominicana Familia ducentos octoginta octo, in quibus nullus est fictus multiplicatus, aut mendaciter adductus, pro pia præseruationis sententia, ergo pro hac stat, & debet stare TOTA, ac VNIVERSALIS Religio Prædicatorum.

Hæc diximus vniuersaliter, & confusè, loquendo de omnibus adductis pro opinione Sanctificationis, nam si sedentes secus littus, secundùm veritatem volumus separare claros, expressos, atque indubitatos, & qui nullam patiantur exceptionem pro sententia præseruationis, sunt centum triginta sex firmi, & irrefragabiles, de quibus in nostra Militia: pro opinione verò Sanctificationis sunt solùm viginti tres, signati litteris cursiuis in antecedenti Catalogo, scilicèt:

1 Albertus Castellanus.
2 Albertus Magnus.
3 Antoninus Florentinus.
4 Antonius de Brixia.
5 Bartholomæus de Spina.
6 Chrisostomus Iabellus.
7 Didacus Deza.
8 Gabriel Barelete.
9 Hiacyntus Arpalegus.
10 Ioanes Capreolus.
11 Ioannes de Neapoli.
12 Ioannes de Turrecremata.
13 Libelator Romanus.
14 Ludouicus de Sotomaior.
15 Michael Lot.
16 Paulus Gryfaldus.
17 Petrus de Herrera.
18 Petrus de Tarantasia.
19 Petrus de Vincentia.
20 Rayn^erus de Pisis.
21 Thomas Elysius.
22 Thomas de Vio Caietanus.
23 Vincentius Bandellus.

Isti sunt omnes, qui constanter, assertiuè, nominando, Virginem Mariam, ex TOTA, ac VNIVERSALI Religione Prædicatorum possunt adduci pro opinione Sanctificationis, & ex his aliqui adhuc possunt excludi, & mitti foras, quia *Albertus Magnus* ad sanum potest reduci sensum: *Ioannes de Neapoli* licèt scripserit pro cõtraria opinione eius, Quodlibetalis quæstio nunquam fuit in lucem edita, liber *Petri de Herrera* non est typis mandatus, & manuscripta paruã fidem habere possunt in iudicio, *Petrus de Vincentia* non fuit Auctor verus illius Tabulæ Doctorum, sed Bandellus; *Michael Lot* solùm affirmat quod in Sententia Magistri Petri Lombardi Virgo Maria contraxit peccatum originale: quomodò ergo decem & octo remanentes supponent pro TOTA, ac VNIVERSALI Religione Prædicatorum? Et quando pro magis pia sententia extant ex eadem Religione centũ triginta sex certi, ac indubitati, & fortè non minoris opinionis, & scientiæ? Quibus adde omnes Doctores Vniuersitatum, de quibus suprà, & illos de quibus Ambrosius Catharinus eiusdem Ordinis Prædicatorum in 3. Opusculo, in defensione 2. Rationis ad finem, fol. 92. inquit: *Subdidi etiam, esse nonnullos in Italia, qui hoc idem saperent, imò & in congregatione nostra, quæ nunc Prouinciæ nomine est honestata, qui tamen propter metum persecutionum, non audeant mutire, &c.* Denique demus, quòd Auctores ex Dominicana Familia firmi, ac constantes, qui vt testes maiores totius excepnionis possunt comparere in iudicio pro opinione Sanctificationis, non tantùm sint decem & octo, nec viginti tres, sed centum quinquaginta admiitendo fictos, vitiatos, multiplicatos, atque totaliter adulteratos, & pro sententia præseruationis vice versa non sint ducenti octoginta octo, sed tantummodò decem & octo, isti pauci stare, ac supponere debent pro TOTA, ac VNIVERSALI Familia Dominicana, quia isti stant pro gratia, ac Dei misericordia, illi recedunt à deuotione, pietate humana, ac diuina ratione, & conuenientia, vt ipsimet fatentur in Triturationc, isti adherendo deuotioni, pietati, ac rationi,

pri-

priuilegium quod illi rigidi, ac duri negant Virgini Deiparæ suæ, & omnium matri placidè, ac libentissimè concedunt. Illi volentes honorare Christum, de honorant ipsum in sua Matre Maria; isti honorantes, vtrumque præstant Filio redemptionis præseruatiuæ gloriam, & Matri, præuentionis, ac immunitatis gratiam; illi tandem introduxerunt in sacrã, atq; deuotissimam illam Religionẽ opinionẽ vniuerso mundo odiosam, & solis hæreticis nostri temporis arrisibilem; isti è contra, &c. ergo isti quando essent in numero minori, supponere deberent pro TOTA, ac VNIVERSALI Familia Prædicatorum, vide etiã ad finem Ventilationis alias duodecim fortissimas rationes, quare Religio Dominicana teneatur, etiam defendere sententiã præseruationis Virginis Mariæ à peccato originali.

DE NOMENCLATORIBVS, atque BIBLIOTHECIS.

CVm liber iste non procederat ex libera nostri discursus fantasia, neque ex coniecturis, ab atramento ad calamum fabricatis, aut ex illis illationibus scholasticis, in quibus est illud maremagnum tergiuersationũ supponendum, probo antecedens, arguo, distinguo, respondetur, &c. Sed solummodò nitatur illo primo principio, est, vel non est, atque illi euidenti, ac palpabili demonstrationi: ecce, ostendo, do, demonstrando Auctores ab Aduersariis allegatos, & in ipsis auctoritates, verbaliter pro sua opinione adductas, vt ex ipsismet constet irrefragabilis veritas; qui, & quæ omnes sunt in duplici differentia; vna illorum, quorum opera impressa, vel manuscripta extant, in quibus iam hîc totaliter claudimus ostium ad quamcunque Aduersariorum solutionem, vt in sequenti Ventilatione demonstratur. Restat atamẽ altera differẽtia de illis, scilicèt, Doctoribus, seu Scriptoribus non existentibus nunc, nec aliquãdo visis in rerũ natura, phantasticis, fictis, & multiplicatis ab Aduersariis, vt constat ex NOMENCLATVRIS, atque BIBLIOTHECIS pro tota litteratura Ecclesiastica hucusque editis; decreui hîc præcipuas, ac principaliores (nam de paruis, ac minoris momenti esset processus in infinitum) pro indagnanda veritate, à me quæsitas, & recognitas in se ipsis, vel ab aliis transcriptas breuiter, & succintè hîc recensere nomina, & sunt sequentes.

Aubertus Miræus in Bibliotheca Ecclesiastica, Tom. 1. impres. ann. 1639. & in 2. Tom. impres. ann. 1649. Antonius Possevinus in Apparatu sacro, vtriusque impressionis, & in Bibliotheca Selecta de ratione studiorum, in folio, cum Apparatu paruo ad omnium gentium historiam impres. Venetiis, 1597. in 8. Angelus Rocca à Camerino de Bibliotheca Apostolica Vaticana: & eiusden Bibliotheca, de quibusdam grauioribus Theologis, quos Scripturales vocant, vtriusque impressionis. Antonius Senensis in Chronicon, atque Bibliotheca Ordinis Prędicatorum. Alphonsus Fernandez Placentinus, in Concertatione Prædicatoriæ Familiæ, atque in Bibliotheca ibidem existente. D.D. Antonius de Leon Pinelo in sua Bibliotheca Occidentali impressa, atque potissimè in Bibliotheca Mariana manuscripta, vbi per tres classes agit de Auctoribus scribentibus, pro & contra mysterium Conceptionis. Andræas Scotus vt in Bibliotheca Hispanica. Antonius Berderus in supplemento Bibliothecę Gesnerianæ. Arnoldus Bostius de scriptoribus Carthusianis, Antonius Bumaldus Minerualia Bononien. seu Bibliotheca Bononiensi. Item ad hanc litteram pertinent Annales Religionum Cistercienſium, Prædicatorum, atque Minorum, &c. in quibus passim fit memoria de suis Scriptoribus.

Bernardinus Rutilius de vitis, & scriptis veterum iuris consultorum. Baltasar Pachecus, Ordinis Minorũ in exortatione ad Theologos pro studio Iuris Canonici. Bibliotheca Homiliarum Gerardi Massonis, & Laurentii Cundi vtriusque impressionis. Bostonus Buriensis Benedictinus scripsit Cathalogum Auctorum, à quo Pitseus transcripsit. Bibliotheca verum Patrum, in diuersis mundi partibus, & temporibus excusa. Nostra Bibliotheca Virginalis, seu Maremagnum Mariæ, tam

tam ex tribus Tomis typis mandatis, quàm ex aliis decem & octo manuſcriptis, qui hucuſq; lucem non viderunt. Bibliotheca Floracienſis Ioannis à Boſco, impreſ. anno 1603. & alia magna impreſ. Lutetiæ, 1614. Barnabas de Montaluo in Catalogo Scriptorum Ciſtercienſium. Bibliotheca Scholaſtica, Latina, Gallica, &c. apud Ioannem Bilium, ann. 1616 in 8. Bibliotheca Theologica Maluſi, edita 1591. in 4. Bibliotheca Theologica Scripturalis in epitome.

Conradus Geſnerus Tigurinus in Bibliotheca ex impreſſionibus ann. 1545. & 1583. & in libro Pandectarum, ſeu partitionum, impreſ. ann. 1548. Cornelius Calidius de vtriuſque Germanię Scriptoribus. Cornelius Schultingius Steinvvichius in Bibliotheca Eccleſiaſtica in Tom. 2. adducit elenchum Auctorum, qui ſcripſerunt pro Immaculata Virginis Conceptione. Carolus de Viſch in Bibliotheca Ciſtercienſi. Cornilius Curcius de Scriptoribus S. Auguſtini. Chryſtophorus de Caſtro in Roſeto Mariano. Claudius Clemens in extructione Muſæi, ſiue Bibliothecæ, tàm priuatæ, quàm publicæ, &c. Chryſoſtomus Henriquez Ortenſis in Phenice reuiuiſcente, ſiue Bibliotheca Ciſtercienſium. Et in hanc litterā ingrediuntur omnes Catalogi librorum, verbi gratia, Auctorum Theologorum in Sacros libros editus Vitember. 1591. in 4. & Scriptorum Germaniæ ab ann. 1568. vſque 1593. & Erphodię. Scripturæ excuſſus Coloniæ, 1618. Item Florentinus, 1604. in 12. & Græcorum apud Antonium Poſſeuinum. Catalogus librorum in Academia Aronica, & Cantabrigia impreſ. Lugduni, 1640. in 4. Plantinianus apud Moretum, 1615. in 8. & Auguſtæ Bendellicorū, anno 1595. Item illorum qui ſcripſerunt in Biblia. Item librorum Hiſtoricorū, & aliorū Scriptorum in Belgio, qui prodiit 1622. in 8. Item omnium librorum Francofurtenſiū. Item omnium librorum, qui extabant apud Lucam Lenis, ann. 1621. & exoticorum apud Sebaſtianum Combis. Item illorum, qui erant apud Ioannem Aſrei, anno 1627. Ac etiam Catalogus Catholicorum ſacræ Scripturæ interpretum editus Coloniæ, 1618. in 4. Item Catalogus librorū Lugduni, & Pariſiis, in Italia, Hiſpania, & Germania, & in Belgio excuſſorum, anno 1621.

Diodorus Siculus edidit Bibliothecam Hiſtoricam, ſed hæc nihil conduxit ad noſtrū aſſumptum. Dauid Coluilus Irlandus edidit Catalogum librorum manuſc. Græcorum, qui in Bibliotheca Sancti Laurentii Scorialis obſeruantur, quem vidi apud Laurentium Quoqui. Donus Florentinus, ſiue libraria del Dono Florentino italicè ſcripta, edita anno 1550 in 12.

Eulogius Sanctus, edidit de Scriptoribus Eccleſiaſticis Tractatum, quem manuſcriptum vidi in Bibliotheca Sanctæ Eccleſiæ Toletanæ. Ericius Puteanus edidit auſpicia Bibliothecæ publicæ Louanienſis, anno 1634. in 4. Elenchus omnium Auctorum, ſiue Scriptorū, qui in Iure tàm Ciuili, quàm Canonico, vel commentando, vel quoquomodò ſcripſerunt, &c. impreſ. ann. 1585. in 4. Emanuel Roman, Carmelitanus in Catalogo Scriptorum ſui Ordinis.

Fauianus Iuſtinianus Ianuenſis in ſuo Indice vniuerſali, ordine Alphabetico. Franciſcus Maria Turrigius de Scriptoribus Cardinalibus. Franciſcus Suuertius Athenæ Belgicæ, ſiue Nomenclator inferioris Germaniæ. Franciſcus de Araoz de benè diſponenda Bibliotheca. Fr. Franciſcus Gonçaga in libro de Origine Seraphicæ Religionis habet Catalogum Scriptorum. Franciſcus Combefis in nouo Auctario Bibliothecæ Græcorum Patrum, &c.

Gabriel Sora, Bibliotheca impreſ. Cæſarauguſtæ. Genadius Maſilenſis de Scriptoribus Eccleſiaſticis. Georgius Draudius, Hæreticus, Bibliotheca exotica in quatuor Tomis. Georgius Bartholdus in tribus Tomis, ſed hæc eſt concionatoria, & parum iuuauit. Georgius Maſſonius in Bibliotheca Homiliarum. Georgius Giraldus Hiſtoria Poetarum. Georgius Ederus in Catalogo Illuſtriū virorum gimnaſii Vienenſis. Gaſpar Conradus ſiculus in Catalogo virorum doctiſſimorum, &c. Guillielmus Gillingamus Anglus de Illuſtribus Benedictinis, à quo Drexelius. Gabriel Penotus de Scriptoribus ſui Ordinis. Guillielmus Bretonus, Minorita, in Bibliotheca Sanctorum Patrum, atque iterum idem opus abreuiatum.

Henricus de Gandauo de Scriptoribus Eccleſiaſticis. Hieronymus Sanctus de Scriptoribus Eccleſiaſticis. Honorius Auguſtodunenſis

nenſis de iſdem Scriptoribus Eccleſiaſticis, iſtos tres cum aliis iterum typis mandauit Aubertus Miræus. Henricus Ludouicus Cathaneus Nomenclatura Cardinalium ab ann. 1000. vſque 1614. de qua ſæpè Turigius ſub titulo Nomenclator. Henricus Vvillotus in Athænis Franciſcani ſodalitii. Hyppolitus Marraccius Lucenis in Bibliotheca Mariana, atque in Catalogo, quem manuſcriptum ab ipſomet habui, atque in aliis libris ſuis, quia ferè omnes ſunt Nomenclaturæ. Henricus Einſius, qui edidit Bibliothecam Midicam, nihil habuit pro præſenti opere. Hiſpaniæ Bibliotheca, & Academia, ſiue elogia, & Nomenclator clarorum Hiſpaniæ Scriptorum extracta ex Ioanne Mariana, Melchiore de la Cerda, Andræa Schotto, Ioanne Marieta, Ioſepho Stephano, Ioanne Baptiſta Cardona, Hieronymo Zurita, Alphonſo Villadiego, Ioanne Vaſeo, & Ambroſio Morales. Henricus Herneſſus Catalogus librorum Bibliothecæ Mediceæ, qui aſſeruantur Florentiæ in Cœnobio S. Laurentii.

Ieremias Paduanus de Auctoribus ſcientiarum, & libris eorum, Venetiis 1505. in 4. Iacobus Grineus Bibliotheca Theologica, ſiue de Monumentis Patrum. Iacobus Marcancius de Scriptoribus Frandiæ. Iacobus Pamelius Catalogus Scriptorum in Bibliotheca Antuerpienſi, ac Plantiniana. Iacobus Zanachius Bibliotheca Theologica, ſiue index interpretum. S. Ildephonſus de Scriptoribus Eccleſiaſticis. Ioannes Molanus ſcripſit Bibliothecam vniuerſaliſſimam, licèt lucem nõ viderit, de qua Aubertus Miræus ſæpiſſimè mentionem facit. Ioannes de Aſigni de Illuſtribus viris Ordinis Ciſtercienſis. Ioannes Michael Pius de Illuſtribus viris Ordinis Prædicatorum, italicè. Ioannes à Boſco Bibliotheca Benedictina ſacra Apoſtolica, Pontificia, Cæſarea, Regia, &c. Ioannes Cleſius Elenchus vnius ſæculi, apud Ioannem Saurium in duobus Tomis, 1602. in 4. Ioannes Iacobus Friſius Bibliotheca Philoſophorum, impreſ. Tigurii. Ioannes Irlem Siguenenſis Specimen Bibliothecæ Theologicæ, ſiue Cõmentariorum Bibliorum, &c. Ioannes Lelandus Iunior de Illuſtribus Britaniæ Scriptoribus. Ioannes Dreſſelius elogia eorum, qui eruditionis laude floruerunt. Ioannes Nureuergius, Nomenclator ex Promptuario Grãmatico. Ioannes Opperius de libris impreſſis Francofurt. Ioannes Petrus Lothighius in ſingulos Germaniæ, Italiæ, Angliæ Poetas celebriores. Ioannes Pachecus Bibliotheca Præmonſtratenſis. Item Ioannes Lepaige de eadem Bibliotheca Præmonſtratenſi. Ioannes Pitſeus Anglus Catalogus, ſiue Hiſtoria Scriptorum Anglicanæ gentis. Ioannes Trithemius de Scriptoribus Eccleſiaſticis, ſecundùm quatuor impreſſiones diuerſas. Item eiuſdem de Illuſtribus Germaniæ Scriptoribus, Benedictinis, atque Carmelitanis, &c. Ioſias Siglerus Epitome Bibliothecæ Geſnerianæ. Ioſeph Pamphilius de Scriptoribus Auguſtinianis, atque de Cardinalibus. S. Iſidorus Hiſpalenſis de Scriptoribus Eccleſiaſticis. Ioannes Maior de Scriptoribus ſpiritualibus. Iacobus Gaddius Florentinus de Scriptoribus non Eccleſiaſticis, de quibus edidit Tomos duos in fol. Iacobus Philippus Thomaſinus de Scriptoribus ciuitatis nouæ in Iſtria. Ioannes Capgrauius Anglus de Illuſtribus viris Auguſtinianis, de quo latam facit mentionem. Ioannes Pitſeus ad an. 1484. Iacobus Aluericus Catalogus breuis Scriptorum. Ioannes Baleus Iudouolea, hæreticus de Illuſtribus maioris Britaniæ Scriptoribus, vſque ad annum 1548. Iacobus Vvaræus de Scriptoribus Hyberniæ. Ioannes Nauſzanus, Ioannes Fichardus, Ioannes Baptiſta Ziletus, Ioannes Vvolfangus Freymoni, ſeorſim, & in Elencho Scriptorum Iuris Canonici, atque Ciuilis. Huc reduco omnes Indices Bibliothecarum à me viſos, & recognitos, quorũ præcipui ſunt Index Bibliothecæ Vaticanæ in quinque Tomis, Index Bibliothecæ Regiæ Scorialis in tribus. Item Bibliothecæ DD. Cardinalis Franciſci Barberini: Ducis de Alcala Hiſpalenſis: D. N. de la Salceda, impreſ. à Ludouico Sãchez, S. Iſidori de Vrbe: Angelica S. Auguſtini ibidem: Mariana: D. Antonii de Leon Pinelo, in qua habet pluſquam mille quinquentos libros magnos, & paruos, qui à primo vſque ad vltimum verbum, ſolùm agunt de ſacratiſſima Virgine Maria, ac myſteriis eius, de qua iam habet paratum indiculum. De aliis minoribus Bibliothecis nihil dico, ſicut nec de Nomenclatoribus Medicorum. Ioanne Georgio Schenello, & Iſraele Heſpalenſes, &c.

Leander Albertus Bononienſis de Scriptoribus

toribus Ordinis Prædicatorum. Lucas Vvadingus in Catalogo Scriptorum Ord. Minorum. Ludouicus Iacob à S. Carolo, Bibliotheca Pontificia, qui licèt promittat Carmelitanam, Gallicam, Cardinalitiam, ac Cæſario Regiam, exiſtimo quod nunquam lucem viderunt. Leo Alatius apes Vrbanæ. Ludouicus Caruo Peruſinus edidit Catalogum Interpretum D. Thomæ. Laurentius Cundi in Bibliotheca Homiliarum, & Laurentius BerelinK in Theatro vitæ humanæ.

Margarinus de la Bigne in Bibliotheca VV. Patrum, ſecundùm omnes impreſſiones. Marcus Mayer Bibliotheca Cluniacenſis. Michael Neander in Bibliotheca vniuerſali. Michael Poccantius Ordinis Seruorum Bibliotheca Florentina. Malutius Bibliotheca Theologica. Mutius Panza in Bibliotheca Vaticana. Michael à Fonte, Carmelitanus Catalogus Illuſtrium perſonarum. Mechor Adamus in volumine Theologorum, & Philoſophorum Germanorum. Marcus Mantua vita, & Catalogus recentiorum IurisConſultorum. Michael de la Noue Pareſinus Bibliotheca SS. Patrum concionatoria. Matthias Aquarius de Scriptoribus ſuper Sententias.

Nicolaus Verder in Bibliotheca Hiſtorica.

Otho Bonfelius ſcripſit Catalogum illuſtrium Medicorum, ſed ſimiles non fuerunt ad rem.

Paulus Balduanus Bibliotheca Hiſtorica, imprſſ. Lipſiæ. Petrus Belſonerus Bibliotheca Theologica, ſiue In lex Bibliorum. Petrus Diaconus de Illuſtribus viris Ordinis Sancti Benedicti. PetrusDorlandus, Carthuſianus de Illuſtribus viris ſui Ordinis. Petrus Leouardienſis de Illuſtribus Eccleſiæ Scriptoribus. Petrus Lucius Bibliotheca Carmelitana. Petrus de Riua de Neira, & Philippus Alegambe Societatis Ieſu, licèt ediderint Bibliothecas pro ſuaReligione nihil pro noſtro inſtituto iuuant, quia ex hac ſacra Religione nullus hucuſque allegatur, nec fuit pro contraria opinione de Sanctificatione. Petrus Sutor de Scriptoribus Carthuſianis. Philippus Freſalius, Carmelitanus, de illis qui ſcripſerunt de Myſterio Incarnationis. PetrusMaffeus de Scriptoribus S. Dominici. Petrus Blancot in Bibliotheca SS. Patrum Photii Bibliotheca vtriuſque impreſſionis. Paſchalius Gallus edidit Bibliothecam Medicam, quam etiam vidimus.

Richardus Gibbonus in Catalogo de Scriptoribus de Beata Virgine Maria, qui extat inter opera Richardi à S. Laurentio. Robertus Bellarminus de Scriptoribus Eccleſiaſticis vtriuſque impreſſionis. Robertus Conſtãtinus in Nomenclatura inſignium Scriptorum. Roduplus Toſignianus in Catalogo Scriptorum Ordinis Minorum. Rodulphus Diceterius de claris Scriptoribus. Rodulphus Offnalter de eiſdem Scriptoribus, lib. impreſſ. ann. 1559. in 4.

Sixtus Senenſis in Bibliotheca Sancta, lib. 4. Sceuola à S. Maria Catalogus Scriptorum Galliæ. Sigibertus Glembacenſis de Scriptoribus Eccleſiaſticis. Sufridus Petrus Leouardienſis de Scriptoribus Frixiæ. Simphorianus Campegius de Scriptoribus medicis, atque Seraphinus Razzi de vitis Beatorum Ordinis Prædicatorum. Sylueſter Maurolycus in mari Occeano, de Scriptoribus Ciſtercienſibus.

Theodorus Petreius Bibliotheca Carthuſiana. Thomas Gratianus Anaſtaſis, Auguſtiniana, id eſt, de Scriptoribus Eremitarum. Thomas de Herrera Alphabetum Auguſtinianum in duobus Tomis. Thomas Gomez Catalogus librorum Bibliothecæ publicæ apud Ioſephum Varneſium. Thomas Tamaius de Bargas Catalogus Scriptorum Hiſpaniæ, quem manuſcriptum legi in Bibliotheca DD. Cardinalis Franciſci Barberini. Thomas Iammes Catalogus librorum Bibliothecæ publicæ, quam vir ornatiſſimus Thomas Boddeius in Academia Oxonenſi, nuper inſtituit, Oxoniæ ann. 1605. Theſaurus Bibliothecæ, ſiue Cornucopia librariæ Bellerianæ.

Valentinus Paſſeus Nomenclatura præcipuorum in Theologia Scriptorum. Valerius Andræas Deſſelius, IurisConſultus, Bibliotheca, ac Nomenclatura Belgica vtriuſque impreſſionis. Valerius Andræas Catalogus de claris Hiſpaniæ Scriptoribus. Vvolfangus Latius Catalogus Scriptorum Auſtriæ. Vbertus Folietus clarorum Ligurium elogia. Valentinus Foſterus de Scriptoribus Iuris.

Auctores ergo, libri, aut opera, quæ in propoſitis BIBLIOTHECIS, atque NOMENCLATVRIS, non inueniuntur vnde probandum,

dum, vel quomodò credendum eſt eos fuiſſe in rerum natura? Caditne, aut cadere poteſt ſub aliqua humana, rationabilique conſideratione, quòd quatuor Dominicani Nomenclatores. Leander Albertus, Antonius Senenſis, Ioannes Michael Pius, & Alphonſus Placentinus, qui ſolùm ſcripſerunt ab anno 1518. viderint Auctores, atque Doctores, atque habuerint ad manus opera, & libros antiquorum, quos nullus ex Nomenclatoribus ſuprà relatis ſcribentibus, ferè ab ortu Eccleſiæ per diuerſa ſæcula, vidit, aut inuenit? Poteſt ne in cor hominis aſcendere, tàm ſimplex excogitatio, vt exiſtimet, quòd nouem Patres Dominicani; ſcilicèt, Turrecremata, Anonymus, Bandellus, Deza, Vincentia Caſtellanus, Caietanus, Spina, & Gryſaldus ſcribentes, pro ſua Sanctificationis opinione inuenerint Auctores, & Doctores, atque Sanctorum Patrum teſtimonia, Tractatus, Sermones, &c. quos tota vniuerſalis Eccleſia neſcit, & Nomenclatura catholica ignorauit, & hucuſque ignorat? Qui ergo, vel quales poſſunt eſſe Auctores, ac libri iſti, ita reconditi, & ab omnium oculis abſconditi, vt nullus antiquorum, qui in eadem Conceptionis controuerſia pro præſeruationis ſententia impugnando Aduerſarios ſui ſæculi, atque ætatis laborarunt libros integros, atque ſpeciales Tractatus, de illis vllam habuerint notitiam particularem, aut ſaltem vniuerſalem? Et vt incipiam à primis, & antiquioribus viſis, & lectis pro hac veritate indaganda.

Franciſcus de Mayronis varia edidit pro hoc myſterio Opuſcula in libro Sermonum, impreſ. ann. 1493. Item quæſtiones ſingulares, quas manuſcriptas habemus, quæ fortè aliquando lucem videbunt cum aliis ſub titulo: *Monumenta antiqua Immaculatæ Conceptionis, &c.*

Petrus Aureolus de Verberia tàm in quæſtione inſigni de Conceptione in ſeptem Articulos diuiſa, in ſuis Sententiariis, à fol. 379. vſque 385. quàm in libro ſpeciali manuſcrip. Toloſæ, in Collegio Fuxenſi.

Petrus Thomas in illo celebri Tractatu de originali innocentia Virginis Mariæ, ſiue de conceptu virginali, quem manuſcriptum habemus.

Ioannes Vitalis in ſuo copioſiſſimo Deffenſorio, de quo ſæpè in hoc libro.

Anonymus antiquiſſimus in quęſtione, quæ incipit: Vtrùm B. Virgo Mater Chriſti fuerit concepta in peccato originali.

Ioannes Alanus, Doctor Pariſienſis, qui cum Vitale iuſſu Academiæ, minutiſſima quoque ſcripſerunt, vt conſtat ex ipſorum Tractatibus manuſcriptis, apud nos exiſtentibus.

Petrus Philaretus de Candia poſteà Alexander V. renuntiatus, in ſua quæſtione incipiente: Quæritur vtrùm caro, ex qua formatum corpus Chriſti, fideliter creditur, fuerit aliquando ſordibus originalis criminis deturpata, &c. quam manuſcrip. duplicatam habemus.

Ioannes Contreras de Segouia in ſuo eruditiſſimo Tractatu, pro facienda relatione coram Patribus Concilii Baſilienſis, quem manuſcrip. vidimus.

Petrus Montis, Philoſophus, ac magnæ eruditionis vir in illo primo Opuſculo de Conceptione, incluſo in libro de vnius legis veritate, &c. impreſſo Mediolani, ann. 1522. Item etiam in ſecundo in libro de Agnoſcendis hominibus, traducto à G. Aiora, Cordubenſi, & impreſ. ann. 1492. in fol. & etiam in 4. ſeorſim abſque ann. impreſſionis.

Dominicus Bolanus artium, & Philoſophiæ Doctor, in Tractatu, ſeu quæſtione, impreſ. cum Roberto Caracciolo de Licio, abſq; anno, & loco impreſ. in 4. cuius prologus incipit: Glorioſiſſimo Principi Domino Nicolao Marcello, Sereniſſimo Venetiarum Duci, &c. opus verò ſic: Non paruo dolore animi afficior, cùm audio quoſdam, &c.

Ludouicus à Turri de Verona in libro ſub titulo: Compendium virginei honoris, & defenſionis innocentiſſimæ Conceptionis, &c. impreſ. Brixiæ, ann. 1486. in 4.

Antonius Cucharus, Epiſcopus Azernenſis, in ſuo nunquam ſatis laudando Elucidario de incontaminata Conceptione, impreſ. Neapoli, ann. 1507.

Bernardinus de Buſtis, qui in ſuo Roſario, part. 2. in nouem Sermonibus omnem Conceptionis materiam diffusè tractauit.

Ludouicus à Caruajalio in Declamationibus expoſtulatoriis, pro Immaculata Conceptione Genitricis Dei Mariæ, &c. vna impreſ. ann. 1533. & altera ann. 1541.

Robertus Gaguinus, Generalis Ordinis SS. Tri-

Trinitatis, in illo poemate contra Vincentiũ Bandellum de Caſtronouo, ſemel, & iterùm, atque tertiò excuſſo. Tandem inter antiquos etiam numero.

Ambroſium Catharinum, Archiepiſcopum Ordinis Prædicator. & Italum Senenſem, qui tres diuerſos edidit Tractatus magnos, pro Immaculata Virginis Conceptione, in quibus ex ſua Religione adducit pro contraria ſententia Sanctificationis, Franciſcum Ferrarienſem, & Ioanem Dominicum Florentinũ, ſi ergo in ſuo Ordine eſſent Auctores, illi à ſuprà poſitis nouem Patribus Dominicanis adducti, vel opera illorum; ſcilicèt, Vincenti de Caſali, Gerardi, vel Georgii Adæ, Alberti de Brixia, Aldebrandini de Tuſcanella, Angeli de Bononia, Annibaldi Romani, Antonii de Bononia, Bubliæ, Parnaſi, Montisluporum, Montis Budelli, Pantaleonis, Brizii, & omnium aliorum, de quibus loquuti ſumus in Trituratione, & præcipuè dicemus in ſequẽti Ventilatione, nõ ipſos prætermitteret, vel ſaltem aliquos in medium adduceret, & hæc de Scriptoribus antiquis, qui ex profeſſo, & latè ſcripſerunt de preſenti materia Conceptionis, & verè, ac realiter nunc exiſtunt.

De illis verò, qui incidenter, ſicut & de modernioribus ſcribentibus hoc ſęculo, id eſt, ab anno 1550. vſque ad præſentem, nihil hîc dico, quia vno verbo affirmo, me vidiſſe omnes, quotquot hucuſque ſcripſerunt, vt ex noſtra *Militia Immaculatæ Conceptionis contra malitiam originalis peccati*, ordine Alphabetico diſpoſita conſtabit, cùm ergo in nullo iſtorum ſit illa incognita caterua Scriptorũ, de quibus hîc indagamus veritatem pro gloria, honore, ac indemnitate totius Prædicarię Familiæ, ſaltem quoad nomina; ergo ſignum euidens eſt, quòd nunquam fuerunt in rerum natura, nec ipſos oſtendent Aduerſarii, licèt eos quærant vſque ad magni iudicii diem, quia in rei veritate fuerunt ſuppoſiti, & ficti ab vno Vincentio Bandello de Caſtronouo, huiuſmodi falſitatum, confuſionum, atq; fictionũ vnico patratore maximo, cõtra quẽ ſolummodò, ac ſuos defenſores, & aſeclas totam præſentis operis dirigimus belli aciẽ, quia ipſe ſolus cum ſuis quatuor libris de veritate Conceptionis ſub diuerſis figuris, ac velaminibus, in præclara Religione Prædicatorum introductis, ſeduxit omnes.

Quare cum Eccleſiaſtico, cap. 42. dicam pro hoc veritatis Sole (obſerua verba eius, quia ſunt notatione digna) Memor ero igitur operum Domini, & quę VIDI annuntiabo. In Sermonibus Domini OPERA eius. SOL illuminans per omnia RESPEXIT, & gloria Domini fecit SANCTOS enarrare omnia mirabilia ſua, quæ confirmauit Dominus omnipotens STABILIRE in gloria ſua. Abyſum, & cor hominum INVESTIGAVIT, & in ASTVTIA eorum excogitauit. Cognouit enim Dominus omnem SCIENTIAM, & inſpexit in ſignũ æui annuntians quæ PRÆTERIERVNT, & quæ ſuperuentura ſunt, REVELANS veſtigia OCCVLTORVM. Non præteriit, illum omnis COGITATVS, & non abſcondit ſe ab eo vllus SERMO. Magnalia ſapientiæ ſuæ DECORAVIT qui eſt ante ſæculum, & vſque in ſæculum, neque ADIECTVM eſt, neque MINVITVR; & non eget alicuius conſilio. Quàm deſiderabilia omnia opera eius, & tanquam ſcintilla, quæ eſt conſiderare! Omnia hæc viuunt, & manent in ſæculum, & in omi neceſſitate omnia obauddiunt ei. Omnia DVPLICIA, vnum contra vnũ, & non fecit quidquam DEESSE, vniuſcuiuſque CONFIRMAVIT bona. Et quis ſatiabitur videns GLORIAM eius? Altitudinis firmamentum. Pulchritudo eius eſt, ſpecies cœli in viſione gloriæ. SOL in aſpectu annuntians in exitu, vas admirabile opus excelſi. In meridiano EXVRIT terram, & in conſpectu ardoris eius quis poterit ſuſtinere? Fornacem cuſtodiens in operibus ardoris, tripliciter SOL exurens montes, RADIOS igneos exufflans, & refulgens radiis ſuis OBCÆCAT oculos. Magnus Dominus qui fecit illum, & in Sermonibus eius FESTINAVIT iter, &c. quia ſic incipit ſuam Ventilationem veritatis ad gloriam, & honorem illius qui eſt Alpha, & Omega, principium, & finis omnis veritatis, atque ſuæ Immaculatiſſimæ Matris MARIÆ.

VEN-

VENTILATIO,

præcipua totius noſtri operis pars incipit; in qua TRECENTORVM QVINDECIM Doctorum antiquorum, necnon SEXCENTARVM QVADRAGINTA auctoritatum pura grana reiiciendo paleas, ac repellendo zizania improba (à Veritatis Sole, Ventilabro Seraphico, ordine Alphabetico diſcurrente per ſingula) fictionum, falſitatum, atque adulterationum vitia capitalia, magna, & maxima TRIGINTA TRIA MILLIA ſeparantur, corrumpentia penitùs propoſitiones Sanctorum, ac totaliter pervertentia ſententias Patrum: atque cum minoribus vitiis intruſis, quæ variant, & alterant ſenſum, licèt non totaliter, verbatim enumeratis ſignantur CENTVM VIGINTI SEX MILLIA, & ampliùs; in Sacratiſsimæ Virginis, ac Matris Dei Mariæ Conceptione Immaculata, ac nitida hucuſque ſuperſeminata, vt iam demonſtrare incipio.

ABEL Dominus, vel Ales, in diſtinctionibus ſuis, cap. de Beata Maria: & cap. de Sanctificatione: *Ita Vincentius Bandellus de Caſtronouo in Diſputatione de Concept. cap. 21. Didac. Deza, ſiuè Corrector Hiſpanus, fol. 36. Paul. Cryſaldus Alphabeto 2.*

VERITAS 1.

DOCTOR Iſte ex omnibus citatis ab Aduerſarijs pro ſua opinione ſequendo noſtrum propoſitum Alphabeti ordinem, primus eſt, qui ad huius Ventilationis examen pertinet: & ſimiliter eſt primus, qui vt alter Abel innocens egreditur foras in agrum, &c. Et à quo horridæ cuiuſdam noctis introductas tenebras, & obtruſas hucuſque in omnium ferè oculis cæcas nebularum caligines de Immaculata Conceptionis materia, virtute inſuperabili irrumpendo, Seraphicus noſter Sol ad fulgentiſsimam Veritatis lucem, ſic iam iam extrahere incipit.

Vincentius Bandellus in præallegato cap. 21. ſub hoc titulo: *In quo ponuntur auctoritates Doctorum 27. Theologorum, antiquorum, & clariſsimorum*, circa finem, inquit: *Idem tenet Dominus Abel in diſtinctionibus ſuis, in cap. de B. Maria, & capitulo de Sanctificatione*, & nihil ampliùs de hoc ſuo clariſsimo Abel, quia nullam adducit auctoritatem, contra promiſſa in capituli titulo: *In quo ponuntur auctoritates Doctorum, &c.* Adducit enim iſtum ſine auctoritate, & ſimul alios duodecim Doctores ex illis viginti ſeptem. Paulus Gryſaldus, qui in ſuo Cathalogo in omnibus ſequitur veſtigia Bandelli tanquam armiger eius, de quo ipſe ſe iactat, Alphabeto 2. de antiquis Patribus, poſt Abramum de Syria, de quo nos infrà num. ſequenti, ſic inquit: *Ales in Diſtinctionibus ſuis cap. de B. Virgine, & cap. de Sanctificatione.* Et nihil ampliùs, ſicut fecerat Bandellus. En, ò Lector, prima Aduerſariorum diſcordantia, ſeu contradictio circa nomen huius Doctoris. Auctor vnus, & idem eſt, vt patet ex libro Diſtinctionum, citationibus, ac aliis circunſtantijs; quomodo ergo ab vno vocatur *Abel*, & ab alio *Ales*? Niſi velint dicere, quòd Doctor iſte habuit vtrumque nomen, & dicebatur Abel de Ales, ſicut Alexander de Ales, & Thomas de Ales, de quibus infrà ſuis locis; ſed hoc quærere, effugium eſſet, tertiam, atque maiorem adin-

uentionem addere, quia si Abel non est, & Ales non fuit, Abel de Ales, nec est, nec fuit, nec iste erit: quare si prima extitit mala, & secunda peior, tertia esse pessima, vt ex statim dicendis apparebit. Religiosè igitur discurrendo, hæc nominum diuersitas potuit prouenire ab Scriptoris penna, aut Impressoris Typographia, aut Correctoris incuria; vel quia ipsemet Grysaldus lapsus fuit calamo, & ex nominum similitudine deceptus pro *Abel*, transcripsit *Ales*. Vel denique potuit esse, quòd Grysaldus ex determinata intentione voluerit corrigere Bandellum: videns enim, & audiens clamare nostros quod talis Abel scriptor Dominus, aut seruus, Theologus, vel Iurista, antiquus, aut modernus, clarus denique, aut obscurus nunquam fuerat visus in rerum natura, neque auditus in tota Nomēclatura Ecclesiastica, decreuit excogitare aliud nomen habens saltem aliquam veritatis apparentiam, & sic finxit illud *Ales*, sicut poterat aliud. Sed quidquid sit de hac nominis variatione, causa, & fine; amice Lector Abel, & Ales pari pede currunt: quia non solùm nomen Ales gratis excogitatum à Grysaldo est phantasticū, & chimericum; sed etiam ipsum nomen Abel primò adductum à Bandello fuit penitùs somniatum, suppositum, & fictum: quia huiusmodi nominis Scriptor nunquam extitit in Ecclesia Dei: & licèt hoc possem probare ex omnibus Nomenclatoribus, tàm antiquis, quàm modernis, quia nullus de tali Abel mentionem facit (& credo me vidisse omnes) tamen propositam conclusionem euidenter demonstro ex ipsa rei veritate, quæ sic se habet.

Circa annum 1200. fuit quidam Doctor Parisiensis, cuius proprium nomen fuit Petrus Cantor, qui secundùm aliquos fuit Ordinis Cisterciensis, & postea Episcopus. Hic inter alia plura sui ingenij monumenta scripsit librum illum dictum: *Verbum abreuiatum*, qui manusc. extat in Bibliotheca Regia Scorialis 1. E. num. 17. & etiam in Monasterio Cistercienſ. Dunensi in Villario Brabantiæ, & in S. Martino Tornaci. Scripsit etiam aliud opus prænotatum. *Distinctiones Theologicas, &c.* ad conficiendas cum facilitate conciones, procedendo ordine Alphabetico, per dictiones Sacræ Scripturæ, & incipit opus sic: *Abel iustus dicitur principium Ecclesiæ, propter innocentiam, vnde Christus perhibet testimonium dicens, à sanguine Abel iusti, &c.* De hoc Petro Cantore, & suo opere Distinctionum, quòd extat originaliter Dunis, & Alnæ, Romę, ac Toleti, & alibi, de quo agunt Tritemius, fol. mihi 62. Angelus Manrique tom. 3. Annal. Cistercien. ad ann. 1197. cap. 2. n. 10. & 11. & 12. Carolus de Visch. in Bibliot. Cisterc. à fol. 213. Gesnerus fol. 669. & alij quàm plurimi. Cum ergo sit certum, atque indubitatum librum Distinctionum hìc citatum à Bandello esse Petri Cantoris (vt etiam ex ipsismet auctoritatibus statim comprobabitur) quare relicto proprio nomine Petri Cantoris satis noto, adduxit Abel, quando talis scriptor non fuerat in rerum natura? Et dico, quòd hoc potuit prouenire à duplici causa. Prima est, quod Bandellus tantùm desiderabat multipiicare Auctores, & numerum eorum pro sua opinione, & simul quòd ipsorum notitia, auctoritates, ac verba manerent occulta, atque æterna obliuione sepulta; quia in rei veritate non probabant suam propositam conclusionem, scilicèt: Virgo Maria contraxit peccatum originale: ideò passim transmutauit nomina, & sub diuersis figurarum velaminibus introduxit ridiculos Auctores, & hoc ipsum fecit cum Petro Cantore, sicut cum multis alijs, vt videbitur infrà. Secunda causa esse potuit quædam æquiuocatio proueniens ex nimia simplicitate; nam cùm prę allegatus liber Distinctionum procedat ordine Alphabetico, & in aliquibus originalibus manuscriptis extet liber Anonymus, id est, sine Auctoris nomine, quorum ego vidi aliqua originalia, præcipuè duo in Bibliotheca S. Ecclesiæ Toletanę, vnum in folio, & alterum in 4. & post titulum istum: *Incipiunt Distinctiones pervtiles*, statim maiusculis characteribus incipit opus, sic: *ABEL iustus dicitur propter innocentiā, &c.* Cùm nō inuenisset Auctoris nomen, & in capite, seu libri principio vidisset illud, ABEL, absque alio examine, scientia, vel discursu existimauit Bandellus illum Abel fuisse libri Auctorem; & sic cum omni confidentia scripsit: *Idem tenet Abel Dominus in Distinctionibus suis, &c.* Si enim liber ille sicut incipit ab Abel, incepisset ab Adam, Abraham, vel Aaron, eadem simplicitate adduxisset Patriarchas istos contra Immaculatam Virginis Mariæ Conceptionem. Sed valdè miror, & scire desidero, vnde Bandellus extraxerit illud cognomē *Dominus*? Quia in illa Distinctione nunquam Abel tali compellatur titulo, sed semper dicitur iustus, vel innocens, & ideò non debebat dicere: *Idem tenet Abel Dominus*. Sed *Idem tenet Abel Iustus*, vel *Innocens*, quia sic saltem diceret veritatem, quoad literā de suo Pseudo-Abel, & non diceremus quod in causa Mariæ fugit à iustitia, & innocentia: & hæc dicta sufficiant de hoc suo primo Auctore, Abel, seu Ales, Domino, Theologo, antiquo, clarissimo, chimerico, phantastico, atque ficto.

Auctoritatem nullam adducunt Aduersarij ex illis duobus capitibus ab ipsis citatis: *De B. Maria*, atque: *Sanctificatione*, & suæ omnissionis causa per se nota videtur, scilicèt, vt cum hac verborum occultatione non venirent veritatis amatores in cognitionem Auctoris legitimi Petri Cantoris, & auctoritas solùm in fide ipsorum propositam conclusionem probaret.

Sed

Sed iam radiauit Sol quoad Auctorem, & nunc illucescet quoad Auctoritatem, & incidenter notet Lector, quòd hinc incipit verificatio illius propositionis, de qua in Ventilabro, §. 2. ad finem, videlicet, vbicunque Aduersarij adducto Auctore tacent auctoritatem, aliqua fictio magna latet in Auctore, vel auctoritas non est ad rem: quod primo patet in præsenti, nam Petrus Cantor in Distinctionibus suis præallegato capit. de Maria, quod incipit: *Maria Virgo non de Regina voluit nasci*, fol. 103. inquit: *Maria Virgo fuit desponsata Ioseph septem de causis, vt significaret Ecclesiam, quæ Virgo est, & sine macula, & ruga Christo desponsatam.* Deindè prosequitur: *Maria Virgo dicitur virga, vnde Isaias: egredietur virga, id est, Maria, de radice Iesse, id est, de stirpe Dauid, & flos, id est, Christus de radice, &c. Maria Virgo dicitur amica in natiuitate; quia in vtero sanctificata fuit, vt Ioannes, Ieremias, Iacob, non aliàs eius Natiuitas coleretur, & de Natiuitate Ioannis eadem est ratio,* Capite verò, de sanctificatione, fol. 163. sic inquit: *Sanctificati fuerunt ab vtero Beata Virgo, quæ superabundauit, & similiter affluenter repleta fuit Spiritu Sancto, Elias, Ieremias, Ioannes Baptista, &c.* Hæc sunt verba omnia, quæ extant in locis citatis ab Aduersariis in illo libro Distinctionum, elaborato secundùm ipsos ab Abel; sed secundùm rei veritatem à Petro Cantore.

Ex his volunt colligere Aduersarii, quòd si Virgo fuit Sanctificata in vtero, sicut Ioannes, & Ieremias, & isti contraxerunt originale: ergo & Maria: sed hæc consequentia non tenet, quod sic demonstro; quia Aduersarij non semel, nec ter, vel quater; sed millies dicunt, & affirmant, hos omnes Doctores à se relatos, clarè, expressè, in singulari, ac nominatim tenuisse, & affirmasse Virginem Mariam contraxisse originale peccatum, vel fuisse Conceptam cum macula originali; hic autem solùm dicitur, quòd fuerit sanctificata in vtero: ego verò existimo, quòd istæ duæ propositiones: Maria fuit sanctificata in vtero; & Maria contraxit peccatum originale; distant inter se plusquàm cœlum à terra, lux à tenebris, & sicut granum à palea: nam quòd fuerit sanctificata in vtero omnes maiores, & minores concedunt, quod verò contraxerit originale, omnes negant (exceptis Aduersariis) ergo Petrus Cantor in suis verbis solùm affirmat, quod omnes concedunt. Pro quo scire debes, ò Lector! quod olim fuit controuersia exagitata inter Doctores, de sanctificatione Virginis Mariæ in vtero: negabant aliqui dicentes, quòd de tali sanctificatione nihil erat expressum in Scriptura Sacra, & sic nō debebat celebrari eius natiuitas; quia non ante, sed post natiuitatem fuerat sanctificata; alii verò verè, & constanter affirmabant, quòd Maria ante natiuitatem in vtero matris suæ fuerat sanctificata, & per consequens, quòd dies natiuitatis eius debebat celebrari, & hi vicerunt, & triumpharunt hoc vnico solo, & efficacissimo argumento: do verba S. Thomæ in 3. part. quæst. 27. artic. 1. vbi quærit, an Maria sanctificata fuerit ante natiuitatem, ex vtero (vt hinc incipiant argumenta ad hominem) *Dicendum, quòd de sanctificatione B. Mariæ, quòd scilicèt fuerit sanctificata in vtero, nihil in Scriptura Canonica traditur, quæ etiam de eius natiuitate mentionem facit, sicut tamen Augustinus in sermone de Assumptione ipsius Virginis rationabiliter argumentatur, quòd cum corpore sit assumpta in cœlum (quod tamen scriptura non tradit) ita etiam rationabiliter argumentari possumus, quòd fuerit sanctificata in vtero. Rationabiliter enim creditur, quòd illa, quæ genuit Vnigenitum à Patre plenum gratiæ, & veritatis, præ omnibus alijs maiora priuilegia gratiæ acceperit. Vndè, vt legitur Lucæ 1. Angelus ei dixit: Aue Maria gratia plena. Inuenimus autem quibusdam alijs hoc priuilegialiter esse concessum, vt in vtero sanctificarentur, sicut Ieremias, cui dictū est, Ieremiæ 1. Antequàm exires de vulua, sanctificaui te, & sicut Ioannes Baptista, de quo dictum est Lucæ 1. Spiritu Sancto replebitur, adhuc ex vtero matris suæ. Vndè rationabiliter creditur, quòd B. Virgo sanctificata fuerit, ante quàm ex vtero nasceretur.* Hoc idem dicit in 3. dist. 3. artic. 1. quæst. 3. Cùm ergo Maria in sanctitate, gratiis, ac priuilegiis à nullo illustrium virorum, vel Sanctorum superata fuerit, & Ioannes Baptista, Ieremias, & Iacob fuerint sanctificati in vtero: ergo & Maria. Hoc dogma desiderabant omnes antiqui stabilire, quando dicebant: Virgo Maria fuit sanctificata in vtero; & hoc ipsum constat ex omnibus Doctoribus Scholasticis, tàm ex Aduersariis, quàm ex nostris, nam in 3. sentent. dist. 3. Primo inquirunt vnanimiter, an sanctificata fuerit in vtero; deindè pergunt ad inquirendū, an sanctificata fuerit ante contractionem peccati originalis, vel postquàm ab illo fuit maculata. Adduco ad euidētem huius rei comprobationem testes duos primos scriptores pro Immaculata Virginis Conceptione, Ioann. Vitalem, & Ioann. Alanum, qui vnanimiter lib. 4. vnus quæst. 3. & alter collation. 3. excitata hac quæstione: Vtrùm Virgo Maria fuerit sanctificata ante quàm nata: positis aliquibus argumentis pro parte affirmatiua, sic argumentantur, inter alia, pro parte negatiua, in quæstione speciali: *Item de nullo est asserendum, esse ante sanctum, quàm natum, nisi habeatur expressè in Sacra Scriptura, vel trahatur euidenti ratione, vel alia euidenti causa: Sed nihil horum habetur de tali Virgine: ergo est solùm opinandum, & non asserendum, nec credendum eam,*

ante sanctam, quàm natã. Et ad hoc argumentum sic respondent: *Ad 4. negatur maior, imò hæc habetur expressè in scriptura in nomine figurato, licèt non in proprio, vt suprà ostensum est: Domum tuam Domine, decet sanctitudo, &c. Item hoc trahitur euidenter ex Scriptura Sacra à minori, vt suprà de Ioanne, & Ieremia. Item hæc habetur auctoritate Ecclesiæ, pro qua orauit Christus: ne deficiat fides tua, &c.* Petrus ergo Cantor in relatis verbis probat hanc ipsam conclusionem, dicendo, quòd si Baptista, Ieremias, Iacob, & Elias fuerunt sanctificati in vtero, superafluentiùs fuit Maria sanctificata; & quòd si celebratur natiuitas Ioannis propter sanctificationem, à fortiori debet celebrari Natiuitas Mariæ, siquidem in sua natiuitate erat amica, & Sancta. De hoc vide plura infrà verb. Scriptura, num. 280. auctorit. 10. & in Ægidio Romano in 3. dist. 3. art. 2. & in Albert. Magn. num. 8. auct. 2.

Sed neque ex verbis Petri Cantoris sigillatim sumptis potest aliquod deduci argumentum contra Immaculatam Virginis Conceptionem; non ex illo *Sanctificata*, quia hic solùm refert puras creaturas, quæ in vtero Matris fuerunt sanctificatæ, & inter ipsas, vt primam, & præcipuam enumerat Mariam, & in hoc verum dixit, & rectè processit, quia Maria verè, realiter, ac proprijssimè fuit sanctificata in vtero, quod nullus negat, nec negare potest. Deindè, quia secundùm vocabuli vim, ac Ethymologiam proprijssimam, sanctificare est, Sanctũ facere; sicut sanctificari, Sanctum fieri; siuè fit à termino priuatiuo, siuè negatiuo: nam Angeli in quibus nullum fuit pecatum, dicuntur sanctificati; imò Christus Dominus, & ipsemet Deus, ac nomen eius ineffabile, sanctificatur quotidie in oratione Dominica, in quibus nec fuit, nec potest esse macula ergo non rectè ex præciso verbo, *Sanctificata*, volunt concludere Aduersarij contractionem peccati originalis. Accipite vestrum Caietanum loquentem iuxta subiectam materiam qui in coment. 3. part. artic. 2. ad illa Angelici Præceptoris verba: *Respondeo dicendum, quòd sanctificatio B. Virginis, &c.* sic inquit: *Aduerte hinc primo, quòd sanctificatio potest dupliciter sumi, primo vt est de contrario in contrarium, de immunditia ad munditiam: & sic constat, quod est de peccato in gratiam. Secundo, vt est de negato in affirmatiuum, de non Sancto in Sanctum, de non gratia in gratiam: & sic non supponit peccatum, & inuenitur in Christo, & in Angelis. Angeli enim sanctificati sunt à Deo, qui nunquam peccarunt, & de se ipso dicit Christus: quem Pater sanctificauit, &c.* Cùm ergo hoc sit principium per se notum, secundum Theologiam; imò & fidem, vt (latè etiam demonstrabitur infrà num. 253. in vestro Petro de Tarantasia) absolutè errant, qui ex his verbis, Maria fuit sanctificata in vtero, deducunt: ergo à peccato: nã & S. Augustinus loquens de Conceptione Christi, super Ioannem, tract. 119. cap. 108. tom. 9. inquit: *In quo & ipse filius hominis sanctificatus est abinitio creationis suæ, quando Verbum factum est caro, &c.* Et S. Ambros. vt videbimus num. 15. auct. 2. loquens de carne Christi, inquit: *Est enim sanctificata in vtero, & nata sine peccato, &c. Expiata autem est ab Spiritu Sancto caro Domini.* Item; quia in Conceptione actiua, & Verbi Incarnatione secundùm omnes dicitur Maria à Spiritu Sancto sanctificata; & tamen non fuit à peccato vllo erepta, sed ad maiorem gratiam euecta; non ergo in Maria sanctificatio, & peccatum habent necessariam connexionem. Neque hoc possunt deducere ex illo aduerbio *Vt*, quia ibi non est similitudinis, sed illationis nota; ac si diceret (vt expressè dicit Petrus Cantor) Maria in sua natiuitate fuit amica Dei, & sic eius natiuitas debet celebrari; quia si natiuitas Ioannis celebratur, quia fuit sanctificatus in vtero, etiam Maria fuit sanctificata, *vt* Ioannes, Ieremias, & Elias, quid clarius.

Sed iam nudemus Auctorem, & auctoritatem eius ab omni interpretatione, & sumamus non solùm verba, vt sonant præcisè; sed etiam vt intelliguntur ab Aduersarijs, id est, Maria sanctificata est in vtero, vt Ioannes, & Ieremias, videlicèt à peccato originali contracto. Cum hoc quomodo stare possunt antecedentia verba Petri Cantoris dicentis, quòd Maria fuit sine macula, & ruga? Si Maria figurauit Ecclesiam desponsatam Christo sine macula, & ruga: Maria, quomodo potuit esse cum macula, & ruga peccati originalis? Vel ergo Auctor se ipsum contradicit, vel absque vlla ratione, & fundamento citatur ab Aduersarijs pro sua opinione. Videntes ergo Aduersarij hoc indissolubile dylemma constare ex ipsis Petri Cantoris verbis, noluerunt ipsam auctoritatem in medium adducere, nec Auctorem verum, sed fictum Abel Dominum. At si Abel, quem hic citant, est vt esse debet (si scriptis, & veritati standum sit) ille iustus, & innocens interfectus in principio mundi à fratre suo Cain, & hic adducitur contra Immaculatam Virginis Conceptionem, certè, certè quèd etiam Virgo Maria in principio huius Ventilationis potest suo modo dicere, quod olim Deus in principio mundi dixit: Sanguis Abel clamat ad me de terra.

ABRAM

ABRAM Syrus Sanctus, vt recitatur in vitis Patrum in legenda eius, quam composuit B. Ephrem. *Ita Vincentius Bandellus cap. 14. Dezafol. 22. Paulus Gryſaldus.*

VERITAS 2.

CERTVM Eſt S. Ephrem Syrum ſcripſiſſe latiſsimè vitam B. Abrami etiam Syri, vt videre eſt in eius operibus Impreſſ. Antuerpiæ 1619. & Coloniæ 1603. & alibi; ſed notare debes, ò Lector, quod Abram iſte Syrus, nec fuit Doctor, nec Scriptor; & ſic ſolum adducitur ab Aduerſarijs ad multiplicandum Auctorum numerum pro ſua opinione; Doctor enim adducendus ſecundùm rei veritatem erat S. Ephrem, qui vitam, & acta diſpoſuit, & ſcripſit prædicti Abrami; ſed cum adduxiſſent Ephrem in Sermone de Paſsione Domini, vt ſuo loco videbimus, num. 72. alterum in Abramum ſimpliciſsimum Eremitam, qui nec vnam ſolam ſcripſit litteram, voluerunt ſuæ opinionis oſtentare patronem; vnde Auctor iſte ſi non fictus, ſaltem reputandus erit inter multiplicatos: & hæc de Auctore; auctoritates huius adducunt tres.

Primam, ſic dicentes: Idem tenet S. Abrã Syrus, vt recitatur in vitis Patrum in legenda eius quam compoſuit B. Ephrem; hic in principio ſuæ conuerſionis, dum exoraret Deum, ſic dicit: *Tu Deus qui ſolus ſine peccato es, ne deſpicias opus manuum tuarum, hæc ille.* In originalibus verò verba ſic extant: *Tu Domine, qui ſolus abſque omni peccato es, quique ſolus es miſericors, & ſolus clemens, atque benignus, ne deſpicias opus manuum tuarum.* In primis falſum eſt, quod hæc verba protulerit S. Abram in principio ſuæ conuerſionis, nam hic fuit ſanctiſsimus vir, non ſolùm à iuuentute, ſed ab ipſis incunabulis; dixit enim propoſita verba in quadam infidelium conuerſione. Deinde auctoritas penitùs eſt vitiata, vt conſideranti facilè patebit; nam non dixit Ephrem, ſeu Abram: *Qui ſolus ſine peccato es*, ſed *qui ſolus abſque omni peccato es* Tum etiam abſtulerunt omnia ſequentia verba: *Quique ſolus es miſericors, & ſolus clemens, atque benignus*, & hoc abſque dubio ſub dolo actum eſt; quia ſi integum textum, vt in originali iacet, tranſcriberent, poſita ſua prima illatione, aliquas iniquas conſequentias ſimilitet tenerentur admittere, verbi gratia: Aduerſarij ex hoc antecedenti, Deus ſolus ſine peccato eſt, inferre volunt tanquam neceſſariam, & infallibilem hanc concluſionem: ergo Maria cum peccato fuit, optimè! & ex hoc antecedenti exiſtente in eodem loco: Deus ſolus eſt miſericors, quam conſequentiam infertis? Neceſſario etiam erit hæc: ergo Maria non eſt miſericors: & ex illo ſolus Deus eſt clemens, ſecundùm veſtrum argumentandi modum deducitur hæc: ergo Maria non eſt clemens; ac tandem ex illo: Deus ſolus eſt benignus; deducetis hanc: ergo Maria non eſt benigna: videte quod iſtæ non ſunt conſequentiæ rectæ inter Theologos, nec piæ inter Catholicos; ab iſtis vltimis tribus, vt docti, & timorati, atque vt Catholici trepidaſtis, quare ergo non etiam à prima? Hæc ergo cauſa fuit quare Aduerſarij truncarunt auctoritatem, quia, vt dixi, admiſſa ab ipſis prima conſequentia, tenebantur neceſſariò, & ad hominem argumentando admittere reliquas.

Secundam auctoritatem ſic adducunt: Item idem cum conuertiſſet multos Paganos ſic orauit: *Tu ſolus ſine peccato es Deus, qui ſolus cùm ſis Sanctus, habitas in Sanctis, quaſo vſque in finem conſerua hunc populum, quem ab idolis reuocaſti: Hæc ille.* In originali autem fol. 752. ad finem, ſic extat hæc oratio: *Tu qui ſolus abſque peccato es Deus, qui ſolus Sanctus, qui in Sanctis requieſcis, qui ſolus miſericors, & benignus Dominus, qui è tenebris populum hunc tuum reuocaſti, &c. Obſecro in finem vſque conſerua eos.* Adulterarunt ergo totum ſenſum primæ orationis, auferendo illud relatiuum *qui*, nam in oratione Abrami ly *ſolus* appellat ſuprà Deum, quaſi diceret: Tu qui ſolus eſt Deus (loquebatur enim aduerſus Gentiles, & Paganos, qui multos admittebant Deos) at Aduerſarij cauilosè ſatis apposuerunt: *Tu ſolus ſine peccato es Deus*, vt ly *ſolus* reſpiceret illud *ſine peccato*, & ſic illo artificio, vbi Abram dixerat: *Tu ſolus es Deus*, ipſi dicunt: *Tu ſolus ſine peccato es*; vide, ò Lector ſi differant iſtæ propoſitiones? Nam illa Abrami erat contra Idolatras colentes plures Deos, & ideo dixit: *Tu ſolus es Deus*, & hæc Aduerſariorum eſt contra Immaculatam Conceptionem. Item etiam adulterarunt eadem intentione ſecundam orationis partem, nam illam abſolutam Abrami: *Qui ſolus Sanctus* ipſi penitùs peruerterunt ſcribentes: *Qui ſolus cum ſis Sanctus, habitas in Sanctis*; referendo ly *ſolus* ad habitationem non ad ſanctitatem. Denique adulterarunt etiam tertiam partem, auferendo totam illam clauſulam: *Qui ſolus miſericors, & benignus Dominus*, quia, vt ſuprà notaui, poſito quod Deus ſolus eſſet Sanctus, & Deus, ſolus eſſet miſericors, & benignus, & ſolus abſque peccato: non poterant deducere ſuam conſequentiam: ergo Maria contraxit peccatum, quin & conſequenter tenerentur ad illas: ergo Maria non eſt Sancta, non eſt Miſericors, non eſt Benigna;

Tertiam auctoritatem huius Abrami sic adducunt Aduersarij. Item idem cùm vellet Neptem suam à prostibulo reuocare ad pœnitentiam, sic dixit: *Nemo sine peccato nisi solus Deus.* Auctoritas verò in originali sic se habet: Consolabatur enim Neptem suam, & volens eam ad pœnitentiam reuocare, inter alia consolatoria verba dixit ei: *Quare tanquam omninò tuam salutem desperans, ita te diabolo tradidisti? Quamobrem sic me deseruisti, & in hunc mœrorem intolerabilem deduxisti? Quis autem inter homines absque peccato est, nisi solus Deus? Illa verò, quasi tota perterrefacta abijciebat animũ, nec vultũ attollere poterat, &c.* Quòd auctoritas, vt adducitur ab Aduersarijs sit vitiata, non indiget probatione, nam ex se patet; sicut etiam, quòd hic loquatur de peccatis actualibus, sed quid hæc cum Conceptione Virginis, & peccato originali? Quo fundamento, aut motiuo hæc adducuntur? An quia illa Maria, & hæc Maria? Sed nota, quòd illa erat Maria mulier in ciuitate peccatrix, nostra autem Maria Virgo pura, & immaculata optimam partem elegit, quæ, velis, nolis, non auferetur ab ea.

Hucusque egimus de littera, & vitijs, seu adulterationibus auctoritatum, ac verborum; nunc verò progrediamur vlterius ad intentum: Vos dicitis hos Doctores expressè, clarè, ac distinctè tenuisse, & affirmasse, Virginem Mariam nominatim, ac in indiuiduò contraxisse originale peccatum, vel habuisse in Conceptione culpam, siue maculam; vbi ergo in propositis tribus auctoritatibus est nomen Mariæ, vbi originale peccatum, animatio, aut Conceptio? Ergo ex hac parte Abrami auctoritates non sunt ad rem. Deinde quomodo viri tantummodo ratione naturali prædicti, ex hoc antecedenti, *Deus solus absque omni peccato est,* deducere possunt, vel (quod peius est) deducunt hanc consequentiam: ergo Maria contraxit peccatum originale? Potiùs deducenda esset sic: Deus solus sine omni peccato est: ergo Maria cum omni peccato fuit, vel sic: Maria cum aliquo peccato fuit: at cum hoc sit indifferens ad originale, & actuale, ex qua logica deducitis, quod loquatur de originali? Sed dato quòd hæc esset bona consequentia: Deus solus sine peccato est, misericors, clemens, & benignus: ergo Maria contraxit peccatum originale, pro hac illatione quid, vel quare recurritis ad Abramum Syrum? Dicite, si licet; proclamate, si expedit, quòd Maria non est Sancta, non est Domina, non est Altissima; nam Catholica Ecclesia quotidiè canit: Tu solus Sanctus, tu solus Dominus, tu solus Altissimus Iesu Christe.

[*]

ADAM Anglicus, vel de Anglia Magister Parisiensis in 3. sent. dist. 3. *Sic Anonymus lib. de verit. Concept. via 3. rat. 9. Auctore 169. Bandell. cap. 21. Deza fol. 36. Petrus de Vincentia, Paul. Grysaldus, Capreolus, Soncinas, & Caietan. cap. 5. fol. 206. Arpallegus disp. 2. artic. 1.*

VERITAS 3.

SVPPOSITO Quòd omnes Aduersarij hunc citant inter Patres, atque Theologos antiquos, clarissimos, sæculares, ac simul affirment fuisse Magistrum, atque Doctorem Parisiensem non Regularem, videtur quod hic Auctor, vel est fantasticus, vel eius auctoritas fuit ficta, quod meo iudicio euidenter probatur.

De Auctore sic: quia huius nominis, Adam, fuerunt quam plures Scriptores, & in primis sunt Adamus de S. Victore, Canonicus Regularis, Adam Dei patientia, Præmonstratensis, Abbas, & Adam de Persenia Cistercienſis, sed isti non scripserunt super Sententias, & sunt pro nostra sententia, vt videbimus in Militia nostra. Ex Scholasticis fuit quidam Adam Ordinis Prædicatorum, qui scripsit super Magistrum, sed hic fuit Colonienſis non Anglus, fuit etiam quidam Adam Britus, vel Britanus, quem pro nostra sententia citant, & adducunt Alanus, & Vitalis lib. 4. Ancill. 7. fuit etiam alter Adam Ferrarius, eiusdem Ordinis, de quibus Sixtus Senenſis, Possevinus, & Placentinus, sed nullus fuit Adam, de quo agimus, quia isti nec fuerunt ex Anglia, nec Doctores Parisienſes, nec sæculares. Ex Ordine Cistercienſi fuit quidam Adam Anglus, sed hic non scripsit super Sententias; & fuit alius Adam, Luthum, Anglus de quo Chrisostomus Enriquez, fuit etiam alius Adam Feston Anglus S.R.E. Cardinalis, sed hic licèt plura scripserit, non tamen super Sententias, & insuper fuit Benedictinus. Denique super Magistrum Sententiarum scripserunt Adam Hibernicus, Adam de Marisco Anglus, Adam Vvedodam Anglus, & Adam Godam etiam Anglus, sed isti quatuor fuerunt Regulares, ex Ordine Minorum, non sæculares, de quibus latè Vvilotus, & Vvadingus; præter suprà enumeratos: nullus alius Adam scriptor super libros Sententiarum inuenitur in rerum natura, quia neque in Bibliothecis totius Europæ, neque in Nomenclatoribus totius litteraturæ: igitur ex hac parte Adam iste Doctor Parisienſis sæcularis, fictus est, & fantasticus. Nec potest esse ille, de quo Pitseus in Apendice fol. 819. de quo sic inquit: *Adamus Anglicus natione, & cognomine, &c. A Petro Vicentino Dominicano enumeratur inter eos Doctores, qui cum Dominicanorum*

rum Schola mordicus tenet B. Mariam ſemper Virginem fuiſſe in originali peccato Conceptam vnde eum Ordinis S. Dominici fuiſſe non dubito. Ergo iſte Adam etiam apud Scriptores Anglicos ignotus eſt, & ſi ignotus Anglicis: ergo vel Dominicanus, vt dicit Pitſeus, vel fictus.

Ex auctoritate verò hoc efficacius demonſtratur, ſic enim eum adducunt: Idem tenet Magiſter Adam Anglicus Doctor Pariſienſis in 3. Sententiarum diſt. 3. ſic dicens: *Si credendum eſt dictis Sanctorum, tenendum eſt B. Virginem fuiſſe Conceptam in peccato originali; & nullus Sanctorum inuenitur dixiſſe contrarium. Hac ille.* Hęc autem auctoritas eſt penitus ficta, nam ex ſuprà nominatis ſolùm opera Adami Godam Anglici fuerunt typis mandata Pariſijs, anno 1512. in fol. & etiam extant manuſcripta in Bibliotheca S. Ioannis Regum Toletan. littera Y. n. 47. & in hoc vocatur Adam Vvodeam, ex quo colligitur, quòd Godam, & Vvedodam ſuprà numerati ſunt idem; cuius operis principium eſt: *Iſta ex lex Adam,* & 3. Sententiarum incipit: *In funiculis Adam,* & ſic ſtatim proſequitur: *Circa tertium librum, quia aliàs Londoni toto anno pertractaui quaſtiones tredecim primarum Diſtinctionum, nunc incipio à Diſtinctione decimaquarta, &c.* Et ſic nec verbum habet de Diſtinctione tertia citata ab Aduerſarijs, nec per conſequens de Conceptione Virginis Mariæ; ergo non ſolùm Auctor, ſed auctoritas ſuprà adducta etiam eſt ficta.

Sed fortè dicent (aliud enim non reſtat effugium) quòd illam auctoritatem inuenerunt in reſcripto illo Adami Londoni facto, optimè: igitur iam non eſt Adam ille ſæcularis, ſed Adam Franciſcanus, & regularis. Deindè reſcriptum illud Londonienſe, vel viderunt ſuprà nominati Patres Dominicani, Anonymus, Bandellus, Deza, Vincentia, Gryſaldus, Caietatanus, Capreolus, & Soncinas, vel non viderunt: hoc ſecundum non eſt credibile, quia temerarium eſſet in re tàm graui adducere auctoritatem adeò expreſſam, quam non viderunt; ſi verò viderunt (vt fraternaliter loquendo credendum eſt, ne tantorum virorum calamus, auctoritas, & intentio maculentur in vno Adamo) quomodò eſt credibile, quòd ſeptem Patres Dominicani vidiſſent Tractatuum, ſeu Librum, quem nec Impreſſores, nec ipſi Fratres Franciſcani, nec Pitſeus, Lelandus, nec Balleus diligentiſſimi Scriptores gentis Anglicanę, nec vllus alius Nomenclator, Trithemius, Geſnerus, Poſſeuinus, Bellarminus, &c. viderunt, nec inuenerunt? Et ſic ex omni parte, tàm Auctor, quàm auctoritas videntur chimericæ, & fictæ ab vno Bandello, à quo ſui ſequaces omnes in iſto Adamo peccauerunt.

AEGIDIVS Romanus Ordinis Eremitarum S. Auguſtini Archiepiſcopus Bituricen. Quodl. 6. artic. 20. *Sic Ioannes de Turrecremata part. 3. cap. 23. fol. 123. à tergo. Anonymus via 3. rat. 9. Auctore 125. Bandel. cap. 25. Deza fol. 48. Vincentia, Gryſaldus, S. Antoninus, Capreolus, Soncinas, & alij incidenter.*

VERITAS 4.

CELEBRIS, Atque Doctiſsimus Ægidius Columna, communiter vocatus ab omnibus Ægidius Romanus (quod notare debes pro infra dicendis num. 278. nam videtur dupplicatus cum Magiſtro Romano Dominicano) primus, ac præcipuus S. Thomæ Aquinatis diſcipulus, atque defenſor fuit; floruit ad ann. 1290. & deceſsit è vita ann. 1316. extitit ſui Ordinis Generalis, Archiepiſcopus Bituricenſis, ac demum à Bonifacio VIII renũtiatus Cardinalis; huius fundatiſsimi Theologi laudes inuenies apud Angelum Rocca in eius vita, Cornelium Curcium, Aubertum Myræum in Biblioth. fol. 254. & omnes alios Nomenclatores. Multa, & admirabilis eruditionis plena ſcripſit, quæ in diuerſis locis fuerunt typis mandata, vt opuſcula Romæ ann. 1555. & ibidem ſuper 3. ſentent. ann. 1623. ſuper 1. & 2. ſentent. Venetijs 1581. & 1526. Quodlibeta ibidem apud Octauianum Scotum ann. 1504. & apud Andræam Torreſanum de Aſula anno 1502. &c. Hunc ergo cum ſufficientiſsimo fundamento adducunt Aduerſarij pro ſua opinione, ſed cum ſumma infidelitate, excipio Turrecrematam, qui legaliter tranſtulit: At omnes alij ſic dicunt: Teſtantur etiam hanc veritatem clariſsimi Doctores ſacri Ordinis Eremitarum S. Auguſtini; in primis Dominus Ægidius de Roma, Epiſcopus Bituricenſis in 6. Quodl. ſic dicens: *Beata Virgo Maria fuit Concepta in peccato originali, quia Auguſtinus lib. de Bap. Paruul. quod ſolus Chriſtus peccatum originale non contraxit, quia non ex carnali libidine, neque ex amplexu maritali eius caro concepta fuit; vnde concludit, quòd ſolus Chriſtus fuit ſine peccato, & quod nullum eius membrum fuit ſine peccato. Dicere* ergo, *B. Virginem non fuiſſe conceptam in peccato originali, eſt contradicere Sacræ Scripturæ, & dictis Sanctorum, & eſt dicere, quòd non fuerit concepta ex libidine, neque ex concubitu parentum, quia omnes ſic concepti contrahunt originale peccatum. Eſt etiã dicere, quòd ipſa non fuerit membrum Chriſti, cũ Auguſtinus aſſerat, nullum membrũ Chriſti fuiſſe ſine peccato. Et ideò dicendum eſt, quod B. Virgo fuit cocepta in peccato originali, & quod in eo ſtetit per aliquod tempus breue, & quaſi imper-*

ceptibile, & poſtea fuit per gratiam ſanctificata. Commendemus itaque B. Virginem, ſed non ſic quòd negemus ipſam eſſe membrum Chriſti, non enim derogat dignitati eius, quod fuerit in peccato originali concepta, imo ad magnum, & ſingulare excellentiæ eius priuilegium pertinet, quod ipſa ſola fuit, quæ prolem ſine peccato concepit: quòd ſi & ipſa ſine peccato concepta fuiſſet, hoc priuilegium non ſibi ſoli conueniret, ſed & B. Annæ matri eius. Hæc ille.

Hæc eſt Ægidij Romani auctoritas vt adducitur ab Aduerſarijs; quis ergo non exiſtimaret hanc eſſe vnam indiuiſibilem auctoritatem de verbo ad verbum trãſcriptam fideliter ab Ægidio? omnes iudicarent, & ego aliquando ita eſſe intellexi, ſed collata cum originalibus Ægidij inuenio, quod ex maiori, ſeu præcipua parte, eſt ſuppoſita, & ficta; ſiquidem compaginata non ex vno, vel ex duobus locis, ſed ex quinque inter ſe ſummè diſtãtibus; ita vt ex tota vna quæſtione hinc inde ſumentes verba, & derelinquentes clauſulas integras, ſupra poſitam conflarunt auctoritatem, quod patet ſic ex ipſis Ægidij verbis præallegato Quodlibeto 6. quæſt. 20. (non Argumento vt malè citat Turrecremata) quæ incipit: *Secundo quærebatur de peccato originali*, &c. fol. 92. & in alia impreſſ. fol. 84. col. 4. circa principium ſuæ quæſtionis, ideſt poſt 35. lineas, ſic inquit: *Sed hoc primò ſtare non poteſt, quia Auguſtinus inde Baptiſmo paruulorum contra Pelagianos vult, quod Chriſtus peccatum non habuit, quia nec originale contraxit, nec ſuum addidit, cuius rationem aſſignat, quia extra voluntatem carnalis libidinis venit; & non fuit ibi cõplexus maritalis, & ſubdit; quod de Virginis corpore aſſumpſit, non vulnus, ſed medicamentum, non quod ſanaretur, ſed vnde ſanaret. Vnde concludit ibidem, quòd ſolus ipſe fuit ſine peccato, & quòd nullum membrorum eius fuit ſine peccato. Dicimus ergo, quòd dicere, quòd B. Virgo non fuit concepta in originali, eſt dicere, quòd non fuit orta ex libidine carnis, & complexu maritali, cum omnes ſic nati, in peccato ſint concepti; & eſt etiam dicere quòd non fuit membrum Chriſti, cùm Auguſtinus aſſerat nullum membrum fuiſſe ſine peccato*, &c. Hæc eſt prima clauſula in Ægidio, ex qua conſtat, quod Aduerſarij addiderunt illud: *B. Virgo Maria fuit concepta in peccato originali*, quia talia verba non ſunt in Ægidio. Secundo, abſtulerunt illud: *contra Pelagianos, vult*, &c. vt ex his verbis non colligeretur qualis erat mens Auguſtini, ac per conſequens Ægidij. Tertio, vbi Ægidius: *Chriſtus peccatum non habuit, quia nec originale contraxitt, nec ſuum addidit*: Ipſi longè aliter dixerunt ſic: *Quòd ſolus Chriſtus peccatum originale non contraxit*: Conſidera, ò Lector! quantum interſe differant iſtæ duæ propoſitiones? Quartò, vbi Ægidius: *Cuius rationem aſſignat, quia extra voluntatem carnalis libidinis venit, & non fuit ibi amplexus maritalis, & ſubdit*, &c. Ipſi addiderunt hæc vltima verba ex proprio cerebro: Nec amplexu maritali, *eius caro concepta fuit*, & vitiarunt penitus prima. Quinto, dereliquerunt illam clauſulam: *Et ſubdit*, &c. Sexto, in clauſula illa: *Vnde concludit*, &c. aliqua mutarunt, licèt parui momenti. Septimo, vbi Ægidius: *Dicere, quòd B. Virgo non fuit concepta in originali*, ipſi addiderunt: *In peccato originali*, exprimentes peccatum. Octauo, abſque vllo timore addiderunt totum illud: *Eſt contradicere Sacræ Scripturæ, & dictis Sanctorum*, quæ omnia abſolutè deſunt in Ægidio (vndè conſtare poteſt, quòd ſimilia verba poſita in auctoritate Adami, de quo ſupra numero antecedenti, etiam ſunt ficta.) Nono, vbi Ægidius: *orta*, ipſi legerunt: *Concepta* quæ diuerſiſsima ſunt, & fugerunt à voce hac *orta*, quia hìc, ortus, ſecũdum Ægidium, ſupponit pro generatione, & timuerũt illam B. Iob verba prolata de peccato originali, expectet lucem, & nõ videat: *Nec ortum ſurgentis auroræ*. Decimo, vbi Ægidius: *Ex libidine carnis, & complexu parentum*. Ipſi ſic: *Ex libidine, nec ex concubitu parentum*. Vndecimo, vbi Ægidius: *Cum omnes ſic nati, in peccato ſint concepti*, Aduerſarij adulterarunt ſic: *Quia omnes ſic concepti contrahunt originale peccatum*. Nota, Lector, illam cauſalem, *quia*, & ſimul adulterationẽ totalem Ægidianæ propoſitionis, ex mutatione *nati* in cocepti, & additione illa, *contrahunt originale peccatum*. Nam in Ægidio illud: *ſic nati*, eſt idẽ, ac ſic geniti; ſcilicet, ex libidine carnis inter complexus parentum; vnde filios genitos vocabant natos, filios conceptos, ſeu animatos, etiam dicebant, natos, & quando ex vtero prodibant in lucẽ illos, compellabant natos, atque ſic inter iſtas tres natiuitates antiquorum alia circumvoluitur æquivocatio non parua: nam ex hac illorum propoſitione: Maria nata eſt cum peccato originali, Aduerſarij inferunt: non quãdo nata eſt ex vtero: ergo quãdo nata in vtero, id eſt, animata, quod eſt expreſsè contra mentem antiquorum, qui locuntur de prima natiuitate carnis in libidinoſo complexu parentum, vt hìc Ægidius, & infra latiùs declarabitur. Duodecimo, in ſequentibus verbis addiderunt relatiuum, *ipſa*, & etiam verbum illud, *Chriſti*.

Sequentem verò clauſulam deſumpſerunt poſt ſex integras lineas, quæ ſic ſe habet in Ægidio: *Beata Virgo, quia concepta fuit ſecundùm complexum maritalem, ſicut cæteri homines, fuit in peccato originali concepta*, &c. Et poſt 92. lineas, inquit: *Dicimus enim quòd B. Virgo fuit in originali concepta, & per aliquam morulam, ſiuè per aliquod tempus, licet valdè breue, ſtetit in huiuſmodi originali*, &c. Ex his conſtat, quòd etiam hìc vitiarunt textum Ægidij, præcipuè ad-

cen-

dentes illud: *Et postea fuit per gratiam sanctificata*, quæ verba non extant in originali. Deinde post alias nonaginta tres lineas, inquit Ægidius: *Tenebimus pro veritate quæstionis, tanquam rationabile dictum: quòd B. Virgo fuit sub originali concepta, & in conceptione eius virtus virilis seminis, & amplexus maritalis interuenit; & sub huiusmodi originali culpa per aliquod tẽpus fuit, valde breue, & quasi imperceptibile.* Ac denique post decem & octo lineas concludit: *Commendemus itaque B. Virginem, sed non sic; quod negemus eam fuisse membrum Christi, immò ad magnum eius excellentiæ singularis priuilegium pertinet, quòd sola fuit, quæ peperit hominem etiam nullo originali conceptum; quod & si Maria Virgo fuisset sine originali concepta, hoc priuilegium non singulariter ei competeret, sed & B. Annæ, quæ eam genuit competisset.* Et post alias quadraginta septem lineas, finem dat quæstioni: Ex omnibus ergo hic assignatis locis vnam auctoritatem Ægidij suo more composuerunt Aduersarij: & vitijs minoris momenti relictis, valde nota, ò Lector! in his vltimis verbis additum, scilicèt: *Non enim derogat dignitati eius quòd fuerit in peccato originali concepta*: Quæ verba non extant in Ægidio: si ergo in vna auctoritate tot, tantaque reperiuntur additamenta, quando alias Auctor pro ipsis erat, vide, o Lector! ac perpende, quod si hæc in viridi, &c.

Dedimus omnia quæ adducunt Aduersarij, imò præcipua quæ habet Ægidius in illa quæstione Quodlibetica. Sed in rei veritate Auctor iste incidit etiam in communẽ antiquorum æquiuocationẽ circa voces conceptionis, & peccati originalis, de quibus sæpè infrà redibit sermo. Loquitur, dico hic Ægidius de peccato originali generationis, id est, libidine, atque cõcupiscentia Parentum; interueniente die 8. Decembris, & conceptione carnali in seminis receptione; non verò de animatione, seu naturarũ spiritus, & corporis vnione facta post 40. vel octoginta dies, quod sic probo: Primò, ex illis verbis: *Dicimus ergo, quòd dicere, quòd B. Virgo non fuit concepta in originali, est, dicere, quòd non fuit orta ex libidine carnis, & complexu maritali, cùm omnes sic nati in peccato sint concepti.* Cum ergo Ægidius nitatur probare, idem esse habere peccatum originale, ac oriri, seu nasci ex libidine carnis, & complexu maritali, suppositâ hac omnium antiquorum æquiuocatione, idẽ est quærere: Vtrum Virgo Maria habuerit peccatum originale, ac inquirere: Vtrum fuerit concepta ex libidine, & amplexu maritali: & si hoc est illud formaliter, vt illi conabantur stabilire, hoc, & illud cõcedimus absque vllo nostræ præseruationis præiudicio. Secundò probatur efficatiùs ex sequentibus verbis. *Quod & si Maria Virgo fuisset sine originali concepta, hoc priuilegium non singulariter ei cõpeteret, sed & B. Annæ, quæ eam genuit, competisset.* Nota, ò Lector! vim huius illationis, quia ab illius intelligentia pẽdet cognitio mentis Ægidij: Si Maria, inquit, fuisset sine originali concepta, etiam Annæ cõpeteret hoc priuilegium, quę illatio friuola esset, & inepta, nisi hic loqueretur de Conceptione prima carnali susceptiua seminis, ac de peccato originali maternæ generationis. Nam sententia Ægidij talis est: Ex amplexu maritali concepit Anna Mariam, si in illa conceptione Annæ non fuit peccatum originale libidinis, & concupiscentiæ: ergo priuilegium concipiendi absque peccato originali libidinis, concupiscentiæ, ac delactationis carnalis non fuit singulare, & solius Mariæ, qui a illud habuit etiam Anna, quæ eam genuit? Loquitur ergo Ægidius de peccato originali matris concipientis, & non de peccato originali prolis conceptæ in animatione? Explicatur hoc breuiùs, ac clariùs. Quod fuit, interrogo, illud singulare priuilegium concessum Mariæ? Nonne quod conciperet Christum sine peccato illo originis, quod reperitur in omnibus mulieribus, libidine, carnis delactione, atque amplexibus maritalibus? Ergo si Maria fuit genita, vel concepta ab Anna etiam absque illis: igitur etiam Anna habuit hoc priuilegium, & non fuit vnicè, & singulariter concessum Mariæ. Tertiò adhuc vrgentius idem monstratur ex quibusdam verbis prætermissis ab Aduersarijs; nam post supra relata concludit Ægidius sic. *His itaque præ habitis, volumus declarare, quomodo congruè posset celebrari festum Conceptionis, &c. Distinguemus ergò vt aliqui distinguunt, & benè; quod B. Virgo fuit concepta mundo secundùm carnem, & concepta Deo secundùm gratiam: tempore ergo quo fuit concepta secundùm carnem, possumus celebrare festum eius referendo ad Conceptionem secundùm gratiam. Nam de multis festiuitatibus facimus octauam, vt puta de Natiuitate Domini; per totam octauam, dicimus: hodiè Christus natus est; in tali die celebramus Natiuitatem Christi: similiter dicere possumus, hodiè B. Virgo concepta est secundùm gratiam; in tali die celebramus festũ tale Conceptionis; sicut ergo, in die in quo non natus est Christus, dicimus hodie Christus natus est, referendo hoc ad diem Natiuitatis; ita in die Conceptionis Virginis secudùm carnem, in qua non est concepta secundùm gratiam, possumus celebrare festum Conceptionis Virginis, referendo hoc ad conceptionem secundùm gratiam; & de multis Sanctis celebramus festum depositionis corporis, non tempore depositionis, vel quia ignoratur huiusmodi tempus, vel propter aliquam aliam causam: Si ergo non tempore depositionis celebramus tempus depositionis, hoc non obstante possumus dicere; hodiè facta est depositio talis Sancti, id est, hodiè colitur, & celebratur dies, qua facta est depositio talis corporis. Vel possumus dicere, vt quidam dicunt,*

cunt, & benè: *Quòd in primogenito Regis ante quam fit Rex, fit excellentior honor, & reuerentia, quia expectatur, quòd fit in tanta excellentia dignitatis: sic B. Virgo concepta mundo secundùm carnem, debebat concipi Deo secundùm tãtam excellentiam gratiæ; sic celebrare possumus Conceptionem eius secundùm carnem, non quia hoc modo fuerit concepta sancta, sed quia futura erat, vt esset valde sancta, vt non fiat celebratio alicuius nisi nomine sanctitatis: tanta enim fuit excellentia sanctitatis eius, vt antequam sancta esset ratione tãtæ excellentiæ sanctitatis, quanta in ea fieri debebat, poterat ei reuerentia exhiberi: non enim reprobaremus, qui reuerentiam exhiberet vestibus, quibus vsus fuisset aliquis, etiam ante quam esset sanctus, dum tamen hoc ad sanctitatem referat, &c.* Prætermiserunt igitur Aduersarij omnia verba ista, quia in illis demonstrabat Ægidius ex duplici ab ipso approbato dicendi modo, quomodo die 8. Decembris (quãdo Maria solùm fuit concepta secundùm carnem, dispositа, atque contexta vestis illa corporea, qua postea induenda erat eius sanctissima anima, vbi nulla fuit sanctitas) poterat celebrari Conceptionis festiuitas, iste enim fuit conatus omnium antiquorum Theologorũ, persuadere populis, atque imperitis, quod Ecclesia die 8. Decembris non celebrabat Conceptionem carnalem illo die factam, sed aliam spiritualem, quando gratia fuit infusa vel in ipsa animatione, vel post; & hoc verum, ac verissimum est, sed Aduersarij confundentes antiquorum modum loquendi, volunt quòd conceptio carnalis sit animatio, & conceptio spiritualis infusio gratiæ pro alio diuerso signo, & sic, totum est sic. Deponamus affectum, & notemus diem, in quo celebrat Ecclesia Cõceptionis festũ, & de ipso verificate verba illa. *Quòd B. Virgo fuit concepta mundo secundùm carnẽ, &c. Tempore ergo quod fuit concepta secundùm carnem, possumus celebrare festum eius, &c. Similiter dicere possumus hodiẽ*, id est, die 8. Decembris. *Beata Virgo concepta est secundùm gratiam, in tali die* 8 Decembris *celebramus festum tale Conceptionis, &c. Ita in die Conceptionis Virginis secundùm carnem, in qua non est concepta secundùm gratiam, possumus celebrare festum Conceptionis Virginis &c. Sic B. Virgo concepta mundo secundùm carnem, &c. Sic celebrare possumus Conceptionem eius secundùm carnem, non quia hoc modo fuerit concepta sancta, sed quia futura erat, &c.* Quis ergo erit adeò cæcus, vt non videat hic locutum fuisse de Concepcione prima carnali facta die 8. Decembris, & non de animatione?

Hoc euidenter constat ex ipsa conclusione Ægidii, quę sic se habet: *Beata Virgo fuit sub originali cõcepta, & in Conceptione eius virtus virilis seminis, & amplexus maritalis interuenit:* Ecce originale, sub quo fuit Virgo Maria concepta, virtus virilis seminis, & amplexu maritalis: nota ergo verba sequenta: *Et sub huiusmodi originali culpa per aliquod tempus fuit:* Ergo loquitur de originali culpa seminis, & amplexus maritalis, & no de macula, & culpa animationis, & hanc prærequirit ad redemptionem, Ruminare, ò Lector, hæc verba, & fortè inuenies in illa plus quàm ego calamo explanare potero.

Supposito ergo quod sexaginta Mesores in Triturationе relati nullam aliam Ægidij adducant auctoritatem nisi supra positam, & ventilatã ex Quodlibetis, hic sistere poterat noster calamus: sed cum nostrum institutum sit veritatem indagare vsque ad vltimum apicem; vltra progrediamur Lector, notando, quòd in quæstione Quodlibetali (de qua hucusque) non inquirit Ægidius, nec determinat ex professo. Vtrũ Virgo Maria contraxerit peccatum originale, sed supponit, sic enim incipit quæstionem: *Secundo quærebatur de peccato originali specialiter comparando ipsum ad B. Virginem, supposito quòd fuerit concepta in peccato originali: Vtrum in illo eodem instanti potuisset habere gratiam, &c.* Et sic prosequitur inquirendo, vtrum peccatum, & gratia potuerint esse simul in eodem instanti, & resoluit, quod non, contrà Henricum de Gandauo, quod contrarium sustinuit in alia etiam quæstione Quodlibetali, de qua nos suo loco. Ægidius enim in alijs tribus locis apertè, & clarè docet Virginem Mariam fuisse conceptam in peccato originali, videlicèt: Primò in 2. sentẽtia dist. 29. artic. 2. dub. 4. fol. 385. vbi quærit: *An natura integra sine iustitia originali se à peccato præseruare potuisset:* & respondens negatiuè inquit. *Loqui autem de originali iustitia non habet locum nisi in primis parentibus, quia nulli habuerunt eam simpliciter nisi primi parentes ante peccatum. Habuerunt autem eam aliqui, quantùm ad aliquid, vt Christus assumpsit originalem iustitiam quantùm ad animã, quia nihil posset in eo insurgere in inferioribus viribus, quod repugnaret rationi, & nullum peccatum in ipso fuit, sed solus inuẽtus est inter mortuos liber: Omnes autem alij in originali peccato conceptisunt. Ipsa etiam Virgo B. licèt effugisset omne peccatum actuale, & veniale, & mortale, non tamen effugit peccatum originale. Neq; est commendare eam, dicere, non fuisse conceptam in peccato originali: quia dicere hoc, est idẽ quòd dicere eam non fuisse membrum Christi, nam in tãtum sumus membra Christi, in quantum per suam gratiã liberat nos à peccato originali, vel actuali. Fuit enim Virgo membrum Christi, quia secũdum Augustinum in de bono Viduali, B. Virgo prius concepit Christum mente, quàm carne, & beatior fuit ipsum concipiendo mente, quam carne.* Hæc est sententia Ægidii in illo primo opere. Secundò, idem dicit, in distin. 31. quæst. 1. artic.

tic.42.fol.47.loquens de generali transfusione originalis peccati sic: *Fuerunt autem aliqui, qui B. Virginem voluerunt excludere ab originali peccato: sed hoc erat B. Virgini derogare, nō erat eam commendare. Erat enim dicere, quòd B. Virgo non fuisset membrum Christi, &c.* Et adducit auctoritatē Augustini vt in antecedenti. Tertiò, hoc ipsum millies affirmat in 3. sent. dist. 3. q. 1. per totam, vt statim videbimus. Aduersarij autē ista omnia prætermiserunt, & causa potuit esse; quia illa non viderunt, quòd difficilè iudicatur, nam quomodo sexaginta Patres clarissimi per spacium trecentorum annorum poterant ignorare lecturam Ægidij super sententias, quæ apud antiquos communissima semper fuit? Ego dicerent, quòd viderunt, sed fortè sub his citationibus adduxerunt alios Patres Augustinianos incognitos, de quibus nullam afferunt auctoritatem, vt infrà apparebit, & etiam suum Romanum Magistrum, de quo num. 278. at quidquid sit de omissione.

Ægidius Romanus in 3. sent. dist. 3. ex professo egit de sanctificatione Virginis Mariæ in vtero materno, sed audi quomodo; quæst. 1. art. 1. quærit. *Vtrum caro Virginis fuerit sanctificata ante quam animata* (nota Lector præfixum titulum quæstionis, proparte affirmatiua proponit rationes sequentes. Prima. *Radix B. Virginis, ideſt, parentes eius erant sancti; ergò Virgo quæ fuit ramus procedens ex tali radice, etiam in ipsa Conceptione fuit sancta, & non fuit concepta in aliquo peccato.* Secunda: *Si malum, vel pecatū primi parentis potest nos inficere, multo magis sanctitas proximorum parentum potest nos sanctificare; ergo B. Virgo fuit nata sancta, quia nata fuit ex proximis parentibus sanctis.* Tertia: *Quia actus matrimonialis potest esse meritorius gratiæ: ergò, &c.* Quarta: *Aliquæ Ecclesiæ celebrant festum Conceptionis: sed non debet celebrari, nisi illud quod est sanctum: ergò B. Virgo fuit sanctificata antequam nata.* Quinta: *Quia Ambrosius ait de Ioanne Baptista, quòd nondum illi inerat spiritus vitæ, & iam inerat spiritus gratiæ, sed quòd concessum fuit Ioanni Baptistæ, nulli dubiū esse debet per amplius, & perfectius fuisse in Virgine, in ipsa ergo Conceptione Virginis fuit in ea spiritus gratiæ, & fuit sine originali peccato.* Sexta. *Quia dicitur Ieremiæ cap. 1. Priusquàm te formarem in vtero noui te, sed puer incipit formari in ipsa sua conceptione, &c. Sed quod concessum est Ieremiæ per amplius, & perfectius fuit in B. Virgine: Ergò antequam formaretur in vtero, & antequam conciperetur, fuit nota à Domino notitia approbationis, & fuit in ea spiritus gratiæ.* Ista sex argumenta adducit Ægidius pro parte affirmatiua, in quibus, vt vides, solùm agit de sanctificatione carnis ante animationē, formationem, & ingressum in ea spiritus vitæ, siuè hæc sanctificatio esset in parentibus, vt in radice, siuè in seminis decisione in generatione, vel iam formato embryone, comprehendit enim quæstio proposita omnia huciusque ad animationem exclusiuè: vbi notare debes Lector, quod hanc carnis generationem vocat Ægidius ore pleno Conceptionem, semel, & iterum, milli es, ac semper, & ita, vt nunquam animationem appellet Conceptionem, vt ex infrà adducendis, etiam constabit. Vocat similiter hanc Conceptionem carnalem natiuitatem: & denique affirmat; quòd aliquæ Ecclesiæ celebrant hoc Conceptionis festum, scilicèt carnalis Conceptionis; vndè illa consequentia: *Ergò B. Virgo fuit sanctificata antequam nata*, appellat supra natiuitatem illam primam ex lumbis paternis in matris vuluam, totum hoc confundunt Aduersarij, & Conceptionem dicunt esse animationem, natiuitatem in vtero animationem, &c. contra expressam mentem antiquorum, vt patet ex dictis, & ex dicendis: Nam Ægidius pro parte negatiua proponit sequentes rationes: Prima: *Quòd non est, nō potest sanctificari: sed B. Virgo ante sui Conceptionem non erat, ergo non poterat sanctificari.* Secunda. *Beata Virgo fuit in Adam mortua, & fuit per Adam in originali iustificata.* Tertia: *Quia quòd non est concessum nisi capiti, non potest competere alicui membrorum: sed solus Christus inuentus est inter mortuos liber, & solus ipse fuit sine omni peccato, etiam sine originali: ergo.* Quarta: *Quia peccatum originale dicitur peccatum naturæ: omnes ergo, qui naturaliter descendunt ab Adam, sunt concepti cùm originali peccato, solus ergo Christus, qui fuit conceptus de Virgine supernaturaliter, ex superuentione Spiritus Sancti, fuit sine originali conceptus: B. ergo Virgo Maria, quæ à suis parentibus descendit naturaliter, fuit in originali concepta.* Istæ sunt omnes rationes propositæ ab Ægidio pro vtraque parte quæstionis, vt ex illis concludat, Virginem Mariam non fuisse sanctificatam antè suam animationem, vt statim videbimus: ergo quòd dicit de Maria mortua in Adam propter originale peccatum; de liberatione ab illo per mortem Mediatoris: quod originale est peccatum naturæ, & quòd solus Christus inuentus est inter mortuos liber, atque conceptus sine originali supernaturaliter ex Virgine; Maria verò naturaliter, intelligendum est iuxta propositam quæstionem de carne concepta, seù generata à parentibus, secūdùm naturæ leges antè eius animationem: quia huciusque quæstionis titulus, rationes, & propositæ difficultates locuntur ante animationem; ita vt nec verbum vnum habeat de animatione. Aduersarij totum hoc, vt dixi, confundunt, quia quod antiqui dixerunt de sua Conceptione, ante animationem, ipsi retorquent ad nostram animationem, & quod illi dixerunt de carne, & corpore, contra ipsorum intentionem expressam, in verbis, applicant animæ, & spiritui.

His

His ita pro vtraque parte propositis Ægidij resolutio, seu conclusio est, quòd caro Virginis Mariæ non fuit sanctificata, antequam in vtero nasceretur, quia non erat in rerum natura, &c. Sed nota verba: *Ad quæstionem ergò propositam, quantum expectat ad Virginè, B. dicemus, quòd fuit concepta in originali sicut & aliæ mulieres; sed piè credendum est, quòd quasi statim postquã fuit in originali concepta, fuit ab originali mundata, & in vtero sanctificata; vt sit similitudo in contrarium de ipsa, & de Lucifero, vt sicut lucifer in veritate fuit, & in veritate non stetit, quia quasi statim auertit se à Deo per culpam; sic B. Virgo in originali fuit, sed in eo non stetit, nam statim fuit sanctificata per gratiam; & quia quãdo modicum deest secundùm Philosop. intellectus accipit nihil deesse, piè creditur, quòd valdè modica fuit morula inter animæ infusionem, vel eius Conceptionem, & eius per gratiam sanctificationem; id circo dici potest, quòd semper fuit sancta. Vt ergò credamus B. Virginem fuisse in originali conceptam, dicemus, quòd omnes peccauimus in Adam, quia Adam fuit ille, in quo omnes peccauerunt: iuxta illud ad Rom. 5. in quo omnes peccauerunt: tamen istud peccatum, deinde non peruenit ad nos, nisi mediantibus parentibus proximis, & non tollitur à nobis, nisi per gratiam Christi. Tripliciter ergò poterimus probare, Virginem fuisse conceptam in originali peccato. Primò, vt refertur ad Adam prothoparentem nostrum: Secundò, vt refertur ad parentes proximos. Tertiò, vt refertur ad Christum mediatorem.* Et hoc probat tribus auctoritatibus Anselmi, atque Augustini. Et absque alia ratione procedit ad solutionem argumentorum. Et ad primum de radice sancta, dicit quòd parentes Virginis fuerunt sancti personaliter, sed non naturaliter. Ad argumentum verò de festiuitate Conceptionis, nihil dicit, fortè propter iam dicta in quæstione Quodlibetali. Hæc sunt omnia notatione digna, quæ habet Ægidius in illo primo Articulo. Resolutio, seù conclusio Ægidii in rei veritate videtur expressa, ac clara pro Aduersariorum opinione, præcipuè propter illam clausulam: *Inter animæ infusionem, & eius Cõceptionẽ, &c.* Sed valdè miror, quomodo hæc inter se se compatiantur! Quæstio proposita est: *Vtrùm caro Virginis fuerit sanctificata, antequam animata:* & huc tendunt totus difficultatis scopus, titulus, argumenta, & rationes dubitandi, imò & omnia verba; quomodo ergò ex sanctificatione carnis, ante animationem transiit ex arrupto ad sanctificationem post infusionem animæ? Præcipuè in illis vltimis verbis: *Piè creitur, quòd valdè modica fuit morula inter animæ infusionem, vel eius Cõceptionem, & eius per gratiam sanctificationem.* Hæc verba in rei veritate directè, & immediatè videntur militare contra nostram sententiam (alia enim ad sanum sensum reduci poterant) sed etiam videntur addita, & supposita. Primò, quia pro hic, & nunc non sunt ad rem. Secundò, quia nullibi vnquam sumit Ægidius in ore animationem, vel animæ infusionem. Tertiò, quia eadem numero verba hic adducta cũ Luciferi exemplo repetit Ægidius infra, in resolutione Articuli sequentis §. *Prima via*, sic dicens: *Ideò in hac infectione cõcepta, quasi statim adhuc existens in vtero fuit ab hac infectione mundata, & sanctificata. Omnino ergò piè credendum est, quòd non plus fuit in hac infectione, quàm fuerit Lucifer in veritate, vt suprà tetigimus, &c. Sic è cõcurso possumus dicere de B. Virgine, quòd infectione originalis peccati concepta, continuò fuit sanctificata, quia omnino piè credendum est, quòd valdè fuit paruissima morula inter infectionem eius, & sanctificationem.* Iterum infrà adducit eandem paritatem, sic: *Præterea, vt dicebatur suprà, sicut diabolus statim à veritate, sua culpa auertit, sic è contrario B. Virgo in originali peccato fuit, sed in eo non stetit, quia statim fuit in vtero ab illa originali infectione sanctificata, & mundata.* Cùm ergo illud: *Inter animæ infusionẽ*, nec hic, nec alibi reperiatur iterum in operibus Ægidii, existimare aliquis poterit, quod in impressione Romæ facta anno 1623. aliquod irrepserit vitium, & sic factum fuisse credo, & existimo, sed quidquid sit de hoc, pergo ad sequentem Articulum.

Secundus Articulus talis est: *Vtrum B. Virgo fuerit sanctificata in vtero ante quam nata ex vtero.* Et partem affirmatiuam latissimè probat (& ex hoc constat quod Arauxo, de quo in Triturationc num. LV. dicens, quòd de hac sanctificatione ante natiuitatem ex vtero, nulla fuerat controuersia, &c. non vidit antiquos Theologos) per plures paginas, atque in his duobus articulis claudit Ægidius totam materiam sanctificationis Virginis Mariæ in vtero. Ergo Ægidius non tetigit ex professo præsentis controuersiæ punctũ? Nam si in primo agit de sanctificatione carnis ante animationem, & in hoc secundo, vt vides, de sanctificatione antequam exiret ex vtero: igitur præcipuam controuersiã: Vtrum Maria fuerit sanctificata in ipsa animatione, vel in ipsa contraxerit peccatum originale, Ægidius nec ventilauit, nec saltem tetigit ex professo? sed quid mirum si nullus Theologus antiquorum, quorum ipse secutus est vestigia tale excitauit dubium, non Albertus Magnus, non Alexander de Ales, non S. Thomas, non S. Bonauentura, non Henricus de Gandauo, nec vllus alius, vt suis locis demonstrabimus, quia omnes transierunt ab extremo ad extremum generationis primæ carnalis, ad natiuitatem ex vtero, prætermittendo mediũ animationis, quousque surrexit Ioannes Duns Scotus demonstrans, quòd in medio consistebat virtus, & quòd sui

ante-

anteceſſores magnis laborauerant æquiuocationibus, imò, & contradictionibus, quia confundebant carnem, cùm anima; Conceptionem ſeminis, cùm Conceptione animationis, ortum, & natiuitatē in vtero per coitum, cùm ortu, & natiuitate ex vtero in partu; ſanctificationem carnis ante animationem embryonis, cùm ſanctificatione rationalis creaturæ iam exiſtentis; peccatum originale parentum, ſeu generantium, cùm macula, & culpa genitæ prolis, priuationem debitæ rectitudinis in actu libidinoſo perſonarum, cùm priuatione rectitudinis debitæ naturæ propagatæ, ac denique fomitem, languorem, & cōcupiſcentiam cum peccato originali, &c. Hæc igitur in extremis principio, & fine vacilantia dubia in æquilibrio collocauit vnus Scotus, nàm ſupponens cum omnibus carnem Virginis non fuiſſe ſanctificatam ante animationem; quia ſi nō erat Maria, nec caro capax ſanctificationis ſubiectū, quid, vel quomodo erat ſanctificanda? Ideò prætermiſit primam quæſtionem de ſanctificatione ante animationem. Deindè derelinquens aliud extremum de ſanctificatione ante quam exiret ab vtero de quo nihil voluit diſputare; quia iam ab Eccleſia, & vniuerſo orbe erat quaſi catholicum dogma receptum, inter iſta duo extrema aquilino obtutu vidit medium, & vt alter ſapiens Daniel illud ſcindit, quærens ſolùm, & ex profeſſo: Vtrùm Virgo Maria, quæ ſecundùm Theologiam non potuit ſanctificari à lumbis paternis, egrediens, & ingrediens vterum maternum, & ſecundùm omnium receptiſsimam ſententiam fuerat ſanctificata ante egreſſum ex vtero, potuerit ſanctificari, vel de facto fuerit ſanctificata in ipſo animationis puncto, ſeu in illo inſtanti, in quo anima fuit vnita corpori organizato, & ob hoc iure oprimo dicitur, & acclamatur ab omnibus princeps, & Anteſignanus huius controuerſiæ, veluti, qui vnicè inter Orientem, & Occidentem antiquorum inuenit ignotum punctum Meridianum; & inter extrema priſcorum Theologorum ab, &, ex, videlicèt ab vtero, & ex vtero, ſubtili calamo patefecit, in, id eſt, inſtans illud animationis naturæ, & ſupernaturalis gratiæ infuſionis ſimul, & ſemel: non verò dicitur primus, vt aliqui perperam dixerunt; quia ante illum non fuiſſent alii primi, qui incidenter ob deuotionem, vel ex ſimplici ducti diſcurſu immunitatem Virginis à peccato originali non annuntiaſſent. Hinc docemur, quòd in tam graui materia difficultatibus plena ſolùm audiendi erant in Sacroſancto Eccleſiæ iudicio Theologi, qui ex profeſſo, & maturè ponderatis, & excuſsis rationibus pro vna, & altera parte circa illud primum animationis inſtans ſuam protulerunt ſententiam, ex quibus Aduerſarii ſi tres, non tamen tres cum dimidio aſsignabunt pro ſua opinione, ex illis enim antiquis Doctoribus, qui locuti ſunt à dextris, & a ſiniſtris, adducunt non quæſtiones, nec ſaltim ſententias; ſed quædam nuda verba nihil in rei veritate probantia, vt paſsim in hac Ventillatione videbimus.

Vnus ex his eſt Ægidius, cuius ſententiæ in hac materia plenæ ſunt diſcordātiis, nam in citat 2. art. de ſanctificat. Virginis ante quam exiret ex vtero, inquit: *Quòd ſi dicatur, ex hoc concludi, quòd etiā B. Virgo non fuerit in vtero ſanctificata, dicemus, quòd cū de omnibus loquimur, ſemper B. Virgo intelligitur excepta.* Et infrà: *Cum ergo de omnibus generaliter loquimur B. Virgo quantū ad excluſionē ſanctitatis non currit cum omnibus.* Et infrà: *Et ſi obijciatur de B. Virgine non fuiſſe in vtero ſanctificatā, ſecundū hæc verba Auguſtini, plana eſt reſponſio, quòd B. Virgo nō currit cum alijs generaliter.* Si ergo Virgo Maria ſemper eſt excipienda, & eſt exempta a regulis generalibus, &c. Igitur etiam ab illa: Omnes in Adam peccauerunt? Et ſi ſolùm propter hanc exceptionem probat Ægidius ſanctificationē in vtero, quare nō etiam probanda erit præſeruatio? Deindè propoſitis aliquibus rationibus probantibus, Virginem non fuiſſe ſanctificatam in vtero, inquit Ægidius: *In contrariū eſt Auguſtinus (qui vt in littera dicitur) ait in libro de Natura, & Gratia, quòd excepta Maria Virgine, de qua propter honorē Dei nullam prorſus cum de peccatis agitur, haberi volo quæſtionē; nullo ergo modo B. Virgo fuit peccato obnoxia, quod eſſe non poſſet, niſi fuiſſet in vtero ſanctificata.* At infrà art. 3. quærens, vtrum B. Virgo per primam ſanctificationem fuerit omnino à peccato immunis, poſitis rationibus dubitandi, ſic inquit: *In contrariū eſt, quia vt ſuprà patuit D. P. Auguſtinus, cum de peccatis agitur, nullam vult de Maria habere quæſtionē: excipit enim ipſam, vt patet ab omni peccato, ſed non intelligitur hoc de peccato originali; quia vt patet, in originali concepta fuit, intelligitur ergo hoc de actuali, quia nunquam habuit aliquod peccatum actuale, nec mortale, nec veniale.* Hęc expreſsiſsima contradictio eſt: nā ſi ex hac Auguſtini auctoritate probaſti art. 2. Mariam citiſsimè, poſt breuem morulam fuiſſe à peccato originali ſanctificatam, quomodo nunc eadēmet auctoritas non loquitur de originali, ſed de actuali? Auguſtini vniuerſalis excluſiua propoſitio eſt, & non tantum de peccato, ſed de peccatis: *Nullā prorſus cum de peccatis agitur, haberi volo quæſtionem.* Alia quam plura huiuſmodi habet Ægidius, ſed non poſſunt omnia tranſcribi. Nota tamen ſingulariter, quòd ad finem artic. 2. §. *Secunda excellentia*, ſic inquit: *Nam ipſa fuit immunis ab omni alio peccato, præter quam ab originali, quod de nullo ſancto dicere poſſumus*, & adducit auctoritatem Auguſtini, excepta Virgine Maria, &c. Vſque ad illud: ſi dixerimus

quoniam peccatum non habemus, &c. & concludit ſic: *Omnes ergo Sancti alij etiam ſanctificati in vtero habuerunt aliquod actuale peccatum ſaltim veniale. Sola autem B. Virgo excepto originali fuit ab omni alio peccato immunis.* Recognouit doctus Ægidius, quòd vox iſta, immunis, abſq; addito diminuẽte prolata, erat vniuerſalis: nam eſſet implicatio dicere abſolutè: Maria fuit immunis à peccato, vel ab omni peccato, ſi in ſua Conceptione cotraxiſſet oririginale? Ideò tam ſolicitè ſemel, & iterum addidit exemptionem: *Præter quam ab originali.* Hoc nota pro infrà dicendis, quia Aduerſarij pro libito ludunt hac voce immunis, & hæc de verbis Ægidij in illo 3. ſent. diſt. 3.

Agit etiã de peccato originali in expoſitione Epiſt. Paul. ad Rom. ſed nihil notatione dignũ inuenio, niſi quod habet lect. 13. §. *vlterius fortè*, vbi inquit: *Poſſumus autẽ dicere, quòd ſex nominibus huiuſmodi peccatũ nominari conſueuit. Dicitur enim peccatum originale, languor naturæ, tyrannus, lex membrorum, cõcupiſcentia, & fomes peccati. Hæc autem ſex vocabula ſortitur propter ſex ad quæ cõparari poteſt. Nam huiuſmodi peccatum comparari poteſt ad parentes, à quibus emanat, ad naturam quam inhabitat: ad rationem quã obnubilat: ad vires animæ, quas inordinat: ad pœnam quã cauſat: ad culpam ad quam inclinat. Prout comparatur ad parentes à quibus emanat, ſic dicitur originale peccatum, quaſi peccatũ à parentibus ex origine traductũ, & contractum, &c.* Si ergo dicitur peccatum originale per ordinem ad parẽtes, à quibus originatur, hęc propoſitio, & huic ſimiles: in Conceptione Mariæ fuit peccatum originale, non eſt formalis, ſe tenens ex parte effectus, ſed cauſalis, ſe tenens ex parte generantiũ, & præcipuè quando antiqui vocant generationem cõceptionem. Item infrà proſequitur Ægidius ſic: *Licèt quodlibet peccatum poßit dici tyrannus, potißimè tamen peccatũ originale, ſecundùm quod in corruptione, & libidine naſcimur, per quam natiuitatem obſcuratur lumen intellectus, & ratio obumbratur.* Videat lector, quando naſcitur infans ex libidine patris, ex corruptione matris, & obſcuratur lumen intellectus, & ratio ex concupiſcentia, quia tunc eſt tyrannus peccati originalis, & tunc noſtra natiuitas eſt ſub iugo peccati originalis: ergo in hoc ſenſu Ægidii hęc propoſitio, generatio, conceptio, natiuitas Mariæ fuit facta, poſſeſſa, ac interueniente tyranno peccati originalis, in rei veritate nihil dicit cõtra immunitatem Virginis, & ex his æquiuocationibus antiquorum ſufflãte ſpiritu indocto, & inconſiderato exarſit hæc controuerſia. Nota aliã æquiuocationem eiuſdem Ægidii huic ſimilẽ, in 3. diſt. 3. art. 3. in reſolution. *Reſpondeo dicendum, quòd communiter tenetur, & benè, quòd etiam aliqui à B. Virgine fuerunt ſanctificati in vtero; differunt tamen à Chriſto, quia Chriſtus fuit ſanctus conceptus, & ſanctus natus, vt ſuprà patuit per Auguſtinum, de fide ad Petrũ. Tamẽ nullus alius à Chriſto, nec B. Virgo, nec Ioannes Baptiſta, nec Ieremias fuit cõceptus ſanctus, quia quilibet ortus ex concubitu viri, & mulieris, eſt in peccato originali conceptus.* Ex his vltimis verbis, videtur quod Ægidius loquatur de primo ortu factus in ſemine in concubitu viri, & mulieris, & de hoc verum dicit, quòd ſolus Chriſtus fuit conceptus ſine tali peccato originali libidinis, concupiſcentiæ, ſeu delectationis carnalis, vtpotè ſanctè conceptus à Virgine, & ſanctè ipſe natus in vtero Virginis.

Etiam edidit Ægidius ſpeciale opuſculum de peccato originali, quòd incipit: *Ego cum ſim puluis, & cinis, &c.* & habet capita ſeptem, & cap. 2. inquit: *Hoc peccatũ quinque nominibus nominari, dicitur enim cõcupiſcẽtia, fomes peccati, lex membrorũ, ſiue lex carnis, langor naturæ, & tyrannus, &c. Aduertendũ quod peccatũ originale eſt carentia originalis iuſtitiæ cum debito habendi eam, &c.* Sed hanc carentiã explicat per ordinẽ ad actum generationis, & cap. 1. inquit: *Nõ ergo ſic imaginari debemus, quòd animæ ex ſua natura debeatur originalis iuſtitia, quæ vnita carni huiuſmodi perfectionem ſuæ naturæ debitam perdidit. Sed animæ filiorum Adæ hoc modo habuiſſent originale iuſtitiã, quia ſi primi parentes non peccaſſent, & originalem iuſtitiã non perdidiſſent concepiſſent, ſine libidine, & hoc modo in poſteros originalem iuſtitiã tranſfundiſſent; animæ ergo filiorum Adæ coniunctæ carni conceptæ ſine libidine originalẽ iuſtitiam habuiſſent. Igitur ad hoc quod anima contrahat originale peccatum, non oportet eam eſſe ex traduce, vel eſſe eductam de potentia materiæ (vt arguebat difficultas prima) ſed ſufficit eam eſſe coniunctam carni libidinoſæ, & ex corruptione cõceptæ.* In his verbis expreſsit Ægidius mentem ſuam, ac declarauit quidquid obſcurè protulerat in ſuperioribus locis; nam ſi peccatum originale propagatur à parentibus, quando libidinosè generant, & peccatum originale à filiis contractum nihil aliud eſt quam vnio animæ ad illam carnem libidinosè genitam, quòd iterum confirmat Ægidius infrà cap. 5. ad finem: ergo hæc propoſitio: Maria fuit Concepta cum originali peccato duplicem poteſt habere ſenſum, cauſalẽ, & formalem, & ſic eſt æquiuoca: inſuper ſi Maria fuit genita à Ioachimo, & Anna, ſine libidine in emortua ſenectute ſolùm, propter Dei præceptum, & myſteriũ noſtræ redẽptionis, vt cõſtat ex approbatis reuelationibus. Nec deſſunt Doctores, ſed vnus ſufficiat pro omnibus doctus, antiquus, & ex Patribus Dominicanis, Ambr. Catharinus in opuſc. ad Patres ſui Ordinis lib. 1. reſol. 5. fol. 17. *Ad hæc pro honore Matris Dei, non dubitauerim aſſere-*

re

re illam copulam B. Ioachimi, & Annæ, ita prorſus omnis libidinis, & peccati expertem fuiſſe, vt potiùs maximi meriti fuerit coràm Deo, cum ex ſola obedientia ex Dei mandato per Angelum ſancta, & pura mente coierint: vt & aliquo modo dignatus ſit Spiritus Sanctus admiſcere ſe illi copulæ, ſcilicèt faciens de ſterili fœcundam, atque ab omni opprobrio vendicans; item ſanctificans ſemen illud quatenùs ſanctificationis capax erat, vnde tanta radix erat proceſſura, de qua etiam tantus flos prodiret. Hoc autem licèt in ſpiritu meo dicam, non tamen ſine ratione, nec ſine teſtimonio, nam hoc ex cœleſti reuelatione teſtata eſt B. Brigita deuotiſſima Chriſti ancilla, &c. Iudicet ergo Lector quid ad hæc diceret Ægydius Romanus?

AEGIDIVS Zamorenſis, Ordinis Minorum Hiſpanus in Summa ſua cap. de Maria; *Turrecremata p. 6. cap. 23. fol. 123. Anonym. via 3. rat. 9. Auctor 112. Bandel. cap. 24. Deza fol. 45. à tergo, Vincentia, & Gryſal.*

VERITAS 5.

HIC Auctor celebris eſt apud Minoritas, licèt eius opera non fuerint typis mandata, ſeruãtur enim manuſcripta in conuentu Minorũ Zamorenſi, vbi nos ſemel, & iterum ipſa vidimus, ac legimus: Vincentius ergo Bandellus, & Petrus de Vincentia, ſic adducunt huius Doctoris auctoritatem. Idem tenet Magiſter Ægidius Zamorenſis Hiſpanus Ordinis Minorum in Summa ſua, cap. de Maria, ſic dicens: *B. Virgo Maria fuit in originali peccato concepta, ſed poſteà fuit ab eodem per gratiam ſanctificationis ante natiuitatẽ mundata, & hæc eſt ſententia Sanctorum, & Doctorum, communior, atque ſecurior. Hæc ille.* Quòd hæc Bandelli auctoritas ſit ſuppoſita, & penitùs ficta, Patet euidenter: tum quia talia verba non ſunt in Ægidio: tum quia Deza, ſiue Auctor ille Hiſpanus Bandelli continuator, in quadam ſuperaddita Additione, ſic inquit: *Et nota quod iſtud teſtimonium eſt poſitũ hic in ſententia, verba formalia ſunt hæc: Maria igitur, licèt ab æterno fuerit præordinata Mater Dei, & à Patriarchis præuiſa, & Prophetis prædicata; quia tamen per carnalem propagationem à carnalibus parentibus deſcendit; Ideò illam dico (ſaluo meliori iudicio) conceptã cum peccato originali; & poſteà diffusè hoc probat, formaliter capiẽdo verba Bonauenturæ, ſuperius allegata, videlicèt: iſte modus eſt communior, ſecurior, & rationabilior, &c.* Hucuſque cõtinuator Bandelli; ex quibus conſtat Bandellum adulteraſſe Ægidium, atquè finxiſſe totam eius auctoritatem, & idem dico de Petro de Vincentia.

Nunc reſtat inquirere, an Deza, ſiuè Corrector ille Bandelli fideliter tranſcripſerit Ægidium? pro quo dico, quòd Ægidii verba tom. 6. fol. 55. quater. 4. ſic ſe habẽt: *Maria igitur licet ab æterno foret Mater gratiæ ordinata, iuxtà viridica oracula Prophetarũ; tamen quia ſecundum carnem à carnalibus parẽtibus propagata, ipſam (ſalua ſententia meliori) conceptam eſſe credimus ſine peccato, & ideò non eſt conceptio ſeminum ab Eccleſia celebranda, ſed per reſpectũ ad ſanctificationem, quæ facta eſt poſt conceptionem naturarum, id eſt, vnionẽ animæ ad corpus, &c.* Hæc ſunt formaliſsima verba, quæ hodiè extant in illo manuſcripto Ægidii, & etiã extabant tempore Bãdelli, Turrecrematę, & Dezę, quod fatetur ipſemet Deza his verbis: *Sed aduerte, quòd vbi ego legi, videlicèt in quodã conuentu Fratrum Minorum, in quo, vt credo, ſunt huius Doctoris originalia, eſt abraſum ly, cum, & eſt ſuperſcriptũ, ſine; vt luce clariùs vnicuique etiam debiliſsimũ viſum habenti patet, &c.* En Dezę verba, qui deindè nititur probare illud Ægidii manuſcriptum originale fuiſſe vitiatũ, & abraſam illam particulã, *cum*, ac ſuperſcriptam illam, *ſine*, ex eo, quia alias verba antecedentia non cohærerent cum ſequentibus: Ex omnibus iſtis

Deducitur, ac euidenter conſtat, quòd auctoritas Ægidii à vobis tranſcripta, collata cũ ſuo originali in multis deficit, ſed præcipuè in duobus. Primò; quia prætermiſiſtis illa verba: *Et ideò non eſt conceptio ſeminum ab Eccleſia celebrãda, &c.* quia in illis apertè cernebatis, quod aliàs mordicus negatis, ſcilicèt, quòd quando Doctores antiqui dicebant, vel dicunt in ſuis ſcriptis Conceptionis feſtũ non eſſe celebrandum, loquebantur de conceptione ſeminum, quæ facta fuit die octaua Decembris, quod expreſsè hic fatetur Ægidius. Secundò, quia vbi Ægidius habet: *Ipſam (ſalua ſententia meliori) conceptam eſſe credimus ſine peccato*; vos è contra tranſcripſiſtis ſic: *Ideò illam dico (ſaluo meliori iudicio) conceptam cum peccato originali*; eſt ne idem eſſe *ſine peccato*, & concipi *cum peccato originali*? Item addidiſtis ad maiorem expreſsionẽ veſtræ intentionis verbum illud, *originali*, quia Ægidius loquitur de peccato Parẽtum in conceptione ſeminum, non de originali prolis genitę. Cauſam iſtam vos metipſi iudicate. Nec valet dicere, quòd illa particula, *ſine*, fuit mendosè ſuperpoſita loco illius, *cum*; nam vndè hoc probatur? Deza enim inquit: *Sed aduerte; quòd vbi ego legi, videlicèt, in quodam conuentu Fratrum Minorum, in quo, vt credo, ſunt huius Doctoris originalia, eſt abraſum ly, cum*: ergo Deza in illo originali non inuenit propoſitionem illam, *cum*, ſed *ſinè*, & ipſe ex proprio cerebro de relicto, *ſine*, appoſuit, *cum*; & vultis, quòd credamus Dezæ

contra textum ipsum? Deindè in quo conuentu Fratrum Minorum, & originale hoc vidit Deza? Si in Zamorensi, quare non expressit? Si in alio: ergo iam est duplex originale: Vnum in conuentu Zamorensi, de quo nos testes sumus, & aliud in conuentu illo citato à Deza, in quibus est illa particula, *sine*, & non illa, *cum*; quibus ergo, ò Patres! præstanda erit fides? An duplici originali antiquo, & expresso, an coniecturis, & illationibus, & mendis vnius Dezæ?

Sed iam Ventilando verba Ægidij vsque ad vltimum apicem; fateor, ac profiteor, quod nō benè cohærent inter se verba Ægidij; nam hic affirmat, fuisse Mariam conceptam sine peccato, & infrà videtur tenere contrarium; sed hoc non est mirum, quia originalia manuscripta vnusquisque volebat corrigere iuxtà suum captum: ex his ergo nullum efficax argumentum potest desumi: & sic solùm, inquirimus in præsenti, an Ægidii auctoritas fuerit, nec nè à vobis fideliter transcripta ab illo, vel illis originalibus existentibus in rerū natura? Et inuenimus, quòd Turrecremata nullam adduxit Ægidii auctoritatem, sed solùm nudam citationem; timens fortè periculum; Bandellus verò, ac Vincentia apertè, & clarè toto cœlo deuiant à veritate; quia nec iota vnum veritatis ab ipsis adductæ auctoritatis inuenitur in Ægidio; Deza autem volens corrigere suos prædecessores, labitur in aliis vitiis non minoris momenti, & sic nihil aliud in hac materia dicere possum, nisi quod in originale Ægidij omnes peccarunt.

ALANVS Doctor clarissimus, in expositione Symboli Athanasii, & in Serm. Purificat. & Serm. de Assumptione B. Virginis: *Ita Turrecrem. part. 6. cap. 26. fol. 117. Anonym. via 3. rat. 9. Auct. 165. Bandellus cap. 21. Deza fol. 36. à tergo, Capreolus, Soncinas, Gryfal. Barelete.*

VERITAS 6.

HVIVS Nominis quam plures fuerunt Scriptores, sed nullus inuenitur, qui scripserit super Symbolum, nec præallegatos Sermones de Purificat. & Assumpt. Virginis Mariæ; vidimus enim Alanum Magnum, quem Conradus Gesnerus, fol. 17. & Robertus Holchot. in Prou. Salom. lect. 129. & alii communiter, vocant Alanum Insulensem, Cistercien sem: vidimus Alanum de Rupe, Alanum Varenium, Guilielmum Alanum, Anglicum, Alanum de Limna, Carmelitanū, & Alanum Theu Kisbergensem, sed nullus istorum scripsit super Symbolum Athanasii; igitur ex hac parte si non Auctor, saltem opus videtur fictum, & phantasticum. Et comprobatur; nam Fabianus Iustinianus in suo Indice vniuersali fol 114. refert omnes, qui scripserunt in Symbolū, & nullum adducit Alanum. Item Angelus de Paz, diligentissimus scriptor Ordin. Minorum explanauit latissimè Symbolū, & in fine primi tomi adducit Indicem omnium Auctorum; sed nullum refert Alanum, nisi Alanum Coppu; at hic non potest esse, de quo inquirimus, nam Coppus vixit ad ann. 1565. de quo vid. Aubertum Myræum in sua Biblioth. tom. 2. secul. 16. fol. 109. Alanus verò adductus, vixit ad minùs ante annum 1436. in quo scripsit Turrecremata, vel 1475. in quo scripsit Anonymus: denique nullus Nomenclator Ecclesiasticus de tali Alano Scriptore super Symbolū Athanasii, vel minimam mentionē facit: neque inuenio Scriptorem antiquum scripsisse super Symbolum Athanasii, nisi Alexandrum Nekam, cuius opus incipiebat: *Caput Aquilæ, &c.* vt refert Pitseus fol. 299.

Item, quia vt ipsimet Aduersarii dicunt, non solùm scripsit super Symbolum, sed etiā edidit opus Sermonum; vbi ergo sunt isti Sermones Alani? Nō sunt impressi, nam ex his solus Alanus Varenius edidit Sermones; a tamen hic nullum adducit Purificationis, vel Assumptionis, tum quia est modernior Turrecremata, & Bandello; tum denique sequitur opinionē magis piam de Immaculata Virginis Conceptione, & illam latissimè docet Sermone primo, vt videre est in Bibliotheca Virginali tom. 3. fol. 506. Neque est Alanus Magnus, qui plura scripsit, sed præcipuè librū de Distinctionibus dictionum Theologicalium, & extat impressus in fol. absque anno, & loco impressionis; in quo licèt passim loquatur de Virgine Maria, sed de eius Conceptione, seu sanctificatione, nec minimū quidèm verbum; isti sunt typis mādati: ex Manuscriptis verò, quos inuenire potui, est Alanus qui scripsit tractatuum, de arte Prædicandi, & incipit opus: *Vidit Scalam Iacob*, & extat in cōuen. S. Ioann. Regum Toletan. litt. Z. n. 83. est etiam ibidem alterum opus sub nomine Alani, & sunt Sermones aliquarum Festiuitatum, & Dominicarum, & incipit: *Videbunt Filium hominis*, dicatum Henrico VI. sed ibi nullus extat Sermo Purificationis, vel Assumptionis in Bibliotheca Regia Scorialis extat Alani opus de Articulis Fidei V. D. 36. & incipit: *O clauis Dauid, &c.* sed ibi nihil inuenire potui de allegato Symbolo. Denique Carolus de Visch, Ordinis Cisterciēsis recollegit omnia opera Alani, quæ per diuersas mundi Bibliothecas inuenire potuit, & illa typis mādauit Antuerpiæ, ann. 1654. in fol. & de tali tract. super Symb. Athanas. nec minimā facit mētionem, nec in Indice operū; adducit tamen aliquos sermones, sed nullū Purificationis, vel Assumptionis, Valerius Andr. Desselius in sua Bibliot. Belgica, fol. 32. refert latissimè omnia Alani opera, sed de tali explanatione

tione Symboli, nec Sermonibus meminit, ſicut nec præallegatus Carolus de Viſch in ſua Bibliot. Ciſterc. Myreus fol. 166. licèt huius Alani opera omnia latiſsimè recenſeant. Res enim mira videtur, quòd octo Patres Dominicani legiſſent tractatum hucuſque ab omnibus aliis incognitum: Igitur ex omni parte Alanus iſte videtur fictus, ſeu fantaſticus, quoad opera, ſed quidquid ſit de Auctore, & operibus.

Deſcendendo ad auctoritates, ſeu verba Alani, ſic ipſum adducit Turrecremata: item ſeptimo ad idem eſt Alanus in expoſitione Symboli Athanaſii, vbi ſic dicit: *Quidam enim dogmatizauerunt, Chriſtum aſſumpſiſſe carnem in Virgine, non ex Virgine: quidam verò dicunt, in Virgine, & ex Virgine: quidam neque in Virgine, nec ex Virgine. Qui verò dicunt in Virgine, non ex Virgine Chriſtum aſſumpſiſſe carnem, ei ſtultam honorificentiam deferunt, dicentes: Nouam carnem, & incorruptam in cœlo creatam eſſe, & per miraculum in vterum eſſe dilapſam; vel carnem Adæ non totã per peccatũ corruptam fuiſſe, ſed quamdam particulam mundam, & incorruptam fuiſſe reſeruatam, & per propaginem, vſque ad Virginem eſſe deriuatam, quam Chriſtus aſſumpſit; timentes carnem Chriſti infirmam eſſe vitio, & immundam reatu; ſi carnem, quæ pars eſſet Mariæ, aſſumpſiſſet, quæ in eius Conceptione, ſicut & cæterorum corrupta fuit vitio, & reatu, ſed non attendunt, quòd in cæteris generationibus miniſtra concupiſcentia caro à carne deciditur; vnde in eodem vitio tenetur, & eodem reatu deciſa, quo ante deciſionem; in Maria verò, quoniã obumbrante Spiritu Sancto, caro à carne deciſa eſt, in ipſa deciſione caro per Spiritum Sanctum eſt mũdata, vt quæ corrupta erat Mariæ, munda eſſet Chriſti, & incorrupta. Vndè & hoc ſcientes Catholici, aiunt, Chriſtum, & in Virgine, & ex Virgine carnem aſſumpſiſſe: Hæc Alanus, quo nihil clariùs dici poteſt pro concluſione, quæ intenditur.* Hucuſque Turrecremata ex ſuo Alano.

Cernens ergo, quòd hæc auctoritas, quoad citationem erat ex Symbolo, & quoad argumẽtum contra Hæreticos, decreui percurrere omnia opera Alani, & inueni, quòd ſcripſit quadripartitum opus ſub titulo: *De fide Catholica contra Hæreticos ſui temporis, præſertim Vvaldenſes, & Albigenſes*, à fol. 203. in quo diſcurrendo per articulos Fidei, lib. 1. cap. 21. inquirit: *Quibus auctoritatibus, ac rationibus probatur, quòd Chriſtus veram carnem aſſumpſit*, & cap. 33. hunc habet titulum: *Opinio quorundam Hæreticorum, qui dicunt, quòd Chriſtus aſſumpſit corpus cœleſte, & quod B. Maria in cœlo fuit creata, & quòd nec Patrem, nec Matrẽ habuit*, & cap. 39. & 40. agit de transfuſione peccati originalis; ſed cùm in his capitibus, nec in aliis ſint ſuprà poſita verba adducta à Turrecremata loquendum eſt in hac parte ſupponendo textum, quaſi fuiſſet verum.

In primis ergo circa hanc auctoritatem, nota, o Lector! hæc vltima verba Turrecrematæ: *Quo nihil clarius dici poteſt pro concluſione, quæ intenditur.* Sed in rei veritate melius, ac veriùs diceret; quo nihil obſcurius dici poteſt pro concluſione, quę intenditur. Nam ſi concluſio, quam Turrecremata intendit probare, eſt hæc: Maria Virgo contraxit peccatũ originale, quomodo ex hac auctoritate poteſt probari clarè talis concluſio, quando auctoritas a primo vſq; ad vltimum verbũ loquitur de Incarnatione Verbi, ſiuè de Conceptione actiua Mariæ, & nec literam ſaltem continet, quæ loquatur de Cõceptione paſsiua? vt intuenti facilè patebit? Hoc fortè ſentientes, ac prouidentes, ſcribentes poſt Turrecrematam, citarunt quidem Alanũ pro ſua ſententia, ſed ipſius auctoritatem penitùs tacuerunt, iudicantes illam abſolutè, & totaliter eſſe extra propoſitum aſſumptum, vt verè eſt. Hæc de ſe patent.

Sed videamus, ac ventilemus omnẽ auctoritatem ad indagandum, ſi fortè ſit aliquod verbum in ipſa, ex quo ſaltem per aliquam obſcuram conſequentiam poſsit deduci hæc: Maria fuit maculata in ſua Conceptione peccato originali? Non ergo ex primis verbis, quia vſque ad illa: *Sed non attendunt, &c.* loquitur Alanus in ſententia illorum ſtultorum Hæreticorum, qui affirmabãt Chriſtum aſſumpſiſſe carnem in Virgine, non ex Virgine. Verba autem Hæreticorum, & prolata in confirmationem Hæreticalis propoſitionis, nec poſſunt eſſe Alani (ſiquidèm ipſemet illa impugnat) nec Aduerſarii, quia Catholici illa pro ſe adducerent. Deindè hæc verba ſunt obſcuriſsima propter illam clauſulam: *Timentes carnem Chriſti infirmã eſſe vitio, & immundam reatu; ſi carnem, quæ pars eſſet Mariæ, aſſumpſiſſet, quæ in eius Conceptione, ſicut & cæterorum corrupta fuit vitio, & reatu.* Nam illud relatiuum *eius*, vel facit relationem de Chriſti Conceptione, vel de Mariæ Conceptione? Si de Chriſti Conceptione, ſuppoſitum eſt falſum, & Hæreticum; & omnia verba extra propoſitum aſſumptum: Si autem illud relatiuum, *eius Conceptione*, reſpicit Conceptionem Mariæ, Hæretici loquebantur conditionaliter nõ abſolutè, vt expreſsè denotat illa particula, *ſi*, & faciunt omnia verba illa hunc ſenſum: caro Mariæ in ſua Conceptione, vel potuit eſſe infirma vitio, & immunda reatu peccati originalis, ſicut cæterorum, vel non? ſi fuit infirma vitio, & immunda reatu! ergo pars illa, quæ aſſumpta fuit à verbo, neceſſariò, & infallibiliter fuit infirmà vitio, & immunda reatu; quia ſi caro Virginis fuit ſicut cæterorum corrupta vitio, & reatu, neceſſariò fatendum eſt, particulam, & carnem Chriſti indè

deciſam, infirmam eſſe, & immundam reatu. Timentes ergò Hæretici, hanc conſequentiam eſſe neceſſariam, & legitimam, ſuppoſito antecedenti, dicebant, quod caro, ſiuè particula illa carnis aſſumpta à verbo, creata fuit in cœlo, & per miraculum in vterum Virginis dilapſam; vel ſi hoc non, aliam excogitabant viam, ſcilicèt, quod non tota caro per peccatum corrupta fuerat in Adam, ſed quandam particulam mundam, & incorruptam fuiſſe ſeruatam, & per propaginem vſque ad Virginem eſſe deriuatam: *Et in hoc errabant*, inquit Alanus: quia non attendebant virtutem Spiritus Sancti ſuperuenientis in Virgine, &c. Ex his colligitur: Primò, quod Hæretici loquebantur conditionaliter. Secundò, quòd ad prædicta illorum deliramenta occaſionem præbebant aſſertores opinionis contrariæ, affirmantes, Virginis carnem in eius Conceptione fuiſſe ſicut cæterorum, corrupta vitio, & reatu. Tertiò, quod ex illis primis allegatis verbis nullum poteſt deſumi argumentum, quia non ſunt Alani, ſed quorundam peſſimè errantium, contra quos Alanus arguit.

Verba autem Alani incipiunt ab illa clauſula: *Sed non attendunt iſti*; & in his inquirendum eſt, an ſit aliquod clarum, vel obſcurum ſaltem contra Virginis Conceptionem? Fatetur ergò Alanus, quod in generationibus miniſtrante concupiſcentia, caro à carne deciditur, & quòd in eodem vitio tenetur caro deciſa, quo tenebatur ante deciſionem: *In Maria verò quoniam obumbrante Spiritu Sancto caro à carne deciſa eſt, in ipſa deciſione caro per Spiritum Sanctum eſt mũdata, vt quæ corrupta erat Mariæ, munda eſſet Chriſti, & incorrupta.* Ex his verbis volunt Aduerſarii, quod collagitur clarè Virginem contraxiſſe originale peccatum, ſed ò bone Deus! quomodo poteſt eſſe claritas, vbi tanta interuenit obſcuritas? In primis hic loquitur Alanus de carnis immunditia, & corruptione, quæ interuenit in effuſione ſeminis, ſeu viri generatione, & fœminæ conceptione; & quòd ibi (quia concupiſcentia miniſtrat) eodem reatu, ac vitio tenetur caro deciſa, quo tenebatur ante deciſionem; hoc autem inquit Alanus, in Mariæ Conceptione, ſeu Verbi Diuini Incarnatione locum non habuit; nam ibi non miniſtrauit concupiſcentia carnem, quando deciſa eſt; quin potiùs per Spiritum Sanctum mundata eſt tota Maria, ſiuè caro illa, & deciſio eſſet Mariæ, vt Mariæ; vel eſſet, quia erat fœmina, & Adæ filia (abſolutè, & quomodocumquè ſumatur) per ſuperuentionem Spiritus Sancti mundata fuit illa deciſio, vt incorrupta exiret Chriſti caro omnibus modis, & non teneretur aliquo vitio, nec reatu in deciſione, nec poſt deciſionem; quia Spiritus Sanctus mundando ſomitem, aut illam concupiſcentiam (quæ ſecundùm Doctores antiquos ſolùm ligata erat in Maria) ſiuè mundando carnem à delectatione, & ſenſualitate, quæ in deciſione ineſſe poterat, mundata actione, neceſſariò mundaretur etiam terminus; ſed hæc non eſt mundatio actualis ab aliqua immunditia, ſed preſeruatio illius. De hoc agit Alanus, non verò de culpa, ſeu macula peccati originalis; alias ſi Mariæ caro in ipſa deciſione, per Spiritum Sanctum eſt mundata, verè, realiter, & in effectu. Si interroget aliquis, quæ caro mundata fuit in Maria tempore Incarnationis? Vel illa deciſa, vel illa vnà decidebatur, vel vtraque? Dicant Aduerſarii quidquid voluerint; nam hæc conſequentia eſſet neceſſaria, & infallibilis: igitur in Maria tempore Incarnationis erat caro immunda: concederet hanc conſequentiam Alanus? Item ex illis verbis: *vt quæ corrupta erat Mariæ, munda eſſet Chriſti, & incorrupta.* Similiter deducitur hæc: igitur Maria tunc habuit carnem corruptam, & immundam. Sunt nè hæ conſequentiæ catholicæ, vel hæreticales? Vbi ergò, ò Theologi! eſt hæc claritas in Alano pro illa veſtra concluſione: ergo Virgo Maria contraxit peccatum originale? Quãdo vix Alani verba in nullo ſenſu, ad ſanum, & catholicũ poſſunt reduci? Et in veſtro non ſolùm eſſent abſurdiſſima, ſed, &c. Deindè hic loquitur Semi-Alanus de carne, non de anima, de munditia illius, ac reatu corruptionis, non de iſtius macula, atque originali peccato: quid plurã? Loquitur, inquam, de concipiente, non de concepta, & hæc de auctoritate Symboli.

Anonymus, qui immediatè ſcripſit poſt Turrecrematam, non ſolùm citat, vel allegat Alanum in Symbol. ſed etiã in Sermone Purificationis, & Aſſumptionis, ſed nullam adducit auctoritatẽ: Bandellus verò, Deza, & alii Scriptores poſt Anonymum allegant Alanũ in Symbolo; ſed non in Sermonibus, Petrus Vincentia abſolutè prætermittit Alanum. Ex quibus omnibus cõſtat, quod Sermones iſti ſunt ſuppoſiti, & ficti ab vno Anonymo, ſicut finxit alia quam plura, de quibus infrà, & ſi non fuerunt ficti, nihil erat in eis pro ſua concluſione, & ſi erat, cur non adduxerunt auctoritates? Deindè ſi Alanus iſte fuit ille magnus, dictus communiter de Inſulis, hic expreſsè eſt pro noſtra ſententia: etenim in lib. Sentent. fol. 146. inquit: *Nec ſolùm in Chriſto fuit perfecta, & plena circumciſio, id eſt, circumciſio circumciſa: ſed & circumciſio circumcidens: circumcidit enim Conceptione Matris à culpa, partu à pœna:* & ad marginem habet: *Beata Maria Concepta fuit ſine culpa.* & in Anti-Claudiano, ſiuè Anti-Rufino, ſiuè Encyclopædia, fol. 376. inquit:

Neſcia ſpineti florens roſa, neſcia culpæ,
Gratia fons, expers limi, lux nubila pellens.

Et ſuper cantica paſsim affirmat, quòd in Maria nullum

nullum regnauit peccatum. Alanus Pariſienſis etiam eſt pro nobis, nam ſcripſit integrum Librum pro Immaculata Virginis Conceptione ad annum 1392. qui incipit: *Temporis in motu, &c.* Qui apud nos eſt Manuſcriptus, expectans videre lucem cum aliis ſub titulo: *Monumenta antiqua Conceptionis*, Ioannis vitalis, cuius deffenſoriũ habemus Manuſ. palsim adducit Alanum pro noſtra ſententia, &c. Nonnè vides, quomodo Monùmentà aperta ſunt, & multa corpora Librorum, qui dormierant, reſurgunt?.

ALBERTVS De Brixia Beatus Doctor Pariſienſis, Ordinis Prædicatorum in Summa ſua, lib. 3. tract. 46. vel. 4. cap. 6. *Ita Anonymus in Catalog. Fratrum Præd. circa finem, & via 3. rat. 9. Auctore 84. Bandel. cap. 23. Deza fol. 42. Vincentia, Gryſald.*

VERITAS 7.

DE Hoc Alberto Brixiano nullam adducunt auctoritem Bandelus, Deza, Vincencentia, neque Gryſaldus, imò neque ipſe Anonymus in Catalogo Ordinis Prædicatorum, ſed infrà via 3. rat. 29. p. 3. fol. 186. ſic inquit: Ad hoc reſpondet B. & Magiſter Albertus de Brixia, qui tam in Philoſophia, quàm in Theologia multa conſcripſit, & Tertiam partem S. Thomæ compleuit, cui B. Auguſtinus apparens cum S. Thoma dxit: Thomas mihi par eſt in gloria, virginali præſtans munditia. Hic in Summa vtiliſsima quam fecit de inſtructione Confeſſorum, quam in tres libros conſcripſit, diſtinxit in lib. 3. tract. 46. cap. 6. loquens de feſto Conceptionis B. Virginis, ſic dicit: *Sciendum eſt, quòd quamuis B. Virgo in originali fuerit concepta peccato, creditur tamen in vtero matris ſuæ ſanctificata fuiſſe, antequam nata ex vtero: & ideò circa celebrationem Conceptionis eius, diuerſa conſuetudo Eccleſiarum ſeruatur. Nã Romana Eccleſia conſiderans B. Mariam fuiſſe in originali peccato conceptam, non celebrat feſtum Conceptionis eius. Aliquæ verò Eccleſiæ conſiderantes ſanctificationem eius in vtero matris ſuæ poſt animationem factam tolerante Romana Eccleſia feſtum Conceptionis eius celebrant. Vndè illa celebritas non eſt referenda ad Conceptionem ratione Conceptionis, ſed ratione ſanctificationis in vtero factæ poſt Conceptionem, cuius ſanctificationis feſtum in die Conceptionis celebratur, quia quo tempore ſanctificata fuerit, ignoratur. Hæc ille.* Circa præſentem Authorem, & auctoritatem dico ſequentia.

Primo, Albertus Brixienſis fuit in Ordine Prædicatorum, & de ipſo loquuntur omnes Nomenclatores Dominicani, ex Lean. Alber. lib. 4 fol. 149. & ex aliis Tritemius, Poſſeuinus, & Geſnerus, ſed a nullo vocatur Beatus, imo Seraphinus Razzi, qui edidit librũ de Sanctis, ac Beatis Ordinis Prædicatorum impreſ. Florentiæ ann. 1588. in 4. adducens quam plures viros pios, qui nec ſunt Sancti, nec Beati, de hoc Alberto Brixienſi nullam facit mentionẽ. Secundo, omnes affirmant fuiſſe diſcipulum S. Thomæ, & clariſſime ſecundùm aliquos ad annum 1285. ſecundùm alios ad ann. 1312. vel 1314. & ſecundùm nonnullos ad ann. 1340. cùm iſta, quæ non eſt parua, incipiunt variationes. Tertio, ferè omnes vnanimiter affirmant, ſcripſiſſe non tantum vnam, ſed duas Summas, vnam caſuum conſcientiæ, & alteram, de inſtructione Sacerdotum in quatuor libros diſtinctam; hic vero dicit Anonymus, quòd tantum in tres libros erat diuiſa, inſuper Anonymus citat 3 lib. tract. 46. cap. 6. Bandellus vero tract. 4. nota diſtantia inter tractatum 4. & 46. Quarto, aſſertiuè dicimus, quòd nulla illius Auctoris Summa fuit typis mandata, nec ab aliquo Scriptore citata, aut viſa; niſi ab Antonio Senenſi, qui in ſua Bibliotheca fol. 7. & fol. 150. affirmat, illam de inſtructione Sacerdotis in 4. libros diuiſam fuiſſe Mediolani in Conuentu Gratiarum, & Toleti in Conuentu S. Petri Martyris, ſed in conuentu iſto Toletano non extat; ter enim fuit diligenti inquiſitioni quęſita per diuerſas perſonas, tam in Bibliotheca communi, quam in Archiuio particulari. Quinto, dico, quòd ſuprà poſita auctoritas ex multis de cauſis videtur ficta, & ſuppoſita ab Anonymo, ſicut finxit alias quam plures, de quibus in ſequentibus videbimus mirabilia (magna) præcipuè in illis primis verbis: *Sciendum eſt, quòd quamuis B. Virgo in originali concepta fuerit peccato, creditur tamen in vtero matris ſuæ ſanctificata fuiſſe antequam natam ex vtero.* Hæc enim verba ſemper ſunt ſuæ introductionis locus cõmunis. Item quia Ioannes de Montenigro, Prouintialis Lombardus, & Brixienſis, ſicut Albertus, fuit concollega Ioannis de Turrecremata in actis Concilii Baſilienſis, vbi pro ſua opinione allegarunt quidquid erat, & non erat; & ſi eſſet tam expreſſa auctoritas, de hoc Beato Doctore Dominicano, Lombardo, ac diſcipulo S. Thomæ non illam prætermitterent, vel ſaltem in ſuis diffuſiſsimis allegationibus nominarent Albertum de Brixia, quòd quidem non faciunt. Prætermiſſa ergo prima illa auctoritatis parte, quam b's, & millies fictam eſſe exiſtimo, & affirmo, reliqua verba ſanum poſſunt habere ſenſum, nam clauſula illa principalis: *Vndè illa celebritas, &c.* loquitur de Conceptione ſeminis, & prima carnali facta die 8. Decembris, vt expreſsè indicare videntur illa verba: *Cuius ſanctificationis feſtum in die Coeneptio*

tionis celebratur &c. Cùm ergo die 8. Decembris fuerit Conceptio carnalis feminis, & eodē die celebrassent Ecclesiæ festiuitatem Conceptionis, existimabant antiqui, quòd illo die colebant fideles non sanctificationem Virginis, sed eius carnalem Conceptionem illo die factam, & suppositā hac æquiuocatione, hallucinatione, vel ignorantia optimè dicebant.

Quòd autem ista fuerit communis, ac vniuersalis æquiuocatio non solùm inter antiquos indoctos, sed etiam inter ipsos moderniores doctissimos Theologos, demonstratur pro nunc ad hominem ex ipso primo, ac præcipuo (qui in hac Conceptionis materia fuit, & est vnicus Achilles, cuius verba apud vos, vt oracula habentur) Ioanne, inquam, de Turrecremata doctissimo Cardinali, Theologo simul, & Iurista. Hic enim part. 3. cap. 9. fol. 269. volens probare festum Conceptionis celebrandum esse sub titulo sanctificationis, sic argumētatur. *Secundo sic: Conceptio Virginis fuit opus naturale, quia commixtione seminum viri, & mulieris peracta est, sanctificationis autē opus supernaturale est, vt de se patet; sed de nullo opere naturali consueuit Ecclesia festum celebrare, benè autem de supernaturali: Ergo videtur, quòd si festum de Conceptione B. Virginis solemnizandum veniat, quòd hoc sub hoc nomine sanctificationis, quàm Conceptionis conuenientiùs fiat. Tertio sic, &c.* Ex hac ergo ratione costat, quod Turrecremata existimabat, Ecclesiam celebrare illud naturale factum die 8. Decembris in cōmixtione seminum Ioachimi, & Annæ. Et hoc post tot controuersias, disputationes, atq; libros à se, & ab aliis editos. Item part. 9. cap. 11. fol. 180. à tergo. Ad argumentum de celebratione festiuitatis Conceptionis. Respondit idem Turrecremata sic: *Ad istam rationem dicitur, quòd non procedit multiplici de causa; Primo, quia ex hoc sequeretur, quòd Conceptio feminis, cuius dies celebratur, esset sancta, quod improbatum est.* Ergo hic vester doctissimus vir existimabat, quod Ecclesia die 8. Decembris celebrabat sanctitatē Conceptionis seminis, hoc reprobabat, & benè improbatum esset, si non millies legisset, Ecclesiam illo die nō festiuare sanctitatē Conceptionis seminis, sed sanctificationem factam in ipso animationis instanti, ista verò animæ sanctificatio celebratur die 8. Decembris, *quia*, vt dicit Albertus Brixiensis: *Quo tempore sanctificata fuerit, ignoratur.* Alia quam plura huiusmodi videbimus infrà: Et sic hæc non te conuincunt pro Alberto; saltem ratio illa erit concludens, quòd fuit scilicèt ex Ordine Prædicatorum, quia ex hac sacra familia in materia Conceptionis multi sunt vocati, & pauci electi.

Pro huius Auctoris complemento nota Lector illa Anonymi verba: *Et tertiam partem S. Thomæ complenit.* Ergò complementum 3. partis non est Angelici Doctoris de Aquino, sed Alberti de Brixia? igitur illi Tertiæ parti non debemus absolutam fidem præstare? Imo, cum ignoremus, vbi fuerit illud complementum, an in principio, fine, aut medio: tota 3. pars manet suspecta. Adde etiam, quòd anno 1553. prodiit Salamanticæ per Andream Portinarium liber in folio, sub hoc titulo: *Additiones S. Thomæ in tertiam partem.* O Tertia pars completa, & addita Brixiæ, & Salamanticæ, in qua clausula habes testimonium tuæ Angelicæ puritatis! Et percussa est tertia pars Solis, & tertia pars Lunæ, ita vt obscuraretur tertia pars eorum, &c.

ALBERTVS Magnus, Beatus Episcopus Ratisponensis, Ordinis Prædicatorum, in multis locis librorum suorum, præcipuè super Lucam; & in 3. senten. distint. 3. & in opere singularissimo de laudibus B. Virginis. *Turrec. part. 5. fol. 83. à tergo, & part. 6. cap. 29. fol. 112. à tergo Anonym. Auctore 47. Bandel. cap. 23. Deza fol. 38. à tergo. Vincentia, Capreol. Soncinas, Barelete, S. Antoninus Brixiensis, Gryfald. & alij omnes relati in Trituratione.*

VERITAS 8.

SICVT Auctor, ac eius opera notissima sunt (ille enim virtutibus clarus octogintarius mortuus est anno 1264. illa vero typis mandata fuerunt separatim Hagenau 1504. in fol. & alibi: cōiunctim verò nouissimè Lugduni 1651. in fol. 1.) Sic etiā sentiendum est cum sufficientissimo fundamento fuisse adductū ab Aduersarijs pro sua sententia, vt ex statim dicendis apparebit, at ipsum etiam ventilabimus exprofesso, vt pura appareat, ac firma reliquatur veritas in hoc Auctore Magno, sicut in aliis paruis, ac simul excutiantur paleę, si aliquæ sunt: & fortè dum conabimur reiicere ab oculis festucas, proiiciemus simul aliquas, magnas trabes. Primam igitur auctoritatem sic adducunt. Item ad idem est Dominus Albertus, in Postilla sua super Lucam qui eundem passum exponens, ita dicit: *Quantum ad hoc, quòd vmbra ponit refrigerium, sunt duæ Glossæ: vna quæ dicit, quòd obumbrare est ab incentiuo vitiorum refrigerare. Incentiuum vitiorum est fomes, & sic virtute Altissimi Virgo B. fuit à fomite purgata: & si dicatur, quòd hoc est falsum, quia fuit sanctificata in vtero ab originali peccato: ad hoc dicendum est, quòd in vtero fuit sanctificata à peccato, & ab omni sorde vitij, sed ipse fomes non fuit in ea extinctus, sed ligatus. In ipsa autem Conceptione Verbi fuit pe-*

ni-

nitus extinctus, vt nullus esset omninò, & hoc est, quod dicit Glossa. Hæc Dominus Albertus. Hucusque Aduersarii de suo Alberto Magno; quantum ad litteram fideliter est transcripta, licèt non omnino, quia aliqua (parui tamen momenti) sunt variata, & præcipuè vbi: *Etsi dicatur, quòd hoc est falsum*, in Alberto extant hæc verba sic: *Sed diceres; hoc falsum videtur.* Item vbi ipsi: *Et ab omni sorde vitij originalis*, cautelosè enim prætermiserunt illud verbum *originalis*. Item similiter prætermiserunt totam hanc clausulam: *Vt nec in eum venialis, neque mortalis posset moueri, & postea per exercitium bonorum operum fuit cum ligatione debilitatus, ita quòd non sententiebatur, in ipsa autem Conceptione, &c.* Hæc materialia vitia sunt, & parui momenti. Sed magna notatione dignum est, quòd hanc auctoritatem referat Albertus Magnus sub nomine Glossæ; iquit enim in principio: *Quantum ad hoc, &c. Sunt duæ Glossæ: Vna, quæ dicit*, & ad finem totius auctoritatis concludit: *Et hoc est, quod dicit Glossa*: quis ergo hæc legens, non existimaret totam auctoritatem hanc esse alicuius Glossæ Sacræ scripturæ approbatæ, vel saltem receptæ, & communis, Strabonis, Interlinealis, Marginalis, vel alterius Ecclesiæ Patris? sed hoc falsum, & fictum est, quia talis Glossa non extat in rerum natura, sed omnia sunt verba ex cogitata ab ipso Alberto Magno, & tantùm valent, & auctoritatis habent in hac materia Conceptionis, quàtum auctoritatis debet habere quidam Pater Dominicanus. Quia vt dixi, & iterum dico, & affirmo, talis Glossa non extat in rerum natura. Quantum ad sensum dicimus, quòd in auctoritate ista solùm est clausula illa. *Ad hoc dicendum est, quòd in vtero fuit sanctificata à peccato, & omni sorde vitij originalis*, ventilatione digna, quia alia non sunt ad rem. Sed hæc nihil concludit, si quidem loquitur de peccato, & sorde vitiatæ originis. Nam impossibile est, quòd hęc verificentur de peccato originali, nã si ly *originalis*, supponit pro formali peccato originali, nullus Theologus potest saluare propositionem Alberti: facit enim hunc sensum: Maria in vtero fuit sanctificata à peccato originali, & omni sorde vitij: ergo Maria in vtero non tantum habuit originale peccatum, sed etiam omnem sordem vitii. Nota illam vniuersalem: *omni sorde*, & quod dixeris de hac, dicemus nos de peccato originali.

Secundam auctoritatem sic adducunt: Item idem dicit in opere suo singularissimo de laudibus eiusdem Beatissime Virginis, vbi ex auctoritate ista Anselmi dicentis; quòd decuit vt Virgo Maria ea puritate niteret, qua maior sub Deo nequit intelligi, ita argumẽtatur: *Maxima in vtero puritas hominis Dei, est peccatum originale, nec habere, nec vnquam habuisse, sed statim, & omnino ab illo mundatum esse; ergo B. Virgo debuit quidèm in peccato originali concipi; sed statim ab eo penitùs mundari: ergo debuit in vtero sanctificari. Hæc Albertus Magnus.* Vt autem radicitùs percipiatur mens Alberti, necesse erit omnia eius verba hic transcribere. In illo enim verè singularissimo libro, qui dicitur & inscribitur: Mariale de laudibus Virginis super Missus est, cap. 166. cuius titulus est: *Quod fuit in vtero sanctificata*, sic inquit: *Post hac probatur, quòd fuerit in vtero sanctificata, hoc modo: Ecclesia celebrando festiuat eius Natiuitatem; ergo fuit sancta, quãdo fuit nata: ergo fuit in vtero sanctificata. Item Ioannes fuit in vtero sanctificatus, vt patet Lucæ 1. vbi dicitur, & Spiritu Sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ: ergo & B. Virgo. Item Ieremias fuit sanctificatus in vtero. Ierem. 1. priusquam te formarem in vtero, noui te, & antequam exires de vulua, sanctificaui te: ergo B. Virgo. Item omnis sanctificatus in vtero ordinatur ad Sanctum in vtero: ergo quod immediatiorem, & propinquiorem relationem habet ad Sanctum in vtero, illud debet potissimum sanctificari in vtero, sed nõ potuit immediatior esse relatio eius quod vniebatur Verbo ad aliquid aliud, quàm ad id vndè sumebatur illud Sanctũ, quod vniebatur: hoc autem potissimum fuit B. Virgo: ergo ipsa potissimum debuit in vtero sanctificari. Item Ieremias dicitur in vtero sanctificatus, propter expressiorem Prophetiam de Sancto in vtero: & Ioannes sanctificatus in vtero, propter digiti demonstrationem; ergo multò fortiùs B. Virgo, propter ipsius exceptionem, & generationem. Item dicit Anselmus: ea puritate B. Virgo nitebat, quæ sub Deo maior nequit intelligi: Sed puritas hominis Dei est, peccatum originale nec habere, nec vnquam habuisse; maior post illam est, originale quidèm habuisse, sed statim, & omnino ab illo mundatum esse: ergo B. Virgo debuit, quidèm in peccato originali concipi, sed statim ab ipso penitùs mundari: ergo debuit in vtero sanctificari. Item Bernardus ad Canonitos Lugdunenses: ego puto, &c.* Hucusque Albertus Magnus: Ex quibus patet, quod vnicum assumptum illius capitis est probare, Virginem Mariam fuisse in vtero sanctificatam, quæ erat controuersia suo tempore exagitata: quæstionem autem: An fuerit sanctificata ante, vel post contractionem peccati originalis, neque in hoc opere, nec in vllo alio ex professo tractat: nam hic ex professo solùm inquirit, an fuerit annuntiata, & an miraculosè concepta, & breuissimè resoluit, quod sic; benè verum est, quod in præallegatis verbis supponit, vel expressè fatetur, Virginem Mariam fuisse in originali conceptam, sed ad hoc possumus dicere, quòd argumentabatur ex condescensione, siue ad hominem. Sed quidquid sit de hoc.

Pri-

Prima, principalis, ac potissima ratio Alberti, vndè probat Virginem fuisse sanctificatam in vtero, est hæc: *Ecclesia celebrando festiuat eius Natiuitatem: ergo fuit sancta, quando fuit nata.* En ipsissimum argumentum nullo mutato verbo contra te: Ecclesia celebrando festiuat eius Conceptionem: ergo fuit sancta; quando fuit Concepta. Si illud concludit, quare non hoc? Assignate aliquam disparitatem, nam neque Magnus, nec Maximus, vllam inueniet.

Tertiam auctoritatem sic adducit Bandellus; Idem tenet Beatus, & Dominus Albertus Magnus, Episcopus Ratisponensis in 3. sent. dist. 3. sic dicens, *Dicimus B. Virginem contraxisse originale peccatum, nec fuisse sanctificatã antè Conceptionem, nec in Conceptione, sed post Conceptionem; dicere autem oppositum, est hæresis condemnata à B. Bernardo, & ab omnibus Magistris Parisiensibus, hæc ille.* Verba autem Alberti loco prælegato artic. 4. cui titulus est: *An caro B. Virginis fuit sanctificata ante animationem, vel post*, sic inquit: *Solutio; dicimus, quòd B. Virgo non fuit sanctificata ante animationem, & qui dicunt oppositum, est hæresis condemnata à B. Bernardo, in Epistola ad Lugdunenses, & à Magistris omnibus Parisiensibus, &c.* Hæc sunt verba Alberti Magni, quæ etiam formaliter, & ad litterã adducuntur à Turrecremata: vide ergo, ò Lector! qua intentione Bãdellus addidit illam clausulam: *Dicimus B. Virginem contraxisse originale peccatum*, quæ in suo Alberto minimè extant, non solùm ibi, sed neque in tota Quæstione, nec Disputatione: item nota, ò Lector! qua veritate superaddidit alteram, *nec in Conceptione*; quæ etiam deest in Alberto, & hanc clausulam etiam addidit in S. Thoma, vt videbimus num. 296. auct. 5. sentiens, quòd sine illa, nec Albertus Magnus, nec S. Thomas aliquid habebant expressum contra propriam, & formalem Conceptionem, & in Alexan. de Ales, vt videbimus num. 13. auct. 2. Tertiò, etiam nota, quòd Albertus non sumit in ore, seu in calamo nomen istud, *Conceptionem*, sed solùm dixit, vel scripsit: *Non fuit sanctificata ante animationem.* Bandellus verò, vt suam contra Conceptionem exprimeret auersionem, non semel, sed ter expressit Conceptionem, dicens: *Nec fuisse sanctificatam ante Conceptionem, nec in Conceptione, sed post Conceptionem*; quasi diceret Bandellus, nec ante partum, nec in partu, nec post partum erit Cõceptio pura. Quartò, cauillosè satis tacuit illa Alberti verba *In Epistola ad Lugdunenses*, vt sic non deprehenderetur quoddam latens mendacium, de quo statim; si ergo in sola vna auctoritate, quæ quatuor non habet lineas, sunt quatuor adulterationes capitales, vt non dicam septem mendacia, quænam fides præstanda erit his Scriptoribus?

Nec fuit solùm huius maleficii patrator vnus Bandellus, nam etiam Deza secutus est vestigia eius; imò Petrus de Vicentia ad litteram nullo dempto apice transcribit auctoritatem Bandelli, & his non contentus quasi rem notatione dignissimam maiusculis characteribus scripsit hoc modo illa verba: *DICERE AVTEM OPPOSITVM, EST HÆRESIS.* Infecit ergo vnus malus scriptor omnes, volẽtes vnanimiter persuadere populo Dei, quòd Albertus Magnus dixerat: *Beata Virgo fuit Cõcepta in peccato originali; dicere autem oppositum, est hæresis*; quãdo Alberti verba sunt hæc: *Beata Virgo non fuit sanctificata ante animationem, & qui dicunt oppositum, est hæresis.* Vide ergo, an istæ propositiones in aliquo conueniant? Et hęc de fide Bandelli, & omnium aliorum, excepto vno Turrecremata. Sed iam ventilemus illa verba Alberti Magni, dicit enim: quòd affirmare Virginem Mariam fuisse sanctificatam ante animationem, est hæresis condemnata per S. Bernardum in Epistola ad Lugdunenses, & à Magistris Parisiensibus: supposito ergo quòd vna fuit mens S. Bernardi, atque Doctorum Parisiensium, sciat Lector, quòd (vt constat ex verbis Alberti Magni) suo tempore, siuè sæculo (floruit enim ferè eodem sæculo quo S. Bernardus, ac Mauritius Episcopus, de quibus nos suis locis) exorta fuit magna cõtrouersia ex occasione: festiuitatis Conceptionis; cernentes enim aliqui, quòd Ecclesia Lugdunensis, & aliquæ aliæ celebrabant die octaua Decembris Conceptionem Virginis, & quòd Ecclesia nunquam celebrat nisi pro Sancto, vel re sancta, & quòd Virgo Maria non fuerat die illa octaua Decembris animata, nec etiam post alios quadraginta, voluerunt dicere, & sustinere, quod Virgo Maria fuerat sanctificata, in ipsis parẽtibus, aut in ipsa materia, & embryone, ipsa die octaua Decembris ante animationem, vt sic saluarent Festiuitatem, hoc damnauit S. Bernardus, & posteà Vniuersitas Parisiensis (si credẽdum est Alberto Magno, quia talis damnatio expressa, nec tacita nunquam fuit visa, nec audita, neque extat) potuit enim sanctificari illa inanimata materia, sicut sanctificati fuerunt dies, panis, caro, tabernaculum, & alia infinita ex ipsa Scriptura. Sed damnatione admissa, quia ante animationem Maria non erat capax sanctificationis: hoc posteà impugnauit Albertus Magnus, & eius discipulus S. Thomas, vt suo loco videbimus, at Discipuli vtriusque, sicut Angeli transierunt ab extremo ad extremũ, impertransito medio dicentes: quòd si non fuit sanctificata ante animationem: ergo post animationem; de relinquendo intactum, an fuerit sanctificata in ipsamet animatione, & hinc tota exorta est confusio; nam quod antiqui dixerunt de Conceptione carnali ante animatioẽ,

vo-

voluerunt adſcribere ipſi Conceptioni propriæ in animatione facta. Sed de hoc ſæpiùs redibit ſermo. Albertus ergo cum ſufficienti fundamento adducitur, ſed non irrefragabili; quia nunquam tetigit punctum formale controuerſiæ, ſed locutus eſt equocè more antiquorū. Ennumero autē illum inter expreſſos pro contraria opinione, quia non inuenio in illo auctoritates pro noſtra, ſicut in SS. Thoma, & Bonauentura.

ALBERTVS De Padua, Ordinis S. Auguſtini in Sermone tertiæ Feriæ poſt Dominicam de Paſsione. *Ita Bandell. cap. 26. Deza fol. 49. à tergo. Petrus de Vincen. & Gryſal.*

VERITAS 9.

ALBERTVS De Padua, ſiuè Patauinus cōmuniter dictus, grauis, & eruditus fuit Doctor, qui plures ſcripſit Sermones, impreſſos Taurini anno 1529. vel 1521. in 4. Venetiis 1523. in 8. & denique Pariſiis 1544. in tribus Tomis de 8. deceſsit è vita anno 1333. ſecundùm Thomam Gratianum in Anaſtaſi Auguſt, fol. 10. vbi plura ipſius elogia accumulat, & hæc pauca ſufficiant de Auctore.

Auctoritatem verò huius nullam adducunt Aduerſarii: ſolùm enim ducunt: *Idem tenet Magiſter Albertus de Padua in Sermone tertiæ Feriæ poſt Dominicam de Paſsione.* Et nihil ampliùs. Si hoc fuit malitiosè, ipſi videant. Nam ego ſolùm affirmo, quod vbicumque adducto Auctore prætermittunt auctoritatem, ſeu eius verba non tranſcribunt, abſque dubio: latet angnis in herba; vt in pluribus infrà demonſtrabitur, & de hoc in præſenti euidenter probo. Nam Auctor iſte in loco ab Aduerſariis citato adducit non vnum, ſed quatuor Sermones prædictæ Feriæ tertiæ poſt Dominicam de Paſsione, qui continētur à fol. 39. & in alia impreſsione à fol. 277. At in his quatuor Sermonibus nullum habet verbum, immò nec iota contra Immaculatā Virginis Conceptionem, & ſic falso, ac mendaciter eſt adductus.

Ad euidentem comprobationem huius veritatis neceſſe erat hìc adducere, ac tranſcribere ad litteram, illos quatuor Sermones Feriæ tertiæ poſt Dominicam de Paſsione; ſed hoc eſſet immenſum, ac inutilem ſumere laborem; crede ergo, ò Lector! ſinceri Veritatę, affirmāti, quòd in illis quatuor Sermonibus Feriæ tertiæ poſt Dominicam Paſsionis, nec Verbum habet Patauinus de Conceptione Virginis, immo nec de ipſa Deipara in cōmuni, niſi in 2. qui eſt in ordine 183. qui incipit: *Secundo cum dicit.* Vbi habet hæc verba: *Sicut ſepulchro, vbi poſitū eſt Corpus Domini, nec ante, nec poſt mortuus: ita vterus Mariæ, nec ante, nec poſteà, quidquam mortuum concepit, &c.* Vide igitur, Lector, an iſta verba probent, Virginem Mariam fuiſſe Conceptam in peccato originali: nàm alia magna, vel parua, in prædictis Sermonibus non inueniuntur. De inde Patauinus noſtram videtur tenuiſſe ſententiam, vt conſtat ex ſupra poſitis verbis; tum etiam quia in Sermone tertiæ Feriæ quatuor Temporum Aduentus, Ser. 5. part. 2. fol. 25. affirmat, Virginem Mariam fuiſſe ab omni muliebri maledictione immunem. Et Serm. Purificationis, qui eſt in ordine 24. vocat Deiparam totam pulchram, in qua nulla fuit macula. Igitur cum Alberto Patauino non eſt obſeruatum illud: Non loqueris contra proximum, &c.

Legi ferè totum Auctorem, & in libr. Euangeliorum Dominicalium Ser. Feriæ 4. Aduentus 3. Dominicæ, part. 2. fol. 16. ad illud: *Aue gratia plena, &c.* Inquit: *Deſcribitur itaque in ſalutatione Angelica Virginis multiplex priuilegium. Primò enim tangit gratiæ plenitudinem, Aue, hic mutatum eſt nomen Euæ, & reſ: Quia ipſa fuit plena væ, ſed iſta fuit ſine aliquo væ, ab à, quòd eſt ſine, & væ gratia plena, vere plena, & ſemper plena, quia dicit Hieronymus: cæteris per partes, &c.* Et infrà: *Nota, quia inuenit in Virgine apud Deū gratiam plenariæ ſanctificationis, quia ante fuit Sancta, quàm nata, vt dicit Bernardus, &c.* Hæc ſunt omnia Patauini verba, & ſolum deeſt iudicium. Atamē ego exiſtimo, quòd propter hanc vltimam auctoritatem adduxerunt Patauinum, & verecundati noluerunt illam tranſcribere, imo, vt occultarent ipſam ab oculis veritatis, tertiam Dominicam de aduentu tranſtulerunt ad tertiam Feriam de Paſsione.

ALCVINVS Beatus, Caroli Magni Magiſter in glorioſo, & profundiſsimo libro Sententiarum ſuarum, lib. 3. cap. 18. & lib. 4. cap. 1. & cap 8. Item ſuper Magnificat. *Ità Bādell. cap. 20. Deza fol. 32. Vincen. Gryſal. Capreol. atque Soncinas.*

VERITAS 10.

DOCTOR Iſte inſignis notiſsimus eſt inter litteratos, de quo latiſsimè Pitſeus de Illuſtribus Angliæ Scriptoribus, fol. 156. floruit ſecundū omnes ad annum 790. & eius opera omnia nouiſsimè fuerunt typis mandata Lutetiæ Pariſiorum anno 1617. in fol. correcta, & aucta ex diuerſis codicibus manuſcriptis ſub hoc titulo, *Beati Flacci Alcuini, ſiuè Alcuuini Abbatis:*

Ra-

Karoli Magni Regis, ac Imperatoris Magistri &c. Quod autem hic idem ipse, & non alius sit citatus ab Aduersariis, constat euidenter: tum, quia non est alter Alcuinus Scriptor: Item, quia sic eum adducunt: Idem tenet Doctor Clarissimus. *Beatus Alcuinus qui fuit Magister Caroli Magni, qui primus inter Reges Francorum Imperauit Romanis. Hic in glorioso, & profundissimo libro suarum sententiarum 3. lib. &c.* Hæc autem de nullo alio Alcuino verificari possunt, & hæc de Auctore.

De opere verò, seu glorioso illo, atque profundissimo Libro Sententiarum, scias Lector, quòd est gloriosum, atque profundissimum mendacium, dicere, talem librum fuisse Alcuini; nam hic nullos scripsit libros Sententiarum, sed solùm vnum sententiarum Scripturarum: de quo Pitseus fol. 160, neque tale opus extat in operibus suis, liber autem Sententiarum hic ab Aduersariis citatus, est Hugonis de S. Victore Canonici Regularis, vt videre est tomo 3. suorum operum à fol. 296. in quo etiam reperiuntur Auctoritates, & verba, relata ab Aduersariis, vt statim euidenter constabit, & hoc non ignorarunt Aduersarii, nam plura, quæ hìc adducunt pro Alcuino, adducunt etiam pro Hugone, vt infrà videbimus. Videns enim Bandellus, quod suus Tutrecremata in 3. part. super Decretū, cap. firmiss. de consecrat. dist. 4. num. 11. fol. 330. adducens aliquos Doctores pro sua opinione dixerat: *Idem tenet venerabilis Hugo in libro sententiarum suarum, & in libro de Sacramentis, &c.* Adduxit Hugonem in libro de Sacramentis, vt suo loco videbimus, & ad scripsit Alcuino librum Sententiarum, vt alterum adaugeret Doctorem; quòd sæpissimè fecit bonus ille vir Bandellus. Sed solùm miror, quomodo Corrector ille Bandelli, hæc, & alia infinita, prætermiserit. Falsò ergo fuit Alcuinus adductis ad hanc aream. Sed si scire desideras, ò Lector, qua de causa, motiuo, vel intentione Aduersarii, Hugonis librum ad scripserunt Alcuino? en rationē reddo. Alcuinus fuit Primicerius, & Antesignanus vniuersitatis Parisiensis, & cum summopere desideraſſent. Aduersarii allicere Vniuersitatem Parisiensem ad sequendam suam opinionem, saltem ab exēplo suorum prædecessorum (ideo ferè omnes Doctores à se adductos expresè vocarunt Doctores, ac Magistros Parisienses) cum in Alcuino omnium Parisiensium Antesignano, siuè in operibus eius nullum reperissent verbum, quod per fas, vel nefas, posset respicere Conceptionem Mariæ, vel ipsam maculare, & in Hugone de S. Victore inuenissent aliqua in diuersis libris, diuiserunt vestimēta ista, & hunc librum Sententiarum ad scripserunt Alcuino, vt sic Magnus Parisiensis Doctor foras non relinqueletur. Si autem hòc fuit crimen, ipsi videant, & iudicent.

Descendendo igitur ad indagandm veritatem auctoritatum, & verborum sui Pseudo Alcuini, primam sic adducunt. Idem tenet Doctor clarissimus, B. Alcuinus, &c. Hic in glorioso, & profundissimo libro Sententiarum suarum, lib. 3. cap. 18. sic dicit: *Quamuis caro Christi traducta sit ex carne Virginis, quæ per originale peccatum corrupta erat, non tamen Christus, habuit originale peccatum; quia eius conceptus, non fuit celebratus carnali concupiscentia, sed virtute Spiritus Sancti. Non enim dicitur peccatum originale, quoniam à carne peccato corrupta, caro trahitur corrupta; sit enim Christus habuisset originale peccatum. Sed ideò dicitur aliquis originale peccatum trahere, quia eius propagatio libidinosè fit. Hæc ille, floruit anno Domini 774.* Auctoritas vero, in prę allegato, lib. Sent. Hugonis non lib. 3. vt ipse notat, sed Tract. 3. neq; cap. 18. Si quidèm Tractatus, seu liber ille tertius, non habet cap. 18. sed solum 16. extant ergo hæc verba, vel ipsis similia, cap. 12. cuius titulus est: *De ratione originalis peccati*, colu. 1. litter. D. tom. 3. fol. 322. vbi sic inquit: *Post hoc videndum est, quare dicatur illud peccatū originale. Ideò scilicèt quia ab origine trahitur; id est, à parentibus, quando generatur aliquis, traducit ipsum peccatum. Vndè Dauid: in peccatis concepit me mater mea. Hic potest opponi hoc modo; cū aliquis generatur, scla caro à parentibus propagatur: quoniam (vt superius diximus) animæ non sunt ex traduce etiam in ipsa propagatione carnis, nondum infunditur anima (vt Philosophi dicunt) sed iam effigiato corpore, &c. Quòd si in ipsa propagatione transmittitur à parentibus peccatum originale quod propagatum est, sed illud adhuc inanimatum est; quomodo ergo in illo semine poterit esse peccatum? Sicut enim virtus in anima, ita omne peccatum. Ad quod potest dici, quòd non solum anima obnoxia est vinculo originalis peccati, sed etiam caro, non quòd fit in carne originale peccatum; sed ex corruptione carnis illud contrahit anima; nisi enim caro in concupiscentia traduceretur: illo peccato anima non teneretur. Vndè inuenitur, quòd Christus non habuit carnem peccatricem, sed similem carni peccati, quia illa caro, non ex concupiscentia viri de matre fuit propagata, sed operatione Spiritu Sācti. Cæteri habent carnem peccatricē, non quòd in carne sit peccatum, sed causa peccati. Augustinus de fide ad Petrum: Dum sibi inuicem vir, & mulier miscētur, vt filium generent, sine libidine non est parentū concubitus: & ob hoc filiorum eorum ex carne nascentium non potest sine peccato esse cōceptus vbi peccatum in paruulos non transmittit propagatio, sed libido. Apparet itaque, quòd in ipsa Conceptione transmittatur peccatum originale, quia nisi Conceptio sic fieret in carne, anima ex carnis vnione concupiscen-*

tiam

tiam non contraheret. Hucusque Hugo. Ex quibus patet, quòd Aduersarii pessimè vitiarunt, & à primo vsque ad vltimum verbum adulterarunt totam auctoritatem: vbi Hugo: *Vndè inuenitur, quòd Christus non habuit carnem peccatricem.* Ipsi sic: *Quāuis caro Christi traducta sit ex carne Virginis, quæ per originale peccatū corrupta erat, non tamen Christus habuit originale peccatū.* Deindè vbi Hugo: *Quia illa caro nō ex concupiscentia viri de matre fuit propagata, sed operatione Spiritus Sancti.* Aduersarii sic: *Quia eius conceptus non fuit celebratus carnali concupiscentia, sed virtute Spiritu Sancti.* Vltimam vero clausulam pro suo arbitrio finxerunt, extrahentes verba hinc indè ex tota Hugonis auctoritate: ex quibus constat, quod verba illa, in quibus totius controuersiæ cardo nititur: *Ex carne Virginis, quæ per originale peccatum corrupta erat.* Sunt ficta, & ab ipsis nescio qua conscientia posita: nam Hugo solùm dicit, quod Christus non habuit carnem peccatricem, quia non fuit generata ex concupiscentia viri; ex his ad summum posset inferri: ergo caro Mariæ fuit caro peccatrix, quia ex concupiscētia viri? In hoc sensu verissimum dicit Hugo. Nam illa caro generata in vtero Annæ fuit à viro, scilicèt Ioachimo, & fortè à concupiscentia, licèt hoc multi negent, & meritò: igitur ad summum ex auctoritate Hugonis poterat inferri: ergo caro illa genita à Ioachimo in vtero Annæ antequàm animaretur, erat caro peccatrix, id est, à viro, & concupiscentia genita, sed hæc nondùm per originale peccatum corrupta erat: aliud est enim esse carnem peccatricem; quia à concupiscentia genita, aliud esse carnem peccatricem, quia ab originali peccato corruptam, à primo sola Christi caro exempta fuit, à secundo verò etiam caro Virginis. Item nota, Lector, detestabilem doctrinam insertam illis fictis verbis: *Non enim dicitur peccatum originale quoniam à carne peccato corrupta caro trahitur corrupta, sic enim Christus habuisset originale peccatum.* Qui hoc abominabile dogma finxit, vt macularet Dei matrem, & pro sua opinione aliquod stabiliret fundamentum in capite Hugonis, aut Alcuini, quid non moliretur? Insuper nota pro intelligentia antiquorum Theologorum (nam ab hoc vno Hugone omnes didicerunt) illud: *Peccatum originale sic dicitur, quia ab origine trahitur, id est, à parentibus, quando generatur aliquis, &c.* Quòd autem hic loquatur Hugo, non de animatione, sed de ipsa prima generatione carnali, quando in semine propagatur natura, & transfunditur à patre in matris vterum, per actualem materiæ commixtionem: patet euidenter ex eisdem, & subsequentibus verbis: *Sola caro à parentibus propagatur, &c. Quòd si in ipsa propagatione transmittitur à parentibus peccatum originale, videtur quòd in eo sit peccatum originale, quò propagatum est, quomodo ergo in illo seminè peccatum potuit esse? Sicut enim virtus in anima, ita omne peccatum.* In proposita difficultate verba clarissima extant. Nota etiam & solutionem: *Ad quod potest dici, quòd non solùm anima obnoxia est vinculo originalis peccati, sed etiam caro.* Et quare caro obnoxia est vinculo originalis peccati? Quia ex concupiscentia genita: ergo omnis caro cōcupiscentia est obnoxia vinculo originalis peccati: sed Christus non habuit carnem concupiscentia genitam: ergo non habuit causam originalis peccati, seu obnoxietatem in carne, neque effectum originalis peccati in anima. Iste est discursus Hugonis.

Ex his deducitur, quòd Doctores antiqui ipsum peccatum originale reducebant ad primam generationem parentum, tanquam ad causam, quia fiebat ex concupiscētia, & in hac acceptione peccati originalis secundùm antiquos Theologos (nam omnes similiter hucusque tēdebant nullo dempto) optimè, ac verissimè dicebant: quòd solus Christus non contraxit originale, quia solus ipse non fuit ex viro, & concupiscentia genitus, & quòd cæteri omnes habuerint *carnem peccatricem, nō quòd in carne sit peccatum, sed causa peccati,* & hanc causam peccati, siuè carnem generatam per concupiscentiam, vocabant communiter carnem peccatricem, & peccatum originale. Hoc nititur probare Hugo, & similiter sentiebant omnes. Item colligitur ex verbis Hugonis, quòd ipsam primam generationem vocabant Conceptionem, vt constat ex illis vltimis verbis: *Apparet itaque, quòd in ipsa Conceptione transmittitur peccatum originale, quia nisi conceptio sic fieret in carne, anima ex carnis vnione concupiscentiā non contraheret.* En quomodo non semel, sed bis Hugo vocat generationem parentum, Cōceptionem, & contrahere originale, contrahere concupiscentiam: exorta est igitur ex hac æquiuocatione vocabulorum in antiquis præcipua huius controuersiæ difficultas: quis enim ex modernis videns, vel legens in antiquis Doctoribus has, vel similes propositiones: Maria in sua Conceptione habuit carnem peccatricem; vel illam: Maria ab origine traxit peccatum; vel alteram: parentes Mariæ traduxerunt in ipsam originale peccatum; ac denique istam: in peccatis concepit Anna Mariam; non existimaret, atque diceret affirmatiuo indicio, ac assertiuo, similes Doctores expressè, & clarè tenuisse sententiam minus piam? Sed in rei veritate nihil dicunt propositiones istæ ex Antiquis, circa principale punctum controuersiæ, quia tunc conceptio sumebatur pro generatione, nunc autem sonat, ac sumitur propriissimè pro animationis instanti;

peccatum originale sumebatur tunc, & supponebat pro concupiscentia, & libidine parentum, relictis in embryone, vel massa illa corrupta ex fomite; nunc autem originale sonat, & sumitur propriſsimè pro ipsa formaliſsima macula, quæ subiectatur in anima. Omnia hæc confirmant vltima verba Hugonis: *Ex carnis vnione concupiscentiam non contraheret*, volens dicere, peccatum originale non contraheret. His ergo duobus principiis ex omnibus ferè antiquis, vt hic expresè patent ex Hugone, scilicèt, quòd generationem vocabant Conceptionem, & concupiscentiam peccatum originale, faci limè constabit, qualis fuerit eorum mens, & sensus suorum verborum. Distinguite ergo, Patres, tempora, & concordabimus iura. Imò etiam nunc loquendo de Conceptione actiua Mariæ dicimus, quòd fuit pura, & sancta, &c. Et tamen in his verbis non loquimur de animatione Christi; quia hæc animatio, seu vnio hypostatica non fuit Conceptio Mariæ; sed illa administratio materiæ à Maria facta, quæ propriſsimè dicitur generatio, & sic ex æquiuocatione istarum vocum, generatio, & Conceptio, exorta est etiam æquiuocatio istius controuersiæ.

Secundam auctoritatem Pseudo-Alcuini, sic adducunt: Item idem in 4. cap. 1. sic dicit: *Licèt caro, quam Christus traxit ex Virgine, obnoxia fuerit peccato in Virgine, & in cæteris in quibus per carnalem concupiscentiam fuit traducta, non tamen fuit decimatus Christus in Abraham, sicut Leui, quia alio modo fuit ibi caro Leui, quo non fuit caro Christi: nam caro Leui, per carnalem concupiscentiam ab Abraham descendit, sed caro Christi non ea lege, sed Spiritus Sancti operatione descendit: Hæc ille.* Auctoritas verò in prælegato libro sententiarum non 4. sed tractat. 1. neque cap. 1. sed 16. fol. 309. column. 2. littera F. sic se habet: *Sed si igitur caro Christi in Maria, & in alijs, de quibus descendit, fuit obnoxia peccato: quomodo soluetur illud: Leui decimatus est in Abraham, & Christus non est decimatus in Abraham? Quod ita soluit Augustinus: Leui decimatus est in Abraham, quia indè per concupiscentiam descendit: Christus non est decimatus in eo; quia caro Christi non descendit indè per concupiscentiam. Sed nonnè in Dauid, & in Mariam per concupiscentiam eadem caro descendit? Non tamen caro Christi: quia hoc esset dicere, quòd in Christum descendisset per concupiscentiam, quod falsum est penitùs.* Quantum ad litteram simplici solo intuitu constat, auctoritatem istam penitùs esse adulteratam, præcipuè quantum ad illam primam clausulam, nam vbi Hugo: *Sed si igitur caro Christi in Maria, & in alijs, de quibus descendit, fuit obnoxia peccato.* Ipsi finxerunt sic: *Licèt caro, quam Christus traxit ex Virgine, obnoxia fuerit peccato, in Virgine, & in cæteris in, quibus per carnalem concupiscentiam fuit traducta.* Consideret Lector, perpendat doctus, vel deuotus, an hæc in re tam grauì patienter tolerari posſint! Deindè etiam quantum ad verba tota reliqua auctoritas est vitiata; quantum verò ad sensum itidem patet; nàm quod Hugo obiiciendo sibi, ipsi referunt affirmatiuè: Ideoque tacuerunt verba illa: *Quod ita soluit Augustinus.* Deindè Hugo loquitur expresè de progenitoribus Christi tantum, vt denotant illa verba: *In Maria, & in alijs, de quibus descendit.* Ipsi verò transtulerunt propositionem ad omnes creaturas dicentes: *In Virgine, & in cæteris, in quibus per carnalem concupiscentiam fuit traducta.* Denique quia Hugo hic solùm inquirit, quomodo Virgo Maria potuerit generare Verbum, & administrare ei materiam, absque vlla concupiscentia; quia caro illa Mariæ, in se, & in progenitoribus suis fuerat obnoxia peccato concupiscentiæ, siquidèm omnes generabant, & geniti erant cum concupiscentia, & libidine, imò & ipsa Virgo Maria sic fuit generata à Patre suo Ioachimo, secundùm communiorem sententiam antiquorum. Hoc suppositò, inquirit Hugo, & incipit §. istum sic: *De carne illa, cui vnitum est Verbum: quæritur vtrum priùs in Maria fuerit caro illa obligata peccato*, id est, concupiscentiæ, vt obligata fuerat in omnibus, de quibus descendit: quia omnes generabant ex concupiscentia. Sed auctoritatem istam latiùs ventilabimus in Hugone, num. 128. quia etiam illam adducunt, sub nomine Hugonis vndè constare potest, quod non ex ignorantia, librum istum Sententiarum adscripserunt Alcuino.

Tertiam auctoritatem, sic adducunt: Item in eodem cap. 8. *Si*, inquit, *quæratur, an caro Christi fuerit obnoxia peccato? Potest concedi hoc sensu, id est, caro, quæ nunc est Christi, fuit obnoxia peccato, antequàm esset caro Christi, non autem in hoc sensu, id est, caro in Christo fuit obnoxia peccato, quia antequàm à Deifilio assumeretur, fuit mundata; nec tantùm caro, quam assumpsit Christus in ipsa Christi Conceptione, fuit mandata, sed etiam reliqua caro Virginis, in qua tunc omninò extinctus est fomes peccati, vt posteà non potuerit peccare: Hæc ille.* Et modicum infra: *Factum est enim, vt caro illa, quam Christus assumpsit à peccato (sub quo ab origine fuerat) per gratiam mundaretur, & sic mundata à Deifilio, libera à peccato assumeretur: Hæc ille.* Istas duas auctoritates per modũ vnius adducunt Aduersarii ex eodem libro Sententiarũ; & fateor, me omninò nescire, quid de ipsis dicam; nam in primis illæ non extant, non solùm prælegato cap. 8. sed neque in toto illo libro

Sen-

Sententiarum, nec alio ex ſeptem libris Sententiarum Hugonis, neque aliqua verba ipſis ſimilia. Deinde videntur deſumpta fuiſſe ex eodem Hugone de Sancto Victore ex libro de Sacramentis exiſtente infrà eodem Tomo 3. lib. 2. part. 1. cap. 5. cuius titulus eſt: *Quod Verbum carnem aſſumpſit cum pœna, ſine culpa; cum mortalitate, ſine iniquitate.* Vt videre eſt dicto tomo 3. fol. 429. col. 2. nouiſſimæ impreſsionis: de quo nos infrà, num. 128. quia etiam adducunt verba iſta pro Hugone; ſed regulata hæc cum illis, licèt aliqualem habeant ſimilitudinem, ſunt tamen penitus vitiata, & omninò adulterata, vt ibi Lector videre poterit, Ventilamus enim illas ibidem ex profeſſo, & ſic hæc auctoritas quomodocunque ſumatur, à primo vſque ad vltimum verbum eſt ſuppoſita, ficta, & falſa.

Quartam auctoritatem ſic adducunt: Item idem ſuper Magnificat ſic dicit in perſona Virginis: *Totis enim præcordijs exulto, quia video de me aſſumi quod credo propter me debere offerri floruit anno Domini 1115. & obijt 1140. & nulli fuit ſui temporis ſecundus.* Nota hoc, Lector, ſuprà dixerant, quod Alcuinus floruit ann. 774. & hic reducunt vitam eius ad annum 1115. intercalando 350. annos, ſed ſuprà loquiebantur de Alcuino, & hic de Hugone, à quo tranſcribebant verba: quod hæc auctoritas non ſit Alcuini, eſt euidens, nam Alcuinus non ſcripſit ſuper Magnificat; nec ſuper Lucam, ſed ſunt verba, ſicut præcedentia Hugonis de Sancto Victore, & hoc ipſimet Aduerſarij fatentur, ſiquidem iſtam auctoritatem iterum adducunt in Hugone de Sancto Victore, vt videbimus infrà num. 128. auctoritate 4. & ſic conſtat, quod ſolùm ad multiplicandum Auctores, & auctoritates, hanc adſcripſerunt Alcuino, ſicut & omnia ſuprà poſita. Deinde hæc auctoritas nihil probat. Cum caro, & ſanguis Chriſti fuerint oblata etiam pro Sacratiſsimâ Virgine Mariâ, & Eccleſiâ, & nos cum illa dicimus: Quæſumus, vt ſicut ex morte eiuſdem Filii tui præuiſa eam ab omni labe præſeruaſti. Patet ergo ex ſuprà dictis, quod Alcuinus nullam partem habet vobiſcum, neque in Auctore, quia eſt ſuppoſitus, neque ex auctoritatibus, quia nihil dicunt, & non ſunt illius, ſed Hugonis de S. Victore, vt infrà ſuo loco videbimus, vbi etiam mirabilia magna nos expectant, quia Scriptores illi à dextris, & à ſiniſtris; fontem, & riuulos; proprios Auctores, & ab illis fictos, omnes, æqualiter vitiarunt.

(..)

ALDEBRANDINVS De Tuſcanella, Ordinis Prædicatorum, in Sermone Vigiliæ Natiuitatis Domini, & in Dominica infrà octauas, & in Sermone Natiuit. B. Virginis. *Ita Anonymus, via 3. ration. 9. Auctor. 80. Bandel. cap. 23. Dexa fol. 42. Gryſald.*

VERITAS II.

HVNC Auctorem aliqui vocant Oderlandinum de Tuſcanella, vel Toſcaneta, de ipſoque mentionem faciunt ex Dominicanis Antonius Senenſis fol. 9. & Placentinus fol. 324. Michael Pius part. 2. lib. 1. column. 135. Leand. Albert. lib. 4. nec ſolùm vnum, ſed tres diſtinctos enumerat Aldebrandinos, ſed nullus alius Nomenclator ex antiquis, & claſsicis, vt Trithemius, Geſnerus Myreus talem adducit Aldebrandinum, licèt enim Poſſeuinus in Apparatu fol. 30. referat Aldebrandinum ſcriptorem ſuper Apocalypſim, ſed non fuit Ordinis Prædicatorum: ſimiliter Michael Poccantius in Biblioteca Florentina fol. 3. meminit alterius cuiuſdam Aldebrandi, qui ſcripſit Sermones de Sanctis, ſed fuit Ordinis S. Auguſtini, & ſic præallegatus Auctor Ordinis Prædicatorum, vel non fuit in rerum natura, aut nullius nominis, ac paruæ auctoritatis, & opinionis extitit.

Quantum ad auctoritatem dico, quòd Aduerſarii ex tribus illis ſermonibus ſui Aldebrandini nullà in medium adducunt verba, tantum enim dicunt: *Idem tenet Magiſter Aldebrandinus de Tuſcanella in Serm. Vigiliæ Natiuitatis Domini, & in Dominica infrà octauas, & in Serm. Natiuitatis B. Virginis*, & nihil amplius. Vnde etiam ex hac parte eſt ſuſpectus, & tanquam ſpica vana, ac infructifera, ab hac aream repellendus. Cognouimus enim ſæpè in aliis (quod hic etiam affirmamus) ſcilicèt, quod vbicunque adducitur Auctor, & prætermittitur auctoritas, aliquis latet dolus. Item quia hic Aldebrandinus vixit, vt affirmat Anton. Senenſis ad annum 1314. præcedens Turrecrematam per integrum ſæculum, & amplius, cuius etiam Sermones dicunt fuiſſe aliquando in conuentu S. Seuerini Neapolitan. & tamen Turrecremata ipſum nō adducit: audiuit Bandellus, quod Sermones illi aliquando fuerant, & licèt iam nō eſſent finxit pro libito, vnde dico quod Bandellus in hac parte, ſicut in multis aliis Bandelizauit. Denique admiſſo, quod Aldebrandinus aliquid profua opinione de ſanctificatione, dixerit, ipſius opera non ſunt typis mandata, & ſic nullius fidei. Itē à nullo claſsico, vel

non claſsico Doctore viſa, vel audita fuerunt, ac tandem, tandem Aldebrandinus fuit Dominicanus, & Dominicanus Aldebrandinus in hac materia Conceptionis incognitus in ſe, & in operibus, folium, &c. & ſtipula ſicca videtur.

ALEXANDER De Ales Ordinis Minorum, in 3. part. ſuæ Summæ, artic. 1. & ſequenti, & in 3. ſentent. & ſuper Pſalm. Deus noſter refugium, & virtus: & in Mariali ſuo, & in multis locis: *Turrecremata part. 6. cap. 30. fol. 120. à tergo, S. Antoninus, Anonym. via 3. ration. 9. Auctore 98. Bandel. cap. 24. Dexa fol. 44. & 45. Bartol. de Spina part. 6. cap. 4. Vincen. Gryſald. Capreol. Sonc. Brixienſ. & Barelete, atque Iuſtin. Micchouienſ.*

VERITAS 12.

HVIVS Notiſsimi Doctoris primam auctoritatem ſic adducunt Aduerſarii: idem tenet Alexander de Ales, Doctor clariſsimus, & irrefragabilis, in 3. part. ſuæ Summæ circa materiam de ſanctificatione Virginis, artic. 1. ſic dicens: *Quia enim omnis homo, qui carnali generatione generatur, de neceſsitate contrahit in ſui Conceptione originale peccatum, neceſſe fuit, vt B. Virgo à parentibus generata carnaliter originale peccatum in ſui Conceptione contraheret: Hæc ille.* Pro indaganda ergo veritate huius, ac aliarum auctoritatum Alenſis, notare debes, ò Lector! quòd ſtylus, ſeu methodus Alenſis, in Summa Theologiæ (quæ fuit typis mandata Nurimbergæ anno 1482. in fol. mag. Coloniæ 1475. Venetiis 1575.) eſt proponere diſputationem, ſeu membrum, in quo breuiter refert quæſtiones diſputandas in illo membro: Deinde in qualibet difficultate, ſeu quæſtione apponit vnum articulum, & in eo incipit proponendo vnam opinionem cum ſuis argumentis. Deindè reſoluit quæſtionem ſecundum ſuã mentem dicendo: *Solutio*, vel *Reſponſio*: quaſi diceret; hæc eſt mea concluſio, & ſententia. Deindè reſpondit ad argumenta, quæ contra ſuam concluſionem, ſeu reſolutionem militare videntur. His ergo adnotatis, quæ neceſſaria erunt pro infrà dicendis: Alenſis in præallegata 3. parte ſuæ Summæ, quæſt. 9. quæ eſt: *De ſanctitate Conceptionis Chriſti*, membro 2. *De ſanctificatione B. Virginis*: quærit iſta quinque, 1. an Virgo Maria ante Conceptionem fuerit ſanctificata, 2. an in Conceptione fuerit ſanctificata, 3. an poſt Conceptionem ante infuſionem animæ fuerit ſanctificata, 4. an poſt animæ infuſionem fuerit ſanctificata in vtero matris ſuæ, 5. à quibus fuerit ſanctificata. Obſerua illa tria, an ante Conceptionem, an in Conceptione, an poſt Conceptionem ante animæ infuſionem, vbi, vt vides, ter quærit de ſanctificatione illius Conceptionis, quæ eſt ante infuſionem animæ, ſi hoc enim ſolùm intelligere vellent Aduerſarii magnam ſuæ controuerſiæ partẽ vna cum auctoritatibus antiquorum remitterẽt. In primo ergo articulo ſcilicèt, an Beata Virgo ante ſuam Conceptionem ſanctificata fuerit, id eſt, in parentibus, adductis pro vna, & altera parte argumentis, ſic ſuam proponit concluſionem. *Solutio: Dicendum, quòd duplex eſt ſanctificatio, ſcilicèt ſanctificatio naturæ, & ſanctificatio perſonæ, ſanctificatio perſonæ eſt per præſentem gratiam, ſanctificatio naturæ non erit niſi per futuram gloriam, quia ibi ſanctificabitur natura, ſcilicèt, in gloria, prout innuitur 1. Corinth. 15. In reſurrectione enim ſanctificabitur natura ipſa, quia tunc fiet ſermo qui ſcriptus eſt: vbi eſt mors victoria tua, vbi eſt mors ſtimulus tuus? Et appellat ſtimulum fomitem. Sanctificatio autem quæ eſt per Baptiſmum, & quæ eſt per præſentem gratiam non eſt ſanctificatio naturæ, ſed ſanctificatio ſolùm perſonæ: ſed fomes adhuc remanet poſt Baptiſmum in natura, & transfunditur per generationem in totam naturam: propter hoc non eſt generatio ſine peccato, quia natura non eſt ſanctificata, & per generationem transfunditur natura. Ideò neceſſe eſt, vt quod generatur, in generatione contrahat peccatum, & propter hoc Beata Virgo non potuit, in parentibus ſuis ſanctificari; imò neceſſe fuit, quod in generatione ſua contraheret peccatum à parentibus. Erat etiam in ipſis ante Conceptionem, quantum ad rationem naturæ, & non perſona, & propter hoc in ipſis ſanctificari non potuit. Ad primum obiectum dicendum, &c.* Et ſic tranſit ad ſolutionem argumentorum. Ex his patet, quòd tota auctoritas adducta ab Aduerſariis eſt ficta, quoad litteram; nam vbi Alexander: *Ideò neceſſe eſt, vt quod generatur, in generatione contrahat peccatũ, & propter hoc Beata Virgo non potuit in parentibus ſuis ſanctificari, imò neceſſe fuit, quòd in generatione ſua contraheret peccatum à parentibus.* Ipſi ſic: *Quia enim omnis homo, qui carnali generatione generatur de neceſsitate contrahit in ſui Conceptione originale peccatum, neceſſe fuit, vt Beata Virgo à parentibus generata carnaliter, originale peccatum in ſui Conceptione contraheret.* Confer verba verbis, & non inuenies vnum integrum, & non tantum, quoad litterum ſunt adulterata, vt ex ipſis conſtat, ſed multo magis, quoad ſenſum; nam in hoc articulo, ſolùm inquirit Alexander: an Virgo Maria potuerit

ſan-

ſanctificari in ſuis parentibus ante conceptionem primam carnalem, & reſoluit quod non, qua ergo Veritate, & intentione, ex tali articulo deſumpſerunt Aduerſarii verba contra eius animationem? Conſtat ergo quod hæc prima auctoritas eſt ficta, falſa, & extra propoſitum. Lege iterum, atque iterum reſolutionem, & verba Alenſis, & in ipſo inuenies modum loquendi antiquorum, nam loquitur de generatione Parentum non de animatione fœtus; ac de illo peccato contracto à carne in generatione, ſeu conceptione prima carnali.

Antequàm ex hac auctoritate recedamus, notare debes, Lector, quòd ex hoc Alexandro Alenſi, primo, ac præcipuo totius antiquitatis Theologo, ac vnico Magiſtro Angelici Doctoris S. Thomæ, nec non Seraphici Bonauenturæ, deſumenda ſunt aliqua principia pro exacta intelligentia aliorum antiquorum. Primo ergo nota, quòd in hoc articulo ſolùm inquirit Alexander, an Virgo Maria potuerit ſanctificari in radice, id eſt, in parentibus ſuis, ita vt ante actũ generationis materia illa, ex qua formanda erat Virgo, ſanctificaretur in lumbis. In 2. inquirit: an potuerit ſanctificari in ipſo actu generationis. In 3. vero: an poſt ipſam generationem, quando ſcilicèt, iam materia erat embryon, ante animæ infuſionem. Et in 4. inquirit: an ſanctificata fuerit poſt animæ infuſione. Vndè deducitur, quod auctoritates adductæ ab Aduerſariis ex illis primis tribus articulis, totaliter ſunt extra rem, & propoſitum. Secundo nota, quod generationem illam carnalem Ioachimi, & Annæ ſemper, & vbique vocat Alexander Conceptionem; vt patet ex hoc primo articulo, vbi inquirit: An Beata Virgo ante ſuam Conceptionem ſanctificata fuerit, & in Reſolutione, hanc Conceptionem vocat generationem, & in ſecundo: an in ipſa Conceptione ſanctificata fuerit, & in tertio denique inquirit: An & poſt Conceptionem antè animæ infuſionem, ex hac ergo vocis Conceptio, repetita variatione exorta eſt maxima, ac præcipua æquiuocatio in hac controuerſia; nam omnes Doctores antiqui generationem primam parentum vocabant Conceptionem: & Doctores Moderni cum Eccleſia ſolam animæ infuſionem appellant Conceptionem. Tertio nota, quòd hæc propoſitio Alexandri: *Beata Virgo neceſsè in generatione ſua contraxit peccatum à parentibus*, quæ ſic nudè prolata videtur eſſe aſſertiua opinionis minus piæ in Alexandro (& ſic in aliis Antiquis) in rei verita e nihil probat: nam loquitur de fomite, (quem vocant peccatum naturæ) exiſtente in parentibus; alii appellant concupiſcentiam, alii libidinem, alii denique peccatum originale, quia languor ille ſemper remanet adhuc poſt Baptiſmum; & ſic parentes, quantumuis ſint iuſti, ac ſancti ſemper generant cum illo fomite, qui quidem etiam tranſfunditur per generationem in ſemine; & hoc vocat Alexander, contrahere peccatum à parentibus, & hic fomes etiam fuit in generatione Mariæ, & ab hoc generationis modo ſolus, ſolus, ſolus exceptus fuit Chriſtus, in cuius generatione, ſeu Conceptione nullum fuit peccatum, fomes, concupiſcentia, vel libido: & ex hoc ſolo principio fundamentali facillimè intelligitur, & explicantur Doctores antiqui. Quarto nota, quòd Alexander de Ales adducit auctoritatem Bernardi pro hoc articulo, & difficultate dicens: contra Bernardus in Epiſt. contra Lugdunenſes Canonicos mouet queſtionem de ſanctificatione Virginis, dicens: *Dicitur nè ſanctificata, quatenùs iam ſancta conciperetur, ac per hoc ſanctus vocaretur Conceptus?* Sed obijcitur contra hoc: *Non valuit anteà ſancta eſſe, quam eſſet, ſed non erat, ante quàm conciperetur: ergo non potuit ſanctificari, ante quam conciperetur.* Ergo ſecundùm intelligentiam Alenſis Bernardus loquitur de prima conceptione carnali.

Secundam auctoritatem ſic adducunt. Item in art. c. 2. *Beata*, inquit, *Virgo in primo inſtanti ſuæ Conceptionis ſanctificari non potuit. Primò, quia Bernardus dicit, quòd in ipſo conceptu ſanctificari nõ potuit, propter peccatũ quod inerat, reſtat ergo, vt poſt Conceptionem ſanctificationẽ accepiſſe credatur, quæ excluſo peccato ſanctam fecit Natiuitatẽ, non autem Conceptionem. Secundò, quia dicit idem Bernardus, quòd quãuis paucis datum ſit cum ſanctitate naſci; nulli tamen niſi ſoli Chriſto datũ eſt cum ſanctitate concipi: ergo Virgo non fuit ſancta in Conceptione. Tertiò, quia dixit Bernardus: quòd quia ſolus Chriſtus fuit de Spiritu Sancto conceptus; ideò ſolus ipſe fuit in cõceptione ſanctus, quo excepto, neceſsè eſt, vt omnes confiteantur illud quod Dauid humiliter cõfitetur dicens: ecce in iniquitatibus conceptus ſum, & perconſequens oportet dicere, quòd B. Virgo fuit in peccato concepta. Quarto, quia ſi B. Virgo non fuiſſet in peccato concepta non habuiſſet reatum peccati; ſed ſi non habuiſſet reatũ peccati, non indiguiſſet redeptione facta per Chriſtum, quia redemptio talis eſt ſolùm propter peccatum, quod non eſt ſecundum fidem Catholicam tenendũ. Quintò, quia Auguſtinus, & Leo Papa dicunt, quod ſicut Chriſtus pro omnibus liberandis venit, ita neminem à reatu peccati liberũ reperit, & per cõſequens ſequitur, quòd B. Virgo peccatũ in ſui Conceptione habuerit, & ideò dicendũ eſt, quòd B. Virgo in ſui conceptione ſanctificari non potuit, quia tunc peccatum originale contraxit: Hæc ille.* Hanc adducunt Aduerſarii ex Alenſi; ſed in primis talis auctoritas non eſt Alenſis, quia hæc verba nõ ſunt ex eius reſolutione, ſeu concluſione, ſed ex cor-

porè articuli, loquendo in ſententia aliorum; poſitis enim his rationibus, ſeu auctoritatibus pro vna parte, incipit aliam dicendo: *Ad oppoſitum, &c.* & adducit rationes pro alia, ac tandèm ponit ſuam reſolutionem dicendo: *Reſponſio. Suppoſito, quòd alibi diſputatur, &c.* Ex his euidenter patet, quod præallegata verba, non ſunt Alenſis propria, ſed ſolùm quia ipſa proponit ex aliis, & in tali caſu tenebantur dicere Aduerſarii; hoc dixerunt aliqui, vt videre eſt apud Alenſem, aliàs ſi omnia quæ dicunt Doctores, præcipuè Scholaſtici pro, & contra, adſcribitur ipſis, ad quid ſunt concluſiones, ac propriæ reſolutiones? Deindè verba iſta ſunt ex ſecundo articulo: Vbi Alexander inquirit, an in generatione ipſa, vel in coitu coniugali? Sunt expreſſa verba Alexandri Alēſis in ſua concluſione, ſeu reſolutione dicentis: *Suppoſito quod alibi diſputatur, quòd coitus coniugalis poßit eſſe meritorius. Diſtinguendum, quòd eſt conſiderare coniugalem coitum meritorium, ſecundùm quod eſt actus perſonæ, vel naturæ, &c.* Ac concludit ſic: *Licèt ergo coitus ex vna parte poſſet eſſe meritorius, nunquam tamen conceptio poterit eſſe meritoria, & ita neque ſanctificatio in Conceptione; & ideò Beata Virgo in ſui Conceptione ſanctificari non potuit.* Patet ergo, quod Alexander ſolùm inquirit hic, an Virgo Maria potuerit ſanctificari in ipſa generatione, ſeu coitu parentum; conceptionem enim hic ſumit pro generatione, ſicut in omnibus aliis articulis, ſed quid hæc, cum noſtra controuerſia, ſcilicèt, cum animatione, quæ facta fuit poſt octoaginta dies à coitu coniugali? Vel cum peccato originali, & macula exiſtente in anima? Conſtat ergo etiam ex hac parte, quòd Aduerſarii ſine fundamento, ac ratione adduxerunt hæc verba ex Alenſi.

Sed iam admittamus gratis auctoritatem, & videamus qua Veritate, ac fidelitate tranſcripta ſunt Alenſis verba? Inquit enim in illo articulo 2. *Conſequenter quæritur, vtrum Beata Virgo potuit ſanctificari in Conceptione ſua, & oſtendit B. Bernardus, quòd non, dicens: fortè inter amplexus maritales ſanctitas Conceptioni ſe immiſcuit, vt ſimul ſanctificata fuerit, & Concepta? Ita fortè dicetur, ſed contra hoc obiicit ſic: ſed hoc (inquit) non admittit ratio: quomodò namquè, aut ſanctitas abſque ſpiritu ſanctificante, aut Sancto Spiritui ſocietas cum peccato fuit: aut peccatum quomodo non fuit, vbi libido non defuit? Item Bernardus: ante Conceptionem minimè ſanctificari potuit, quia non erat: ſed neque in ipſo conceptu propter peccatum, quod inerat, reſtat ergo, vt poſt Conceptum in vtero iam exiſtens, ſanctificationem accepiſſe credatur, quæ excluſo peccato, ſanctam fecit Nativitatem, non tamen Conceptionem! ergo poſt Conceptionem, non in Conceptione fuit ſanctificata. Idem Bernardus per comparationem ad Chriſtum. Sic paucis filiorum hominum datum eſt cum ſanctitate naſci, non tamen concipi; vt vni ſanè ſeruaretur prærogatiua ſancti Conceptus, vel ſanctificationis in Conceptu. Cum ergo Chriſtus habeat prærogatiuam ſancti Conceptus: patet quòd aliquis alius non fuit ſanctificatus in Conceptu: ergo nec Beata Virgo idem: ſolus Ieſus eſt de Spiritu Sancto Conceptus, quia ſolus ante Conceptum Sanctus, quo excepto, reſpicit vniuerſos, quod vnus humiliter confitetur: in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea. Solus ergo Chriſtus conceptus eſt abſque peccato: non ergo Beata Virgo fuit in ſuo Conceptu ſanctificata. Item ſi Beata Virgo non fuiſſet Concepta in peccato ergo non fuiſſet obligata peccato, neque habuiſſet reatum peccati. Si ergo quòd non habet reatum peccati, non indiget redemptione, quia redemptio eſt propter obligationem ad peccatum, & ad reatum peccati: ergo non indigeret redemptione per Chriſtum, quod ſecundùm Catholicam Fidem non eſt ponendum. Item Saluator noſter ſicut pro liberandis omnibus venit, ita nullum à reatu liberum reperit. ergo nec Beatam Virginem inuenit liberam à reatu peccati, ergo Concepta fuit in peccato; non ergo ſanctificata fuit in Conceptu ſuo: ad oppoſitum; coitus coniugalis, poteſt eſſe meritorius, ſicut dicit Auguſtinus, &c.* Hucuſque ſunt verba Alexandri Alenſis, ex quibus patet, quod iſta, ſicut & ſequentia verba non ſunt Alexandri, ſed ſolùm relatiuè ex aliorum opinionibus, ſeu ventilatio quæſtionis pro vtraque parte affirmatiua, & negatiua. Ad rem ergo accedendo dico, quod aduerſarii in hac auctoritate primo addiderunt ex proprio cerebro omnia verba illa: *Beata Virgo in primo inſtanti ſuæ Conceptionis ſanctificari non potuit*, quæ nullo modo extant in Alenſi, & hoc abſque dubio cum magna aduertentia, nam hac additione fecerunt, quod reliqua verba, quæ citrà, & expreſsè loquuntur de generatione, ſeu de prima conceptione ſeminis in vtero matris, de reatu, & obligatione peccati variato ſenſu, & ſignificatione loquerentur de ſecunda ſanctificatione, ſeu inſtantanea animatione, & hæc eadem numero verba addiderunt in Alberto Magno num. 8. auct. 3. & in S. Thoma num. 296. auct. 5. ſentientes, quod iſti tres antiqui Patres, atque Magiſtri totius Theologiæ nulla habebant verba directa, & formalia contra Virginis animationem. Secundo, vt celarent illius articuli aſſumptum, ac intentum, tacuerunt omnia verba illa: *Inter amplexus maritales, vbi libido non defuit*, & alia his ſimilia. Tertio, vbi Alexander: *Vt vni*

ſanè

ſanè ſeruaretur prærrogatiua Sancti Conceptus. Ipſi ſic: *Nulli tamen niſi ſoli Chriſto datum eſt cum Sanctitate concipi.* Quarto, vbi Alexander: *Solus Ieſus eſt de Spiritu Sancto Conceptus, quia ſolus ante Conceptum Sanctus.* Ipſi ſic: *Quia ſolus Chriſtus fuit de Spiritu Sancto Cõceptus, ideo ſolus ipſe fuit in Conceptione Sanctus,* quæ longè diuerſiſsima ſunt. Quinto, vitiarunt illud: *Quo excepto, neceſsè eſt, vt omnes confiteantur,* &c Sicut & illud: *Et perconſequẽs opportet dicere, quòd B. Virgo fuit in peccato concepta.* Sexto, tacuerunt illud: *Non fuiſſet obligata peccato*, vt ſic occultarent, quod in ſententia Alexandri ſola obligatio ad peccatum ſufficiebat ad redemptionem. Septimo, infra eadem intentione tacuerunt illud: *Quia redemptio eſt propter obligationem ad peccatũ*, & loco illius appoſuerunt illam: *Quia redemptio talis eſt ſolùm propter peccatũ.* Octauo, addiderunt illud: *Quia Auguſtinus, & Leo Papa dicunt:* Vt ſic Alenſis manu, & calamo introducerent in ſuam Aream iſtos duos Eccleſiæ Patres. Nono, vbi Alexander: *Ergo nec B. Virginem inuenit liberam à reatu peccati; ergo cõcepta fuit in peccato:* Ipſi ſic: *Ideò dicendum eſt, quòd B. Virgo in ſui Conceptione ſanctificari non potuit, quia tunc peccatum originale cõtraxit.* Vide ergo, ò Lector, quot, quantaſque cõmiſerunt adulterationes capitales in ſola vna auctoritate? videntes quod abſque illis nihil dicebat, nec habebat Alenſis pro ipſis.

Tertiam auctoritatem ſic adducunt. Item in eodem libro, quæſtione ſequenti art. 1. ſic dicit: *B. Virgo per primam Sanctiſitionem fuit mundata ab omni culpa; per ſecundam verò ſanctificationem fuit mundata à ſordibus vitiorum, ideſt, ab illis difficultatibus, quas habebat ad tendendum in bonum, quæ peccatum conſequuntur: Hæc ille.* Hæc auctoritas penitus eſt ficta, nam Alenſis verba prælegato loco, vbi quærit: An neceſſaria fuerit, ſecunda B. Virginis ſanctificatio? ſcì licet in Conceptu Saluatoris: In reſolutione ad quæſtionem ſolùm habet hæc verba: *Quia igitur ſolùm quantum ad ſe ipſam fuit ſanctificata in prima ſanctificatione; ideò neceſſaria fuit ſecunda, & illa prima ſanctificatio remouit ab ea omne, quod poterat eſſe inclinatium ad peccatum, & ad motus carnales, qui ſerpunt in carne velut ſerpentes; & tanta fuit illa ſanctificatio, vt etiam extenderetur ad alios,* &c. Et poſt alia concludit, ſic: *Sic patet, ad quid ſanctificatio ſecunda fuit neceſſaria, quia per primam erat ſanctificata pleniſsimè in ſe, quantum ad perſonam: per ſecundam fuit ſanctificata, vt poterat eſſe per naturam principium ad carnem aliam, per deciſionem à carne ſua.* Et in ſequenti articulo, ideſt, 2. quærens, an in Conceptione Filii Dei ſanctificata fuerit B. Virgo à culpa? & explicans Gloſſam illam ſuper Lucam, cap. 1. ſcilicèt, ſuperueniens Spiritus Sanctus in Virginem, mentem ipſius, ab omni ſorde vitiorũ caſtificauit: poſita vna interpretatione circa illa verba: ſordes vitiorum, non de pecato, ſed de pœna peccati, inquit Alenſis: *Sed aliter poteſt dici, & fortè meliùs, quòd differt peccatum, & vitium; nam peccatum dicit culpam, vitium verò non dicit culpam, ſed illud quod ſequitur ex culpa, ſcilicèt, pœnam: non vult ergo Gloſſa ſupra dicta dicere, quòd tunc fuerit liberata à peccato per illam ſanctificationem ſecundam, cùm non haberet peccatum: ſed fuit liberata à ſordibus vitiorum, ideſt, ab illis difficultatibus, quas habebat ad tendendum in bonum: quæ difficultates dicuntur corruptiones potentiarum animæ, ſiuè vitia potentiarum, quia ſunt obnubilationes earum: & ab his ſordibus fuit liberata, ita vt ſine difficultate prompta fuerit ad omne bonum diligendum, & verum diſcernendum. Eſt etiam aliter dicendum, ſuppoſito quòd fuerit ſanctificata in prima ſanctificatione ab iſtis difficultatibus: quoniam dicitur res tunc fieri, cùm innoteſcit. Senſus ergo illius Gloſſæ, vel auctoritatis eſt: Spiritus Sanctus, &c. Caſtificauit, id eſt, caſtam oſtendit, ſcilicèt, quando Concepit Filium ſuum, quia aliqua alia res nõ ita benè probaret iſtam caſtificationem, ſicut Conceptio Filii Dei. Non vult ergo dicere, quòd priùs non eſſet caſtificata à ſorde vitiorum: ſed quod tunc caſtitas eius manifeſtiùs apparuit, quando Filium ſuum concepit.* Hæc ſunt omnia, quæ habet Alenſis in illis duobus articulis. Vndè conſtat, quòd verba illa adducta ab Aduerſariis: *B. Virgo per primam ſanctificvtionem fuit mundata ab omni culpa*, ſunt ficta, & ſuppoſita. Nota etiam, quòd ſupra poſitam Gloſſam ſæpè adducunt Aduerſarii pro ſuæ ſententiæ confirmatione, vt infrà videbimus, temerè ponentes ſordes peccatorum in Virgine Maria tempore Incarnationis, ſiuè in ſecunda ſanctificatione, vt in prima ſanctificatione ponant peccatum. Sed poterant videre, vel ſaltem timere hanc Catholicam, atque doctiſsimam interpretationem Alexandri.

Quartam auctoritatem ſic aducunt: Item idem in ſequenti articulo: *Beata Virgo per primam ſanctificationem fuit totaliter à culpa originali mundata, ſed fomes peccati remanſit ligatus, ſed per ſecundam ſanctificationem fomes fuit totaliter ablatus.* Hæc auctoritas etiam eſt ficta, & ſuppoſita, nã in ſequẽti articulo, id eſt 3. (neque in alio) illa formalia verba non extant, ſolùm enim in eodem 2. in reſponſione ad 2. argumentum extant aliqua his ſimilia, videlicèt hæc: *Dico ergo, quod in Virgine non remanſit culpa poſt ſecundam ſanctificationem, nec diſpoſitio ad culpã, ſcilicèt fomes, ſed ſolùm illud, quod eſt purè pœna, ſcilicèt, quod ipſa fuit mortalis poſt ſecundam ſanctificationem, & hanc*

etiam

etiam pœnam accepit Filius eius Christus voluntariè, &c. Et ita non remansit in ea pœna prout ad culpam, sed prout ad maiorem gloriam. Si etgo Aduersarii ex hoc loco suam transcripserunt auctoritatem, ex se patet, quòd à primo vsque ad vltimum verbum sit ficta: si ex alio ipsum ostendant, nam ego in Alensi illam inuenire non potui, nec est.

Quintam auctoritatem sic adducunt: Item in sequenti articulo: *Duo*, inquit, *erant, quæ prohibebant visionem Dei, videlicèt culpa originalis, & reatus naturæ à peccato causatus, per primam sanctificationem fuit remotum peccatum originale, vt reatus personalis, remanente adhuc reatu naturæ, & ideo si ante Christi Passionem mortua fuisset, non euolasset in cœlum, sed descendisset ad locum Sanctorum Patrum propter reatū naturæ. Hæc ille.* Hæc auctoritas ferè tota est vitiata, & adulterata, nam Alensis quærens: an Virgo Maria per secundam sanctificationem fuerit liberata à reatu carentiæ visionis Dei: sic inquit: *Dicendū quòd sicut duo sunt, quæ prohibent visionem, scilicèt defectus visus, vt cæcitas, & defectus luminis: similiter sunt duo, quæ prohibent visionem Dei æternam, priuans visionem, & prohibens lumen: visionem priuans fuit culpa originalis in singulis personis: prohibens autem lumen fuit ipsa rumphæa, quæ est ex reatu naturæ humanæ generali manens; primum prohibet visionem æternam in habitu, secundùm in actu, &c. In Virgine ergo per gratiam datam in sanctificatione, remouebatur quidquid debebat remoueri, quod erat pertinens ad cæcitatem personæ, sed non quod pertinebat ad reatum naturæ, ex quo est defectus luminis. Ideòque B. Virgo non euolaret ante Passionem, si moreretur: hoc non facit defectus ex parte ipsius videntis; sed quia sanctificatio non remouet tenebram naturæ, scilicèt rumphæam, quæ est prohibens exterius, quod solùm tollitur per Passionem Christi, &c.* In supra posita ergo auctoritate Alex. de Ales, tot sunt figmenta, quot verba, nec possunt dicere, quòd fortè in aliquo originali extant verba, vt ipsi illa transcribunt; hoc in quam effugium non valet; nam Turre cremata fideliter transcribit; alii verò omnes pessimè; vndè ergo hoc prouenerit, ipsi videāt. Et notet Lector, qua facilitate respondit Alensis ad argumentum Aduersariorum, quod Virgo Maria non ingrederetur Paradisum, si ante passionem Christi mortua fuisset, dicendo, quòd in Maria non erat impedimentum intrinsecū, sed extrinsecum, non originalis, sed romphææ.

Sextam auctoritatem adducunt sic: *Idem dicit in tertio Sententiarum, in multis articulis; & super Psalmum, Deus noster refugium; & in Mariali suo:* Ventilando ergo singula, quæ in his verbis dicuntur. Primo proponit veritas, quod Venetiis anno 1475. apud Ioannem de Colonia, & Ioannem Mathen prodiit liber in folio, cuius finis est: *Hic finis præbetur operis solemnis Domini Alexandri de Ales, Ordinis Minorum, Theologi famosissimi super Tertium librum Sententiarum, quòd optimè emendatum Venetiis, &c.* Si ergo hunc librum super Tertium Sententiarum citant Aduersarii, falsum est quod dicunt; nam in illo Tertio Sententiarum libro nihil de nouo dicit Alensis, sed solùm illa supra relata ex ipsius Summa repetit eisdem verbis, ita vt nec apicem, vel iota mutet. In Bibliotheca Scorialis pluteo VI. litt. E. numer. 33. extat opus manusc. sub hoc titulo: *Diffinitiones in 4. libros Sententiarum Alensis*, & in hoc nihil inuenire potui pro hac materia Conceptionis, nec est. Si autem liber ille Sententiarum est aliquod manuscriptum, vel opus inauditum, ipsum ostendant, alias non reputabitur fides eorum, quia talis libri apud Minoritas nulla extat notitia.

Septimam auctoritatem, & Psalmo 45. qui incipit: *Deus noster, &c.* Admittit veritas pro vera, sed non efficaci. Nam res ita se habet: Quoddam insigne opus super Psalmos prodiit primo absque anno, & loco impressionis, secundo Venetiis anno 1496. sub nomine Alexandri de Ales, & hoc etiam opus nullo mutato verbo extat similiter inter opera Hugonis à S. Caro, vel Theodorici Cardinalis, Ordinis Prædicatorum, tom. 2. Possevinus, & Vvadingus, fol. 8. Villotus fol. 13. & alii expressè affirmant falsò attribui Hugoni, vt etiam fatentur Aduersari i, dum ipsum opus hìc adscribunt Alensi; hoc ergo supposito de libri Auctore. Ad illum versiculum: *Sanctificauit Tabernaculum suum Altissimus*, fol. 129. sic se habent Alensis verba: *Tabernaculum eius fuit eadem B. Virgo, in qua ipse armauit se armis nostræ mortalitatis, quibus contra diabolum militauit. Psalm. 34. Apprehende arma, & scutum. Benè, Tabernaculum sanctificauit Altissimus, quando eam in vtero matris sanctificauit: de hoc Tabernaculo dicit ipsa, Eccle. 24. qui creauit me, requieuit in Tabernaculo meo, &c.* Infra verò: *(Adiuuabit eam Deus manè) ideſt, in principio vitæ suæ, & cum adhuc esset in vtero (diluculo) tenebras originalis peccati tollente.* Hæc sunt omnia verba existentia in prædicto Psalmo pro Conceptionis materia; ex quibus Aduersarii præsumunt deducere hanc consequentiam: ergo Maria contraxit originale peccatū. Sed immeritò, nam consequentia illa non potest deduci ex eo quòd fuerit sanctificata, quia hoc nos libentissimè fatemur, & nullus Catholicus negare potest: nec colligitur ex illis vltimis verbis, *tenebras originalis peccati tollente*, nam tollere est indifferens in sua significatione: qui enim tollit, vel remouet, vel aufert, teste Ioanne de Ianua, in suo Catholicon, folio

291 à tergo, col. 4. & in Thesauro linguæ Latinè, tom. 3. fol. 942. vbi inuenies, quod, tollo significet, delere, eripere, è medio auferre, eleuare. Deindè aliud est tollere tenebras peccati originalis, aliud ipsum originale, post tenebras enim introducitur nox iuxta illud: posuisti tenebras, & facta est nox, Psalmo 103. ver. 20. Si ergo à B. Virgine abstulit Deus tenebras; ergo non fuit in ipsa introducta nox originalis peccati; consonat illud quod dicitur Iob 3. de nocte originalis peccati: expectet lucem, & non videat, nec ortum surgentis Auroræ. Sed de hoc satis, quia est extra nostri propositi assumptum.

Octauam, & vltimam auctoritatem adducunt ex Mariali Alensis: de quo Turrecremata, sic inquit: *Quod verò dicitur ab aliquibus ex aduerso de hoc irrefragabili Doctore, quòd retractauerit hanc conclusionem, morti appropinquans, quousque fides integra, & testimonium sufficiens de hoc fiat coram Sacro Concilio; nullius reputatur esse momenti: quod autem dictum est à quodam alio, quod in suo Mariali retractauerit, manifestè fictitium est, immò in multis locis eiusdem libri; sicut vbi de sanctificatione loquitur Virginis, eandem doctrinam prosequitur, & confirmat.* Et ex his Turrecrematæ Verbis constat, quod ipse vidit Mariale Alensis, & si vidit, quarè non transcripsit vnum saltem, ex illis multis locis, in quibus, vt ipse dicit, suam doctrinam confirmat? Si transcripsit Alensis verba ex Summa; transcriberet etiam ex Mariali? tum maximè, cognoscens, ac videns, rē esse sub lite, & controuersia, quare ipsamet verba Turrecrematæ ipsum condemnant, at quod non transcripserunt Turrecremata, Bandellus, Vincentia, Deza, & alii ex illo ab ipsis viso Mariali, transcripsit, quidam testis maior omni exceptione, quia nec est Dominicanus, nec Franciscanus, scilicèt Goschalcus Hollen, Ordinis S. Augustini, in sermone Conceptionis, his verbis: Composuit librum in honorem Conceptionis Virginis Mariæ, quem intitulauit de vita B. Virginis Mariæ, super illa verba: Nondum erant abyssi, in cuius fine determinat, Virginē fuisse Conceptam absque peccato originali, his verbis: *Nōdum erant abyssi, ideſt, profunditates originalis peccati, & ego iam Concepta eram; nam abyssus dicitur ab, Ab, quod est sine, & Byssus quod est quodam lumine sum subtile, & candidum factum tristitio opere, quorum contraria sunt in peccato originali, quod est tenebrosum per priuationem lucis gratiæ, & grossum per dānum perpetuum, atque turpe per carentiam dilectionis diuinæ. Nondum ergo erant abyssi, ideſt, peccati originalis profunditates, & ego iam concepta eram, scilicèt præueniente Dei gratia, &c.* Hucusque Goschalcus Hollen ex Mariali illo Alensis. Cui ergo credemus, an Turrecremate tacenti, testi aliàs parum veridico, & fideli? vel huic vndique celebri, & indifferenti? Sed quia in ore duorum, vel trium stat omne verbum. Mauritius de Villa probata, ex Ordine Prædicatorum comprobat supradicta, vt in nostra Militia Immaculatæ Conceptionis latè videbitur. Insuper Michael de Carchano, Mediolanensis Doctor antiquus, ac probatissimæ vitæ in suo Quadragesimali de pœnitentia, Sermone de Conceptione, part. 3. loquens de Alexandro de Ales, ac de eius liberatione à grauissima infirmitate meritis Virginis Mariæ, sic inquit: *Ipse verò non ingratus de tanto beneficio, reddidit quod vouerat, cōposuitque librum vnum pulchrum, vbi continentur omnia facta istius mellifluæ Conceptionis Virginis, qui diuiditur in sex libros, & in fine tertii libri, capite penultimo, quærit vtrū Virgo Benedicta fuit in originali peccato concepta: & in corpore quæstionis ponit totum illud miraculum factum à Virgine in se ipso; & ideò determinauit, Virginem fuisse conceptam sine peccato originali; docet, & prædicat eius Conceptionem colendam; reuocatque, & retractat quidquid in 3. Sententiarum dixerat, &c.* Hæc sunt verba Michaelis à Mediolano, subscribunt Daniel Agricola in sua Corona de Conceptione, Ioannes Vitalis Cardinalis in suo Defensorio, Ancilla 3. auctor 4. qui omnes sunt Auctores antiqui, sicut & Alanus Parisiensis, quem apud me manuscriptum habeo, & scripsit ante annum 1390. nam ex Modernioribus incipiendo à Bernar. de Bustis, qui scripsit anno 1479. Serm. 9. part. 3. fol. 120. colum. 2. Ioann. Celaya in 3. disp. & aliis dicentibus de Alensi. Tantum potuit in tanto viro vis diuina, vt solitus sit reddere has voces, in quibus animam exalabit? *Maria Domina mea tota pulchra es formosa, & macula originalis peccati nunquam fuit in te, &c.* Possem adducere 150. Doctores hoc ipsum affirmantes. Scilicèt Anton. Cucharum in suo Elucidario, & Ludouic. à Turri, de Verona, & sic discurrendo per omnes alios, qui hucusque scripserūt de hoc mysterio. Ergo malè, & frustra adducitur Alensis. Notet verò Lector, librū istum Mariale fuisse de vita B. Virginis Mariæ diuisum in sex libros, & quod in fine tertii capit. penultimo agit de Conceptione, & videat infra numer. 295. Thomam Alensem, quia hic Doctor etiam est triplicatus cum illo, & sequenti Alexandro Nec Kam.

ALEXANDER Nequam, vel Ne-Kam. Hunc Doctorem absque aliqua Auctoritate signo, vel circunstantia, aducunt, *Ioan. Capreol. & Paul. Soncinas in 3. sent. dist. 3. Turrecrem. solum incidenter, vt videbimus infrà num. 29.*

VERITAS 13.

HIC Doctor, natione Anglus, qui ad annum 1210. claruisse dicitur, fuit sua ætate doctissimus, magnus Theologus, ac celebris famâ, & opinione; tàm apud Nomenclatores, quàm apud Auctores scribentes pro Immaculata Virginis Conceptione; solumque est differentia inter ipsos, an fuerit Canonicus Regularis, vel ex Ordine Minorum: plura scripsit, quorum Cathalogum recesent Pitseus, fol. 299. Aliqui dicunt, & affirmant hùnc fuisse Alexandrum de Ales, & nō absque rationabili, ac sufficientissimo fundamento, tum ex nomine, patria, Religione, & tempore quo vixit; tum quia multa opera ad scribuntur huic, quæ sunt Alensis; tum denique ex infirmitate, miraculo, atque mutatione sententiæ de Virginis Conceptione, &c. Et si hæc solida coniectura subsistere debet, Auctor iste non tantum est duplicatus cum antecedenti, sed triplicatus cum Thoma de Ales, de quo nu. 295. & hæc de Autore.

Auctoritatem nullam adducunt Capreolus, nec Soncinas, aut Turrecremata sed solùm nomen siccum, ac nudum, & ex hac parte pro suspecto etiā debet reputari, eo maximè, quia nec Anonymus, Bandellus, nec Vincentia scribentes post Capreolum, de tali Alexandro nec minimam faciunt mentionem, fortè existimātes, illum non ad suam, sed nostram pertinere sententiam. Nam Alexander iste, quia miraculosè fuerat à quadam grauissima infirmitate liberatus, scripsit librum pro Immaculata puritate Virginis Mariæ, seu Sermonem, qui incipit: *Fiat lux*, vt referunt ex Scriptoribus antiquis, Alanus Parisiensis in principio sui libri de Conceptione Auctore 5. Ioannes Vitalis in suo Defensorio, lib. 4. ancill. 7. Petrus de Candia postea Summus Pontifex Alexander V. in suo tractatu, vel quæstione de Conceptione *§. circa 2. viam.* ad finem, cuius hæc sunt verba: *Et pro ista parte est Lincolniensis, Alexander Nequam, qui infine vitæ suæ exponens passum illum, qui in Canticis Canticorum, videlicèt. Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te, excluſit ab ea omnem factorem criminis originalis, actualis, & venialis:* Ludouicus à Turri de Verona fol. 57. colum. 3. Antonius Cucharus Episcopus Acernensis, ac omnibus istis antiquiōr. Henricus de Hasia Carthusianus, in illa epistola Conceptionis, quam scripsit contra Guarronem, part. 3. cap. 10. de qua latè nos infra numer. 44. ad finem, & alii. Ex Moderniōribus Balleus fol. 99. Pitseus in sua Bibliotheca Anglicana, fol. 299. Hyppol. Marracius fol. 39. D. Antonius de Leō in sua Bi. manuſ. & vt vno verbo dicam, omnes Scribentes de Cōceptione, hoc ipsum vnanimes fatentur. Videat ergo Lector, quibus sit præstanda fides? an tribus Patribus Dominicanis, vel sexaginta tribus ex diuersis ordinibus? Supponendo, quòd nullus ex Aduersarijs vidit opera Alexādri Ne-Kam (vt colligitur ex ipsomet Turrecremata, par. 6. cap. 28. fol. 112.) sed loquuti sunt ex aliorum testimonio, scilicèt, Alani, & Vitalis: dicit enim primus, loco supra citato loquendo in persona Virginis Mariæ: *Alexandrum, inquam in Anglia me flagellantem, in quodam lumine mirificum raptus perspicuam veritatem cognoscens, cui adhærebat feritatem refratans, me ab exordio lucem factam prædicat assumpto themate fiat lux.* Vitalis verò sic inquit: *Secundus Alexander Nequam, qui primo Aduersarius existens 3. disp. 3. postea correctus à Deo, retractauit publice, ostendens Sacram Virginem fuisse sine originali conceptam in Sermone, qui incipit: fiat lux;* Ex quibus Turrecremata argumentabatur. Secundum vestram confessionem Alexander Nequam sustinuit nostram opinionem in 3. dist. 3. de retractatione autem illa facta in Sermone: *Fiat lux*, non constat: igitur iste pro nobis erit. Hoc fuit debile Aduersariorum fundamentum vt non dicam innane, amplectentes feritatem quia erat flagellatio, & nolentes recipere retractationem; volentes se conuertere ad Alexandri tenebras, non ad Nequam lucem; siuè ad primum mendatium, non ad secundam veritatem aures, & cor applicare. Præcipuè, cùm infra Ancill. 7. hanc Alexandri retractationem sic testificent prædicti Doctores: *Item notum habemus de venerabili Doctore Alexandro Nequam, qui cum istam opinionem contra Sacram Virginem plus iusto defensaret ab Angelo Dei pœnis duris correctus est, donec Sacræ Virginis meritis illuminatus à Deo, oppositum tenere vouit; vt ipse in sua reuocatione fatetur, quæ incipit: fiat lux; & testis est Anglia huius facti.* Supposito ergo quòd Soncinas hunc extraxit à Capreolo, & hic vt ipse affirmat à Guillelmo de Gannaco, & nullus adducit auctoritatem, aut saltem citationem existimare debemus Gānacum loquutum fuisse, sine fundamento, ac fortè etiam sine veritate.

ALVA-

ALVARVS Hiſpanus Epiſcopus Siluenēſis, Ordinis Minorum, in libro de Planctu Eccleſiæ, articul. 52. *Turrecrem. part. 6. cap. 21. fol. 122. à tergo. Anonym. Auctore* 103. *Bandell. cap. 24. Dexa fol. 45. à tergo Spina part. 6. cap. 4. Pet. de Vincen. Gryſal. Brixianus: Barelete Arpáleg. diſp. 2. art. 1.*

VERITAS 14.

HVNC Doctorem cum ſufficienti fundamento, adducū Aduerſarii; Aluarus enim cognomento Pelagius, Epiſcopus Sylueniſis, ſiue Algaruariorum in Regno Luſitaniæ, fuit ſecūdùm aliquos S.R.E. Cardinalis, & ſcripſit tempore Ioannis XXII. (quando nauicula Ordinis Minorum penè operiebatur fluctibus) librum illū de Planctu Eccleſiæ, quem ipſe vltimò correxit anno 1335. & extat impreſſus, primo per Ioannem Zeiner de Rutlingen anno 1474. in fol. magno, & ſecundò Venetiis 1560. atque in pluribus Bibliothecis vidi hoc opus manuſcriptum. Huius ergò Autoris verba ſic adducuntur ab Aduerſariis: Idem tenet Dominus Aluarus Hiſpanus Epiſcopus Siluenenſis in libro ſuo, quem intitulauit de Planctu Eccleſiæ, ſic dicens: *De Matre Chriſti Beatiſsima tenent Sancti; & máximè Auguſtinus, & Bernardus, quòd nunquam peccauit actualiter, tamen in originali peccato concepta fuit, ſicut cæteri homines, qui ex commixtione ſeminum concepti ſunt; quia ab illa ſententia Dauid: ecce in iniquitatibus conceptus ſum; nullus excipitur, niſi Chriſtus, qui non de ſemine humano, ſed de Spiritu Sancto conceptus eſt. Ad hoc facit, quod habetur de conſecratione diſt. 4 cap. firmiſsimè; & Gloſſa ſuper cap. 1. de conſecratione, diſt. 3. & Gloſſa ſuper cap. 2. & ſuper cap. per Baptiſmum de conſecratione, diſt. 4. & facit optimè 27. quæſt. 2. omne. Et hāc ſententiam tenent omnes antiqui Theologi, videlicèt Alexander, Thomas, Bonauentura, & Richardus, licèt quidam noui Theologi à ſenſu communi Eccleſiæ recedentes contrarium teneant, indeuoti reuera Dominæ noſtræ, cuius deuoti per hoc apparere nituntur, quorum noua opinio, & fantaſtica ſit penitùs à fidelibus cancellata. Hæc ille.* Hucuſque Bandellus, & Vincentia.

Auctoritas verò Pelagii, ſcrutatis omnibus originalibus, lib. 2. in illo articulo, ſiuè cap. 52. fol. 110. circa principium, littera B. ſic ſe habet: *De Matre etiam eius Beatiſsima, tenent Sancti, maximè Auguſtinus, quòd non peccauit etiam venialiter in hac vita, tamen in originali peccato concepta fuit ſicut & cæteri homines, quia ab illa ſententia Patris ſui Dauid: ecce enim in iniquitatibus cōceptus ſum, Pſalm. 50. XXXIII. quæſt. 4. Vir cum propria: nullus excipitur, niſi Chriſtus; qui non de ſeminè humano, ſed de Spiritu Sancto, & in vtero Virginis, iam ſanctificato, conceptus fuit. Extra de Summ. Trinitat. cap. 1. 23. diſt. qui Epiſcopus. Domina autem noſtra de ſemine vtriuſque parentis Ioachimi, & Annæ concepta fuit, ſicut cæteræ mulieres, non de Spiritu Sancto, ſicut Filius, & ideò in originali peccato fuit concepta, vt latè probat Bernárdus in Epiſtola, quam ſcribit Canonicis Lugdunenſibus, in qua reprehendit eos, quia Conceptionis feſtum Domina celebrant, quod non decet fieri, ſed quum ſit, referri debet ad ſanctificationem eius in vtero, quia ſecundùm Bernardum ante fuit ſancta, quàm nata: Vnde & Auguſtinus ſuper hoc ad Petrum Diaconum ait de conſecratione diſt. 4, firmiſsimè tene, & nullatenùs dubites, omnem hominem, qui per concubitum viri & mulieris concipitur, cum originali peccato naſci, impietati ſubditum, mortique ſubiectum, & ob hoc naturaliter naſci filiū iræ, de qua dicit Apoſtolus: eramus natura filij iræ, ſicut & cæteri, Epheſ. 2. & Roman. 5. ad hoc facit quod legitur, & notat. De conſecratione diſt. 4. cap. 2. in verbo. Miraculo. Gloſſa: vt in Beata Maria. Et de conſecrat. diſt. 3. cap. 1. in Gloſſa de feſto: & facit optimè 27. quæſt. 2. omne. Et hanc ſententiam tenent omnes antiqui Theologi, Alexander, Thomas in ſuo 4. & 2. Bonauentura, Ricárdus. Licèt quidam noui Theologi à ſenſu Eccleſiæ recedentes communi, tenere contra, in deuoti reuera Dominæ, ei tamem deuoti cupientes apparere nitantur, eam quodammodo ſic Deo, & ſuo Filio comparantes, quorum noua opinio, & fantaſtica ſit à fidelibus cancellata.* Hæc ſunt verba Aluari Pelagii, prout correſpōdent auctoritati Bandelli.

Turrecremata verò vltra progreditur ſic: *cancellata; quia ſanctificationem Virginis negant, contra id quod tenet Eccleſia, ipſam ſanctificatam fuiſſe; ſi enim in peccato originali quod contrahitur in animæ infuſione vt notatur, de conſecratione diſt. 4. cap. non ex æquo, in Gloſſa, non fuiſſet concepta; ſanctificatio neceſſaria non fuiſſet, ſicut nec in Chriſto, & ideò Romana Eccleſia feſtum Conceptionis non agit, ſed tolerat maximè in Anglia, non tamen probat: quia quod permittitur, non approbatur 4. diſt. Denique 31. quæſt. 1. hac ratione: vel illud feſtum debet referri ad ſanctificationem Virginis, non ad Conceptionem, vt dictum eſt, & ita dicit Oratio quæ dicitur in hoc feſto Romæ, in Sācta Maria Maiori: Deus qui ſanctificationem Virginis, &c. Sicut vidi, & audiui, cum ibi de iſta ſanctificatione prædicarem in iſto feſto. Pro hac veritate facit illud Salomonis Prouerb. 25.: Auferrubiginem de argento, & egredietur vas puriſsimum: vas fuit Virgo Maria, quæ rubiginē originalis peccati ablatā per ſanctificationem in vtero, ſancta,*

& purissima in Natiuitate sua egressa est ex vtero. Et illud Psalm. Sanctificauit Tabernaculum suũ Altissimus Tabernaculũ sanctificatum Dei fuit Virgo Maria: iuxta illud Eccle. 24. Qui creauit me, requieuit in Tabernaculo meo. Facit & verbũ Augustini, in Sermone Purificationis dicentis: Solus est sine peccato natus, qui sine virili complexu, non cõcupiscentia carnis, sed obediẽtia genuit mentis. Hoc etiam determinat Augustinus super Genesim ad litteram 10. capite. Idem tenet Magister sententiarum lib. 3. Hæc ille.

Hæc vltima auctoritatis pars adducta à Turrecremata in originalibus Aluari Pelagii sic se habet: *Quia sanctificationem Virginis negat, contra id quod tenet Ecclesia, ipsam sanctificationem fuisse, & sic secundùm Bernardum, ante eam sanctam, ideſt, sanctificatam in vtero, quàm natam extra vterum. Si enim in peccato originali, quod contrahitur in animæ infusione, vt notatur de consecratione, dist. 4. non ex quo, in Gloſſa 2. non fuisset concepta, sanctificatio necessaria non fuisset, sicut nec in Christo: Ideò Romana Ecclesia festum Conceptionis non agit, & si tolerat, quod alicubi fiat, maximè in Anglia; non tamen approbat, quia quod permittitur, non approbatur, 4. dist. denique 21. quæst. 1. hac ratione. Vel illud festum debet referri ad sanctificationẽ Virginis non Conceptionem, vt dictum est. Et ita dicit Oratio, quæ dicitur in hoc festo Romæ in S. Maria Maiori: Deus qui sanctificationẽ Virginis, &c. Sicut vidi, & audiui, quum ibi de ista sanctificatione prædicarem, in isto festo sanctificationis, quod fit in Decembri ante festum Natiuitatis per quindecim dies. Pro hac veritate facit illud Salom. Prouer. 25. Aufer rubiginem de argento, & egredietur vas purissimũ: vas purissimum fuit Virgo, quæ rubigine originalis peccati ablutæ per sanctificationem in vtero factã purissima in necessitate sua egressa est ex vtero, & illud Psalm. 45. Sanctificauit Tabernaculum suũ Altissimus Tabernaculũ sanctificatum Dei fuit Virgo Maria, iuxta illud Eccle. 24. Et qui creauit me, requieuit in Tabernaculo meo. Facit verbũ Augustini in Sermone Purificationis dicentis: Solus est sine peccato natus, quẽ sine viri cõplexu non concupiscentia carnis, sed obedientia genuit mentis. Hoc etiam determinat Augustinus super Genes. ad litteram 6. cap. facit de pœnit. dist. 2. si enim in fine. Ibi & docuimus, quòd excepto Deo, omnis creatura sub vitio sit, &c. Idem tenet Magister sententiarum contra hos etiam, qui impeccantiam posse haberi in hac vita dicut, &c.* Hæc sunt omnia, quæ habet Pelagius, & adducũt Aduersarii pro sua opinione, regulando ergo ipsorum verba cum originalibus reperies, ò Lector, sequentia vitia, seu adulterationes.

Primo, quia vbi Aluarus dicit: *Maximè Augustinus*, ipsi ex proprio marte addiderunt, & *Bernardus*, vt sic multiplicarent Sanctos pro se. Secũdo, vbi Pelagius: *Quòd non peccauit etiam venialiter*, ipsi sic: *Quod nunquam peccauit actualiter.* Est enim magna diferentia in his locutionibus; nam peccare actualiter, latiùs patet. Tertio, addiderunt illa verba: *Qui ex commixtione seminum concepti sunt*, quæ in Pelagio minimè extant, & sunt cardo totius auctoritatis. Quarto, vbi Pelagius: *Qui non de semine humano, sed de Spiritu Sancto, & in vtero Virginis iam sanctificato*, prætermiserunt omnia vltima verba, quia erant in laudem Virginis, & exprimebant mentem Pelagii. Quinto, tacuerunt omnem illam clausulam: *Domina autem nostra de semine vtriusque parentis Ioachim, & Annæ concepta fuit, &c.* Quia ex illa constabat Pelagium vocalle generationem parentũ Conceptionem, sicut faciunt omnes antiqui Scriptores, & ex illis pariter colligebatur Bernardi mens in Epistola ad Lugdunenses: ac tandem quòd ipsam generationem actualem parentũ vocabant festum Conceptionis celebratũ die octaua Decẽbris, & ob hoc affirmabant festiuãdum esse per ordinem ad sanctificationem, seu animationem (suppositaque illa æquiuocatione antiquorum, benè dicebant) istam clausulã non prætermisit Turrecremata, sed adulterauit aliam maioris momenti, & sit. Sexta, nam vbi Pelagius: *In gloſſa de festo, & facit optimè 27. quæst. 2. omne*, ipse sic: *In Gloſſa verbo de festo*, & superinseruit ex proprio cerebro sequentia: *Idem habetur in Gloſſa per Baptismum dist. 4. ibidem dicente: Natiuitas Mariæ in vtero nõ celebratur, & facit optimè, &c.* Qua veritate hoc superaddidit ipse videat. Septimo, prætermiserunt illud: *Thomas in 4. & 2.* Octauo, illud Pelagii: *tenere contra nituntur*, ipsi sic vitiarunt: *Contrarium teneant.* Nono, vbi Pelagius: *Sit à fidelibus cancellata*, ipsi addiderunt: *penitùs*, vt suum exprimerent desiderium. Decimo, vbi Pelagius: *Negat*, in singulari, ipsi in plurali, *Negant*, vt sic omnes opinantes damnarent. Vndecimo, vbi Pelagius: *Ipsam sanctificationem fuisse*, ipsi sic: *Ispam sanctificatã fuisse*, transeuntes de actione ad terminũ. Duodecimo, omiserunt totã illam clausulã: *Et sic secundùm Bernardũ ante à sanctã, ideſt, sanctificatam in vtero, quã natam extra vterum.* Decimotertio, vbi Pelagius: *Et si tolerat, quod alicubi fiat, maximè in Anglia*, ipsi sic mutilantes verba: *Sed tolerat, maximè in Anglia.* Decimoquarto, tacuerũt totam istam signatam clausulam: *In isto festo sanctificationis, quod fit in Decembri ante festum Natiuitatis per quindecim dies*, vt sic legentes deciperent, existimantes, quod in Ecclesia S. Mariæ Maioris, de vrbe aliquando celebratum fuerit festum sub titulo sanctificationis; quod falsum est, quia nullum Breuiarium Romanum, impressum, nec manuscriptum habet officium sub illo titulo sanctificationis, & existimo

me

me vidiſſe, ac legiſſe Romæ, & alibi omnia Breuiaria antiqua; vide de hoc latè infrà verbo, officia Eccleſiaſtica num. 231. Decimoquinto vbi Pelagius: *Vas purißimum fuit Virgo.* Ipſi ſic: *Vas fuit Virgo*, auferentes, & relegantes à Virgine titulum illum, *puriſsimum.* Decimoſexto, vbi Pelagius: rubigine originalis peccati *abluta*, ipſi *ablata*, quæ diuerſiſsima ſunt, vt de ſe patet, quantum ad litteram, & plus quantum ad ſenſum, vt infrà dicam. Decimo ſeptimo, vbi Pelagius: *Per ſanctificationem in vtero factam purißima, &c.* Ipſi ſic: *Per ſanctificationem in vtero*, & appoſita diuiſione, *Sancta, & purißima, &c.* In quibus verbis eſt duplex magna adulteratio, nam tacuerunt illud, *factam*, & appoſuerunt illud, *Sancta*, & ſic totus immutatus eſt ſenſus. Decimo octauo, vt vltimam clauem ſuis adulterationibus imponerent, quia vbi Pelagius: *Puriſsima in ſua neceſsitate egreſſa eſt.* Ipſi ſic: *Puriſsima in ſua Natiuitate egreſſa eſt*, ponentes loco neceſsitatis verbum Natiuitatis. Decimo nono, vitiarunt illud Auguſtini, de Geneſi ad litteram, cap. 6. indicantes ipſi quod in 10. expreſsiùs ſit locutus Auguſtinus. Vigeſimo, etiam addiderunt illud: Magiſter Sententiarum *tertio libro.* Iſtæ ſunt viginti adulterationes commiſſæ in littera, nunc verò aliqua dicamus circa ſenſum, & ſententiam Pelagii.

Fateor, & iterum profiteror, quòd Aduerſarii cum ſufficienti fundamento adducunt pro ſua ſententia Aluarum Pelagium, vt expreſsè denotant illæ duæ abſolutę propoſitiones. *Tamen in originali peccato Concepta fuit, &c.* Et illa: *Si enim in peccato originali, quod contrahitur in animæ infuſione, non fuiſſet Concepta, ſanctificatio neceſſaria non fuiſſet, &c.* Sed ſi verba eius attentè conſiderentur, adhuc poſſunt ad ſanum ſenſum reduci, quia loquitur contra illos qui affirmabant Virginem Mariam ſanctificatam fuiſſe in ſemine parentum, ita vt in ſua generatione nulla interfuerit libido, concupiſcentia, vel peccatum, & quòd feſtinitas Conceptionis talis erat, & celebatur per ordinem, & reſpectum ad illam primam ſeminis generationem, quæ pura, & ſancta fuerat; quare in infuſione animæ nulla extitit neceſſaria ſanctificatio de nouo: hoc ergo impugnat Aluarus Pelagius, dicens, quòd ſic æquatur Virginis Conceptio Chriſti Incarnationi, cuius mirabilis, ac ineffabilis Conceptio fuit abſque vllo libidinis, atque concupiſcentiæ pruritu, à quibus Virgo Maria fuit purgata, purificata, & ſanctificata; quia in ſemine illo erant neceſſariò rubigines peccati originalis, ſeu reliquiæ fomitis, & neceſsitatis contrahendi originale in ſua animatione, & ab hac *rubigine originalis peccati abluta per ſanctificationem in vtero factam, puriſsima in neceſsitate ſua egreſſa eſt ex vtero.* Et quòd hæc fuerit mens auctoris huius patet, ex illis primis verbis: *Domina autem de ſemine vtriuſque parentis Ioachimi & Annæ Concepta fuit, ſicut cæteræ mulieres, non de Spiritu Sancto, ſicut Filius; & ideò in originali peccato Concepta fuit, &c.* Item quia dicit: *Si enim in peccato originali, quod contrahitur in animæ infuſione, non fuiſſet concepta, ſanctificatio neceſſaria non fuiſſet, ſicut nec in Chriſto.* Ergo Pelagius ſolùm nititur probare, quod in Conceptione Mariæ fuit neceſſaria ſanctificatio pro illo peccato originali, quòd contrahitur in infuſione animæ; & ſic in infuſione animæ Mariæ fuit ſanctificatio, & hoc nos non negamus; quia hæc propoſitio: *In Mariæ Conceptione fuit neceſſaria ſanctificatio, quia fuit concepta in peccato illo originali, quod contrahitur in animæ infuſione:* quæ eſt ipſiſsima Pelagii, non eſt immediatè, & formaliter contra noſtram ſententiam, quia loquitur de illo peccato originali, in quo Chriſtus non fuit conceptus, id eſt, concupiſcentia, & libidine, &c. Et ideò ipſe non eguit ſanctificatione, quod aliter contingit in Virgine, quia cum eſſet Concepta in illo peccato originali, à qua anima maculatur in ſui infuſione, ideò indiguit ſanctificatione, &c. Cùm ergo in his verbis nitatur totus ſequens diſcurſus Pelagii, & hic loquatur expreſsè de peccato originali generationis, videtur ipſum locutum fuiſſe ſicut locuti ſunt ferè omnes Antiqui, quorum in hoc Ventilabro paſsim inuenies exempla clariſsima. Deindè ſi Aluarus Pelagius clarè, & expreſsè erat pro veſtra ſententia, quare ipſum vitiaſtis tot adulterationibus?

AMBROSIVS Sanctus, & Eccleſiæ Doctor ſuper Epiſtol. ad Roman. & ſuper Lucam, & Iſaiam, vt allegatur ab Auguſtino in 1. contra Iulianum, & in 1. de Nuptiis, & concupiſcent. ac in lib. de Arca Noè, vt allegatur ab Auguſtino in 2. contra Iulianum. Item in eodem contra Nouatianos. Item in libro de Sacramento Regenerationis, ſiue de Philoſophia. Item in Apologia Prophetæ Dauid, vt allegatur ab Auguſtino. Item ſuper illud: Ecce enim in iniquitatibus, &c. & in Hexameron. Item ſuper Lucam, vt allegatur à S. Thoma. Item in Sermone Purificationis, & ſuper Tobiam, & in multis locis. *Ita Anonym. via 3. ration. 11. Auctor. 13. & ration. 9. Auctor. 16. & via 3. part. 2. Auctor. 24. Bandellus cap. 10. & in Officio lection. 4. Dezafol. 16. à tergo, Vincent. Capreolus, Gryſald, Caſtellanus, Brixien. Soncin. Canus, S. Antoninus, & Barelete.*

VERITAS 15.

IOANNES De Turrecremata ad faciendam illam celebrem relationem pro ſua ſententia coram patribus Concilii Baſilienſis, nullam inuenit auctoritatem ex S. Ambroſio, at vnus ſolus Bandellus, & ſcribentes poſt ipſum quam plures repererunt, quas ſigillatim in medium adducimus, & in area proponimus, vt trituratæ, & ventilatæ ex editionibus Pariſienſ. 1549. & 1529. Colonienſ. 1465. & Baſilienſ. 1490. & 1492. atque 1555. Romæ 1585. & 1587. ac nouiſsimè Pariſiis 1632. & ibidem 1614. omnibus conſtet, qua veritate, ac legalitate magnum Ambroſium, Archiepiſcopũ Mediolanenſem, ac Sanctiſsimum Eccleſiæ Doctorem prò ſe adducant.

Primo ergo ſic dicit Bandellus: Ambroſius quoque Mediolanenſis Epiſcopus, atque inter alios Eccleſiaſticos ſcriptores Doctor grauiſsimus, Beatam Virginem aliquándo fuiſſe ſub peccato conſtanter affirmat, nam in libro ſuper Beati immaculati ſic dicit: *Nemo hominum ſine peccato fuit niſi ſolus Dominus Ieſus, quem non cognoſcentem peccatum ſacrificium fecit pro nobis Pater; venit enim Dominus Ieſus, & in carne quæ peccato in matre fuerat obnoxia, militiam virtutis exercuit: Hæc ille.* Auctoritas verò Ambroſii tom. 2. Octonario 7. ad illa verba: *Et ne auferas ex ore meo verbum veritatis, &c.* column. 920. littera E. poſt medium ſic ſe habet: *Omnes intra retia erant, imò adhuc intra retia ſumus; quia nemo ſine peccato niſi ſolus Ieſus, quem non cognoſcentem peccatum, peccatum pro nobis fecit Pater. Etenim tradidit eum laqueis; tradidit eum retibus mittens, eum non in peccato, in quo erant omnes homines, ſed in ſimilitudine carnis peccati, vt de peccato damnaret peccatum in carne. Peccatum erat caro ſecundùm illud, quin hæreditario erat damnata maledicto. Peccatum erat illecebra, & miniſtra peccati: venit Dominus Ieſus, & in carne peccato obnoxia militiam virtutis exercuit.* Conferendo ergo vnam auctoritatem cum alia, euidenter inuenitur, quod Ambroſii vitiata fuerit. Primo, quia prætermiſerunt illud. *Omnes intra retia erant, imò adhuc intra retia ſumus;* quibus exprimit Ambroſius tempora antiquæ, ac nouæ Legis. Secundo, vbi Ambroſius: *Nemo ſine peccato, niſi ſolus Ieſus.* Ipſi: *Nemo hominum ſine peccato fuit*, addendo illud *hominum*, & verbum illud præteriti temporis *fuit*, vt propoſitionem Ambroſii determinarẽt ſolùm ad præteritos. Tertio, vbi Ambroſius, *peccatum pro nobis fecit Pater.* Ipſi, *ſacrificium fecit pro nobis Pater.* Cauillosè enim ſatis mutarunt nomen, *peccatum*, in, *ſacrificium*. Quarto, prætermiſſa ſunt omnia ſequentia verba, in quibus Ambroſius exprimit ſuam mentem circa peccatum, & rectè: inquit enim: *Peccatum erat caro, & peccatum erat illecebra*; de his enim peccatis loquitur Ambroſius, non de originali. Quinto, vbi Ambroſius: *Et in carne peccato obnoxia*; Bandellus abſque vllo timore appoſuit: *Et in carne quæ peccato in Matre fuerat obnoxia*, addendo ex propriis illud, *In Matre*, vt ſic non hominis, ſed Dei Matrem puriſsimam, quam Ambroſius non comprehendit, ipſe intra retia includeret.

Anonymus ſic adducit auctoritatem: Item Ambroſius ſuper Beati immaculati in via, in verſu: & nè auferas de orè meo verbum veritatis, ſic dicit: *Viderat Eccleſia vel anima iuſti Chriſtum ſalientem, ſicut hinnullum ſuper montes, & eminentem ſuper retia, bene eminens eſt Chriſtus, quia ipſe ſolus eſt, quem retia non inuoluerunt peccatorum; omnes intra retia erant imò adhuc intra retia ſumus, quia nemo ſine peccato niſi ſolus Ieſus, quem non cognoſcentem peccatum ſacrificium pro nobis fecit Pater: venit Dominus Ieſus, & in carne quæ peccato fuerat obnoxia, militiam virtutis exercuit: Hæc ille.* Hæc habet vitia ſequentia, addidit illud: *Chriſtum.* Deindè prætermiſit 42. lineas, in quibus Ambroſius agit de peccatis luxuriæ, concupiſcentiæ, &c. ſub methaphora feneſtrarum, & proſequitur ſic: *Per has feneſtras proſpicit Chriſtus, vt vocet ſponſam eminens ſuper retia, quia ſolus eſt quem retia non inuenerunt peccatorum; omnes intra, &c.* Ex quibus patet, quòd loquitur de peccatis actualibus. Alia quam plura dereliquit Anonymus, ſaluo quod non addidit illud: *In Matre*; ex quo cognoſcitur, quòd illa peſsima adulteratio non proceſsit ab originalibus, ſed ex mente Bandelli.

Secunda auctoritas talis eſt: Item, idem, ſuper Epiſtolam ad Romanos 8. ſuper illud: *Miſit, &c. Miſit*, inquit Apoſtolus, *Deus Filium ſuum in ſimilitudinem carnis peccati, quia cum eadem ſit caro Chriſti ſecundùm ſubſtantiam, ſicut caro noſtra, non tamen ita nata eſt in vtero ſicut caro noſtra; eſt enim ſanctificata, & nata in vtero ſine peccato, & etiam ipſe in illa nunquam peccauit. Ideò enim Virginalis vterus electus eſt ad concipiẽdum Dominum, vt in ſanctitate differret caro Dominica à carne noſtra. Propterea ergo ſimilem dixit, quia de eadem ſubſtantia carnis venit, ſed in eadem qualitate peccati Concepta non fuit. Expiata eſt caro Domini à Spiritu Sancto in Virgine, vt in tali corpore naſceretur, quale fuit corpus Adæ ante peccatum: Hæc ille.* Ambroſii verò verba,

tom.

tom. 3. columna 286. littera E. ſecundùm veritatem ſic ſe habent: *Ob hoc Deus Filium ſuum miſit in ſimilitudinem carnis peccati. Hæc eſt ſimilitudo carnis peccati, quia quamuis eadem caro ſit quæ & noſtra, non tamen ita facta in vtero eſt, & nata, ſicut & caro noſtra; eſt enim ſanctificata in vtero, & nata ſine peccato, & neque ille in ipſa peccauit: ideò enim Virginalis vterus electus eſt ad partum Dominicum, vt in ſanctitate differret caro Domini à carne noſtra. In cauſa enim ſimilis eſt, non in qualitate peccati ſubſtantiæ; propterea ergo ſimilem dixit, quia de eadem ſubſtantia carnis, non eandem habuit Natiuitatem, quia peccato ſubiectum non fuit Corpus Domini: Expiata eſt enim à Spiritu Sancto caro Domini, vt in tali corpore naſceretur, quale fuit Adæ ante peccatum, ſalua tamen ſententia data in Adam*, &c. Perpende ergo adulterationes huius auctoritatis. Primo, omiſerunt illud. *Hæc eſt ſimilitudo carnis peccati.* Secundò, addiderunt alterum: *Caro Chriſti ſecundùm ſubſtantiam.* Tertiò, vbi Ambroſius: *Ita facta*, ipſi *nata*, quæ longè diuerſa ſunt, nam Ambroſius vtrumque dicit, ſcilicèt, quod fuerit *facta*, & *nata* in vtero aliter quàm caro noſtra, Aduerſarii verò tacuerunt illud, *facta*. Quarto, vbi Ambroſius: *Eſt enim ſanctificata in vtero, & nata ſine peccato.* Ipſi aliter: *Eſt enim ſanctificata, & nata in vtero ſine peccato.* Quæ inter ſe valdè differunt, nam aliud eſt ſanctificari in vtero, & naſci ſine peccato, aliud verò, naſci in vtero ſine peccato; propoſitio Ambroſii comprehendit Conceptionem, & Natiuitatem: Aduerſariorum ſolùm Conceptionem; & obiter nota, Lector, quòd Ambroſius etiam vocat carnem Chriſti ſanctificatam, & expiatam in vtero, & tamen non ex eo colligitur, quod caro illa ſanctiſsima infecta fuerit aliqua macula; & hoc dico propter Aduerſarios, nam vbicumque legunt: Virgo Maria fuit ſanctificata in vtero, vel expiata illam pro viribus nituntur maculare, affirmantes, quod non poteſt eſſe ſanctificatio, vel expiatio niſi à peccato; & licèt de expiatione cum aliquo fundamento poterant loqui; de ſanctificatione verò abſolutè errant; quia omne quod ex non ſancto fit ſanctum, dicitur ſanctificatum eſſe, & cuicumque Deus infudit ſuam gratiam, ſiuè ſit, vel non ſit obnoxius peccato, dicitur Sanctus, & ſanctificatus, vt in Angelis, humanitate Chriſti, & Maria, ſed de hoc aliàs. Quinto, addiderunt illud *nunquam.* Sexto, vbi Ambroſius: Ideò Virginalis vterus *electus eſt ad partum.* Ipſi ſic: *Ad concipiendum*, vt ſtabilirent, quòd ſolus Virginalis vterus poterat concipere ſine peccato. Septimo, prætermiſerunt illam clauſulam: *In cauſa enim ſimilis eſt, non in qualitate peccati ſubſtantia.* Octauo, addiderunt verbum illud *venit.* Nono, vbi Ambroſius: *Non eandem habuit Natiuitatem, quia peccato ſubiectum non fuit corpus Domini.* Ipſi ſic: *Sed in eadem qualitate peccati concepta non fuit.* Vide quantum inter ſe differant iſtæ duæ propoſitiones? Decimo, vbi Ambroſius: *Expiata eſt autem ab Spiritu Sancto caro Domini.* Aduerſarii, neſcio qua occulta ſuggeſtione addiderunt illud: *In Virgine*, vt ſic totam Ambroſii ſententiam determinarent ad Virginem Mariam, quia aliàs de ipſa minimè loquebatur. Vndecimo, eadē intētione prætermiſerunt illam vltimam clauſulam: *Salua tamen ſententia data in Adam.* Ecce in ſola vna auctoritate extant vndecim vitia particularia, mutantia ſenſum, nam de aliis non curamus.

Tertia auctoritas ſic adducitur: Item, idem ſuper Lucam, vt etiam recitat Auguſtinus in 1. contra Iulianum: *Solus*, inquit, *per omnia ex natis de fœmina Sanctus in Conceptione fuit Dominus Ieſus, qui terrenæ contagia corruptelæ immaculati partus nouitate non ſenſit, & cœleſti Maieſtate depulit. Hæc ille.* Legitima Ambroſii auctoritas hæc eſt, vt extat in Ambroſio cap. 2. ad illud: *Quia omne maſculum*, &c. tom. 3. columna 30. littera E. & in Auguſtino tom. 7. folio 366. columna 2. littera D. *Non enim virilis coitus, inquit, vuluæ Virginalis ſecreta reſerauit, ſed immaculatum ſemen inuiolabili vtero Spiritus Sanctus infudit. Solus enim per omnia ex natis de fœmina, Sanctus Dominus Ieſus, qui terrenæ contagia corruptelæ immaculati partus nouitate non ſenſerit, & cœleſti Maieſtate depulerit.* Hic ſolùm eſt vna adulteratio, ſed illa inter omnes alias hucuſque patratas excedit ab humero; & ſurſum, nam addiderunt illud: Sanctus *in Conceptione fuit*, quæ verba in Ambroſio non extant, & ſunt totius ſententiæ pondus, & cardo, nam ablata illa vox, *in Conceptione*, reliqua nihil dicunt. Nec in hac parte poſſunt recurrere ad Sanctum Auguſtinum, dicendo quòd prædicta verba ſic relata ſunt in libro illo 1. contra Iulianum; nam in Auguſtino ſunt ſicut in Ambroſio, & in Ambroſio ſicut in Auguſtino, & ſic Aduerſarii vnum, ac alterum vitiarunt.

Quarta auctoritas ſic ſe habet: Item, idem, ſuper Iſaiam, vt allegatur à Beato Auguſtino in 1. contra Iulianum, & in primo de Nuptiis, & Concupiſc. *Omnis*, inquit, *homo mendax, & nemo ſine peccato, niſi vnus ſolus Deus. Seruatum eſt igitur, vt ex viro & muliere, per illā corporum mixtionem nemo conceptus, expers ſit delicti, qui autem expers eſt delicti, expers eſt & huiuſmodi Conceptionis. Hæc ille.* Verba verò Ambroſii, vt adducuntur ab Auguſtino in lib. de Nuptiis, & Concupiſc. cap. 35. tom. 7. fol. 351. columna 1. atque 1. contra Iulianum, eodem Tomo cap. 4. fol. 367. columna 1. quæ

modo in Ambrosio non extant, sic se habent, *Ideò, inquit, & quasi homo per vniuersa tèratus & in similitudine nominũ cuncta sustinuit, sed quia de Spiritu Sancto natus, abstinuit à peccato: Omnis enim homo mẽdax, & nemo sine peccato, nisi vnus Deus: seruatum est igitur, vt ex viro, & muliere, id est, per illam corporum commixtionem, nemo videatur expers delicti esse, qui autem expers est delicti, expers est etiam huiusmodi conceptionis.* Hìc adulterarunt auctoritatem. Primo, addendo illud, *solus*. Secundo, addiderunt vérbum *conceptus*, quibus totam vitiarunt auctoritatem. Tertio, prætermiserũt illud, *videatur*, vt sic propositionem dubitatiuam redderent absolutam, & affirmatiuam. Quarto, adde adulterationem sensus, nam hic expressè loquitur Ambrosius de peccato actuali, non de originali.

Quinta auctoritas adducta est hæc: Item idem, in libro de Arca Noe, vt allegatur ab Augustino in 2. contra Iulianum: *Per vnum*, inquit, *Dominum Iesum salus vẽtura nationibus declaratur, qui solus potuit iustus in Conceptione esse, cum omnis generatio hominũ erraret, nisi natus ex Virgine, generationis obnoxiæ vinculo minimè teneretur: Hæc ille.* At verba Ambrosii, vt ab Augustino referũtur lib. 2. c. 2. fol. 377 col. 1. litt. A. sunt hæc: *Per vnũ Dominũ Iesum salus vẽtura in nationibus declaratur, qui solus potuit iustus esse, cum generatio omnis erraret, nisi natus ex Virgine generationis obnoxiæ priuilegio minimè teneretur.* In hac breui auctoritate simplici intuitu duas, ò Lector! deprehendes adulterationes. Primo, addiderunt verbum *in Conceptione*, quod est semper lapis offensionis ipsis, legentibus verò hanc Ventilationem erit petra scandali. Secundo, abstulerunt verbũ illud *priuilegio*, & loco illius apposuerunt *vinculo*, vt sic abolerent priuilegium in generationibus, quod admittit Ambrosius.

Sexta auctoritas sic adducitur ab Aduersariis: Idem in eodem: *Solus Christus in conspectu Dei iustus apparuit, de quo non iam cum exceptione dictum est: non peccauit in labijs, sed peccatum non fecit; omnes enim sub peccato nascimur, cùm ille qui præ cæteris iustus putabatur, dicat: ecce enim in iniquitatibus conceptus &c. Hæc ille.* Quid de hac auctoritate sentiendum sit, vide in sequenti.

Septima auctoritas sic adducitur: Idem in eodem; sic dicit Augustinus: *Beatus*, inquit, *Ambrosius solùm Christum, in eo quòd natus sit ex Virgine; à vinculis obnoxiæ generationis excepit: cæteris omnibus ex Adã sub peccati obligatione nascentibus. Hæc ille.* Aduersarii non solùm Auctores, sed etiam auctoritates multiplicare auidè cararunt, ita vt ex vna indiuisibili tres distinctas componerent, quod in præsenti patet: nam Augustini verba prælegato lib. 2. cõtra Iulian. tom. 7. fol. 208. c. 2. col. 3. litt. I. sic se habent: *Nec ista quinque argumẽta vestra, ex quibus cũcta cõnectitis, quæ in hac quæstione aduersus Catholicã Fidem multipliciter disputatis singillatim testimonijs sanctorum refutãda suscipiam, sed quantum potuerit eorum percuti, & dejici, etiam cum à me de litteris Catholicorũ Episcoporum singula proferuntur, tãtum percutietur, atque dejcietur, siuè vnum eorũ, siuè duo siuè plura, siuè omnia, sicut valuerit, quod profertur: veluti est illud in libro quẽ de Arca Noe cõscripsit B. Ambrosius. Per vnum, inquit, Dominũ Deum salus ventura nationibus declaratur, qui solus potuit iustus esse, cũ generatio omnis erraret, nisi natus ex Virgine generationis obnoxia priuilegio minimè teneretur. Ecce, inquit, in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea: dicit is, qui iustus præ cæteris putabatur. Quem igitur iam iustum dixerim, nisi horum liberũ vinculorũ, quem naturæ communis vincula non teneant? Omnes, sub peccato ab Adã in omnes regnabat mors, veniat solus iustus in conspectu Dei, de quo iam nõ cum exceptione dicatur; non peccauit in labijs suis; sed peccatum non fecit. Huic dic, si audes, quod diabolũ fecerit hominum cõditorem, qui vtriusque sexus commixtione nascuntur, quãdoquidèm solum Christi, quia sit natus ex Virgine, à vinculis obnoxiæ generationis excepit, omnibus cæteris ex Adam sub peccati obligatione nascentibus; quòd vtique peccatum diabolus seminabit, &c.* Ex hac ergo vna indiuisibili auctoritate, tres supràpositas, scilicèt, quintam, sextã, ac septimam fabricauerunt Aduersarii: adulterationes quintæ iam vidisti, ò Lector! nunc igitur ad vitia sextæ, & septimæ attẽde, nam fere habent tot fictiones, quot verba. Primo, etenim addiderunt ex proprio cerebro totam illã clausulam: *Solus Christus in conspectu Dei iustus apparuit.* Nam Ambrosius solùm dicit: *Veniat solus iustus in conspectu Dei.* Secundo, addiderunt illam: *Omnes enim sub peccato nascimur*: Cuius nec verbum extat in Ambrosio, seu Augustino. Tertio, postposuerunt illud Dauidicum: *Ecce enim in iniquitatibus, &c.* Quarto, & præcipuè quòd in hac septima auctoritate nullum verbũ habet Ambrosius: ab illis enim: *Huic dic. Si audes, &c.* Sũt verba Augustini cõtra Iulianũ ac percõsequens sunt falsò adscripta Ambrosio, & suppositia illa verba: *Beatus*, inquit, *Ambrosius* quia non sunt Augustini, nec sequentia Ambrosii, nec Aduersarii poterant aliam ex ipsis auctoritatem fingere, quia sunt quædam recapitulatio antecedentium facta ab Augustino; & hæc de littera. Quantum ad sensum admisso pro nunc, quòd ibi loquatur Augustinus de peccati originalis cõtractione (nam mens Augustini in illo libro contra Iulianum suo loco ex professo examinabitur)

nos

nos non negamus, quòd omnes ſub peccati obligatione naſcantur; & quòd Virgo Maria ſub eadem obligatione erat, & nata eſſet in vtero, & extra vterum, niſi præuenta fuiſſet: & ſic hæc auctoritas loquitur de obligatione, ac debito tantum.

Octaua auctoritas ſic ſe habet: Item Ambroſius in Libro contra Nouatianos, vt recitat Auguſtinus in 2. contra Iulianum, & in 2. de gratia, & peccato originali: *Omnes*, inquit, *homines ſub peccato naſcimur, & ipſe noſter ortus in vitio eſt, dicente Dauid: Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea: Chriſti autem caro damnauit peccatum, quod naſcendo in ſe non ſenſit, quòd moriendo in alijs crucifixit, vt in carne noſtra eſſet iuſtificatio per gratiam, vbi erat ante colluſio per culpam: Hæc ille.* Verba autem Ambroſii relata ab Auguſtino, vt ſuprà fol. 208. column. 4. & in lib. 2. de peccato originali contra Pelagium, fol. 174. colum. 2. ad finem (& nota Lector, quod hæc auctoritas quinquies adducitur, vt infrà in Auguſtino demonſtrabimus) ſic ſe habent: *Omnes homines ſub peccato naſcimur, quorum ipſe ortus in vitio eſt, ſicut habes lectum, dicente Dauid: ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in delictis peperit me mater mea. Ideò Pauli caro corpus mortis erat, ſicut ipſe ait: quis me liberabit de corpore mortis huius? Chriſti autem caro damnauit peccatum, quod naſcendo non ſenſit, quod moriendo crucifixit, vt in carne eſſet iuſtificatio per gratiam, vbi erat ante colluſio per culpam.* Hæc auctoritas vitiata eſt. Primò, quia Ambroſius: *Quorum ipſe ortus in vitio eſt*, ipſi verò addiderunt: *Et ipſe noſter ortus*, vt ſic magis exprimerent ſuum aſſumptum. Secundò, vbi Sanctus Doctor: *In delictis peperit me mater mea*, ipſi ſatis deuiando à veritate: *In peccatis concepit me mater mea.* Tertiò, prætermiſerunt illa verba: *Ideò Pauli caro corpus mortis erat, &c.* Quartò, cauiloſè addiderunt illud: *In ſe.* Quinto, eodem ſine appoſuerunt illud: *In alys.* Sextò, vbi in textu eſt: *Colluuio*, ipſi ſcripſerunt *colluſio*, quòd etiam potuit prouenire à non recta intentione: pro ſenſu verò nota, Lector, quòd hic loquuntur Sancti de Natiuitate, vt denotant illa verba: *Sub peccato naſcimur*, à qua generali regula exempta fuit Maria. Item nota illud: *Ipſe noſter ortus in vitio eſt*, ſi ibi ortus ſumitur pro Natiuitate, auctoritas nihil probat; quia Mariæ ortus non fuit in vitio, ſi autem ſumitur pro Conceptione, Maria etiam exempta eſt, iuxta illud Iob: non videat ortum ſurgentis Auroræ, &c. de quo alibi.

Nona auctoritas ſic adducitur: Item, idem, in libro de Sacramento Regenerationis, ſiuè de Philoſophia, vt allegatur ab Auguſtino in 2. contra Iulianum: *Omnes*, inquit, *homines ex concupiſcentiæ voluptate concepti priùs ſubeunt contagium delictorum, quàm vitalis aeris huius auram ſpirando percipiant: Hæc ille.* Ex qua immediatè Bandellus deducit hanc conſequentiam: *Beata autem Virgo fuit ex concupiſcentia Concepta: igitur, &c.* Et in primis gratis dicunt Aduerſarii, verba illa deſumpta fuiſſe ex libro de Philoſophia, nam Auguſtinus non exprimit librum in originalibus antiquis, in moderna vero impreſsione 1635: habet ad marginem omnes iſtas citationes; lib. de Pœnitent. cap. 2. lib. de Sacramento Regenerationis, lib. de Paradiſ. cap. 12. & lib. 7. in cap. 12. in Lucam, ex quibus patet quòd hanc deſumpſit Auguſtinus ex pluribus locis, ſed nullibi dicitur de Philoſophia. Verba autem Auguſtini præallegato libro 2. contra Iulianum, cap. 9. fol. 212. column. 4. ſunt hæc: *Dicit Beatus Ambroſius: vnum ſolum hominem mediatorem Dei, & hominum, eo quòd ſit natus ex Virgine, nec ſenſerit naſcendo peccatum, generationis obnoxiæ vinculis non teneri; omnes autem homines ſub peccato naſci, quorum ipſe ortus in vitio eſt, quia concupiſcentiæ voluptate concreti, priùs ſubirent contagia delictorum, quam vitalem de hoc aere ſpiritum ducerent, ipſamque concupiſcentiam tamquam legem peccati in corpore mortis huius, legi mentis vſque adeò repugnare, vt aduerſus eam non ſolùm quicumque boni fideles, ſed Apoſtolica etiã virtutis magnitudo pugnauerit, ad hoc, vt per Chriſti gratiam caro animæ ſubiugata, in concordiam reuocetur; &c.* Hæc Ambroſii auctoritas eſt adulterata ab Aduerſariis in littera, præcipuè in illa clauſula principali, ac prima: *Omnes homines ex concupiſcentiæ voluptate concepti.* Quæ minimè extat in Ambroſio, & ex hoc falſo, & ficto antecedenti, ſuam conſequentiã deduxit Bandellus: *Beata autem Virgo fuit ex concupiſcentia Concepta: igitur.* Suppoſitã tua adulteratione hæc conſequentia legitima videbatur; ſed finxiſti antecedens, & ſic in vtroque peccaſti. Item Ambroſius ibi non loquitur de Conceptione, vel peccato originali, ſed de actualibus naſcentibus ex concupiſcentia, quibus reſiſtere non potuerunt, non ſolùm boni fideles, imò neque Apoſtolici viri, vt ibidem exprimit Ambroſius: ac de lege peccati rupugnante legi mentis. Deindè ſi hæc auctoritas intelligenda eſſet de rigoroſa Conceptione, quomodo verificari poſſent illa verba: omnes homines *ſub peccato naſci, quorum ipſe ortus in vitio eſt*, cum nec Ioannes, nec Ieremias, nec ipſa Virgo Maria nata ſit in peccato, licèt ortus eorũ fuerit in vitio? Et nota, quomodo ſemper ſumitur ortus pro Conceptione; vnde ſi Aduerſarii contenderint quòd ibi, *naſci*, ſumitur pro natiuitate in vtero, in animatio-

ne; tunc *ortus* debet transferri ad conceptionem carnalem, seu generationem parentum, & sic quod *ortus* ille fuerit in vitio, est extra quæstionem: quòd autem loquatur Ambrosius de natiuitate ex vtero, patet ex textu sequenti: *Quam vitalis aeris huius auram spirando percipiant.* Sed quidquid sit de hoc discursu admittendo auctoritatem adhuc, vt est ficta ab Aduersariis, potuit Virgo generari à suis parentibus absque vlla concupiscentia, & sic factum fuisse affirmat S. Brigitta in suis approbatis Reuelationibus, & post illam alii innumerabiles: igitur hæc auctoritas vera, vel ficta nihil probat.

Decima auctoritas sic adducitur: Item, idem in Apologia prophetiæ Dauid, vt allegatur ab Augustino in 1. contra Iulianum: *Antequàm nascimur*, inquit, *maculamur contagio, quia omnes iniquitate concipimur, & in delictis generat vnumquemque mater sua; concipimur enim in peccatis parentum, & in delictis eorum nascimur: Hæc ille.* Verba autem Augustini cap. 3. fol. 203. column. 2. littera E. sic se habent: Rursus idem ipse in Apologia Prophetæ Dauid: *Antequàm nascimur*, inquit, *maculamur contagio, & ante vsuram lucis, originis ipsius excipimus iniuriam, & in iniquitate concipimur. Non expressit, inquit, vtrum parentum an nostris, & in delictis vnumquemque generat mater sua. Nec hic declarauit, vtrum in dilectis suis mater pariat, an iam sint aliqua delicta nascentis. Sed vide nè vtrumque intelligendum sit, nec conceptus exors iniquitatis est, quoniam & parentes non carent lapsu, & si nec vnius diei infans sine peccato, multò magis nec illi materni conceptus, dies sine peccato sunt, concipimur ergo in peccato parentum, & in delictis eorum nascimur, sed & ipse partus habet contagia sua, nec vnum tantummodò habet ipsa natura contagium. Idem ipse in expositione libri Tobiæ, &c.* Hæc est integra auctoritas Augustini, atque verba Ambrosij, vbi non possunt numerari adulterationes factæ, quoad litteram, quia à primo verbo vsque ad vltimum ab Aduersariis, adducta est ficta, & chimerica; sed præcipuè accusari debet eorum inaduertentia; nam prætermiserunt omnia verba essentialia, quibus Ambrosius suam mentem exprimit: nam hic loquitur de parentum delictis, vt clarè exprimunt illa verba: *Nec conceptus exors iniquitatis est, quoniam, & parentes non carent lapsu, concipimur: ergo in peccato parentum, & in delictis eorum nascimur, &c.* Vbi notare, etiam debes, o Lector! quòd in sola hac auctoritate generationem carnalem parentum vocant bis, & ter, Conceptionem; sed sicut hic Ambrosius, & Augustinus, sic omnes antiqui scriptores, vndè in ipsis adhuc istæ propositiones formales: Maria Concepta fuit in peccatis, Anna Concepit Mariam in delictis, Virgo Concepta fuit in iniquitatibus, &c. nihil dicunt, vel probant contra propositam controuersiam, quia loquebantur de ipso actu generationis, quem communiter vocabant Conceptionem, vt hic euidenter constat ex Ambrosio, & Augustino, & ex aliis inf à patebit.

Vndecima auctoritas sic adducitur: Item, in eodem: *Erraui (inquit Dauid) sicut ouis quæ periit: quia nemo sine peccato est: negare hoc sacrilegium est. Solus enim Deus sine peccato est: confiteri hoc Deo impunitatis remedium est: Hæc ille.* Hæc verba nec inueniuntur in Augustino, nec in Apologia Dauid S. Ambrosii, vt insinuare videntur Aduersarii, extant autem in Octonario 22. super Psalmo 118. Tom. 4. in alio tom. 2. cap. 8. column. 1085. littera C. vltimæ impressionis, vbi sic inquit Abrosius: *Erraui (inquit Dauid) sicut ouis quæ periit, dic & tu iniquitates tuas, vt iustificeris, quòd lapsum fateris, in eo tibi cum omnibus cummune consertum est, quia nemo sine peccato, negare hoc sacrilegium est. Solus enim Deus sine peccato est, confiteri hoc Deo, impunitatis remedium est.* Adulterationes huius auctoritatis manifestè patent; nam primo pretermiserunt illam clausulam: *Dic & tu iniquitates tuas, vt iustificeris*, quia ex illa constabat Ambrosium locutum fuisse de peccatis actualibus. Secundò eadem intentione, ac fine tacuerunt alteram: *Quod lapsum fateris*, quia expressiùs ex illa cõstabat locutum fuisse de lapsu adultorum, ac peccatorum confessione. Tertiò, ad marginem huius auctoritatis habent Aduersarii; *nota sacrilegium*, quid autem hac nota voluerint exprimere, ipsi dicant; ego verò existimo, voluisse dicere, esse sacrilegium negare Mariam contraxisse originale peccatum. Sed vnde hoc sacrilegium? sacrilegium est, dicere, Virginem Mariam nullam habuisse maculam? Et introducere. Augustinũ, fingere Apologiam, vitiare Ambrosium hic, & semper, & omnes Sanctos quid est?

Duodecimam auctoritatem adducit Corrector Bandelli in quadam additione, dicens: Additio. Idem in eodem, infra eodem capitulo super illud: ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, sic dicit: *Videtamen, nè illi dicantur, qui ante quàm nasceretur ex Virgine, iam dudum erat, & erat semper, & operabatur in vtero Mariæ constitutus, & ita Sãctus erat, vt sanctificaret Prophetas suos, in quo solo & conceptus Virginalis, & partus sine vllo fuit mortalitatis originis inquinamento. Dignum enim fuit, vt qui non erat habiturus corporea peccatum prolapsionis, nullum sentiret generationis naturale contagium. Meritò ergo Dauid flebiliter*

ter in ſe deplorauit ipſa inquinamenta naturæ, quod prius incipit in homine macula, quã vita. Hæc ille. Et hæc eſt prima auctoritas ab Aduerſariis, quoad litterã fideliter, ac legaliter tranſcripta, non ſolùm in Ambroſio, ſed exiſtimo, quod etiam ſit vnica in toto hoc Ventilabro, cremim omnes aliæ in Adam. ideſt, in aliquo peccauerunt, ſed cùm nulla regula generalis ſit, quæ aliquam non habeat exceceptionem hæc exempta, & priuilegiata fuit a cõmuni, & vniuerſali contagio; dixi quoad litteram, nam quo ad citationem eſt falſa, nam libri antecedenter citati erant Apologia Dauid, & Pſalm. 118 quomodò ergo iſte peritus Corrector dicit: *tem, idem*, id eſt, Ambroſius, *in eodem*, id eſt, libro, *infra eodem capit.* cum Apologia Dauid extat Tom. 1. colum. 501. verba Pſalm. 118. extant, tom. 2. colum. 1085: verba autem huius auctoritatis in Pſalm. 50. eodem tom. colum. 835. littera E. quomodo ergò verificatur illud: *Idem in eodem infra, eodem capitulo*? quoad ſenſum verò cum paruo, immò nullo fundamento fuit adducta; nam hic loquitur Ambroſius de Conceptione Virginis actiua, ſeu Verbi Diuini Incarnatione, affirmatque Sanctus Doctor, in tali Conceptione, ac partu nullum fuiſſe mortalitatis originis inquinamentum, neque naturalis generationis contagium, id eſt, inquinamenta, ſordes, ac immunditiæ, quæ in aliis generationibus, ex viro, & fœmina patratis neceſſariò oriuntur in conceptione corporis; hęc vocat Ambroſius inquinamenta naturæ, quæ maculæ, coitus impuri, libidinis effrenatæ, concupiſcentiæ pruritus, ſeminis pollutio, &c. Priùs incipiunt in homine, quàm ipſa vita; hæc plorabat Dauid, vt ſupra dicebat ipſemet Ambroſius, vide auctoritatem decimam; ſed quid hęc cum Conceptione paſsiua Virginis, & macula originalis peccati, contracta in ipſo vitæ puncto? in Chriſto enim ſolo, & in conceptu, ac partu Virginali fuit illa puritas, quia abſq; virili opere; non verò in aliis.

Decimatertia auctoritas ſic adducitur: Item, idem, in Hexameron: *Sanctus*, inquit, *eſt Dominus Ieſus ſupra omnem creaturam, ſecundùm corporis ſuceptionem, quia ſolus ſine peccato, ſolus ſine vanitate, omnis autem humana creatura vanitati ſubiecta eſt; hæc ille.* Ambroſii verò verba ſic ſe habent lib. 1. Hexame. cap. 4. circa finem, tom. 1. colum. 6. *Quod factum eſt in ipſo, vita erat, quia in ipſo conſtant omnia, & ipſe eſt primogenitus omnis creaturæ, ſiue quia ante omnem creaturam, ſiue quia Sanctus, quia primogeniti Sancti ſunt, vt Primogenitus Iſrael: non quia ante omes, ſed quia ſanctior cæteris. Sanctus autem Dominus ſupra omnem creaturam, etiam ſecũdùm corporis ſuſceptionẽ, quia ſolus ſine peccato, ſolus ſine vanitate. Omnis autẽ creatura ſubiecta vanitati eſt.* In hac auctoritate nota illud, *in Exameron.* quãdo Ambroſius habet ſex libros? Deinde addiderunt verba illa, *Ieſus*, & etiam *humana*, non tamen pro ipſis immutatur ſenſus propoſitionis. Sed abſque fundamento ex verbis illis: *Solus Dominus ſine peccato*, poteſt inferri; ergo Maria contraxit originale; nam ibi loquitur Ambroſius de actuali vanitatis, & ſi in illa vniuerſali: *omnis creatura ſubiecta eſt vanitati*, nõ comprehenditur Virgo, quia nunquam ſubiecta fuit vanitati, quando non verificatur illud: *Solus ſine vanitate*, quarè verificabitur illud: *Solus ſine peccato*?

Decimaquarta auctoritas ſic adducitur: Itẽ, idem, ſuper Lucam, vt allegatur à S. Thoma in 3. ſenten. & in 3. parte: *Spiritus*, inquit, *Sanctus ſuper veniens in Virginem, mentem ipſius ab omni vitiorum ſorde caſtificauit. Hæc ille.* In primis hæc auctoritas quantum ad Doctorem eſt ſuppoſita, & falsò adſcripta Ambroſio, quia in nullo opere S. Ambroſii extat, quid quid ſit de 3. ſent. diſt. 3. nam illa citatio Aduerſariorum de 3. parte falſa eſt, quia ibi nec talis gloſſa extat, nec S. Thomas illam adducit, illa autem citatio de 3. ſent. vera eſt nam diſt. 3. artic. 2. *§. præterea Ambroſius dicit, &c.* Et non ſolùm hic, ſed etiam in epitome Senten. diſt. etiam 3. artic. 2. *§. præterea videtur quod, &c.* In duplici ergo loco adducitur à S. Thoma gloſſa illa ſub nomine S. Ambroſii, ſed in rei veritate non eſt Ambroſii, neque in illo reperitur. Neque illam adducit S. Thomas pro confirmatione ſuæ ſententiæ, ſed contra ipſam, & reſpondit Angelicus Doctor ad illã: ergo ex hac parte ſine vllo fundamento adducitur ab Aduerſariis. Secundò, dicit veritas, quòd hanc eandem auctoritatem adducunt infrà Aduerſarii ſub nomine Bedæ, vt ibi num. 41. auctorit. 5. latè videbimus. Si ergo Bedæ, quomodò Ambroſii? ſed reuerentiæ cauſa credamus Diuo Thomæ, vt ſic magis patefiat falſitas, & eluceſcat veritas. Sanctus ergò Thomas præallegato loco, quæſt. 1. arti. 3. quæſtuncula 2. agens de peccato actuali, non de originali, vt patet ex titulo, qui talis eſt. *Vlterius videtur, quòd per ſanctificationem in vtero immunitatem à peccato conſecuta non ſit*: poſita prædicta Ambroſii verba per modum argumenti, ſic ad illa reſpondit S. Thomas: *Ad 2. dicendum, quòd ſordes vitiorum, à quibus in Conceptione Saluatoris Beata Virgo caſtificata fuit, non fuerunt aliqua peccata venialia, ſed reliquiæ quædam originalis peccati, ſicut recedente habitu adhuc aliquæ diſpoſitiones manent; vel dicendum, quod caſtificatio à ſordibus vitiorum non intelligitur remotio exiſtentium, ſed impedimẽtum futurarum ſordium.* Hæc S. Thomas ex quibus patet intentio Aduerſariorum. Primò, quia quæ S. Thomas adducit per viam argumen-

menti, ipſi proponunt pro concluſione Diui Thomæ. Secundo, quòd loquendo S. Thomas de peccatis actualibus, ipſi reducunt verba illa ad originale. Tertio, quod verba iſta pertinentia apertè, & clarè ad Conceptionem actiuam, ac Verbi Diuini Incarnationem, ipſi accomodant Conceptioni paſsiuæ Virginis. Quarto, quòd ex duplici interpretatione B. Thomæ noluerunt admittere vltimam, & propriſsimam, ſcilicèt illam. *Quòd caſtificatio à ſordibus vitiorum non intelligitur remotio exiſtentium, ſed impedimentum futurorum ſordium*, quia reludabat in gloriam Virginis, & exprimebat præſeruationem à peccatis: & videntes quod præſeruare ab actualibus, parum diſtabat, vel plus erat quàm præſeruare ab originali, timuerunt timore horribili ab illis verbis. Quinto, quia verba quæ ipſimet adducunt infrà ſuo nomine Bedæ, ipſiſsima hic adducũt ſub nomine Ambroſii. Sextò, quia adducendo hanc auctoritatem, euertunt mentem S. Thomæ, ac S. Ambroſii, quia tempore Incarnationis in B. Virgine nec fuit peccatum originale, nec ſordes illius; de peccato originali eſt euidens, quia & ipſi affirmant fuiſſe ab eo ſanctificatam in vtero: ac ſordes, vel inmunditiæ nullæ fuerunt fecundùm fidem Catholicam, nec hoc Aduerſarii affirmare audebunt: ergo vndiquè peccarunt Aduerſarii, adducendo hanc auctoritatem; interpretationem verò illius vide apud Bedam infrà loco citato.

Decimaquinta auctoritas, talis eſt: Item, idẽ in Sermone Purificationis: *Talis*, inquit, *erat omnium à primis ductagenitoribus cauſa mortalium: vt originali peccato tranſeunte per poſteros, nullus pœnam damnationis euaderet, niſi Verbum caro fieri dignaretur. Vt autem repararet omnium vitam, ſuſcepit omnium cauſam, & vim veteris Chirographi, quòd ſolus inter omnes non debuit, pro omnibus ſoluendo euacuauit. Hæc ille.* Hæc eadem adducitur in illo opuſculo Alber. Caſtellani, & incipit ſic: *Talis quippé fuit ipſa omnium à primis, &c.* Et hæc habet aliquas clauſulas, quæ non ſunt in antecedenti v.g. hæc. *Niſi Verbum caro fieret, & peccati cõtagium non haberet*: Et concludit ſic: *Euacuauit; vt ſicut per vnius reatum omnes facti erant peccatores, ſic per vnius innocentiam omnes fierent innocentes.* In omnibus aliis concordant. Ad hanc auctoritatem dico, quòd S. Ambroſius ſcripſit Sermonem de Purificatione S. Mariæ, vt videre eſt in editione Romana facta anno 1585. & Pariſienſi 1632. tom. 5. ad finem, & incipit: *Subtiliter à fidelibus, &c.* Et præallegata verba Aduerſariorum in tali Sermone non extant, nec aliqua ipſis ſimilia, & ſic vt penitùs ficta, & ſuppoſita reiicientur. Deindè legi omnes Sermones ab antiquis Patribus in lucem editos de feſtiuitate Purificationis, & in nullo talia verba reperire potui, ſi ergo hoc nõ ſufficit ad comprobandam falſitatem, oſtendant ſuam auctoritatem.

Decimaſexta auctoritas ſic adducitur: *Idem tenet ſuper Tobiam, & in multis alijs locis, vt dicit Auguſtinus in primo contra Iulianum.* Et nullam auctoritatem adducunt; ſi hoc fecerũt ex intentione, incertum eſt, ſed vt videat Lector, quo fundamento adduxerunt hanc citationem; verba Auguſtini ſic ſe habent. Idem ipſe in expoſitione libri Tobiæ: *Quis iſte peccatiſ generator niſi Diabolus, à quo Eua maculata peccato, obnoxiæ ſucceſsionis vſuris omne genus defeneravit humanum.* Rurſus in eodem: *Diabolus*, inquit, *Euam decepit, vt ſupplãtaret virum, obligaret hæreditatem.* Hæc ſunt quę habet Ambroſius, & adducit Auguſtinus ex libro Tobiæ, & ex quibus Aduerſarii deducunt illam conſequentiam clarã, & expreſſam: ergo Maria contraxit peccatum originale: ſed vide, quã ſine fundamento? & ſimiliter inquire in hac, & aliis auctoritatibus ſupra adductis, in qua ipſarum D. Ambroſius, illud ab Aduerſariis propoſitum, quaſi pro concluſione. *Beatam Virginẽ aliquando fuiſſe ſub originali peccato, conſtanter affirmat?* Vbi eſt hęc cõſtantia conſtat, quòd omnes eius auctoritates ſunt falſificatæ, & adulteratæ, conſtat, quòd nec verbum habet de Cõceptione Virginis paſsiua, vel de eius peccato originali; conſtat, quod non vidiſtis opera Ambroſii, ſed ſolùm adduxiſtis illa, quæ S. Auguſtinus refert in libro contra Iulianum, vbi agit de materia longè aliena à Conceptione Virginis, vt infrà num. 34. Conſtat denique, quòd Ambroſius plura dixit pro Immaculata puritate Virginis Mariæ, de quibus in noſtra Militia Cõceptionis contra malitiam originalis peccati euidenter conſtabit; ergo omnes viæ veſtræ in Ambroſio, inviæ ſunt, & inconſtantes.

ANDRÆAS Ieroſolymitanus Beatus, atque Epiſcopus, in quodam Sermone Natiuitatis B. Virginis. *Sic Bandellus cap. 20. Dezza fol. 31 à tergo Pet. de Vincentia, & Paul. Gryſald. Alph. 2. num. 6.*

VERITAS 16.

HIC Antiquus Eccleſiæ Græcæ Pater, ac piiſsimus Doctor, notiſsimus eſt, qui inter alia opuſcula duas habet Orationes, ſeu Sermones de Natiuitate Virginis Mariæ, quarum prima incipit: *Præſens nobis, &c.* Secunda verò: *Vt palmo, &c.* Quas nouiſsimè R. P. Franciſcus Combefis, Ord. Prædicatorum in ſuo Auctario Bibliothecæ in lucem dedit ann. 1647. tom. 1. fol. 1319. & latiùs cum operibus Amphilochii Iconienſis, &

Me-

Methodii ann. 1644. in fol. extantque etiam in noſtra Bibliotheca Virginali, tom. 2. fol. 784. & ſic conſtat de Auctore, & opere.

Auctoritatem ſic adducunt Aduerſarii: Idem tenet Beatus Andræas Epiſcopus Ieroſolymitanus, qui floruit anno Domini 678. in quodã Sermone Natiuitatis B. Virginis, ſic dicens: *Dei namque filius, vt humanam naturam propitius reformaret, carnem aſſumpſit de Virgine, eam purgans per Spiritum Sanctum à puluere peccati, in quo prius conculcabatur. Hæc ille.* Sed hæc auctoritas penitùs eſt ficta, & falſa, & ab ipſiſmet Aduerſariis fabricata, & ſolùm quaſi ex puluere confícta, nam S. Andræas in vltima Oratione propè finem, ſic dicit: *Cum itaque ſobria, ac caſta Anna graui mœroris angore teneretur; cum primis autem quòd etiam coniux, ob prolis carentiam amarè vexaretur, amborum Deus ſterilitatem ſoluit, &c.* Et poſtquàm plura de Anna, accedit ad Virginem dicens: *Hæc autem poſteà quidèm, at opportunè, ſubque ipſo termino temporum; cum ſcilicèt ipſis propè inſtaret ianuis, qui regiam drachmam quæreret, humano, inquam, generi impreſſam imaginem, vt puluerem; in quo primum illo delituiſſet, deifici Spiritus emundatione detergeret, atque vt indè in ſe ipſe naturam humanam benignè inſtauraret. Quis nam ergo puluis ille, in quo ingenuitas noſtra delituiſſet? Nonnè ex dictis perſpicuum habetis, tametſi non dicamus ipſi, vt plaſtes noſter, illum puluerem, ex quo prius formati fuimus, ac poſtmodum reformati ſcrutans, quod quærebatur inuenerit? quid illud vtique imaginis exemplar, quod vidit paſſionibus obrutum, is, qui per naturam ab omni immunis paſſione agit; ſcrutabatur illum Adami puluerem: porrò puluis ille, in quo inuentum eſt, quod quærebatur, terra quidèm erat noſtro ſimilis corpori, cuius locus Virginalis ſanctiſſima vulua eſt, &c.* Si ex his verbis Aduerſarii ſuam fabricauerunt auctoritatẽ, etiam videbit Lector, quo modo tota eſt ficta; ſi ex alio loco, vel ſermone Natiuitatis ipſam tranſcripſerunt, oſtendant Sermonem, vel auctoritatem, quia in præallegatis talia verba nõ extant; neq; exiſtimo, quod alius ſit ſermo Natiuitatis Andreæ Cretenſis, ſeu Ieroſolymitani in rerum natura; ſuppoſito ergo quod auctoritas eſt ficta, qua intentione, conſcientia, vel adhuc fide, potuerunt Aduerſarii dicere, quòd in Verbi Incarnatione Spiritus Sanctus purgauit Mariam à puluere peccati, à quo prius conculcabatur? ergo Virgo per quatuordecim annos conculcata fuit à peccato? Non tantum, reſperſa, inquinata, vel maculata, à puluere peccati, ſed conculcata? In hac Andreæ auctoritate ſolùm dicitur, quòd Deus formauit hominem ex puluere, & quòd plaſmator ſcrutabatur illum Adami puluerem; ex hoc vnico, & ſolo verbo *puluis*, exiſtente in auctoritate, occaſionem ſumpſerunt Aduerſarii ad dicẽdum, Virginem Mariam conculcatam (nota adinuentum indecentiæ terminum) fuiſſe à peccato vſque ad aduentum Spiritus Sancti: de hac propriſsimè poſſumus dicere Hiſpanicè: *Mireſe de vn poco de poluo que poluareda leuantò la paßion.* Memento igitur, ò auctoritas ficta, & falſa! quòd puluis es, & in puluerẽ reuerteris, & quod peccatum nec illius puluis tetigit Mariam, ſed ſemper ipſa conculcauit peccatum. De ſententia huius antiqui Patris circa immaculatam Conceptionem latiſsimè agimus in Militia Conceptionis contra malitiam originalis peccati, &c.

ANGELVS De Bononia, Epiſcopus Florentinus, Ordinis Prædicatorum in 3. Sent. diſt. 3. *Anonym. Auct. 81. Band. cap. 23. Deza fol. 40. Vincent. & Gryſal. Alpheb. 5.*

VERITAS 17.

SVPPONO Quòd Paulus Gryſaldus bis repetit hunc Auctorem, vt videbimus numero ſequenti; & de præſenti ſic inquit: *Angelus de Bononia in 3. diſt. 3. Non fuiſſe redẽpta.* Nota igitur, ò Lector! amore Dei, hanc inſignem auctoritatem, atq; egregia verba, ad probandum ex illis, Virginẽ Mariam Dei Matrem fuiſſe in originali peccato conceptam. Parua quidèm auctoritas eſt ſolum tribus conſtãs verbis, ſed optimè diſpoſitis? *Non fuiſſe redempta?* ò Doctor egregie, & vbi ſaltem eſt grammatica? Hoc tranſcripſiſti à tuo Bãdello, ſicut omnia alia à te ſcripta in illo celebri libro Deciſionum Fidei catholicæ, & Apoſtolicæ ex ſacrarum Scripturarum, Beatiſſimorum Romanorum Pontificum Dyplomatum, Sacrorũ Conciliorum fontibus, &c. Verba Bandelli ſunt iſta: *Si autem Virgo nõ habuiſſet originale peccatum, non fuißet redempta per Chriſtum.* Cum his compone tua, ſi aliquam inuenis concordantiam in verbis, vel ſententia, & redime ipſam.

De exiſtentia huius Auctoris dubito, an talis, vt Scriptor fuerit in rerum natura: & ratio eſt, quia licèt Seraphinus Razzi, & Placẽtinus fol. 326. Antonius Senenſis fol. 21. Mich. Pius par. 2. col. 168. Leander fol. 139. inter Scriptores nominent hunc, & inter Epiſcopos ad annum 1352. nec non Antonius Bumaldus in Bibliotheca Bononienſi, fol. 17. de hoc Angelo mentionem faciat: omnes iſti ſcripſerunt poſt Bandellum, nullus autem Nomenclator antiquus, nec Michael Pocciantius Nomenclator Florẽtinus de tali Angelo meminerunt: ergo ſignum eſt, quòd Bandellus ipſum finxit quoad opus illud Sententiarum, ſicut alios quàm plures, de qui-

quibus infrà. Et confirmatur, quia hic Angelus secundùm Nomenclatores Dominicanos suprà relatos vixit ad annum 1300. vel 1338. Ioannes Turrecremata suum Catalogum confecit ad annum 1437. pro quo, & exacta relatione facienda coram Patribus Concilii Basiliensis, Patres Dominicani omnes scrutati sunt Bibliothecas, non solùm Italiæ, sed totius Europæ, & tamen Turrecremata ipsum non adducit: ergo signum est, quòd talia opera Angeli Bononiensis non erant. Et quid dicemus de S. Antonino, etiam Archiepiscopo Florentino, qui similiter edidit Cathalogum, & nullam fecit mentionem de tali Dominicano, Scriptore Episcopo Florentino?

Auctoritas à Bandello adducta hoc ipsum comprobat, nam sic se habet: Idem tenet Dominus Angelus de Bononia, Episcopus Florētinus in 3. Sent. dist. 3. sic dicens: *B. Virgo non solùm in primo instanti suæ Conceptionis fuit sub originali peccato, sed etiam secundùm aliquod tempus, licèt illud fuerit brevissimum, vt plures Sancti testantur. Cùm enim Christus sit caput Ecclesiæ, omnibus hominibus conuenit redimi per ipsum. Si autem B. Virgo non habuisset originale peccatum, non fuisset redēpta per Christum, quòd est erroneum. Hæc ille.* Hæc auctoritas absolutè videtur ficta à Bandello, tum, quia in aliis auctoritatibus à se fictis obseruat eundē stylum, imo & ipsa verba; tum, quia nullus Doctor antiquus sic clarè, & expressè loquitur. Tū denique ex illa clausula: *Vt plures Sancti testantur.* Quia cum hoc esset falsum, nullus dicere potuit, nec dixit, nec dicere auderet, nisi vnus Bandellus, qui hoc sæpè repetit in suis fictis auctoritatibus, & in non fictis: saltem similia addidit verba, vt suis locis notabitur. Sed gratis admisso, quod hæc auctoritas esset Angeli de Bononia, opera ipsius nunquam fuerunt typis mandata, & fuit Auctor Ordinis Prædicatorū, & arbor ex fructu suo cognoscitur. Hic denique etiā videtur multiplicatus cum Bartholomæo de Bononia, etiam Ordinis Prædicatorum, de quo infrà num. 35.

ANGELVS Bononia, Ordinis Prædicatorum, in Sermon. Natiuit. B. Virginis. *Ita Paulus Gryfald. Alphab. 5. Auctore 4.*

VERITAS 18.

BONVS Desideriorum vir Gryfaldus tanto quasi innato fragrabat appetitu multiplicandi Auctores pro sua opinione, quòd contra communem suæ scholæ sententiam sub eadem specie Bononiensi individua, multiplicaret Angelos; nam cum Classe, vel Alph. 5. de Ordine Prædicatorum littera A. num. 5. adduxisset cum suo Anonymo, Bandello, ac Vincētia Angelum de Bononia in 3. sent. dist. 3. & illam integrem auctoritatem: *Non fuisse redempta*, sub eodem Alphabeto, & Alphaberi littera, sub genere Fratrum Prædicatorum, & specie Bononiēsi multiplicauit alterum Angelum, sic dicens: *Angelus Bononia in serm. Natiuit. B. Virginis.* Et nihil amplius, quia nullam adducit auctoritatem. Si iste fuit error Typographiæ, transeat, sed nimis difficilè videtur, quia Impressores ad summum reduplicarent Auctorem, & talis reduplicatio subsequeretur, hìc verò antecedit: vel vndè poterant ipsi habere aduertētiam transmutandi illud: *In 3. sent. dist. 3.* ad illud: *in serm. Natiuitis B. Virginis.* Est enim sermo iste quasi locus communis, & proprius, vbi Auctores antiqui agebant de sanctificatione Virginis Mariæ in vtero. Denique de antecedenti adducitur auctoritas talis, qualis; de hoc autem nulla: ergo ex nulla parte potest excusari Gryfaldus ab hac multiplicatione ficta, seu fictione multiplicata: quia licèt de antecedenti Angelo de Bononia Scriptore super Sentētias agant aliqui Nomenclatores Ordinis Prędicatorum; tamen de hoc Angelo Bononiēsi Scriptore Sermonum, nullus ex antiquis, nullus ex modernis, & quod plus est, nullus ex ipsis Patribus Dominicanis mentionem facit. Vnde Auctorē istum extraxit Gryfaldus à Bibliotheca Æola, in qua inuenit, & sunt alii in suo Cathalogo citati, vt Ales, Conturbiensis, Bruchardus Minorita, Apistrin, Synibaldus, Stephanus Canonista, Banchellus, & Septarius, & alii huiusmodi de quibus suis locis. Et quando possent ostendere Angelum istum, qui nulli apparuit hucusque, nec apparebit, erit ex Hyerarchia Prædicatorum, &c.

ANNIBALDVS Cistercienſis, Magister, & Doctor Parisiensis in 3. Sent. dist. 3. *Ita Turrecremata part. 6. cap. 35. fol. 125. Anonym. Auctore 148. Bandell. cap. 22. Deza fol. 37. & Bavelete.*

VERITAS 19.

SVPPONIT Tanquàm certum, quòd vnus solus fuit Annibaldus, vel Hannibaldus in rerum natura S. R. E. Cardinalis, ac Scriptor super libros Sententiarum, de quo exorta fuit controuersia inter Nomenclatores; nam aliqui affirmant, fuisse Ordinis Cisterciēsis, vt Turrecremata, & Anonymus, alii verò faciunt ipsum Dominicanum, vt Petrus de Vincentia, & Gryfaldus, alii denique existimant fuisse Carmelitanum, vt videre est apud Posseuinum fol. 78. & Gesnerum fol. 317. inquit enim: *Hannibaldus Romanus Theo-*

Theologiæ Doctor, quem aliqui Cistercienſem, alij Carmelitam ſcribunt, ſcripſit lecturam Sententiarum, &c. Carolus de Viſch. in ſua Bibliotheca Ciſtercienſi fol. 21. ſed ex Vincentia Bādello, Gabriele Barlete, vt ibidem expreſsè dicitur, & cōcludit ſic. *Hunc eundem eſſe credo, cum illo quem Iacobus Philippus Bergomēſis in ſupp. Chronicon. vocat Hannibaldū, natione Romanum 3. Theologiæ profeſſorem, &c. Licèt ibi nullam faciat mentionem Monachátus.* Ex hac opinionum varietate occaſionem ſumentes Bādellus, Deza, vt ſe à difficultatibus atque expedirent, & vt cōtra Virginis Immaculatam Conceptionem multiplicarent teſtes, in ſuo Cathalogo duplicem adducunt Annibaldum, vnum hic Ciſtercienſem, alterum infra Dominicanum, ſed gratias eis reddamus, ex eo quòd non finxerunt tertium Carmelitanum, poterant enim eodem fundamento, ſed ſi non eſt triplicatus ſub nomine Annibaldi, eſt tamē ſub nomine Sinibaldi, & quādruplicatus ſub nomine Romani, ac denique quinqueplicatus ſub nomine Thomaſini, & ſeptimplicatus ſub nominibus Ioannis Sernigacii Ordinis Prædicatorū, & Ioannis Stringarii, Ordinis S. Auguſtini, de quibus infrà num. 189. & 190. euidenter patebit: & hæc de Auctore.

Auctoritatem huius ſic adducit Turrecremata prælegato cap. 35. vbi agit de Ciſtercienſibus: Item ad idem eſt Magiſter Hannibaldus in 3. Sententiarum diſt. 3. ſic in forma dicens: *Virgo Maria nec ante ſuam Conceptionē, nec in Conceptiōne ante animæ infuſionem ſanctificata fuit, quia proprium ſubiectum ſanctificationis eſt anima, nec in ipſo inſtanti infuſionis animæ, quia ſic non cōtraxiſſet originale peccatum, ſicut nec Chriſtus, & ita omnibus non conueniret redimi per Chriſtum, ſed tantùm creditur ſanctificata poſt animæ infuſionem. Quia cum ſit hoc alijs Sanctis collatum, in ipſa Matre ſapiētiæ maximè hoc decuit transferri. Hæc ille.* Bandellus verò ſic illam adducit, loquendo de Doctoribus Ord. Ciſtercienſis: In primis Dominus Annibaldus Doct. Pariſienſis in 3. Sent. diſt. 3. ſic dicit: *Beata Maria nō fuit ſanctificata ante infuſionē animæ, nec in inſtanti infuſionis, quia tunc originale peccatum cnotraxit (aliter non fuiſſe tredpta) ſed piè creditur quòd citiſſimè poſt infuſionem animæ ſanctificata fuerit.* Nota illud *Dominus*; quia ſic appellat Bandellus Auctores, Epiſcopos, vel Cardinales. Si hæc auctoritas Bandelli conferatur, ò Lector! cū ſupra adducta à Turrecremata, videbis quòd in ſubſtantia eſt vna, licèt in aliquibus accidentibus ſit diuerſa, & quòd vna: & altera ſunt etiā eadem, cum infrà adducenda num. ſequenti pro Annibaldo Dominicano, ſed quid diceres, ò Lector! Si omnes iſtæ multiplicatæ Auctoritates nec eſſent Annibaldi Ciſtercienſis nec Annibaldi Dominicani, eſſeque deſumptas, ex alio tertio Doctore, ſcilicèt ex S. Thoma, & adſcriptas iſtis Doctoribus, ſolùm ad multiplicandam ſuam aream, & maculandam Virginem Mariam? Et quid ſi nec eſſet S. Thomæ, ſed alterius incogniti Auctoris? Vide numerum ſequentem, vt in hac materia percipias, & credas; quod nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit.

ANNIBALDVS Romanus, Ordinis Prædicatorum S. R. E. Cardinalis in 3. Sent. diſt. 3. *Ita Bandell. cap. 23. Deza fol. 39 Pet. de Vincen. & Gryſald. Alph. 5. Aut. 8.*

VERITAS 20.

STATVIT Aliquia certa, & indubitata principia, vt ex ipſis poſtea aliquas deducat irrefragabiles, atque euidentes cōcluſiones. Primum principium eſt, quod in Nomenclatura, ſiuè Bibliotheca Cardinalitia, compilata à Torigio fol. 24. ex Ciacone, & Frizone duo tantùm fuerunt Scriptores Cardinales huius nominis Annibaldi, vel Hannibaldi, vnus dictus Hannibaldus de Ceccano, creatus à Ioanne XXII. qui tantùm ſcripſit victas SS. Petri, & Pauli heroico carmine, & nihil ampliùs, & hic non eſt de quo in præſenti. Alter fuit Elias de Nabunal, ſiuè, de Hannibaldis, creatus à Clemente VI. qui ſcripſit ſuper libros Sententiarum, Apocalypſim, &c. Secundum principium eſt, quod omnes Nomenclatores morderni ex Ordine Prædicatorum inter ſuos Cardinales, ac Scriptores enumerant Annibaldum Annibaldenſem de Molaria, Romanum Cardinalem, creatum ab Vrbano IV. ad annum 1263. & omnes vnanimiter fatentur hunc Annibaldum ſcripſiſſe ſuper quatuor libros Sētentiarum, in quibus ſecutus eſt D. Thomæ, & Petri de Tarantaſia doctrinā, ita vt eorū abreuiator, & cōpilator dici poſsit, ſed neſcio, quomodo hæc cōponenda ſint, quia Annibaldus præceſsit Petrum de Tarantaſia, qui creatus fuit Cardinalis poſteà à Gregorio X. ad annum 1274. quomodo ergo Annibaldus potuit abbreuiare Tarantaſiam? Tertium principium eſt, quod Antonius Senenſis, qui hæc refert fol. 22. Alphonſus Placentinus fol 327. & 444. atque Poſſeuinus fol. 79. omnes ſcripſerunt poſt Vincentium Bandellum, qui huc Annibaldum citat in 3. Senten. diſt. 3. nam nullus antiquus Doctor, vel Nomenclator de tali Annibaldo, Dominicano ſcriptore ſuper Sententias, vel minimam facit mentionem, immo ipſe Turrecremata antiquior omnibus iſtis, & Anonymus qui poſt ipſum ſcripſit, hunc Annibaldum faciunt Ciſtercienſem, non Dominicanum, vt

ſu-

ſupra vidimus num. antecedenti. Et non eſt credibile quod ſi talis Annibaldus Dominicanus, fuiſſet, ſiuè ſcripſiſſet ſuper ſentētias, & haberet auctoritatem adductam à Bandello, quod Turrecremata excluderet illam à ſuo Cathalogo, vel ſaltem aliquis alius Nomenclator antiquus de hoc Annibaldo, & ſuo opere ſuper Sententias mentionem faceret; ſed iam relictis coniecturis accedamus ad Quartum principium, & eſt quòd Angelicus Doctor S. Thomas ſcripſit ſuper quatuor libros Sententiarum librum vnum magnum, ac ingentem, qui incipit: *Ad locum vnde exeunt flumina, &c.* Et eſt in operibus eius tom. 7. & comprehēdit duos integros, tomos: ſcripſit etiam ſuper eoſdem libros Sententiarum tractatum alterum, ſeu breuem, ac ſuccinctam explanationem, quæ incipit: *Trāſite ad me omnes, &.* Quem dicauit, ſeu direxit ad Annibaldum Hannibaldenſem Romanū, Epiſcopum Cardinalem, vt ex ipſo operis titulo conſtat, & videre eſt in Operibus S. Thomæ, tomo 17. adfinem, in eoque tractatulo Angelicus Doctor eſt ſui ipſius, ac Petri de Tarantaſia abbreuiator, compendiator, ſiuè Compilator (ſi hoc credibilè eſt) Quintum principium eſt, quòd Bandellus ſic adducit auctoritatem ſui Annibaldi Cardinalis, Ordinis Prædicatorum: Idem tenet Dominus Annibaldus Romanus, Cardinalis in 3. Sent. diſt. 3. dicens: *B. Virgo fuit concepta in peccato originali, ideò non fuit ſanctificata ante infuſionem animæ, nec inſtāti infuſionis, ſed poſt infuſionē. Hæc ille.* Turrecremata verò pro ſuo Hannibaldo Ciſterciēſi, ſic illam tranſcribit vt numero antecedenti dixi: *Virgo Maria nec antè ſuam Conceptionē, nec in Conceptione, ante animæ infuſionem ſanctificata fuit, quia proprium ſubiectū Sanctitatis eſt anima, nec in ipſo inſtanti infuſionis animæ, quia ſic non contraxiſſet originale peccatum, ſicut nec Chriſtus, & ita omnes non conueniret redimi per Chriſtum, ſed tantum creditur ſanctificata poſt animæ infuſionē, quia cum ſit alijs Sāctis collatum, in ipſa Matre Sapiētiæ maximè hoc decuit tranferri. Hæc ille.* Vltimum principium eſt, quod hæc eadem auctoritas ad litteram nullo mutato verbo, inuenitur in prælegata breui, & compendioſa Expoſitione, ſeu Commentario S. Thomæ ſuper Sententias cuius verba artic. 1. ſunt hæc: *Ad hoc dicendū, quòd B. Virgo nec ante Cōceptionē, nec in cōceptione, ante animæ infuſionē ſanctificata fuit, quia propriū ſubiectum gratiæ ſanctificationis eſt anima, nec in ipſo inſtanti infuſionis animæ, quia ſic nō contraxiſſet originale, ſicut nec Chriſtus, & ideò omnibus non conueniret redimi per Chriſtum, ſed tantùm ſanctificata creditur poſt animæ infuſionē, quia hoc alijs Sanctis eſt collatum, & ideò Matri Sapientiæ decuit hoc conferri, in qua nihil coinquinatum incurrit, vt dicitur Sapient. 7.* Hæc ſunt verba S. Thomæ in illo Compendio Sententiarum, quæ, ſi conferantur cum adducta, & poſita ex Ioanne de Turrecremata pro Annibaldo Ciſterciēſi, ſolùm differunt in duobus verbis parui momenti, nā vbi S. Thomas, *gratiæ ſanctificationis*, ipſe *ſanctitatis*, & vbi Thomas dixit *originale*, præciſè, ipſe admaiorem expreſsionem addidit *peccatum*, alia non variant ſeſum. Tandem fortè cauillosè prætermiſit Turrecremata illa vltima verba D. Thomæ: *In qua nihil cinquinatū incurrit*, vel quia erant in laudem Virginis, vniuerſaliaque, & abſoluta pro ſua omnimoda puritate, vel (& hoc eſt certius) quia reſeruauit hanc clauſulam, vt illam apponeret in Ioanne Sterigatio, Ordinis S. Auguſtini, de quo infrà num. 190. Ex his ergo principiis veris, & conſtantibus, iſta concluſio, ſeu concluſiones infalibiles deducuntur.

Prima, quòd Annibaldus Ciſtercienſis poſitus à Turrecremata, & aliis nu. antecedenti, eſt fictus, & ſuppoſitus: ſi quidē auctoritas adducta pro ipſo, reperitur ad litteram in opere S. Thomæ, dicato Hannibaldo de Hānibaldis Romano Cardinali, &c. Secunda, quòd etiam Annibaldus Cardinalis ex Ordine Prædicatorū hìc adductus, eſt fictus, & chimericus, non quoad perſonam, ſed quoad auctoritatem, nam ipſe non ſcripſit ſuper Sētentias, nec abbreuiauit S. Thomam, nec Petrum de Tarantaſia, nā illud opus abbreuiatum eſt ipſius S. Thomæ, vel Fratris Thomaſini, de quo num. 294. vel Thomæ Anglici, vel alterius Diſcipuli S. Thomæ, vt dicemus infrà nu. 278. & 297. Tertia, quòd Bandellus, & ſui ſequaces, vt illos multiplicarēt Annibaldos, finxerunt auctoritates ſuas addendo, & diminuendo in verbis S. Thomæ, vt ſic eorum fallacia, & cauillationes, manerent occultæ, & ſic iſti duo Annibaldi tanquàm ficti, & fantaſtici, ſeu chimerici iam manent excluſi, & relegati ab hac area. Quarta concluſio, quę infertur ex antecedentibus principiis, eſt, quòd ex hac vna auctoritate S. Thomæ finxerunt alios quinque teſtes contra Immaculatam Virginis Conceptionē, ſcilicèt, Romanum Magiſtrum, Sinebaldum Romanum, Ioannem Sernigatii Dominicanum, & Ioannem Sterigacii Eremitam Auguſtinianum & Thomaſinum, vt infrà ſuis locis euidenter demonſtrabitur. Deinde ventilādo ampliùs propoſitam materiam, ſit: Quinta concluſio, aut tractatus ille Compilatus, & abbreuiatus, &c. eſt S. Thomæ, vel Annibaldi? ſi S. Thomæ, quomodo ex vna S. Thoauctoritate, vel libro, ſolùm quia illum dicauit Angelicus Doctor Hānibaldo Cardinali, ſeptē fícti sūt Auctores diuerſi, nō alio fine, niſi vt macularetur Dei Mater? Si verò liber ille eſt Hānibaldi, vt hìc intēdūt demōſtrare; quomodo hucuſq; ſemper prodiit impreſſus ſub nomine, & & inter opera S. Thomæ? Sexta cōcluſio, opus illud

illud non eſt Hannibaldi, vt de ſe patet, quia eſt illi dicatum, nec etiam S. Thomæ, quod euidenter demonſtro: Primo, nam S. Thomas deceſsit è vita, ante quam compleret tertiam partem ſuæ Summe, vt fatentur omnes Patres Dominicani, & in ipſa 3. part. dicitur, quam poſteà perfecit Albertus de Brixia, vt ex ipſis Aduerſariis diximus num. 7. & latiùs videbimus num. 296. Atque opus illud, ſeu cõpendium Theologiæ habet ferè omnes ſuas reſolutiones ex tertia parte Summe: ergo opus illud fuit elaboratũ poſt mortẽ S. Thomæ. Secundò, quia opus illud eſt quoddam compendiũ doctrinæ S. Thomę, & Petri de Tarantaſia, vt vnanimiter fatẽtur omnes Patres Prædicatores, & ex ipſo cõpendio patet. At quomodo S. Thomas poterat cõpendiare doctrinam ſuam Theologicã, quando nondum illam compleuerat, vel illam Petri de Tarantaſia, ſi hic mortuus fuit poſt S. Thomã? Tertiò, & efficacius; quia Ioannes de Turrecremata in illo ſuo magno libro de Veritate Conceptionis part. 6. cap. 13. adducit omnes auctoritates, quas ipſe, & tota ſua Religio inuenit in doctrina Angelici Doctoris, & illas obtulit Concilio Baſilienſi, inter quas adducit vnam ex compẽdio Theologiæ, quod incipit: *Æterni Patris verbum.* At de hoc compendio, quod incipit: *Trãſite ad me omnes, &c.* Nullam facit mentionẽ, imò auctoritatem illius adſcribit Annibaldo: ergo tempore Turrecrematæ circumferebatur hoc opus ſub nomine Hannibaldi, & nõ S. Thomæ? Ex his deducitur vltima concluſio, quòd opus illud eſt elaboratũ à quodam Patre Dominicano, poſteriore ipſo Angelico Doctore: quis autẽ ille fuerit, ſiuè Ioannes Steringacius, ſiuè quilibet alius, mihi incognitum eſt.

ANONYMVS Antiquus Doctor Pariſienſis in Summa ſua, &c. *Ita Ioannes de Turrecrem. par. 6. cap. 28. in principio, fol. 117. à tergo.*

VERITAS 21.

QVIS, qualiſvè fuerit hic Auctor innominatus adductus ſolũ à Turrecremata, ex ipſius verbis conſtabit. Inquit enim præallegato loco: Item ad idem eſt alius Antiquus Doctor Pariſiẽſis ſequens Magiſtrum Sententiarum, & Hugonem: cuius nomen non exprimitur in libro, qui apud nos eſt, qui in Summa ſua, quæ incipit: Primum principium omniũ ſiuè Deum eſſe ſic oſtendimus, in 3. lib. quæſtionem mouẽs: Vtrum caro Chriſti antequam vniretur Verbo, peccato in B. Virgine fuerit obnoxia, ſic reſpondet: *Dicẽdum, quòd ſic; ſed non in quantũ caro Chriſti, ſed priuſquam vniretur Verbo, ab omni contagione Spiritus Sãcti operatione purgata fuit. Et infrà: Corruptio vitij fuit in carne Virginis, quando Angelus venit ad eam, ſecundum quam peccare poterat; ſed in aduentu Spiritus Sancti gratia caro repleta eſt, & ab hac corruptione purgata, & ita bis ſanctificata fuit, &c.* Hæc Turrecremata ex illo incognito Auctore, cuius nomen nõ exprimebatur in illo libro, ſeu Summa, quæ apud ipſum erat, & incipiebat: *Primũ principiũ omnium, &c.* Sed huius, Auctoris proprium nomen clarè, & expreſsè protulit Anonymus Dominicanus in claſſe de Doctoribus Presbyteris ſæcularibus circa finem, ſic dicens: Idem tenet Magiſter Richardus Radulphi de Hysbernia, Cancellarius Vniuerſitatis Ciromenſis, in Sũma ſua Theologica, quæ ſic incipit: *Principiũ omniũ, &c.* dicens: *Quòd caro Chriſti in B. Virgine fuit obligata peccato originali, ſed antequã vniretur Verbo, fuit ab omni contagione peccati purgata. Hæc ille.* Ex quibus patet, quòd Auctor Summæ, quæ incipit: *Principium omnium.* Fuit Richardus Rodulphus, & ſic Auctor iſte nõ ſolùm eſt duplicatus, ſed etiam triplicatus. Primò, hic poſitus à Turrecremata ſub Anonymo, & incerto Auctore. Secundò, infrà n. 29. ſub nomine Armachani, ſeu Armatarii: Et tertio ſub nomine Richardi Rodulphi de Hysbernia, vt videre eſt num. 271. Et quid eſſet, ſi fortè eſt quadruplicatus cum Alberto Magno? Quis autem fuerit iſte Auctor, qualiſque eius doctrina, latè dicam numeris citatis, & ſolùm hic noto, quòd inter opera impreſſa nouiſsimè Alberti Magni, ordinis Prædicatorum tom. 17. extat quædam Summa Theologiæ, quæ incipit: *Quod autem principiũ vnum ſit omnium, &c.* & tract. 17. fol. 487. agit de peccato originali. Si ergo hæc Sũma Theologiæ eſt illa adducta ab Aduerſariis, iam Auctor iſte non ſolùm erit triplicatus, ſed quadruplicatus, ac auctoritas eius erit ficta, quia non extat illius nec minimum verbum in tali Summa Alberti Magni. Et hæc de Auctore.

Quantum ad litterã auctoritatis dico: quòd in aliquibus verbis conueniunt prima Turrecrematæ cum ſecũda Anonymi, ſed in multis diſcrepant, nam Turrecrematæ non videtur habere caput, neq; pedes, vt conſideranti patebit: ideò Anonymus illam aliter diſpoſuit, addens illam clauſulã, *obligata peccato originali*, atque alteram, *ab omni contagione peccati purgata.* Vndè conſtat, quòd Anonymus Dominicanus vitiauit præcipua, niſi dicamus omnia.

Accedendo verò ad auctoritatis ſenſum: Dico primo, quòd, vt adducitur à Turrecremata, nihil habet contra Immaculatam Conceptionem Deiparæ Mariæ, quia tota agit de Cõceptione, ſeu Verbi Diuini Incarnatione, non autem de paſſiua eiuſdem Virginis, vt intuenti patebit. Secundo dico, quòd ſi auctoritas eſt accipienda vt ſonat, eſt ſuſpecta de errore, & parum conſentanea fidei, ac principiis Theologicis, vt ſunt plura alia iam damnata huius

Auctoris dogmata, de quibus nos aliàs; quia affirmat, quod in aduentu Angeli, & superuetione Spiritus Sancti, tempore Incarnationis caro illa sanctissima Virginis erat obnoxia peccato, habens contagium, vitium, & corruptionē, à quibus omnibus fuit purgata per aduentū Spiritus Sancti. Quæ omnia, sic intellecta sunt plusquam falsa, & à nullo Catholico admittenda. Tertiò, quia illam corruptionem, vitiū, & contagium constituit ille Anonymus Parisiensis in eo, quia tunc peccare poterat Virgo Maria, & ab hac peccādi potētia affirmat, quòd bis purgata, atque sanctificata fuerit Maria: ergo Auctor iste solùm agnouit in Virgine potentiam peccandi, à qua bis fuit præuenta, & preseruata. Eodē ergo modo discurrendo, si in Incarnatione Verbi, seu Coceptione actiua, habuit Maria potentiam peccandi, non tamē peccauit, quia purgata, id est, præuenta fuit ab Spiritu Sancto. Eodem modo, ac paritate in sua Conceptione passiua habuit potentiam peccandi, non tamē peccauit, quia purgata, seu præseruata fuit ab eodem Spiritu Sancto: & hæc auctoritas sic intellecta potiùs est pro nobis, quàm contra nos: alias ostendant Aduersarii ex hac auctoritatis littera, vbi æqualiter, & eodem modo dicitur, quòd Maria fuit bis purgata à vitio, cotagione, & corruptione: primo in sua Conceptione: secūdo in Coceptione Verbi. Quomodo, & quare in secunda Conceptione Verbi fuit purgata à peccato non contracto, in prima vero à peccato, & vitio iam contracto? Quarto, quia hic loquitur Anonymus Parisiensis de vitio, contagione, ac corruptione carnis, quæ interuenit in effusione seminis, & coceptione prolis, de pruritu, libidine, delectatione, sensualitate, concupiscentia, &c. à quibus caro illa Sāctissima Virginis fuit purgata, id est, liberata, præuenta, & præseruata (apud antiquos enim ignotus erat terminus iste præseruationis, vel præuentionis, & loco illorum vtebantur illo liberationis, seu purgationis) in Incarnatione Verbi, quia absq; aliqua sorde, aut vitio, seu carnis corruptione concepit Verbum. At quid hæc cum peccato originali, & macula animæ Mariæ contracta in vtero Annæ? Ergo ex nulla parte hæc auctoritas lædit Immaculatam Conceptionem Mariæ. Ideò Anonymus Dominicanus videns, ac sentiens, quòd auctoritas ista, vt adducebatur à Turrecremata, nihil probabat, adiuerauit ipsam, addens illud, *obligata peccato originali*, vt sic lapis esset offensionis, & scandali omnibus transeuntibus per eam, & illud etiam, *fuit ab omni contagione peccati purgata.*

Sed examinemus, qua veritate, aut fide fuerunt additæ ab Anonymo Dominicano istæ duæ clausulæ? De prima constat, quòd fuerint ficta; & sic in ipsa nullā possumus inuenire veritatē. De secūda nimis suspectus est in fide, qui dicit hanc absolutam propositionē: *Caro Christi in B. Virgine fuit obligata peccato originali.* Ideò Turrecremata, quia doctus, addidit illud, *sed non in quātum caro Christi.* Secunda etiam, *fuit ab omni cōtagione peccati purgata*, non est tuta in fide; nam licèt hęc videantur habere aliquod fundamentum in Magistro Sentētiarum; in isto diuersum efficiunt sensum, quod Scholasticis speculandum relinquimus.

ANONYMVS Cistercienſis, siuè Ioannes, in opere de Laudibus Virginis Mariæ in pluribus locis, præcipuè lib. 17. *Ita Turrecremat. part. 6. cap. 35. fol. 125. Anonym. via 3. ration. 9. Auctore 150. Bandel. cap. 12. Deza fol. 37. Vincent. Gryfald.*

VERITAS 22.

HVNC Auctorem sic adducit Turrecremata, loquendo de Auctoribus Cistercienſis Ordinis. Item, ad idem est eiusdem Ordinis Doctor, qui famosissimum, & copiosissimum de Laudibus B. Virginis opus composuit, rogatus, vt ait in Prologo, à Monachis præfati ordinis, qui in pluribus locis eiusdem libri eandē doctrinam repetit, vndè in lib. 17. comparando B. Virginē Mariam Auroræ, tractans illud Gen. 1. *In principio creauit Deus cœlum, & terram, &c.* dicit sic: *In principio, scilicèt, restaurationis humanæ, creauit Deus (cuius Maria opus est speciale: vnde dicit ei Psalmus: Tu fabricatus es Auroram, id est, Mariam, & ex ea Solem Iustitiæ) cœlū, & terrā, id est, animā, & corpus: sed hæc terra erat inanis, & vacua, ante gratiam sanctificationis, & erant tenebræ super faciem abyssi, quia concepta est in originali; & dixit Deus, quasi prædestinādo: Fiat lux, & facta est lux, quando eā sanctificauit: Et infrà: Aurora est prima claritas diei. Nā ipsa fuit initiū diei gratiæ: quæ scilicèt dies incæpit à sanctificatione eius. Aurora est partim obscura per originale, quoad Natiuitatem in vtero, lucida per Natiuitatē ex vtero cum sanctificatione: Hæc ille.* Bandellus verò, & sui sequaces, Deza, & Vincentia sic adducunt hunc Auctorem. Idem tenet Dominus Ioannes eiusdem ordinis in libro de Laudibus B. Virginis, sic dicens: *B. Virgo fuit ab originali peccato in vtero matris purgata, vt tota mūda nasceretur; præcepit enim tunc Pater Spiritui Sancto illud Prou. 15. (aufer rubiginē) videlicet, originalis peccati (de argento) id est, de Virgine iam Concepta (& egredietur) ex vtero (vas purissimum) id est, ipsa Virgo.* Ex his duabus auctoritatibus facillimè deuenimus in agnitionem huius Auctoris Anonymi, siuè Ioannis Cistercienſis, sed præcipuè ex titulo libri de Laudibus Virginis. Nam hic fuit Richardus à S. Laurentio, Ordinis Cistercienſis, ac Pœnitentiarius Rotomagenſis, qui floruit ad ann. 1230. hic enim edidit

insig-

insigne opus de Laudibus Virginis diuisum in 12. libros, in quo Auctor nomen suum ob humilitatem subticuit, & sic prodiit Anonymus Argentinæ anno 1493. in fol. quem Turrecremata fideliter, ac legaliter adduxit: At Bandellus, & alii falsò, & absquè fundamẽto vocarunt Ioannem, & hoc fecerunt fortè, vt ipsorum vitia, & adulterationes meliùs tegerentur. Posteà verò liber iste de Laudibus Virginis, sub expresso nomine Richardi à S. Laurẽtio prodiit Duaci anno 1625. in 4. Cùm ergo iam habeamus Auctorem illum præmanibus, & ex titulo libri, & auctoritatibus constet, Anonymum illum, siue Ioannem fictam, esse Richardum à S. Laurentio, ordinis Cistercienſis.

Auctoritatem primam optimè, vt dixi, trãscripsit Turrecremata, nullo dempto, vel addito verbo, sed prætermisit prima, & essentialia verba, vt statim videbitur: in secũda aliqua mutauit, nam in originalibus, non libro 17. vt ipse dixit, sed 7. verbo, *Maria Luna*, fol. 466. inquit Richardus: *Partim obscura, partim lucida; obscura per originale, &c.* Addidit enim illud, *de Aurora*, quæ in Richardo non extant: sed hæc parui momenti sunt. Sensus autem illius auctoritatis, ex altera adducta à Bandello clarè constabit: inquit enim Richardus lib. 3. fol. 175. sic: *Antequàm accedamus ad tractandas duodecim prærogatiuas speciales B. Virginis, videndũ est, de dignitatibus, & priuilegijs Virgineæ carnis eius. Et primum notãdum, quòd caro secundùm quosdam dicitur à carendo, quia multiplex gloriosa carentia, seu glorioſus defectus fuit in carne ipsius, caro Mariæ caruit peccato originali in sanctificatione: vndè Psal. 45. Sanctificauit Tabernaculum suum Altissimus, quando eam purgauit ab originali, vt tota munda nasceretur: tunc enim videtur Pater, quasi præcepisse Spiritui Sancto illud Prou. 25. Auferrubiginem de argento, & egredietur vas purissimum. Tunc etiam cœlestis Aurifex, id est, Spiritus Sanctus, qui est omniũ artifex, Sapien. 7. totam rubiginem culpæ originalis abstulit de argẽto Virgineæ carnis, & tunc fuit ipsa caro argentum, igne Sancti Spiritus examinatũ, probatũ terræ, id est, à cõtagijs terrenis, & purgatũ septuplũ, id est, per gratiam septiformem, & hoc totum, vt egrederetur vas corporis Virginei purissimũ ad recipiendas gratias, & virtutes, & cõdigna materia fieret, de qua Deus Pater glorioſum corpus aptaret vnigenito ſuo, &c.* Hæc est integra, & completa, auctoritas Richardi à S. Laurentio, à qua Bandellus more suo amputauit caput, & pedes, & corpus diuisit in frustra: sigillatim verò, ac præcipuè subticuit illam clausulã: *Caro Mariæ caruit peccato originali in sanctificatione.* Deindè vbi Richardus: *Sãctificauit Tabernaculũ suum Altissimus, quando eam purgauit ab originali*; ipse sic: *B. Virgo fuit ab originali peccato in vtero matris purgata.* Quæ longè diuersissima sunt, nam quod Richardus dicit de carne, ipse attribuit Virgini Mariæ; aliud est enim purgari caro Mariæ ab originali, & aliud purgari ipsa Maria à peccato originali; nam primũ est pro nobis; secundum pro ipsis: si enim à carne, quando in vtero matris formabatur, abstulit Spiritus Sanctus rubiginem originalis peccati: ergo quando anima fuit infusa, nullam rubiginem inuenit in carne, à qua maculari posset? Ideò tacuit illam clausulam: *Totam rubiginẽ culpæ originalis abstulit de argẽto virgineæ carnis.* Deindè tota illa artificiosa verborum cõpositio: *(Auferrubiginem) videlicèt originalis peccati (de argẽto) id est, de Virgine iam concepta (& egredietur) ex vtero (vas purissimum) id est, ipsa Virgo.* Tota, inquam, à primo vsque ad vltimum verbum est chimerica, ficta, & à proprio suo desiderio, & cerebro fabricata, solùm vt macularet Dei Matrẽ, nec possunt recurrere ad illud effugium, quòd fortè in alio loco habet Richardus hæc verba; nam solùm semel in toto suo libro rediit ad ipsa verba lib. 4. col. 305. §. *de sanctificatione B. Virginis, dicit Psal. 45. Sãctificauit Tabernaculum suũ Altissimus, &c.* Vbi hæc habet verba: *Tabernaculum, idem quòd ciuitas illa, id est, B. Virgo, in qua Altissimus armauit se armis nostræ mortalitatis, quibus contra diabolũ dimicauit, sicut postulauerat Psal. 34. Apprehẽde arma, & scutũ, &c. Hoc Tabernaculum sanctificauit Altissimus, quãdo eam in vtero matris purgauit ab originali, vt tota munda nasceretur, &c. Sequitur: Adiuuabit eã Deus manè, id est, in principio vitæ suæ, & cum adhuc esset in vtero, diluculò tenebras originalis peccati tollente. Et appellat diluculũ, gratiæ ornatũ in illa, &c. In sanctificatione enim eius omnem rubiginẽ culpæ originalis abstulit cœlestis Aurifaber de argento Virgineæ carnis, & animæ, vt egrederetur vas vtrũque purissimum, ad recipiẽda dona gratiarũ primò, & filium Dei carnem assumpturum secundò. Ideò prædictũ erat Prou. 25. Auferrubiginem de argento, & egredietur vas purissimum. Et sunt verba Patris ad Spiritũ Sanctum, nec solùm tũc allata (fortè ablata) est rubigo culpæ originalis, sed ornatũ est vas illud omni lapide pretioso, id est, omni charismate spirituali: meliùs inuenies titulo de priuilegio carnis Virgineæ.* Ista sunt verba præcipua, quæ habet Richardus circa hãc materiam sanctificationis Mariæ in vtero. Ex quibus patet: Primò, quòd Bandellus, Vincentia, & Deza, absque vlla consideratione omnem vitiarunt auctoritatem, &, vt hoc occultum maneret, finxerunt illud nomen Ioannis Cistercienſis: quis enim sub hoc ficto nomine inuenire posset talem auctoritatem? Secundò, colligitur, quòd Richardus nihil dicit cõtra Immaculatam Virginis Conceptionem; siquidem semper affirmat, quòd à carne virginea

fuerunt ablatæ tenebræ, & rubigines peccati originalis, id est, fomes, concupiscentia, pruritus, & alia relicta in semine ex concubitu, & libidine parentum: illud enim, nasci in vtero, in prima auctoritate adducta à Turrecremata, nō sumit Richardus pro animatione; sed pro formatione, ac dispositione embryonis in vtero materno, sicut & alii antiqui. Si ergo in sententia Richardi illa argentea materia à puncto, & Instanti, quo decisa est in Annæ vtero, ab Spiritu Sancto fuit purgata à tenebris, & rubigine (nota quod nunquam dicit Richardus, quòd fuerit purgata à peccato originali absolutè, sed à tenebris, & rubigine peccati originalis; iudicabat enim Catholicè, ac doctè, quòd in illa materia, & carne non poterat esse originale peccatum, nec nox culpæ; benè tamen rubigo, & tenebræ illius) ergo in infusione animæ nihil erat rubiginis in carne, à qua anima posset maculari. Cùm ergo istæ sint præcipuæ auctoritates Richardi, & vt tales à vobis selectæ ad probandam vestram opinionem, & istæ nihil probant, nec dicunt, pulsatè ad aliam ianuam; nam Richardus videtur dicere: Nescio vos. De hoc Auctore vide infrà, verbo, Scriptura Sacra, auctoritate 13. & 18.

ANSELMVS Cantuariensis Episcopus, ac Sanctus in libro de Conceptu Virginali, cap. 2. 10. 18. 23. 24. & lib. 2. Cur Deus homo cap. 13. 15. 16. 17. 18. & 22. & in suis Meditationibus. Item in Prosologion. *Turrecrem. part. 6. cap. 3. fol. 97. Anonym. Auct. 27. & auctoritate 22. 23. & 26. & 38. & in Officio sanctificationis lect. 9. Bandel. cap. 7. & 17. Dezafol. 12. & 25. Spina part. 6. cap. 2. Caiet. Vincentia, Gryfald. Castellan. Soncinas, Canus, S. Antoninus, Barelete, Iauell. Iust. Micchouien. Arpalleg. &c.*

VERITAS 23.

AVCTOR, & eius opera notissima sunt, vtpotè typis mandata seorsim, & iunctim in diuersis partibus, præcipuè verò per Renatum à Castaneo 1534. reuisa Parisiis 1549. & per Simonem Fōtanum Coloniæ 1560. & 1583. & 1612. cum notis Picardi, ac nouissimè à R. P. Theophilo Raynaudo Lugduni 1630. Prima ergo auctoritas adducta ab Aduersariis talis est: Hæc autem omnia quæ suprà dicta sunt de mente B. Anselmi in libro de Conceptu Virginali esse videntur; vndè cap. 2. sic formaliter dicit: *Sicut si Adam non peccasset, talem naturam, qualem à Deo acceperat, propagasset: ita & post peccatum talem naturam ad posteros transfudit, qualem per peccatum habuit; & ideò nascuntur infantes cum debito satisfaciendi pro primo peccato, quod Adam semper cauere potuit, & cum debito habendi originalem iustitiam quam semper seruare valuit. Hæc ille.* Auctoritas verò Anselmi dicto cap. 2. cuius titulus est: *Qualiter humana natura corrupta est*, fol. 129. post alia sic se habet: *Sicut itaquè si non peccasset, qualis facta est à Deo, talis propagaretur: ita post peccatum qualem se fecit peccando, talis propagatur. Quoniam igitur per se nec satisfacere pro peccato, nec iustitiam derelictam recuperare valet, & corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam: & tunc maximè quando infirmum est, vt in infantia, & in vtero matris, vt nec intelligere iustitiam possit, videtur esse necesse, eam infantibus nasci cum debito satisfaciendi pro primo peccato, quod semper cauere potuit, & cum debito habendi originalem iustitiam, quam semper seruare valuit.* Quantum ad litteram hæc Auctoritas in multis est vitiata. Nam primo addiderūt nomen *Adam*. Secundò, addiderunt illam clausulam, *Talem naturam ad posteros trāsfudit, qualem per peccatū habuit*. Tertiò, prætermiserunt totam illam clausulam, *quoniam igitur, &c.* vsque *possit*. Quarto, vitiarunt illud, *videtur esse necesse eam infantibus nasci*. Quintò, addiderunt illud, *& ideò nascuntur infantes*. Istæ sunt litteræ adulterationes. Quantum ad sensum nihil est in hac auctoritate contra Immaculatam Virginis Conceptionem, nisi velis ipsius maculā extrahere ex illis verbis: *Cum debito satisfaciendi pro primo peccato*: Sed hæc longè alium sensum habēt, quam desiderant Aduersarii, & dato quòd loquerentur iuxta subiectam materiam, agunt de debito cōtrahendi, nō de actuali contractione. Deindè vbi expressè, ac nominatim dicit Anselmus, Virginem contraxisse originale peccatum, quod est vestrum propositum assumptum? Nam hic, debitum lego, Mariam nec video, nec lego, nec est in tota auctoritate.

Secunda auctoritas: Idem in eodem cap. 10. *Dedit enim Deus primo Parenti hanc gratiā, & potestatem, vt sicut quando illum condidit, simul fecit rationalē, & iustum; ita etiam si non peccaret, filij, quos natura operante generaret, simul cū rationalem haberent animā, iusti essent. Quare si Adam non peccasset, omnes homines, qui ab ipso naturali propagatione descenderent, simul cum rationalitate, & iustitiam originalē acciperent, sed quoniā Adam subditus esse diuinæ voluntati noluit; gratiam, quam de se propagandis seruare poterat, perdidit; atque omnes qui ab ipso, operāte natura, quam acceperat, propagantur, eius adstricti debito nascuntur. Hæc ille.* At Anselmi auctoritas, fol. 133. talis est: *Dedit etiā illi Deus gratiā, vt sicut quando illum cōdidit, nulla pugnādi operante natura, aut voluntate creatura, simul fecit eum, & rationalem, & iustū: ita si mul cum rationalē haberet animam, iusti essent, quos generaret operante natura, & volente*

si non peccaret. Eadē quippè ratione qua monstratur rationalem naturam iustam esse creatam, quod in præfato feci opusculo, probatur etiam quod qui ex humana natura propagarentur, non præcedente peccato, ex necessitate iustitiam pariter haberent cum rationalitate. Siquidem qui creauit primum hominem sine parentum generatione, creat etiam omnes, qui per creatam fiunt ab illo propagandi naturam. Omnis igitur homo si peccatum non præcessisset, simul esset, sicut Adam, & iustus, & rationalis. Quoniam verò Adam subditus noluit esse Dei voluntati, ipsa natura propagandi, quamuis remaneret, non fuit subdita eius voluntati, sicut esset si non peccasset, & gratiam, quam desè propagandi seruare poterat, perdidit: atque omnes qui operante natura, quam acceperat, propagantur, eius adstricti debito nascuntur. Ventilata hac Anselmi auctoritate inuenio. Primo, quòd addiderunt illud: *Primo parenti.* Secundo, omiserunt illud: *Nulla propagādi operante nātura, aut voluntate creaturæ.* Tertiò, addiderunt illud: *potestatē.* Quartò, transmutarunt totam sequētem clausulam. Quintò, prætermissæ fuerunt ab illo verbo: *Eadem quippè, &c.* ferè nouem lineæ. Sextò, vbi Anselmus: *Omnis igitur homo si peccatum n n præcessisset, simul esset sicut Adam, & iustus, & rationalis.* Ipsi sic: *Quare si Adam non peccasset, omnes homines, qui ab ipso nascuntur, propagatione descenderent simul cum rationalitate, & iustitiam originalem acciperent.* Septimò, prætermiserūt verba illa Anselmi: *Ipsa natura propagandi, quamuis remaneret, non fuit subdita eius voluntati, sicut esset si non peccasset.* Octauò, vbi Anselmus: *propagandi.* Ipsi: *propagandis.* Hæc notanda veniunt circa textum; circa sensum, nihil, nam in tota auctoritate, nec minimum quidem verbum est in particulari contra Virginis Conceptionem, nec in communi, nisi illud: *Eius adstricti debito nascuntur.* Sed hic ad summum loquitur de debito, & de obligatione, non de actuali contractione, & de Natiuitate, in qua fuit priuilegiata Maria in omnium sententia; si enim hæc vniuersalis; omnis propagatus secundùm naturam nascitur cum debito, vel peccato, habuit exceptionē in Virgine, per vos: ergo Anselmi verba non sunt contra nos: sed fortè dicetis, vt dicitis, quòd ibi *nascitur* sumitur pro Natiuitate in vtero: ergo vt maculetis Virginem, transfertis proprium significatum ad improprium? Si hoc est quærere honorem Virginis, alius iudicet.

Tertia auctoritas sic adducitur: Item, idem infrà, & ad marginem habet cap. 12. *Quomodò*, inquit, *Filius Virginis non subiaceat peccato, aut debito Adæ, non est difficile intelligere, siquidem Adam factus est iustus, & liber à peccato, & à debito, & à pœna peccati, potens semper cum felicitate seruare acceptam iustitiam; sed quoniā hæc bona, quæ sine omni difficultate sibi semper seruare poterat, non seruauit; ea sibi ipse abstulit, & horum se contrarijs subiecit: factusque est seruus peccati; siuè iniustitiæ, & debiti, quod reddere nequiuit: & ideò omnibus, qui ab ipso naturaliter propagandi erant, quibus, & prædicta bona seruare poterat, iustitiam originalem amisit, & mala prædicta intulit. Ad illam autem personam (quamuis de se propagatā) prædicta mala transmittere non potuit; in cuius generatione, nec natura illi data est propagandi; nec eius voluntas quidquam operata fuit. Quamobrem concludere possumus, quia nulla ratio, nulla veritas, nullus intellectus permittit ad hominem ex sola Virgine conceptum, quamuis de massa peccatrice sit assumptus, aliquid de peccato massæ peccatricis debuisse accedere, etiam si non esset Deus,* Anselmus autem sic incipit illud cap. 12. fol. 134. *Quomodò autem Filius Virginis non subiacet peccato, aut debito Adæ, sic quoque difficile non est intelligere; siquidem Adam factus est & iustus, & liber à peccato & debito sæpè facto, & à pœna peccati; & Beatus & potens seruare semper acceptam iustitiam, & per iustitiam, eam, quam dixi, libertatem, & beatitudinem. Quoniam ergo cum hæc bona, sine omni difficultate posset seruare, sibi, non seruauit, ea sibi ipse abstulit: & horum se contrarijs subiecit; factus est itaque seruus peccati, siuè iniustitiæ, & debiti, quod reddere nequit, & miseriæ: de quo est impotentia bona perdita reparandi.* Et post sex lineas prosequitur Anselmus: *Nulli ergo personæ quāuis de eo propagatæ trāsmittere mala prædicta potuit, in cuius generatione, nec natura illi data est propagandi, nec voluntas eius quidquā operata est, aut operari valuit.* Et cap. sequenti, scilicèt 13. sic iterum Anselmus: *Quarè Adæ mala prædicta, nulla ratione, aut rectitudine ad hominē conceptum de Virgine transeunt.* Et cap. 15. ad finem, sic concludit: *Quamobrem nulla ratione vera, aut verisimile contradicente, si considerentur quæ supradicta sunt, iam liberè possumus concludere: quia nulla ratio, nulla veritas, nullus intellectus permittit ad hominem de Virgine Conceptum, de peccato massæ peccatricis, quamuis de illa sit assumptus, aliquid potuisse, aut debuisse accedere, etiam si non esset Deus.* Ex omnibus prælegatis locis Aduersarii suam vnam, atque continuam auctoritatem composuerunt, & hoc est loquēdo de partibus simul sumptis, nā coaptare verba, & singula singulis regulare, esset processus in infinitum: sat sit nobis, quòd nihil est in ea cōtra Immaculatam Virginis Conceptionem.

Quarta auctoritas sic adducitur: Idem cap. 23. *Quamuis*, inquit, *constet omnes homines in Adam fuisse, quando peccauit, solus tamen Filius Virginis valdè diuerso modo ab alijs in illo fuit; omnes quippè alij in illo fuerunt,*

vt per naturam propagandi quæ potestati, & voluntati eius subiecta erat, de illo essent, solus autem ille, nec sic in eo fuit, vt per naturam, quæ potestati, & voluntati eius subiecta erat, de illo fieret. Nam & si vsque ad Virginem Matrem in parentibus, & voluntas seminauerit, & natura germinauerit, vt ipsa naturali cursu ad suum esse ab Adam produceretur, sicut omnes alij; in illa tamen, nec voluntas creaturæ prolem seminauit, nec natura germinauit, sed Spiritus Sanctus, & virtus Altissimi de illa virum mirabiliter propagauit. Quoniam igitur de Spiritu Sancto ex Virgine Conceptus est, non incongruè pro originali iniustitia, quam omnes filij Adæ habent à sua origine, iustitiam originalem habuisse ipse Virginis Filius dicendus est. Quoniam itaque Adam in tantæ gratiæ celsitudine positus, bona quæ sibi, & alijs, qui per naturam ab ipso propagandi erant seruanda, acceperat sponte deseruit; idcircò filij perdiderunt, quia pater cum prædicta bona seruando, illis dare poterat, ea non seruando abstulit. Si enim Adam nequisset ad eos, quos naturaliter generaturus, erat iustitiam suam producere, nequaquam posset in eis suam iustitiam transmittere. In hoc enim sunt omnes naturaliter iniusti, quia nullam habet quam omnis homo debet habere iustitiam. Propter hoc enim Apostolus, omnes filios Adæ excepto Virginis filio peccatores, & filios iræ in scriptis suis esse pronuntiat: Hæc ille. Sex orationes integras à puncto, vsque ad punctum habet hæc proposita ab Aduersariis, vna atque indiuisibilis auctoritas; sed ex septem locis inter se distinctis fuit composita. Fortè, ò Lector! tibi videbitur paradoxa, quod vna auctoritas habens sex orationes, desumpta fuerit ex septem locis diuersis; sed si non credis mihi, saltem crede demonstrationi; primam ergo orationem non ex cap. 23. vt ipsi dicunt, sed ex capit. 22. desumpserunt, vbi Anselmus inquirens, cur, & quomodo peccatum descendat in infantes, sic dicit: Non est falsum, vel vanum, sed verum, & solidum esse fuit, quo fuerunt omnes alijs homines in Adam. Nec fecit Deus inane aliquid cum eos in illo fecit esse. Sed sicut dictum est, in illo fuerunt non alij ab illo; & ideò longe aliter quam sunt in seipsis. Verum quamuis contestet eos in illo omnes fuisse, solus tamen Filius Virginis, valde diuerso modo ab alijs in illo fuit. Omnes quippè alij sic fuerunt in illo, vt per naturam propagandi, quæ potestati, & voluntati eius subdita erat, de illo essent: solus verò iste non sic in eo fuit, vt per naturam, aut voluntatem eius de illo fiere. Et post vndecim lineas prosequitur Anselmus pro secunda oratione sic: Nam & si vsque ad Virginem Matrem, in parentibus, & voluntas seminauit, & natura germinauit, vt ipsa Virgo partim naturali, partim voluntario cursu ad suum esse ab Adam producerent, sicut omnes alij: in illa tamen nec voluntas creaturæ prolem seminauit, nec natura germinauit, sed Spiritus Sanctus, & virtus Altissimi de Virgine muliere virum mirabiliter procreauit. Tertia verò oratio desumpta est retrocedendo ex cap. 20. vbi Anselmus: Quamobrem quoniam de iusto Patre secundum diuinam, & de iusta Matre secundum humanam naturam, iustus ab ipsa origine, vt ita dictum est, natus est, non incongrue pro originali iustitia, quam omnes filij Adæ habent à sua origine, iustitiam originalem habere dicendus est. Quartæ orationis partem retrocedendo ex cap. 10. vbi Anselmus inquit, circa finem: Quoniam verò Adam subditus noluit esse Dei voluntati ipsa natura propagandi quamuis remaneret, non fuit subdita eius voluntati, sicut esset, si non peccasset; & gratiam quam de se propagandi seruare poterat, perdidit; atque omnes qui operante natura quam acceperat, propagantur eius districti, debito nascuntur. Quamobrem quoniam humana natura (quæ sic erat in Adam tota, vt nihil de illa extra illum esset) peccando sine omni necessitate, Deum exhonorauit, vndè, & per se satisfacere non potuit, gratiam, quam acceptam propagandi de se semper potuit seruare, perdidit. Aliam verò partem ex cap. 12. etiam ad finem, vbi Anselmus: Nulli ergo personæ, quamuis de eo propagatæ, transmittere mala prædicta potuit, in cuius generatione, nec natura illi data est propagãdi, nec volũtas eius quidquam operata est. Quintam verò orationem desumpserunt per saltum à cap. 12. ad cap. 23. in principio, vbi Anselmus sic: Parentum verò proximorum peccata, ad originale peccatum nõ æstimo pertinere, quippè si Adam nequiuisset ad eos, quos generaturus erat, iustitiam suam producere, nequaquam posset eis suam iustitiã transmittere. Sextam orationem desumpserunt retrocedendo ad cap. 22. circa medium, licet logè aliter sit in Anselmo: inquit enim: Cùm enim dicit Apostolus; quia mors regnauit ab Adam, vsque ad Moysem, etiam in eos, qui non peccauerunt, in similitudinem præuaricationis Adæ, apertè videtur significare; quòd non illis personaliter imputetur ipsa Adæ præuaricatio, aut aliud tàm magnum, quamuis omnes filios Adæ excepto Virginis Filio, peccatores, & filios iræ in scripturis pronuntiet. Ex omnibus assignatis locis desumpta fuit propolita ab Aduersariis auctoritas, quã si attentè inspicias, & consideres, falsam in toto reperies, vitiatã in partibus, & adulteratam in omnibus verbis, vt non dicã etiam litteris, à cuius Ventilatione supersedeo, quousque ostendant, ex qua clausula colligunt, Virginem Mariam contraxisse peccatum originale, quia ego illam no inuenio, nisi fortè dicant,

cant, quòd ex hac vltima, quam iterum reduplicant infrà Auctor 10.

Quinta auctoritas sic adducitur. Item, idem in 2. libro Cur Deus homo: *Quoniam*, inquit, *tota humana natura erat in primis parentibus, tota in illis vitiata est, vt peccaret, excepto illo solo homine, quem Deus, sine virili semine, sicut sciuit de Virgine facere sic sciuit eum à peccato Adæ secernere. Hæc ille.* Præsens auctoritas ficta est in toto, & falsa in partibus, quia nec ipsa, nec alia ipsi similis, inuenitur in illo 2. libro; cur Deus homo nec in primo, immò existimo, talia verba non extare in operibus Anselmi, videns enim quod citabant librum, & non caput statim iudicaui esse fictam. Et est qui emittat verbum certum enarrans veritatem.

Sexta auctoritas sic adducitur: vnde Anselmus in libro prædicto de Conceptu Virginali, cap. 24. *Dico*, inquit, *originale peccatum in omnibus infantibus naturaliter, conceptis, mox vt habent animam rationalem, esse æquale, sicut & peccatum Adæ, quòd est causa. Vt nascantur in illo, ad omnes æqualiter pertinet. Hoc autem peccatum quòd originale dico, nihil aliud dico, nisi in ipsis infantibus iustitiæ debitæ nuditatem, quàm supra posui, factam per inobedictiam Adæ per quàm omnes sunt natura filij iræ. Hæc ille.* Et dat Anselmus hoc pulchrum exemplum infrà cap. 28. *Si*, inquit, *aliquis vir, & vxor eius ad quandam magnam dignitatem, &c.* Et adducit Bandellus latissimum exemplum de Imperatore damnante filios ob aliquod magnum crimen. Anselmus verò præallegato cap. 24. solum habet hæc verba: *Ita igitur sine repugnantia originale peccatum est idem in omnibus, & filius non portabit iniquitatem patris, &c.* Et nullum aliud verbum habet ex supra allegatis ab Aduersariis, ad finem vero capitis 23. hæc dicit: *Sed dico, peccatum originale in omnibus infantibus conceptis naturaliter æquale esse, sicut peccatum Adæ, quòd est causa cur in illo ad omnes pertinet æqualiter.* Ecce quomodo quãuishinc indè repetietur auctoritas, non poterit resarciri in gentis adulterationis scissura, nã nõ inuenitur illud: *Mox vt habent animam rationalem*, nec tota illa vltima clausula: *Hoc autem peccatum, &c.* Et sic pro falsa, & ficta debet reputari, sicut est, secundùm se tota exceptis sex verbis. Item exemplum adductum à Bandello ex capit. 28. totum est fictum, & falsum, quia S. Anselmus in illo cap. 28. quod incipit: *Dixi impotentiam habendi iustitiam &c.* Nec vnum saltem verbum habet ex adductis à Bandello. Videns omnes illas fictiones Corrector Bandelli, scilicèt, quòd nec cap. 24. nec in cap. 28. erant verba adducta à suo Rss. P. Generali Bandello, citauit ad marginem liud cap. videlicèt 27. sed si in aliis non sunt verba, in hoc quod incipit: *Sunt quorum animus, &c.* Nec apex, nec iota inuenitur, & sic totum est falsitas falsitatum, &c. Cum autem ista eadem auctoritas aliquibus mutatis verbis iterum adducatur infrà auctor. 21. vide ibi.

Septima adducitur sic, vndè Anselmus in prædicto libro de conceptu Virginali cap. 23. *Puto nullatenus posse, asserit, originale peccatum esse in infantibus, antequàm habeant animam rationalem, sicut nec in Adam fuisse iustitiam, antequàm esset homo rationalis. Nam si Adam, & Eua generassent sine præcedente peccato, non tamen esset in semine iustitia, nec esse posset priusquam formaretur in viuentem hominem. Si igitur semen hominis nõ est susceptile iustitiæ priusquam fiat homo, similiter nec originale peccatum suscipere poterit, antequàm sit in eo anima rationalis. Sicut enim iustitia non potest esse nisi in rationali natura, ita non est vlla natura debitrix iustitiæ, nisi vbi esse debet iustitia, originale verò peccatum iniustitia est; igitur non erit nisi in natura rationali. Hæc ille.* Hæc auctoritas non extat cap. 23. vt dicunt Aduersarii, sed cap. 3. cuius prima pars, quæ parui momenti est, optimè est transcripta; secunda verò sic extat in Anselmo: *Si ergo semen hominis non est susceptibile iustitiæ, priusquàm fiat homo. Nempè originale peccatum esse iniustitam dubitari non debet. Nã si omne peccatum est in iustitia, & originale peccatum, vtique est in iustitia, &c.* Reliqua huius auctoritatis verba infrà dabimus auctorit. 9. Pro nunc verò sufficiat notare, quod vltima auctoritatis clausula à primo vsque ad vltimum verbum est vitiata, nam post triginta lineas iterum, ait Anselmus: *Quare quoniam iustitia non potest esse, nisi vbi iustitia debet esse, originale peccatum, quòd est in iustitia, non est nisi in natura rationali, rationalis autem natura, non est nisi Deus, & Angelus, & anima hominis, &c.* In hac auctoritate, nec in toto capite nihil habet contra Immaculatam Conceptionem, nam in eo solùm probat Anselmus, peccatum originale non esse in semine, sed in ipsa natura rationali, seu corpore informato anima, sed de hoc in auctoritate sequenti.

Octaua auctoritas. Item, cap. 7. *Nam & sic ex vitiosa cõcupiscentia generatur infans, nõ tamen magis est in semine, culpa, quàm vel sputo, vel in sanguine. Hæc ille.* Anselmi verò auctoritas sic se habet: *Nam & si ex vitiosa concupiscentia semine generetur infans, non tamen magis est in semine culpa, quàm est in sputo, vel in sanguine, si quis mala voluntate expuit, aut de sanguine suo aliquid emittit, non enim sputum, aut sanguis, sed mala volũtas arguitur. Patet igitur, quomodo & infantibus non statim ab ipsa Conceptione sit peccatum. Et vera sunt quæ de diuina Scriptura opposui, quippè non est in illis peccatum, quia non habent (sine qua non est peccatum) voluntatem: & tamen dicitur in-*

esse

eſſe, quoniam in ſemine trahunt peccandi (cùm homines iam erunt) neceſsitatem. Si ergo hæc, vt puto, vera ſunt, quod aſſumitur de parente ad prolem: quia nullam habent voluntatem, nullum eſt in eo pecatum. Hæc auctoritas in aliquibus, parui tamen momenti eſt vitiata quoad litteram, nam prætermiſerunt illud; *Semine*, & verbum *eſt*, vbi enim iudicabant auctoritatem eſſe pro ipſis apertè, & clarè, nihil in ea alterabant. Quoad ſenſum verò eſt valde adulterata, nam Anſelmus probat, quod quamuis in ſemine non ſit culpa, ſicut non eſt in ſputo, ſed in mala voluntate ſpuentis, tamen in ipſo ſemine contrahitur neceſsitas contrahendi originale, quia in ipſo eſt fomes, ſiuè concupiſcentia ſeminātis, & ſic infans ſeminatus, ante quàm animetur iam habet à concupiſcentia parentum, neceſsitatem, ſeu obligationem contrahendi originale. Vt igitur hanc euidentem, ac perſpicuam doctrinam in littera Anſelmi contentā Aduerſarii obſcurarent, ſeptimam auctoritatē ſuprà poſitam, & hanc octauam, truncatas, atq; diminutas adduxerunt. Deinde prætermiſerūt illam clauſulam: *Patet igitur quomodo & infantibus non ſtatim ab ipſa Conceptione ſit peccatum*: Quia ex illa pluſquam euidenter conſtabat, quòd antiqui vocabant generationem primam, ſeu formationem carnis in vtero, Conceptionem, & ex hac communiſsima, atque receptiſsima apud omnes illos priſcos Doctores vocis, Conceptionis, ſignificatione, ſeu acceptione, dixerunt de prolis Conceptione aliqua, quę nunc terrerent aures (quādo Conceptio ſumitur pro ipſa fomali animatione) vt etiam eſt hoc Anſelmi: *Infantes nō ſtatim poſt Conceptionem habent peccatum*, vbi ſumit infantem pro Embryone, & Conceptionē pro toto ſpatio illo temporis currente à copula carnali, vſque ad animationem; ex hac etiam acceptione ortum habet quod paſsim dicunt: ſolùs Chriſtus in Conceptione ſua non habuit peccatū; nullus in Cōceptione liber fuit à peccato, quòd in ſua acceptione, Cōceptionis veriſsima ſunt. Tollamus ergo, ò Patres, de medio hanc æquiuocationem, inter Doctores antiquos, & modernos; & in pace erunt omnia.

Nona auctoritas ſic ſe habet: Item, idem de Conceptu Viginali, cap. 3. *Solùs Filius Virginis ſine peccato natus eſt in vtero Matris*: Anſelmi vera auctoritas talis eſt: *Si verò dicitur originale peccatum non eſſe abſolutè dicendum peccatum, ſed cum additamento, originale peccatum, ſicut pictus homo non verè homo eſt, ſed verè eſt homo pictus, profectò ſequitur: quia infans quòd nullum habet peccatum, niſi originale, mundus eſt à peccato: nec fuit ſolùs inter homines Filius Virginis in vtero Matris, & naſcens de Matre, ſine peccato: aut non damnatur infans qui moritur ſine Baptiſmo; nullum habēs peccatum præter originale, aut ſinè peccato damnantur; ſed nihil horum accipimus, &c.* Si ergò conferas vnam auctoritatem cum alia, inuenies maximam propoſitionum diuerſitatē, nam vbi ipſi: *Solùs Filius Virginis ſinè peccato natus eſt in vtero Matris*: Anſelmus ſic: *Nec fuit ſolùs inter homines Filius Virginis in vtero Matris, & naſcens de Matre, ſine peccato.* Et quæ in Anſelmo eſt arguitiua, ipſi faciunt affirmatiuam: & ipſi ſolùm adſtrinxerunt propoſitionem ad Coceptionem in vtero Matris, quādò ipſa expreſsè loquitur de Conceptione, & Natiuitate dicens: *In vtero Matris, & naſcens de Matre.* Et ſi hæc Anſelmi verba habent exceptionem in Natiuitate, cur non & in Cōceptione? vel aſsignate rationem ex textu? vel clariùs: Anſelmus affirmat, quòd ſolus Filius Virginis fuit in vtero Matris, & naſcens de Matre, ſine peccato, non obſtante hac auctoritate vniuerſali: Tota Eccleſia Catholica, & etiā vos vno ore fatemini, quod Virgo Maria, in ſua Natiuitate, ſeu naſcens de Matre fuit ſine peccato: ergò non obſtante auctoritate debet etiam dici, quòd nata eſt in vtero ſine peccato: cum ergo Aduerſarii præuidiſſent hanc euidentem illationem, & inſtantiam ab ipſis inſuperabilem, tacuerunt verba illa: *Et naſcens de Matre.*

Decima auctoritas ſic adducitur. Item, in eodem cap. 22. *Nullus*, inquit, *ab Adam naturaliter naſci poteſt ſine peccato, ad quod ſequitur damnatio, quia omnes filios Adæ, excepto Virginis Filio, peccatores, & filios iræ Apoſtolus in ſuis ſcriptis eſſe pronuntiat.* In primis falſum eſt, quod hæc auctoritas ſit cap. 22. ab ipſis citato, ſed cap. 21. ſunt aliqua verba his ſimilia, videlicèt: *Cum enim dicit Apoſtolus, quia mors regnauit ab Adam vſque ad Moyſen, etiam in in eos qui non peccauerunt, in ſimilitudinem prævaricationis Adæ, apertè videtur ſignificare, quòd non illis perſonaliter imputetur ipſa Adæ prævaricatio, aut aliud tam magnum, quāuis omnes filios Adæ, excepto Virgnis Filio, peccatores, & filios iræ, in ſcriptis ſuis pronuntiat.* Cum ergo auctoritas ab Aduerſariis adducta, non ſit in illo cap. 22. & cap. 21. reperiantur hæc verba, ſine vlla hæſitatione dicendum eſt, ab hoc capite fuiſſe deſumpta, ſed vide, quibus ſcateat, adulterationibus? Nam vbi eſt illud: *Nullus ab Adam naturaliter naſci poteſt ſine peccato?* Vbi eſt etiam illa ſequens clauſula: *Ad quod ſequitur damnatio?* Vbi eſt tertia illa cauſalis: *Quia, &c.* Denique vbi Anſelmus: *Quāuis pronuntiet*, vos tranſtuliſtis in cauſalem: *Quia pronuntiat*: Eſt ergo auctoritas hæc penitus adulterata à primo vſque ad vltimū verbū. Item, eſt duplicata: nam illam adduxerunt ſuprà auctor. 4. in vltima clauſula.

Vndecima auctoritas: Item, in eodem cap. 13. *Licèt*, inquit, *Chriſtus carnem de maſſa pec-*

ca-

catrice assumpserit; nihil tamen de peccato massæ peccatricis accepit. Hæc ille. Et ad hãc auctoritatẽ addit Bandellus: *Et cap.* 16. *dicit idem.* Cõtinuator vero Bandelli, siuè Corrector Deza ad marginem dicit: *Ista auctoritas sumitur ex cap.* 13. 14. *&* 15. Quid sibi velint significare Aduersarii in his verbis, mihi obscuru, & ambiguum est: nam vel volunt dicere, quod hæc eadem auctoritas, vt adducitur ab Aduersariis, ipsissima extat, sicut capite 13. ita & in 14. & similiter in 15. ac tandem in 16. ita vt eadem verba essent in 4. capitibus diuersis Anselmi; vel quod hæc auctoritas, quæ octo habet verba compaginata, atquè composita ab ipsis, fuerit ex quatuor capitibus distinctis; hoc esset ridiculum: sed accipe, ò Lector! verba Aduersariorum, sicut volueris, ipsa sunt falsa, ficta, ac mendaciter adducta, quia capite citato ab ipsis principaliter, scilicèt 13. nec verbum de prælegata auctoritate habet Anselmus; capite verò 14. habet hæc solùm: *Hæc autem nullatenùs refragantur nostræ rationi, quæ semen de Virgine sumptum: asserit esse mundum, quamuis de massa peccatrice.* Capite vero 15. hæc habet: *Iam libere possumus concludere, quia nulla ratio, nulla veritas, nullus intellectus permittit ad hominem de Virgine conceptum de peccato massæ peccatricis, quamuis de illa sit assumptus, aliquid potuisse, vel debuisse accedere, etiam si nõ esset Deus.* Et hæc iam est suprà adducta auctor. 3. Cap. vero 16. nec minimum habet verbum his simile: ergò Aduersarii falsa dixerunt, quia nec secundùm se totam, immo nec secundùm partes, reperitur auctoritas in prælegatis capitibus 13. & 14. & 15. & 16. Sed dices, quòd saltem aliqua verba ex prælegatis reperiuntur in cap. 14. & 15. vt vidimus: fateor; sed penitùs vitiata quoad litteram, & quoad sensum; nam in 14. probat Anselmus, quòd licèt Dominus carnem assumpserit ex massa peccatrice naturæ humanæ, semen autem de Virgine assumptũ fuit mundũ: in 15. verò probat, quòd licèt Christus Dominus non esset, Deus sed purus homo, dum tamen sumeret carnem, vt sumpsit, in vtero Virginali, quãtumcumque illa caro esset de massa peccatrice, ipse nullomodo cõtraheret originale. Sed quid hæc cum originali peccato Mariæ, quando ibi expresse agit de massa pecatrice naturę humanæ? quod etiam constat ex ipso libri principio, cuius initium est: *Ad videndum igitur, qualiter Deus hominẽ assumpsit de generis humani massa peccatrice, sine peccato: primum de originali peccato necesse est inuestigare, &c.* Igitur totus libri scopus est, inuestigare, quomodo de massa humani generis potuerit Deus assumere carnem sine peccato, & vocat massam peccatricem, naturam humanam, non verò Virginem Mariam in particulari, vt Aduersarii volunt.

Duodecima auctoritas adducta ab Aduersariis est hæc: Item idẽ, cap. 16. *Quamuis*, inquit, *Ioannes Baptista, & alij, qui de sterilibus parentibus, & in quibus præ senectute natura generandi iam erat emortua, per miraculum sunt cõcepti, quia tamen per naturalem propagationem datam Adæ sunt seminaliter generati, nequaquam possunt, aut debent Christo in Conceptionis miraculo assimilari, vt ab originalis peccati vinculo absoluti possint ostendi.* Pro hac Anonymus auctoritate 38. citat caput 15. & illam adducit breuiorem. Anselmi verò vera auctoritas cap. 16. talis est: *Quòd si obijciuntur mihi Ioannes Baptista, & alij, qui de sterilibus, & in quibus præsenectute natura generandi iam erat emortua, propagati sunt, & quasi per similem rationẽ putantur debuisse nasci sine peccato, & pœna peccati, quia per miraculum concepti sunt: Valde vtique intelligẽda est ab istis aliena ratio illa: Quæ Virginalem Conceptionem liberam ab omni peccati monstrat necessitate, &c.* Et post nouem lineas prosequitur. *Non ergò in Ioanne, & similibus est aliquid nouum naturæ Adæ, sicut est in Filio Virginis datum: sed quod suis causis infirmatum erat, cognoscitur esse reparatũ. Quarè quoniam illi per propagationem naturalem datam Adæ sunt generati, nequaquam possunt, nec debent ei, de quo agimus, assimilari in Conceptionis miraculo, aut originalis vinculo peccati absoluti possunt ostendi.* Auctoritas ista Anselmi inter omnes alias, quoad litteram, & sensum potissimè est adulterata: Nam primo, initiũ auctoritatis est penitùs variatum. Secundò, multa sunt prætermissa, quæ licèt non omnia sint essentialia, aliqua tamen pertinent directè ad materiam. Tertio, prætermiserunt illud essentialissimum: *Quæ Virginalem Conceptionem liberam abomni peccati monstrat necessitate.* Nam si Virginis Conceptio actiua fuit libera ab omni necessitate peccati; illud, *ab omni*, omnem excludit: nam quòd Mater sit concepta in peccato originali, necessitas est in filio ad contrahendum peccatum, vt sæpè in eodem libro probat Anselmus. Quarto, etiam addiderunt verbum illud, *seminaliter*, quod non est in Anselmo, & à quo pendet tota auctoritatis vis. Quinto, quòd in primis verbis loquitur Anselmus de generatione sterilium, seu de Conceptione prima in vtero: vnde miraculum fuit informatione fœtus, non in animatione; ipsi verò intellexerunt hoc de propria Conceptione, id est, animatione. Sexto, verba Anselmi extenduntur vsque ad Natiuitatem, vt denotant illa verba: *debuisse nasci sine peccato*; & sic artificiosè, prætermissa fuit ab Aduersariis hæc clausula. Septimo, quia hic loquitur Anselmus de vinculo, necessitate, seu debito, non autem de ipso originali peccato formaliter; aliàs multa sunt hìc quæ rectum non possunt habere sensum. Vltimo, non negat Anselmus, quòd non

possit

posſit esse liberatio à peccato originali, sed quòd hæc ostendi ex scriptura, non posſit.

Decimatertia auctoritas sic se habet: Item, idem cap. 18. *Decebat vt illius hominis Conceptio de Matre puriſsima fieret. Nempe decens erat, vt ea puritate niteret, qua maior ſub Deo nequit intelligi. Qualiter autem Virgo eadem per fidem ante Chriſti Conceptionem mundata ſit, dixi, vbi aliam rationem de eo, de quo hìc agitur, reddidit. Hæc ille.* Auctoritas verò apud Anſelmum sic se habet: *Sed quia decebat vt illius hominis conceptio de Matre puriſsima fieret. Nempè decens erat, vt ea puritate, qua maior ſub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret, &c.* Et post octo lineas: *Qualiter autem Virgo per fidem ante ipſam Conceptionem mundata ſit, dixit, vbi aliam rationem de hoc ipſo, vndè agitur hìc, reddidi.* Iam vides quomodo ex diuersis locis desumpta sit hæc auctoritas, in qua etiam aliqua sunt vitiata, licèt parui momenti, atq; similiter adulteratum vnum essentiale verbum, nam vbi Anſelmus: *Ante ipſam Conceptionem mundata ſit*, ipsi sic: *Ante Chriſti Conceptionem mundata ſit.* Nam cùm illa clausula, *Ante ipſam Conceptionem*, esset æquiuoca ad Conceptionem Virginis passiuam, vel actiuam, aduerter ter satis addiderunt illud, *Chriſti*, vt sic denotarent, quòd non fuerit mundata ante eius Conceptionem, sed Chriſti. Deinde inquiro, de qua immunditia mundata fuit Maria ante Cõceptionem Chriſti? vel de immũditia peccati originalis, vel de alia? de alia, absit, quia hoc nec vos dicetis: de peccato originali, minimè, quia de huius immunditia fuit mundata, per vos, in sua sanctificatione in vtero Matris: quo ergo fundamento additum fuit illud, *Chriſti*. Denique dicit Anſelmus: *Quòd per fidem* sanctificata fuit, nota illud, *per fidem*, & dicite nobis, quando Virgo habuit illam fidem? quia si dicitis, quòd tempore Conceptionis Chriſti, iam admittitis aliam immunditiam distinctam ab illa peccati originalis. Quomodocumque ergo sumatur hæc auctoritas vt vitiata est ab Aduersariis, malè sonat, & ex illa nihil possunt probare.

Decimaquarta auctoritas talis est: In libro, Cur Deus homo, lib. 2. cap. 16. *Qualiter de maſſa peccatrice*, ideſt, *de humano genere, quod totum erat infectum peccato, hominem de peccato, quaſi azymum defermento Deus aſſumpſit. Nam licèt ipſa Chriſti Conceptio munda ſit, & abſque carnalis delectationis peccato; Virgo tamen ipſa vndè aſſumptus eſt, in iniquitatibus cõcepta eſt, & in peccatis concepit eam mater eius, & cum originali peccato nata eſt, quoniam & ipſa in Adam peccauit, in quo omnes peccauerunt.* Hæc est prima, ac principalis auctoritas ab Aduersariis adducta pro sua sententia, quam minimè adulterauerunt in essentialibus verbis, quia ipsam claram, & expressam iudicarunt, ac tacuerunt in ipsa principale verbum ad ipsius intelligentiam. Scias ergo, ò Lector! quòd totus liber ille, Cur Deus homo, est dialogus inter Boſon discipulum, & Anſelmum Magistrũ: in illo igitur capitulo incipit Boſon interrogãdo sic: *Quapropter ſicut eorũ, quæ ſuprà dicta ſunt, rationẽ aperuiſti; ſic peto, vt eorũ, quæ sũ adhuc quæſiturus, rationem oſtendas. Primum ſcilicèt, qualiter de maſſa peccatrice, & humano genere, quod totum infectum erat peccato, hominem ſine peccato, quaſi azymũ defermentato, Deus aſſumpſit. Nam licèt ipſa hominis eiuſdem cõceptio ſit munda, & abſque carnalis delectationis peccato; Virgo tamen ipſa, vndè aſſumptus eſt, eſt in iniquitatibus concepta, & in peccatis concepit eam Mater eius, & cum originali peccato nata eſt; quia & ipſa in Adam peccauit, in quo omnes peccauerunt. ANSELMVS: Poſtquàm conſtat hominem illum eſſe Deum, & peccatorum reconciliatorem, dubium non eſt, eum ſine peccato eſſe, &c.* Et latè prosequitur Anſelmus, respondendo ad interrogata Boſonis. Ex quo patet euidenter, quòd illa allegata ab Aduersariis non sunt verba Anſelmi, seu Discipuli interrogantis: quis ergo sanę mentis interrogationem Discipuli dicet esse resolutionem Magistri? Nulla ergo ratione, aut veritate possunt, nec debẽt præallegata verba dici, seu allegari ex S. Anſelmo. Si enim omnia, quæ habet in hoc libro, ex Boſono, dicenda essent Anſelmi, quàm plura sequerentur absurda, quia multa interrogat, quæ correctione indigent.

Decimaquinta auctoritas sic se habet: Item in eodem: *Virgo*, inquit, *illa, de qua homo ille aſſumptus eſt, de illis eſt, qui ante Natiuitatem eius per eum mundati sunt à peccatis, & in ipſa eius munditia de illa aſſumptus eſt. Hæc ille.* Anſelmus sic inquit: *ANSELMVS: Benè conſideras; nulla tamen anima ante mortem Chriſti Paradiſum cœleſtem ingredi potuit, ſicut ſuprà dixi de Regis Palatio. BOSON: Sic tenemus. ANSELMVS: Virgo autem illa, de qua ille Homo aſſumptus eſt, de quo loquimur, fuit de illis, qui ante neceſsitatem eius per eum mundati sunt à peccatis, & in eius ipſa mũditia de illa aſſumptus eſt. BOSON: Placeret mihi multum, quod dicis, niſi cum ipſe debeat à ſe ipſo habere munditiam à peccato, videtur eam habere à Matre, & per ſe mundus non eſſe, ſed per illam. ANSELMVS: Non ita eſt, ſed quoniam Matris munditia, per quã mũdus eſt, non fuit niſi ab illo: ipſe quoque per ſe ipſum, & à ſe mundus fuit.* In hac auctoritate adulterarunt, illud, *ante neceſsitatem*, ponentes, *ante Natiuitatẽ*; & hoc solo verbo vitiato, totam quoad sensum adulterarunt auctoritatem, vt considerati patebit; nam neceſsitas in Anſelmo supponit pro reatu, seu obligatione existente in semine ex libidine, & concupiſcẽtia

tia parentum deciſo, à qua neceſsitate mundata fuit Maria, & in hac ipſa munditia de illa aſſumptus fuit Chriſtus; quod non rectè intelligens Diſcipulus, profert illa verba: *Videtur illam habere à Matre, & per ſe mundus non eſſe, ſed per illam.* Et confirmatur ex termino illo, *à peccatis*, nam ſi de originali exiſtente in Maria loqueretur, non diceret, *à peccatis*, ſed à peccato; nam infans ſolùm vnum peccatum originale habet.

Decimaſexta auctoritas talis eſt: Item, idem in ſuis Meditationibus loquens ad Deum: *Animam*, inquit; *Glorioſæ Virginis Mariæ in macula culpæ originalis creaſti, ſed conſequenter eam à primaria labe purgaſti, & amictu munditiæ decoraſti, & in ſanctitatis puritate poſteà conſeruaſti. Hæc ille.* Alii citant hanc auctoritatem in Proſologion, vel Proſdogion, vt Iauellus; ſed nec in vno, nec altero libro talis auctoritas inuenitur; nam Anſelmus duplicem librum habet Meditationum: Primus inſcribitur, liber decem Meditationum, & incipit: *Euigila anima mea*, & extat à fol. 165. vſque 196. Secundus, incipit: *Dum conſidero*, à fol. 249. vſque 262. Et liber Proſologion incipit: *Eia nunc homuncio*; & in prædictis libris talis auctoritas non inuenitur ergo pro ficta, & fabricata, ſi non ab Aduerſariis, ab alio reputabitur; dixi, ab alio, quia fuit quidam Auctor antiquus appellatus Meffret, cuius proprium nomen, ſtatus, & conditio, atque tempus hucuſque ignoratur; qui edidit quoſdam Sermones, tàm de Sanctis, quàm de tempore, vulgo, *Hortulus Reginæ* appellatos, qui in Sermone 3. de Conceptione, in ordine, 16. ad illa verba, *Sanctificauit Tabernaculum ſuũ Altiſsimus*, fol. 31. colu. 2. ſic inquit: Ideò dicit Anſelmus in oratione, quæ incipit: Primum & principale principium: *Animam Glorioſæ Virginis Mariæ creaſti in macula originali, ſed conſequenter eam in vtero à primæua labe purgaſti, amictu munditiæ decoraſti, & in ſanctitatis puritate poſteà confirmaſti.* Quòd hæc auctoritas ſit eadem cum hic adducta ab Aduerſariis, non indiget probatione; quia ex ipſis verbis conſtat. Vidi omnes orationes adductas à S. Anſelmo, quæ extant in eius operibus, à fol. 165. vſque 284 ſed nulla incipit, ſicut dicit Meffret: *Primum, & principale principium*: ergo ex omni parte videtur ficta. Quis autem fuerit Plagiarius, ipſi inter ſe decidant, quia talis auctoritas non eſt in Anſelmo, nec exiſtimo, quòd ſit in alio Sancto.

Decimaſeptima auctoritas ſic adducitur: Idẽ Anſelmus in ſecundo libro, Cur Deus homo, cap. 16. *Omnes*, inquit, *homines ex Adam propagati peccauerunt, excepto Chriſto, qui ſolus innocens fuit, & nos omnes à peccato redemit. Hæc ille.* Quæ auctoritas non extat in illo cap. 16. immo nec in alio eiuſdem libri, qui vidit, teſtimonium perhibet. Et ſi vis ſcire, an teſtimonium eius ſit verum, lege ipſum Anſelmũ; eſt igitur ficta, falſa, & fabricata contra Virginis Mariæ honorem, atque puritatem, ſicut præcedens. Niſi velint dicere, quòd hæc verba deſumpſerunt ex quodam exemplo adducto ab Anſelmo ſic: *Opportuit vtique, vt illa redemptio, quam Chriſtus fecit, prodeſſet, non ſolùm illis, qui eo tempore fuerunt, ſed & alijs: Si enim Rex aliquis, cui totus Populus ſuæ cuiuſdam ciuitatis ſic peccauit, excepto vno ſolo, qui tamen eſt de illorum genere, vt nullus eorum facere poſsit, vndẽ mortis damnationẽ euadat: ille autem qui ſolus eſt innocens, tãtam apud Regem habeat gratiam, vt poſsit; & tantam dilectionẽ erga reos, vt velit, omnes, qui credent ſuo conſilio, reconciliare; &c.* In hac ſola auctoritate inuenio verbum illud; *omnes*; & illud, *excepto*, & illud; *innocens*; & verba iſta ſuo modo diſpoſuerunt: ſi hoc dixerint, taceo, ſed ipſi hoc dicendo obmuteſcent; quia tale, &c. Non eſt viſum, nec auditum in vniuerſis Regnis.

Decimaoctaua auctoritas ſic adducitur. Idẽ in eodem cap. 17. loquendo de Matre Chriſti, ſic ait. *Quoniam ſi verè non fuiſſet mortuus, non fuiſſet vera fides futuræ mortis eius, per quam & illa Virgo, de qua natus eſt, & multi alij mundati ſunt à peccato. Hæc ille.* Capite verò non 17. vt dicunt Aduerſarii, ſed 26. fol. 111. col. 2. littera D. hæc extant verba: *BOSON: Argumẽtationibus tuis obuiare nequeo: nam nec propoſitiones, quas præmittis, nec conſequentias, quas infers, vllatenùs infirmare valeo, ſed tamen hoc mihi ſemper occurrit, quod dixi: quia ſi vellet non mori, non magis hoc poſſet, quàm poſſet non eſſe, quod erat; vere namque mortuus erat, quia ſi verè non fuiſſet mortuus, non fuiſſet vera fides futuræ mortis eius, per quam & illa Virgo, de qua natus eſt, & alij multi mundati ſunt à peccato. Nam ſi vera non fuiſſet, nihil prodeſſe potuiſſet; &c.* Hanc auctoritatem adducunt ex Anſelmo; eſt tamen Boſonis Diſcipuli eius interrogantis, & inquirentis, vt ex ipſo textu cõſtat; & ſic non eſt ad rem hæc Diſcipuli dubitatio, cui reſpondit Magiſter Anſelmus aperiendo ei myſteria mortis Chriſti.

Decimanona auctoritas ſic adducitur: Item, in eodem cap. 18. *Peccatum*, inquit, *originale à parentibus in omnes homines, præter Chriſtum, tranſfunditur.* Verba autem Anſelmi loco citato ſunt hæc: *Oſtendimus, vt putò, certam rationem, quomodo Deus aſſumpſerit hominem ſine peccato de maſſa peccatrice, &c. Et ſi aliam nunc inquirere vellem, neceſſe eſſet in veſtigare, quid ſit originale peccatum, & quomodo à primis parentibus in vniuerſum genus humanum, præter illũ, de quo agimus, hominẽ diffundatur, & incidere in quaſdam alias quæſtiones, quæ ſuum poſtulant tractatum, &c.* Vide quantum dif-

differat hec auctoritas ab illa Aduersariorũ; nã Anselmus hic proponit, non determinat, & se expedit ab hac quæstione: ergo ex illa colligi non potest mens certa, & sententia firma.

Vigesima auctoritas: Item idẽ in eodẽ libro cap. 21. id est, de Conceptu virginali: *Dominus*, inquit, *assumpsit hominẽ de massa peccatrice sine peccato, veluti azymum de fermento, sicut alibi ostensum est. Hæc ille.* Caput illud 21. quod incipit: *Porrò peccatum originale*, talia non habet verba, nec aliqua ipsis similia: extãt autem ad finem cap. 20. Sed hic loquendo de Christo, & eius assumpta natura, ac perfecta iustitia. *Quam semper à se ipso ille, secundùm personam, sicut Deus habuit, licèt in naturis humana à diuina, quod habuit, accepit; altiorem autem aliã rationem, quomodo Deus assumpsit hominem de massa peccatrice sine peccato, vel vt azymum de fermento, præter istam quam hìc, & illam, quam alibi posui, esse non nego: quã, si mihi ostensa fuerit, libenter accipio, &c.* Constat ergo, quomodo Anselmus solùm ista proponit referendo, non autẽ assertiuè, vt ab Aduersariis proponitur: ideo addiderunt illud, *Dominus assumpsit hominem*, & illud, *sicut alibi ostensum est.* Quæ verba nõ extant in Anselmo. Quoad sensum vero notare debes illud, *quam semper à se ipso*, & illud, *de massa peccatrice*, pro infrà dicendis in vltima auctoritate.

Vigesima prima. Item in eodem libro cap. 25. *Peccatum*, inquit, *originale in omnibus infantibus naturaliter conceptis æqualiter esse dico, sicut peccatum Adæ, quod est causa, vt nascãtur in illo, ad omnes æqualiter pertinet. Hæc ille.* Hæc auctoritas non est cap. 25. sed 23. ad finẽ, sed est legaliter transcripta, saluo quòd vbi Anselmus, *cur nascitur*, ipsi, *vt nascantur.* Itẽ vbi Anselmus, *æquale esse*, ipsi sic, *æqualiter esse dico*: quo totam adulterarunt auctoritatem. Nam aliud est peccatum originale esse *æquale* in omnibus paruulis, aliud *æqualiter* esse in omnibus; quia hoc *æqualiter* sonat, nullã fuisse exemptam. Dices: quòd in secunda clausula Anselmus apponit illud, *æqualiter*, dicens: *Sicut peccatum Adæ, quod est causa, vt nascantur in illo, ad omnes pertinet æqualiter.* Ad quod dico, quòd hìc *æqualiter* facit diuersum sensum, quia peccatum Adæ, vt est causa, *æqualiter* pertinet ad omnes, sed quod ex illa causa prodierit effectus, non *æqualiter* pertinet ad omnes, quia Virgo Maria nata est sine effectu talis causæ. Hoc melius intelliges in sequenti auctoritate.

Vigesima secũda, ac vltima auctoritas sic addicitur: Item in eodem libro cap. 27. *Originale*, inquit, *peccatum, non aliud intelligo, quàm id quod in infante mox vt habet animam rationalem, existit; quod, propter rationes prædictas, existimo in omnibus infantibus naturaliter propagatis esse æqualiter, in omnes, qui in illo solo moriuntur, æqualiter damnari. Hæc ille.* Auctoritas autem vera, non cap 27. sed cap. 26. cuius titulus est: *Quid sit originale peccatum, quòd sit omnibus æquale*; sic incipit: *Originale igitur peccatũ, non aliud intelligo, quàm quod est in infante, mox vt animam habet rationalem: quidquid priùs in corpore nondum animato factum sit, vt est aliqua membrorum corruptio, vel post siuè in anima, siuè in corpore futurum sit. Quapropter prædictas existimo rationes in omnibus infantibus naturaliter propagatis esse æquales, & omnes qui in illo solo moriuntur, æqualiter damnari, &c.* In hac auctoritate aliqua magni momenti vitiarunt. Primò, vbi Anselmus: *Vt animam habet rationalem*, Aduersarii sic: *Vt habet naturam rationalem.* Secundo, addiderunt ly, *existit.* Tertiò, propter statim dicendis, prætermiserunt totam illam clausulam: *Quidquid prius, &c.* Quartò, vbi Anselmus: *Existimo rationes in omnibus infantibus naturaliter propagatis esse æquales*, id est, rationes esse æquales: ipsi adulterarunt verba, & sensum, vt indicarẽt, quòd peccatum originale æqualiter erat in omnibus infantibus naturaliter propagatis, & sic includerent Virginem Mariam: & ideò iterum illud, *æquales*, transmutarunt in *æqualiter*, vt fecerant in antecedenti auctoritate. Vide quæ diximus auctoritate 6. nam hæc coincidit cum illa.

Sed vt has, & omnes illas supra adductas ab Aduersariis ex libro de conceptu Virginali melius intelligas; Nota, quòd S. Anselmus sic incipit suum librum: *Ad videndum igitur qualiter Deus hominem assumpsit de generis humani massa peccatrice sine peccato: primùm de originali peccato necesse est inuestigare, quia de hoc solo nascitur hæc quæstio. Nam si videtur, quomodo Christus huic subiacere non potuit: æqualiter assumptio, siuè Conceptio illius hominis ab omni peccato libera fuit, palam erit, originale ab origine denominari dubium non est. Si ergo originale peccatum non est nisi in homine; videtur dici ab origine humanæ naturæ, quod est ab eius initio originale, eo quòd ab ipsa humanæ naturæ origine trahatur. Aut ab origine, hoc est, ab initio vniuscuiusque personæ, quoniã in ipsa trahatur origine. Sed quod ab initio humanæ naturæ descẽdat, nõ videtur, quãdo origo illius iustæ fuit, quãdo primi parentes iusti facti sunt sine peccato. Videtur itaque dici, originale, ab ipsa origine vniuscuiusque personæ humanæ: quãuis si quis dicat, peccatum vocari originale, eo quòd ab illis descendat in singulos, à quibus habet originem naturæ, non contradicam, si tamen non negetur, originale peccatum cum ipsa vniuscuiusque personæ trahi origine, &c.* Tria sunt in hoc initio animaduertenda.

Primum: quod vocat genus humanum mas-

sam

ſam peccatricem, ex qua Chriſtus aſſumpſit hominem; non vero Mariam. Secundum, quòd à priori vult demonſtrare, quòd ſi Chriſti humanitas non habuit originale peccatum: ergo ab omni peccato libera fuit: ergo à poſteriori, ſi Maria ab omni peccato libera fuit: ergo ab originali. Tertium, quòd originale dicitur ab origine, ſiuè naturæ humanæ, ſiuè cuiuſcumque perſonæ; origo autem perſonæ non eſt animatio, ſed generatio. Hoc habet in primo capite Anſelmus, & vſque ad ſeptimum excluſiuè agit in generali de natura humana, voluntate, & iuſtitia, &c. Capite verò ſeptimo deſcendendo ad propoſitum aſſumptum in particulari, proponit hoc: *Quòd ſemen hominis dicatur immundum, & concipi in peccatis, quamuis in eo non ſit peccatum.* Ecce quomodo vocat ſemen hominis immundum, & conceptum in peccatis, licèt in eo non ſit peccatum. Explanationem huius aſſerti ſic incipit Anſelmus: *Videtur itaque ſequi, quòd aut infans ſtatim ab ipſa concepcione animam habet rationalem, ſine qua voluntatem rationalem nequit habere, aut in eo non eſt originale peccatum, mox cum cõceptus eſt. Quòd autem mox ab ipſa conceptione rationalem animam habeat, nullus humanus ſuſcipit ſenſus; ſequitur enim, vt quotiens ſuſceptum ſemen humanum, etiam ab ipſo momento ſuſceptionis, parit, antequam perueniat ad humanam figuram; totiens damnetur in illo anima humana: quoniã non reconciliatur per Chriſtum; quod eſt nimis abſurdum. Hæc igitur pars huius diuiſionis penitùs relinquenda eſt. Sed ſi non ſtatim infans ab ipſa conce tione habet peccatum, quid dicit Iob Deo: Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine, niſi tu, qui ſolus es? Et quomodo verum eſt, quod dicit Dauid: In iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea? Quæram igitur, ſi poſſum, quomodo (quamuis non ſtatim ab ipſa Conceptione) ſit in infantibus peccatum, de immundo tamen ſemine in iniquitatibus, & peccatis concipi dicatur. Sæpè vtiquè diuina Scriptura aſſerit aliquid eſſe, quando non eſt: idcirco, quia certum eſt futurum eſſe, &c.* Et adductis aliquibus exemplis proſequitur: *Simili modo de immundo ſemine in iniquitatibus, & in peccatis concipi poteſt homo, intelligi, non quòd in ſemine ſit immunditia peccati, aut peccatum, ſiuè iniquitas, ſed quia ab ipſo ſemine, & ipſa conceptione, ex qua incipit homo eſſe, accipit neceſsitatem, vt cum habebit animam rationalem, habeat peccati immunditiam: quæ non eſt aliud quàm peccatum, & iniquitas. Nam ſi ex vitioſa concupiſcentia ſemine generetur infans; non tamen magis eſt in ſemine culpa, quàm eſt in ſputo, vel ſanguine, ſi quis mala voluntate exputt, &c.* Vt ſupra auctoritate 8. in quibus verbis obſeruare licet ſequentia. Primum, quòd Anſelmus in ipſa per ſeptem vices vocat receptionem ſeminis, ſeu primam generationem carnalem factam in coitu, abſolutè, ac ſimpliciter conceptionem; & hunc modum loquendi obſeruat in toto illo libro de Conceptu Virginali, præcipuè vſque ad caput 16. vbi vlteriùs progrediendo à ſemine, & illa conceptione carnali inquirit, quid ſit ipſum originale peccatum, incipiens ſic: *Originale igitur peccatum, non aliud intelligo, &c.* Vt diximus ſuprà in hac vltima auctoritate, vbi notare debes illud: *Quidquid priùs in corpore nondum animat factum ſit.* Inſinuans, quòd vſque illuc egerat de ſeminis macula, & corporis nondum animati neceſsitate, ac carnis immunditia tantum. Aduerſarii verò omnia verba, & ſententias adductas ab Anſelmo, pro illa prima Conceptione Virginis, adducunt pro Conceptione animationis, ſeu animæ infuſione, & ſic confundunt Sanctos, ſe ipſos, atque etiam nos; & exiſtimantes ſe aliquid adducere pro ſua opinione, agglomerant auctoritates à dextris, & à ſiniſtris, cum tamen in rei veritate nihil adducant. Secundum notandum, quòd illa duo celeberrima ſacræ Scripturæ teſtimonia; ex capite 14. Iob, & ex Pſalm. 60. quæ paſſim adducunt Aduerſarii pro ſua opinione, quaſi pro baſi, vnico, ac totali ſui ædificii fundamento, Anſelmus explicat, & intelligit de immunditia, delictis, & peccatis ſeminis, & conceptionis primæ carnalis, quando pater generat, & mater concipit, antequam ſemen *perueniat ad humanam figuram.* Et quid hæc cum Conceptione, ſeu animatione, de qua eſt noſtra controuerſia? Tertium, obſeruandum eſt, quòd in omnibus auctoritatibus ſuprà adductis ab Aduerſariis nititur Anſelmus probare, quòd cum Chriſtus Dominus non proceſſerit via naturali ex virili opere, ſed ex Virgine, operatione Spiritus Sancti; illa maſſa generis humani (quæ in origine, in Adamo, vel in Patriarchis, vel adhuc in ipſo Ioachimo, & Anna, erat infecta, & immunda, & in peccatis, quia per concupiſcentiam genita) fuit pura, & ſic ipſe non ſolùm, abſque peccato conceptus in animatione, ſed etiam abſque neceſsitate in Conceptione ſeminis, à qua neceſsitate Virgo Maria non fuit immunis, quia genita ex ſemine effuſo via naturali, ex concupiſcentia, &c. Cùm ergo hæc ſit mens Anſelmi ſecundùm veritatem; videte, in quantis Auctores veſtri vitiarunt Anſelmum, & hoc non proceſit ex originalibus manuſcriptis, nam in principio dicit Corrector Bandelli: *Et aduerte, quòd capitula in libris huius Doctoris*, id eſt, Anſelmi, *diuerſimodè ſignantur in libris de manu, & de impreſsione;*

ego autem ſecutus ſum impreſſos, quia ſunt communiores. Solùm ergo in ſignatione capitulorũ inuenit Corrector diuerſitatem in originalibus impreſsis, & manuſcriptis. Vndè ergo proceſſerunt tot vitia, & adulterationes? Et ſi in Doctore Sancto, impreſſo, & communi, mirabilia teſtimonia tua! Quid mirum, quòd mirabiles etiam ſint in aliis elationes maris!

ANSELMVS, Conturbienſis Epiſcopus in libro, Cur Deus homo lib. 2. cap. 15. & 16. *Ita hunc adducit Paul. Gryſal. in 2. claſſe, ſeu Alphab. 2. Auct. 10.*

VERITAS 24.

INSIGNIS Scriptor Paulus Gryſaldus in ſuo Cathalogo poſt Ambroſium Mediolanenſem adducit Anſelmum in lib. de Conceptu Virginali cap. 2. 8. & 20. & immediatè poſt citat Anſelmum, Epiſcopum Conturbienſem in lib. 2. Cur Deus homo, cap. 15. & 16. Peccauit igitur in hac inſulſa multiplicatione: nam Anſelmus Cantuarienſis, quem ipſe vocat Conturbiẽſis, qui ſcripſit librum de Cõceptu Virginali, & librũ, Cur Deus homo; vnicus, & idem Anſelmus eſt, nec hoc ignorant parunli; quia ſic continetur adhuc in vitis Sanctorum, vt videre eſt in Martino de Liſio, folio 150. impreſſ. Compluti ann. 1572. in fol. magno, & Hiſpanico idiomate. Igitur ſolùm ad multiplicandam ſuam Aream nomen Cantuarienſis mutauit in illud Conturbienſis, & ad cõplendam ſuam, machinam Cantuarienſem adduxit in libro de Conceptu Virginali, & Conturbienſem in libro, cur Deus homo, vnum adduxit nudè ſine titulo: alterum verò, id eſt, ſuum Cõturbienſem ore pleno vocauit Epiſcopum. Quamuis totum hoc ſit per ſe notum; etiam comprobatur ex auctoritate, quam ſic adducit Gryſaldus: *Virgo tamen, vndè aſſumptus eſt, in iniquitatibus concepta eſt, & in peccatis concepit mater eius.* Hæc enim auctoritas eſt Anſelmi Cantuarienſis, vel Conturbienſis, vt viſum eſt ſuprà, auctorit. 14. Si ergo hanc ridiculam multiplicationem fecit ſimplici, vel ſecunda intentione ipſe videat?

ANTONINVS, Florentinus Archiepiſcopus, Sanctus, Ordinis Prædicatorum, in 3. part. Chronicæ, & 1. part. Summæ, titulo de peccato originali, & 3. part. titulo de ſtatu comprehenſorum, & 4. part. titulo de dono pietatis, & 1. part. Chronicæ titulo... cap. 14. & titul. 5. cap. 1. & in multis Sermonibus ſuis. *Anonym. Auctore 90. Bandel. cap. 23. Deza fol. 41. Spina part. 6. cap. 3. Vincent. Gryſald. Canus, Iuſtin. Miechouien. Arpalleg.*

VERITAS 25.

AVCTOR S. Antonius, ob paruitatem corporis vulgariter Antoninus vocatus, & opera notiſsima ſunt, de quibus egimus in Trituratione num. xvj. auctoritatem primam ſic adducunt: Idem tenet D. Antoninus, Archiepiſcopus Florentinus, in 1. p. Summę, titulo de peccato originali, ſic dicens: *Si volumus attendere ad dicta ſacræ Scripturæ, & Sanctorũ Doctorum, manifeſtè patet, B. Virginẽ in originali peccato fuiſſe conceptã; & ſic eius Conceptio non eſt celebrada, niſi in ordine ad ſanctificationẽ conſecutã.* Verba autẽ S. Antonini præallegata p. 4. tit. 8. cap. 2. cuius titulus eſt: *De quæſtione, vtrũ Virgo Maria fuit concepta in peccato originali,* in principio ſic ſe habẽt: *Et quia de peccato originali facta eſt mẽtio, hìc incidenter ponatur materia, ſeu quæſtio, de qua quotidiè à curioſis diſputatur, & in fructuoſè, ſcilicẽt, de Conceptu Virginis glorioſæ, ponẽdo ea, quæ ſenſerunt Doctores, tàm antiqui, quàm moderni; de hoc demittendo determinationem S. Eccleſiæ: quamuis enim nõ ſit determinatum per Eccleſiam, Virginem eſſe conceptã in peccato originali, vel non; propter quod abſque præiudicio ſalutis, licet vnicuique tenere alterã opinionẽ, quæ ſibi placeat. Tamẽ ſi benè conſiderẽtur Scripturæ, & dicta Doctorũ antiquorũ, & modernorũ, qui fuerunt deuotiſſimi Virgini glorioſæ, manifeſtè patet ex verbis eorum, ipſam in peccato originali conceptam fuiſſe. Sed tenentes contrariam opinionẽ, extorquent dicta eorũ contra intentionem dicentiũ, & c.* Et circa finem totius capitis, ſcilicèt, in reſponſione argumẽtorũ, inquit Antoninus: *Ad ſextũ, ſcilicẽt, de feſto Conceptionis, reſpondet B. Thomas in 3. par. vbi ſuprà, quòd Eccleſia Romana nõ facit illud, cùm nũquam reperiatur inſtitutũ. Imò Bernardus in Epiſt. ad Lugdunenſ. dicit, non debere fieri. Tolerat autẽ hoc fieri ab aliquibus Eccleſiis, referendo hoc ad feſtum ſanctificationis; quod quia ignoratũ eſt, quando fuerit, fit feſtũ de ipſa ſanctificatione, die, qua dicitur eſſe concepta: vel ſecundũ Ioannẽ Neapolitanum, poteſt dici, quòd tale feſtum non eſt feſtũ Cõceptionis eius, vt illi dicunt, cùm fiat per nouem mẽſes ante eius Natiuitatẽ; qua die nondum anima erat infuſa, quæ eſt ſubiectum ſanctitatis; ſed magis eſt feſtum gratiarum actionũ, ſicut in veteri lege erat feſtũ Epiphaniæ, in quo nulla ſanctitas fuit noua collata, ſed Eccleſia regratiatur de beneficio. Et ſic in propoſito, & c.* Exhis patet primò, quòd adulteratus eſt totus textus S. Antonini, quoad primam clauſulã, nam vbi Sanctus, *Tamenſi benè conſiderentur ſcripturæ, & dicta Doctorũ antiquorum,* ipſi ſic: *addicta ſacræ Scripturæ, & Sanctorũ Doctorũ.* Nam quæ Antoninus dicit de ſcripturis, ac dictis Doctorum, ipſi referunt ad Scripturam Sacram,

cram, ideò apposuerunt illud, *sacræ*. Secundò, addiderunt illud, *Sanctorũ Doctorũ*, nam Antonianus solùm habet, *Doctorũ antiquorũ, & modernorũ*, nullam mẽtionem faciens de Sanctis. Tertio, eadem intẽtione prætermiserunt illud, *ex verbis ipsorum*, vt sic efficerent propositionem magis absolutam, & assertiuam. Quarto, continuarunt illa verba: *Et sic eius Conceptio nõ est celebranda, &c.* quasi illa integra propositio esset quædam continua conclusio S. Antonini, cùm tamen summè distent, quantũ distat principium à fine, quia prima clausula est in principio capitis, & secũda in fine, vt dixi supra. Quinto, falsum, est dicere, S. Antoninum dixisse hanc propositionem absolutam, vt ab Aduersariis refertur: *Et sic eius Conceptio non est celebranda, nisi in ordine ad sanctificationem subsecutam.* Quia hæc verba non extant sic in Antonino, nec illa dixit ex se, sed ex S. Thoma, & Ioanne à Neapoli. Sexto, quòd ex his Antonini verbis euidenter constat, quod sæpè dixi, & infrà passim videbimus omnes Auctores antiquos sub æquiuoco laborasse circa celebrationem festi Conceptionis; nam ipsam primam generationem, vocabant absolutè Conceptionem, vt denotant expressè illa verba: *Non est Conceptionis eius, vt illi dicunt, cùm fiat per nouẽ menses ante eius Natiuitatem, qua die nõdum anima erat infusa, &c.* Et illa: *Quod quia ignoratũ est, quando fuerit, fit festum de ipsa sanctificatione die, qua dicitur esse concepta*, id est, die 8. Decembris. Igitur Doctores antiqui vocabant Conceptionem ipsam generationem Ioachimi, & Annæ factam die 8. Decembris, & hanc Conceptionẽ dicebant non esse celebrandam, eo quòd in illa Conceptione Mariæ interfuit peccatum; quia in peccatis parentum fuit concepta, & alia his similia, quæ sunt penitùs extra rem, & quæstionem ventilatã modo inter modernos de animatione Mariæ, in die, hora, & instanti nobis ignoto facta; nõ verò de illa Conceptione carnali facta *die, qua dicitur esse concepta* per susceptionem seminis in vtero Annæ. Cùm ergo illam, ipsi vocassent Conceptionem, adhuc vsque ad tempora S. Antonini, id est, ad annum 1450. & nos nunc animationem appellamus Conceptionem, & alteram dicimus generationem: hinc tota exorta est confusio huius quæstionis, vt suis locis indicabimus. Supposita ergo hac cõstanti, & generali æquiuocatione antiquorum, facillimam intelligentiam, ac interpretationem habent aliquæ auctoritates ipsorum, quæ expressè locuntur de peccato Cõceptionis macula, & culpa, &c. Vltimo, nescio quid dicere vult S. Antoninus in illis verbis, *sicut in veteri lege erat festũ Epiphaniæ*; nam Epiphania non fuit festum veteris Legis, sed nouæ. At hoc cùm sit extra materiã sub silentio prætermittitur: quia afflictis non est affligendum.

Secundò, adducunt S. Antoninum in 3. par. Summæ, titulo de statu comprehensorum: at nullam adducunt auctoritatem: sed verum est, quod tit. 31. cap. 2. §. 2. fol. 225. inquit: *Sanctificauit in vtero matris Virginẽ purgando ab originali, & religando fomitem, &c.* Et hoc sufficit pro ipsorum veritate in hac citatione.

Tertiò, adducunt ipsum in 4. p. Summæ titulo: de dono pietatis, & licèt illi non adducant auctoritatem, sed tãtum allegationem, nos ipsam damus, quæ sic se habet in tit. 15. cap. 3. quod est de Concep ione, seu sanctificatione Mariæ, §. 2. vbi inquit post alia: *Ac etiam piè credi potest, quòd citius alijs fuit sanctificata, nõ quidèm ante animæ infusionem: quia caro non est subiectũ culpæ, vel gratiæ, sed anima; infusa verò anima quã citius, & fortè eadem die, & hora, & si non momento, fuit ab originali mundata, contracto immediatè post acceſsũ eius ad corpus, &c.* Quare autem Aduersarii non adduxerint hanc auctoritatẽ, cùm sit expressa pro sua sententia, mihi est ignotum; fortè nolentes concedere cum S. Antonino, quòd Virgo fuerit sanctificata eadem die, & hora, imò insinuat, quòd per vnicum solùm momentum fuit maculata Maria originali peccato: Et si cõceditis cũ vestro Sanctissimo Antonino diem, & horã: quare non etiam, & momentum, notate, quòd non est vestrum nosse tẽpora, & momenta, quæ pro Matre sua posuit Filius in sua potestate? & si hæc potestas fuit æqualis, & eadem, sicut in die, & hora, ita & in momento: non auferamus momentum ab illa quæ dixit: Ab æterno ordinata sum.

Quartò, citant ipsum in 1. p. Chronicæ, nullã tamen adducendo auctoritatẽ. Eius tamen verba tit. 4. cap. 6. §. 10. fol. 193. litt. C. hæc sunt: *Pater igitur Virginis est Ioachim de tribu Iuda, mater verò eius dicta est Anna, quæ cum sterilis pluribus annis permansisset, demũ facto voto offerendi fructũ suum, si Dominus concederet, cõcepit Anna Virginẽ Mariam, nõ quidem de Spiritu Sancto, vt quidam fatui asserunt; sed more humano ex Ioachim. Quæ quidèm in vtero concepta, non tunc fuit Sanctificata, cùm adhuc ibi non esset anima, quæ est subiectũ sanctificationis, sed postquã anima fuit in corpore plenè organizato infusa, est à peccato originali mundata, quã citissimè post infusionem, non post sex menses, vt Ioannes Baptista: at etiam plenius, vt scilicèt immunis fieret etiam à venialibus in vita, quod nulli concessum creditur, secundùm Bernardũ, & Augustinum. Et quia aliqui tenent, eam etiam ab originali fuisse liberam, licèt Antiqui contrarium expressè dicant, cùm Ecclesia neutrum determinauerit, sine præiudicio salutis potest quodlibet eorum opinari, &c.* Hanc auctoritatem nõ adduxerunt Aduersarii, licèt apertè, & clarè esset pro ipsis, ex particulari intentione: primò,

propter illud: *Non quidem de Spiritu Sancto, vt quidam fatui asserunt.* Nam antiquitùs erant quidam fatui existimantes, quod ex eo, quod die 8. Decẽbris, celebrabatur festum Conceptionis, id est, ante Natiuitatem per integros nouẽ menses, sicut celebrat Ecclesia Conceptionem Christi, existimant ineptè, quod Maria fuerat concepta in vtero Annæ sicut Christus, operatione Spiritus Sancti, & quod ideo celebrabatur Conceptio Mariæ, ante nouem integros menses, sicut Incarnatio Christi. (Nota, Lector, qualiter iste antiquus error vigebat adhuc temporibus S. Antonini) Ad explodendum ergo hunc dissẽminatum errorem, dicebant Doctores antiqui, & benè: Maria non fuit concepta sicut Christus; solus Christus conceptus fuit absque peccato, quia operatione Spiritus Sancti Maria In iniquitatibus concepta est, & in peccatis cõcepit eam mater eius: quæ propositiones, & aliæ his similes tunc erant ad extirpandum errorem illum, sed nunc nihil probant cotra Immaculatam Conceptionem Mariæ factam in sua animatione. Secundò, non adduxerunt auctoritatem S. Antonini propter illa verba: *Quæ quidẽm in vtero concepta, non tunc fuit sanctificata, cum adhuc ibi non esset anima.* Nonne vides, quomodo generationem parentum, seu Conceptionem carnis vocat Antoninus absolutè Conceptionem? Hoc quod in omnibus antiquis figillatim demõstrabo, nolunt admittere Aduersarii, sed mordicus cotendunt, quòd conceptio apud antiquos sumebatur, vt nunc pro animatione. Tertiò, non adduxerunt auctoritatem propter illa verba: *Quia aliqui tenent, eam etiam ab originali fuisse liberam,* id est, præseruatam: Idem enim apud Antiquos erat, Mariam fuisse liberam, vel liberatam ab originali, quòd esse immunem, vel præseruatã: quod valdè notare debes, ò Lector! quia Aduersarii vbicumq; audiunt, vel legunt: Maria fuit libera, vel liberata ab originali, deducunt hanc consequentiam ergo cotraxit, quia nullus liberatur, nisi à captiuitate positiua, & reali. Quartò, non adduxerunt verba Antonini propter illam vltimam clausulam: *Sine præiudicio salutis, &c.* Concedebat enim libertatem in hac materia opinandi pro vtraque parte, absque præiudicio salutis, quando Aduersarii, Anonymus, Bandellus, Deza, & Spina, & alii post integrum sæculum, & Extrauagantes Sixti IV. contendebant viribus, & posse, Virginem Mariam contraxisse originale peccatum, atque dicere contrarium esse hæreticum, sacrilegum, &c.

Quintò, etiam eum adducunt in 3. part. Historiæ solùm remissiuè nullam adducendo auctoritatem. In illa ergo 3. part. Chronicæ titulo 24. cap. 11. §. 3. fol. 797. loquens de S. Brigitta, hæc dicit Antoninus: *Hæc composuit libros Reuelationũ multos de diuersis materijs sibi reuelatis. Ipsa reuelationem (vt asserit) habuit Virginem Mariam Conceptam sine originali peccato; & B. Catherina de Senis, non (vt creditur) minoris sanctitatis, licèt non canonizata, habuit Reuelationem in contrarium. Et cum Spiritus Prophetarum non sit cõtrarius, quia vnus, & idem est, nec sibi contrarius: dicere oportet, quòd vna earum habuit reuelationẽ à Deo Propheticam; altera verò somnium in phantasia, secundum effectum suum, &c.* Videntes ergo Aduersarii hanc S. Antonini censuram, & quod non poterant dicere Reuelationes S. Brigittæ esse somnia, quia illæ sunt approbatæ ab Ecclesia, & à suo Cardinali Turrecremata, noluerunt transcribere hęc Antonini verba. Quod verò S. Catherinæ Senensis non fuerit reuelatio, nec phantasticum somnium, sed figmentum patratum a quodam non sanæ mentis suo loco litteram K. num. 201. latissimè, & euidenter demonstrauimus.

Vltimo, sic eũ adducunt: *Idem tenet D. Antoninus, Archiepiscopus Florẽtinus, in multis Sermonibus suis.* Sed vbi sunt isti multi Sermones, vel quid in illis dixerit non exprimunt. Verum est, quod sub nomine Antonii Florẽtini prodiit olim absque anno, & loco impressionis quoddam opus Quadragesimale de Sanctis, Flos Sãctorum nuncupatũ pro pauperculis Verbi Diuini Euangelizantibus, in quo est Sermo de Conceptione, seu sanctificatione Virginis Mariæ; sed hic est vnus Sermo, vbi ergo sunt multi alii Sermones? Deindè Sermones isti nullo modo sunt S. Antonini, sed Fratris Gabrielis Barelete, Ordinis Prædicatorum, quod euidenter patet: tùm quia in illis sæpè citatur ipsemet S. Antoninus, Archiepiscopus Florẽtinus: tùm quia opus hoc prodiit impressum Parisiis anno 1521. sub nomine Gabrielis Barelete. Quibus adde, quòd in eodẽ Sermone Conceptionis fit mentio de Bulla expedita à Sixto IV. Pont. Max. an. 1481. S. autem Antoninus migrauit ad Dominũ ann. 1466. vel vt alii volũt, & verius 1459. ergo talis Sermo non potuit esse S. Antonini. Deniquè si Sermo iste erat S. Antonini, quomodo infrà adducũt Gabrielẽ Barelete in hoc Sermone? Ex his deducitur, quod absque vllo fundamẽto solum ad vanã multiplicationem dixerunt hoc de multis Sermonibus S. Antonini, quando nec vnus reperitur; nisi velis dicere, quod in Summa sua habet Sermones pro Conceptione, ex quibus extractæ sunt auctoritates supra positæ; sed hoc esset ludere verbis, & illudere Sanctis, reduplicando citationes. De Sermone Natiuitatis dicemus infrà num. 28. Ex his omnibus constat S. Antoninũ subsistinuisse opinionem Aduersariorum expressè, clarè, & in individuo, nominando Virginem Mariam, & specificando instans animationis, & iste est exceptio omnium Sanctorum, quia nullus alius sic est loquutus.

ANTO-

ANTONIVS De Azaro, Parmenſis, Ordinis Prædicatorum in Serm. de Paſsione Domini. *Ita Bandell. cap. 23. Deza fol. 42. à tergo, Petr. de Vincen. & Gryſal.*

VERITAS 26.

INTER Nomenclatores Dominicanos aliqua eſt circa præſentem Auctorem confuſio: nam Leander Albertus, primus Nomenclator Ordinis Prædicatorum, fol. 139. à tergo, adducit Antonium Parmenſem; *virum rarum, prudentem, ſolertem, & litteratum, &c.* Sed non dicit, quod aliquid ſcripſerit. Infrà verò fol. 144. loquitur de Antonio Azario, Parmenſi concionatore, qui ſcripſit *Sermones Morales ſuper Euangelia.* Ab hoc Leandro, Anton. Senenſis in Biblioth. fol. 23. & 25. Michael Pius ex iſto lib. 1. & 2. & Placentinus ab vtroque adducunt duos Auctores eiuſdem ferè nominis, ſcilicet Antonium de Azaro, Parmenſem, qui floruit ad annum 1403. & ſcripſit Sermones varios, & Antonium Parmenſem, vel de Parma, qui vixit ad annum 1500. & elaborauit Sermones Dominicales, & Quadrageſimales; ſed hæc eſt notoria multiplicatio tam Auctoris, quàm Sermonum. Itē quem Bandellus, & Vincentia locis citatis vocant Antonium de Azaro, Parmenſem, Gryſaldus Alphab. 5. appellat tantum Antonium de Parma. Hæc autem nominis variatio, atque Auctoris multiplicatio potuit prouenire ex eo, quòd Auctor floruerit ad annum 1403. & opus Sermonum fuit excuſſum circa annum 1500. & hinc exiſtimarunt, fuiſſe duos Antonios Parmenſes ſcriptores Sermonum; vnus ad annum 1403. & alter ad ann. 1500. Cùm tamen in rei veritate non fuerint duo, ſed vnus, & idem Auctor: & comprobatur euidentiùs; quia in tota litteratura Eccleſiaſtica tantummodò inuenitur vnus Antonius Parmenſis, vel de Parma, Ordinis Prædicatorum, ſcriptor Sermonum Dominicalium, & Quadrageſimalium, qui excuſi fuerunt ſub titulo: *Medulla Sermonum,* & correcti à R. P. Ioanne Lancello, & Ioanne Noquarto, eiuſdem Ordin. Prædicatorum, Pariſiis apud Reginaldum Chaudier Librarium, anno 1515. in 8. Et in Sermonibus Quadrageſimalibus, incipientibus: *Cum ieiunatis*, fol. 86. column. 3. adducitur Sermo de Paſsione Domini, qui incipit: *Egreſſus Ieſus cum Diſcipulis ſuis, &c.* En habemus, ò Lector! citatum Auctorem, opus Quadrageſimale, & Sermonem de Paſsione, & ſolùm reſtat, vt inueniamus, vbi in prædicto Sermone dicatur, Virginem contraxiſſe originale peccatum?

Cùm ergo Aduerſarii nullam adducant auctoritatem, quia tantùm dicunt: *Idem tenet Dominus Antonius de Azaro Parmenſis in Sermone de Paſsione Domini*, & nihil ampliùs, ſtatim iudicaui, aliquam hic latere fictionem, ſicut in aliis huius generis. Quo autem fundamento fuerit appellatus ab Aduerſariis hic Pater Dominicanus, *Dominus*, inueſtigare non potui, niſi forte voluerint ipſum introducere Epiſcopum. Sed his prætermiſsis legi ſemel, & iterum prælegatum Sermonem de Paſsione Domini Anton. Parmenſis, & in ipſo tantùm inueni ſequentia fol. 89. colum. 3. ad hanc dubitationem: *Sed hic quæritur quare Chriſtus voluerit capi in horto, & loco ſolitario, & non in ciuitate?* Sic reſpondit Parmenſis: *Et fortè capi voluit in horto. Propterea quia Adam, & Eua perpetrauerunt peccatum in horto Paradiſi, vt ſic pœna correſponderet culpæ*: & nihil ampliùs. Infrà verò fol. 97. colum. 3. dicit: *Et nota, quòd ſicut Adam ſexta die, & ſexta hora peccauit, ſic Chriſtus eadem die, & hora paſſus eſt, ſcilicet 25. die Martij, & ea die annuntiatus eſt Chriſtus. Et ſicut Adam peccauit ambulāte Domino in Paradiſo ad auram poſt meridiem, ſic Dominus mortuus eſt poſt meridiem, id eſt, hora nona in reconciliationem generis humani, & hoc factum eſt, vt pœna correſponderet culpæ.* Vide ergo, o Lector! ſi in iſtis auctoritatibus inuenis, Virginem Mariam fuiſſe conceptam in peccato originali? Quia aliud non extat verbum, iota, vel apex pertinens ad hanc materiam in toto illo Sermone. Et ſi dixerint Aduerſarii, quòd ab ipſis citatus non eſt iſte Antonius Parmenſis, nec Sermo de Paſsione, ſed alius; reſponde illis, quòd oſtendant ſuum Auctorem, & auctoritatem; quod certè non facient; & interim computa ſecurè Auctorem iſtum inter ſuppoſitos, & adductos ſine vllo fundamento, ratione, & veritate contra Immaculatam Virginis Conceptionem. Vide quæ dicimus infrà num. 250.

ANTONIVS De Bononia, Ordinis Prædicatorum in Serm. de Natiuitate Domini. *Ita Bandel. cap. 23. Deza fol. 42. Vincent. Gryſald.*

VERITAS 27.

HIVS Nullam adducunt auctoritatem; quia ſolùm dicunt ſic: *Idem tenet Magiſter Antonius de Bononia in Sermone Natiuitatis Domini*, & ex hac parte, vt vana & in fructifera ſpicâ reiicitur. Idem enim iudico de hoc Sermone de Natiuitate Domini; quod demonſtraui in antecedenti in Sermone de Paſsione Domini. Deindè nullus Nomenclator Antiquus de ipſo men-

tionem facit; & ſic exiſtimo, nullius momenti fuiſſe Auctorem; imò ex aliquibus coniecturis, & non aſpernendis illationibus dico, quòd aliqui Auctores ex Ordine Prædicatorum citati à Bandello, non fuerunt Scriptores, ſed ſolùm prædicatores, qui in cõcionibus ad populum dicebant, Virginem Mariam fuiſſe coceptam in peccato originali, quando in Lombardia ortus fuit ille tumultus de quo Sixtus IV in ſua Extrauaganti, Graue nimis, in qua inquit: Sanè ſicut accepimus, nonnulli diuerſorum Ordinum Profeſſores ad *prædicandum* Verbum Dei, in diuerſis *ciuitatibus*, & locis, partibus *Lombardiæ* deputati, &c. & non ignari, quod S. Romana Eccleſia de intemeratæ, ſemperque Virginis Mariæ *Conceptione* feſtum celebrat, &c. editoſque deſuper libros, &c. Auctoritate Apoſtolica tenore præſentium *reprobamus, & damnamus, &c.* De cætero auſu temerario, præſumpſerint in eorum *prædicationibus ad populum*, ſeu aliàs quomodolibet, &c. Tempore enim Bandelli erat Antonius de Breſcia, & Antonius de Parma, qui ſecundùm Michaelem Pium part. 2. libro 3. ad ann. 1500. colum. 84. & 86. ſcripſerunt Sermones de Sanctis, ac de tempore, & fortè cum illis eſt æquiuocatio, quia omnes iſtos Prædicatores, Lombardos, Brixienſes, Bononienſes, Parmenſes, & Cremonenſes ſui coadiutores enumerat Bandellus in illa claſſe, ſeu capitulo, vbi de Doctoribus Ordinis Prædicatorum. Quòd autem illa Decretalis directa fuerit ad libros Bandelli, conſtat ex eo, nam tunc Bandellus, & ſui ſequaces erant in Lombardia, & ex eiſdem libris conſtat: Decretalis enim fuit expedita anno 1482. Pontificatus Sixti IV. Primus liber Bãdelli prodierat anno 1475. id eſt, 5. Pontificatus Sixti. Secundus verò anno 1481. ac 10. eiuſdẽ Pontificatus, & anno ſequenti prodiit Decretalis, & tamen ea non obſtante iterum prodiit liber Bandelli in Hiſpania anno 1502. cum nouis additionibus, & illa Decretali in operis fronte, quaſi vnico ſcopo, ad quem dirigebant ſagittas ſuas, ſeu, vt dicit Corrector Bandelli ad finem ſuæ Epiſtole ad Patres ſui Ordinis: *Et quia librum hunc legentes, & veritatem in eo luce clarius contentam conſiderantes, poſſent limites à Pontifice Summo poſitos tranſgredi; ideò ex communicationem ab eo promulgatam eius exordio propoſui.* Nota, ad quid adducit ex communicationem, ſcilicèt, vt ſui poſſent terminos à Summ. Pont. poſitos tranſgredi. Ecce quantam, quamque promptam obedientiam præſtabant Summo Eccleſiæ Capiti, & quomodo continebantur intra terminos ab ipſo præfixos. Scribebat Bandellus, prædicabant cæteri, & omnes ſub militia originalis peccati militabant: vnus contra Virginis puritatem declamat in die Paſsionis Domini: alter vociferatur contra eandem in die Natiuitatis, vt ſic nulla eſſet dies ſine linea in hac materia; maculare enim Mariam, erat thema (& verè thema commune pro omnibus Feſtiuitatibus, ſiuè lætitiæ, ſiuè mæroris; atque tunc ſolùm reputabatur bonum, & iucundum in hoc, habitare fratres in vnum: atque ille tantùm reputabatur ſtrenuus miles, qui tranſgrediebatur terminos, & docebat eſſe tranſgrediendos. Inſuper nota, quod iſte vocatur à Michaele Pio, Antonius Paruus Bononienſis, ex Leand. Albert. quem ſic adducit: *Antonius Bononienſis, cognomento Paruus, Sermonarium anima fidelis, dicto anno* 1403. & videtur multiplicatus cum Bartholomæo Bononienſi, etiam dicto Paruo, de quo num. 35.

ANTONIVS De Padua Sanctus, Ordinis Minorum, in Serm. Natiuitatis B. Virginis. *Bandell. cap. 24. Deza fol. 43. Spinæ part. 6. cap. 3. Caietan. in opuſc. cap. 3. fol. 75. Vincent. Gryſald. & Canus, Iuſtin. Michouienſ. Arpalleg. fol. 32.*

VERITAS 28.

AVCTOR, & eius opera notiſsima ſunt, quia ille ſanctiſsimus eſt Eccleſiæ Pater, & illa excuſſa fuerunt Pariſiis anno 1521. in 8. & Venetiis anno 1574. per R. P. Raphaelem Mapheum, Venetum, Ordinis Seruorum Beatæ Mariæ, ac nouiſsimè per R. P. Ioannem de la Haye, Pariſiis 1641. in fol. & deindè Lugduni 1653. Auctoritatem verò Sancti Antonii Paduani ſic adducunt Aduerſarij: Sacer etiam ordo Minorum multos inſignes, & clariſsimos Doctores pertulit, qui firmiter aſſeuerauerunt, Beatam Virginem Mariam in originali peccato fuiſſe conceptam. In primis idem tenet Sanctus Antonius de Padua in quodam Sermone Natiuitatis Virginis, ſic dicens: *Beata Virgo fuit in vtero matris à peccato per gratiam Sanctificata, & ſine peccato nata. Hæc ille.* Hæc auctoritas ortum habuit ab vno Bandello: at Sanctus Antonius Paduanus nullum Sermonem habet de Natiuitate Virginis, & ſic ex hac parte ficta, & falſa eſt auctoritas. Deindè in omnibus operibus eius talia verba non reperiuntur, & ſic Bandellus, Deza, Spina, Caietanus, Vincentia, & Gryſaldus errauerunt ab vno, qui locutus eſt falſa. Quomodo enim eſt credibile, quòd ſex Patres Dominicani vidiſſent Sermonem de Natiuitate, & tranſcripſiſſent verba, quæ nullus hucuſque vidit, nec inuenit in operibus impreſsis, nec in manuſcriptis exiſtentibus in Bibliotheca Vaticana? Cum ergo hoc certiſsimum, ac indubitatum

tum ſit, vlterius progrediendo, exiſtimo, quòd vnus Bandellus, hec verba deſumpſerit ex quodam Sermone Natiuitatis Virginis Mariæ, exiſtente in ſuo S. Antonino Florentino part. 4. Sūmæ, titulo 25. cap. 6. quod incipit: *In me omnis gratia, &c.* Vbi ſimilia extant verba, videlicèt hæc: *Poſtquàm enim Anna concepit ex Ioachim Virginem Mariam, anima eius à Deo creata, & corpori infuſa quàm citiſsimè, & fortè eadem die fuit ſanctificata, & ab originali mundata: iuxta illud: Sanctificauit Tabernaculum ſuum Altiſsimus. Nos per nouem menſes moramur in peccato in vtero Matris, in quo, ſi morimur, deſcendimus propter originale ad limbum inferni: ſed Beata Virgo quàm citiſsimè fuit facta Sancta poſt animæ infuſionem, &c.* Hanc auctoritatem adeò expreſſam pro ſua ſententia non adduxit Bandellus in ſuo Antonino (ſeu vt ipſe ſemper vocat) in ſuo Antonio Florentino, Ordinis Prædicatorum: & ratio fuit; quia illam voluit adſcribere, & de facto adſcripſit S. Antonio Paduano, Ordinis Minorum, vt hac inſigni fictione celeberrimum virum, ac Sanctiſsimum Paduanum ad ſuam aream adduceret. Indagauit Bandellus ſimilitudinem quia Sanctus vnus, & alter Sanctus, Antonius iſte, Antonius & ille, ac ſic ſolùm laborauit in habitus mutatione, & paruū Antoninum fecit Minorem. Qualis autem fuerit mens S. Antonii Paduani in hac materia Conceptionis latiſsimè videbis, ò Lector! in noſtra *Militia Immaculatæ Conceptionis contra malitiam originalis peccati*: quia hìc ſolùm intendimus detegere falſitates, ac fictiones in hac materia patratas: ſcias tamen pro nunc breuiter, quod in Serm. Paraſceues litt. C. fol. 112. dicit Chriſtum fuiſſe indutum veſte alba, *Ideſt, carne ab omni labe peccati munda, à Virgine Immaculata ſumpta, &c.* Et Serm. 2. Dominicæ quintæ poſt Trinitat. fol. 202 dicit quòd Maria fuit Thronus *nubis, quia à peccato immunis.* Alia habet, Serm. 5. de Paſſione fol. 218. & ſic concludimus pro certa, ac infallibili veritate, quòd S. Antonius Paduanus non ſcripſit Sermonem de Natiuitate Virginis, nec verba ab ipſis adducta extant in operibus eius: quòd Bandellus hoc finxit, & ab eius malitia cæteri Scriptores Dominicani decepti; dixerūt, & ſcripſerūt cœca fide, quod nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in corde Antonii deſcendit. Mirareris certè, quòd ſcribentes octo Patres Dominicani poſt Bandellum, nec ſaltim vnus recognouerit opera S. Antonii Paduani, vt inquireret veritatem? quando omnes, vt vidimus in Triturationè, ſe prædicant amatores, atque Magiſtri veritatis?

ARMACHANVS, Siuè Armatarius, Primas Hyberniæ in 3. Sentent. diſt. 3. & in Sermon. B. Virginis. *Turrecrem. part. 6. cap. 28. fol. 112. Anonym. Auctore 162. Bandel. cap. 21. Deza fol. 35. à tergo. Vincentia. Gryſald.*

VERITAS 29.

EXTRA Noſtrum aſſumptum eſſet, hìc agere de qualitate doctrinæ huius Doctoris de erroribus in ipſa contentis, & quomodò hæreticalibus dogmatibus pollutus fuerit: de quibus vide S. Antoninū 3. part. Hiſt. tit. 24. ȳ. 9. Bellarminum, Prateolum, & alios quàm plures: ſolùm enim dico, ipſum fuiſſe oppugnatorem maleuolum Ordinum Mendicantium, vixiſſeque ad annum 1357. Hunc Aduerſarii non ſolùm duplicant in ſua area, ſed etiam triplicarunt, quòd ſic oſtenditur.

Vincentius Bandellus loco ſuprà allegato ſic inquit: Idem tenet Dominus Armachanus, Epiſcopus Hysberniæ in 3. Sentent. diſt. 3. ſic dicens: *Beata Virgo poſt animationem fuit à peccato originali per primam ſanctificationem in vtero Matris mundata: ſed in Conceptione Filij fuit fomes peccati ab ea totaliter extirpatus. Hæc ille.* Et ſtatim nullo interpoſito Auctore proſequitur. Idem tenet Magiſter Richardus Rodulphi de Hybernia, Cancellarius Vniuerſitatis Oxomenſis in 2. Sent. quæſt. 7. artic. 2. ſic dicens: *Beata Virgo fuit concepta in peccato originali, & ab eo ante Natiuitatem liberata, vt tenēt Sancti: nec hoc derogat eius dignitati, quia pariformiter, derogaret eius dignitati, quòd fuerit concepta cū libidine parentum, quod nullus dicit.* Hæc, quæ retuli ex Bandello, habet etiam Petrus de Vincentia nulla mutata ſyllaba: hos ergo duos quos vt Auctores diſtinctos enumerant Aduerſarii ſub diuerſis nominibus, citationibus, & auctoritatibus, eſſe vnum, & eundem, patet euidenter; quia nomen proprium Armachani, ſeu Armatarii, Hyberniæ Primatis, fuit Richardus Rodulphus Syrac, quod ita extra omnem controuerſiam eſt, vt liber eius typis mandatus habeat hoc initium: *Incipit Summa D. Ricardi Rodulphi, Archiepiſcopi Armachani, totius Hyberniæ Primatis, de erroribus Armenorum, &c.* Qui quidem liber extat in fol. abſque anno, & loco impreſsionis. Hoc etiam modo ipſum appellant omnes Nomenclatores antiqui, ac moderni. Balleus fol. 153. ſic incipit: *Richardus Rodulphi, Anglus, Lichefeldenſis, Archidiaconus Oxonienſis, olim Gymnaſii Cancellarius magnus, &c. Effectus demum Archiepiſcopus Armachanus, ſummus Hyberniæ*

niæ Primas, &c. Myræus verò in Auctario fol. 263. sic: *Richardus Rodulphus Archiepiscopus Armachanus in Hybernia obijt anno 1359. scripsit varia, sed cautè legenda, &c.* Similiter poteram alia sexcenta testimonia in confirmationem propositi argumenti adducere, ex quibus patet, quòd hìc fuit multiplicatus, vocando eum, primò Armachanum, Primatem Hyberniæ, secundò Richardum Rodulphum de Hybernia; & hæc de duplicatione, seu duplicitate.

Ad triplicationem verò probandam in memoriam revoca illud quod suprà num. 21. dixit Turrecremata, scilicèt: Item, ad idem est alius antiquus Doctor Parisiensis, sequens Magistrum Sententiarum, & Hugonem, cuius nomen non exprimitur in libro, qui apud nos est, qui in summa sua quæ incipit: *Primum principium omnium, sive Deum esse sic ostendimus in 3. libro, &c.* Anonymus verò in classe, cuius titulus est: *Idem tenent infrascripti Doctores presbyteri seculares inscientia famosi*, Auctore in illa classe 11. sic inquit: *Idem tenet Dominus Armachanus Episcopus Hyberniæ in 3. Sent. dist. 3. & in Sermone B. Virginis.* Et infrà Auctore 22. inquit: Idem tenet Magister Richardus Rodulphi de Hybernia, Cancellarius Vniversitatis Oxomensis in Summa sua Theologica, quæ sic incipit: *Principium omnium, &c. In libro, &c.* Et adducit in epilogo, seu compendio eandem auctoritatẽ, seu verba, quæ suprà adduxit Turrecremata: igitur supra dictus Anonymus positus num. 21. & hic Armachanus, & Richardus Rodulphus, de quo infra num 271. vnus, & idem sunt: & sic Auctor iste in Area Dominicana triplicatus, testis est contra Immaculatam Virginis Conceptionem: quis autem esset, si etiã illum inuenissemus quadruplicatum? Nam illa Summa Theologiæ quæ incipit: *Quòd autem principium vnum sit omnium*, edita est sub nomine Alberti Magni, in nouissima impressione tomo 17. Vide quæ diximus num. 21. & citato, & 271. Hoc supposito tanquàm indubitatum de Auctore, & opere.

Restat inquirere de auctoritatibus allegatis ab Aduersariis, ac veritate ipsarum: pro quibus notandum est, Ioannem Vitalem, qui scripsit parum post Armachanum in illo suo celebri Defensorio, seu opusculo de Conceptione Virginis, Ancilla 4. cap. 4. hæc dixisse: *Quintus testis est Dominus Syrac Armachanus Hyberniæ, qui primò aduersarius existẽs 3. dist. 3. Archiepiscopus factus, id reuocauit publicè in Sermone, qui incipit: Sapientia ædificauit sibi domum; ostendens in Conceptione Virginis nullam fuisse culpæ originalis ruinam, quia nullus sapiens artifex in domo dilecta fundamentum iacet ruinosum. Hactille.* Hanc auctoritatem à Ioanne Vitali desumpsit Ioannes de Segouia, & illam proposuit coram Patribus Concilii Basilien sis, in illo tractatu manuscripto ad Concilium Basiliense, incipiente: *Reuerendissimi, Reuerendiq; Patres, &c.* Videns hoc Ioannes de Turrecremata, qui in eodem Concilio partem agebat contrariam, sic cõtra ipsos surrexit dicens: *Item, ad idem est Dominus Armatharius Primas Hyberniæ, in 3. Sent. dist. 3. sicut testimonio patet quorundam tenentium assertionem contrariam; de hoc expressè refert in Sermone suo de Conceptione, Magister, qui hanc materiam studiosè solicitauit in hoc Sacro Concilio, videlicèt Magister Ioannes: quod verò dicitur quòd ipse Armathetanus retractauerit in Sermone, qui incipit: Sapientia ædificauit sibi domum, quousque hoc condigna attestatione, quæ fidem faciat sufficientem in iudicio vniuersalis Synodi demonstretur, nullomodo est credendum. In eo potissimè quia Ioannes Vitalis, qui hoc primò posuit in Tractatulo suo de hac materia in multis similibus, quæ dixit de alijs Doctoribus, sicut de Alexandro de Ales, de S. Thoma, & de Alexandro Nequam, falsum dixisse certissimum est.* Hucusque Turrecremata. Ex quibus patet, quod nec ipse Turrecremata, nec alii Aduersarii viderunt Armachanum in illo libro tertii Senten. dist. 3. sed huius Auctoris, ac libri notitiã sumpserunt ex solo Vitali, & verbis ipsius supra positis, & ex Sermone, seu allegatione Ioannis de Segouia, & sic argumentabatur Turrecremata ex concessis ad hominem: Vos palam, & expressè fatemini, quòd Armatharius nostram aliquando tenuit opinionem in 3. Sent. dist. 3. de hoc per vos constat de retractatione illa facta, postquam ad Archiepiscopatum ascendit; non constat (quia alia quæ in hac materia affirmat vester Ioannes Vitalis, scilicèt, de retractatione Alexandri de Ales, S. Thomæ, & Alexandri Nequam, falsa sunt) igitur etiam erit falsum, quod dicitur de retractatione Armathiarii. Hoc modo argumentabatur Turrecremata. Constat igitur, quòd nec in Concilio illo Basilien si fuit, nec Turrecremata vidit illud opus Armachani super Sententias: at ex hac simplici relatione Turrecrematæ occasionem sumpsit Bandellus ad fabricandas ex proprio cerebro, absque veritate, aut alio fundamento, auctoritates supra positas ex 3. Sent. dist. 3. Armachani, & 2. ex Senten. & post Bandellum omnes alii Scriptores Dominicani sequendo vestigia eius, illas ad litteram transcripserunt, errantes solùm quia primus à via veritatis discessit. Cùm ergo ex omnibus dictis constet, quòd Auctor fuerit suspectus in doctrina, & ipse quadruplicatus, & auctoritates suppositæ, falsæ, ac fictæ; quid dicemus ad hæc?

Vidimus, quo fundamento Aduersarii adduxerint Armachanum super Sententias; restat nunc scire de illo Sermone Beatæ Virginis

quem

quem adducit solùs Anonymus, dicens: Idem tenet D. Armachanus Episcopus Hyberniæ in 3. Sentent. dist. 3. & in *Sermone B. Virginis.* Qualis fuerit Sermo iste B. Virginis, in quo Armachanus sustinuit, Virginem Mariam fuisse in originali peccato conceptam, hucusque incognitus est; & existimo, quod sic erit vsque ad diē iudicii; de hoc enim Sermone nullam mētionem faciunt Turrecremata, Bandellus, nec Vincentia, &c. sed solùs vnicus Anonymus, nec huius Sermonis aliqua adducuntur verba: igitur hic Sermo videtur etiam fantasticus, & fictus. Deindè addo, quòd cum Ioannes Vitalis affirmet, quod Armachanus scripsit Sermonem pro Immaculata Virginis Conceptione, & adducit initium Sermonis, & insuper aliqua illius verba: Et idem dicit Alanus, Doctor Parisiensis, qui scripsit ad annum 1392. ac denique Ioannes Paleonidorus, ex Ordine Carmelitarum in libro de antiquitate, & sanctimonia Eremitarum Montis Carmeli, &c. lib. 1. cap. 1. fol. 2. dicit: *Minor patet per D. Richardum Rodulphum, Ardinacanum, qui fuit Primas Hyberniæ, in quodam Sermone, qui incipit: Aue Maria, quem prædicauit coram Venerabili cœtu Cardinalium in Conceptione Virginis gloriosa in conuentu Carmelitarum Auinionensi, vbi inter cætera, sic dicit: Beata Maria fuit illustrata virtutibus in sui origine, &c.* Cum hoc dicant tres Auctores grauissimi, & antiqui de Sermonibus Armachani, & sic alii quam plures moderni. Nam Balleus fol. 154. affirmat, Armachanum scripsisse, non solùm Sermonem, sed librum integrum de laudibus B. Mariæ, qui incipit: *Aue gratia plena, &c.* Et idem affirmat Gesnerus fol. 726. & alii. Vbi ergo est hic Sermo citatus ab Anonymo? Ego existimo, quòd nullum fuit aliud fundamentum, ad hanc fabricandam chymeram, nisi quòd Anonymus audiuit, quòd Armachanus scripserat Sermonem de Conceptione Virginis, & volens huius Sermonis mutare colorem optimum, & argentum illius vertere in scoriam, dixit: *Idem tenet Armachanus in Sermone, &c.* Vide de hoc Sermone plura infra num. 271. quia existimo me illum inuenisse, licèt non sub nomine Armachani.

ARMANDVS De Bello-Bisu, Ordinis Prædicatorum in collatione de Conceptione 34. *Ita Paul. Gryfald. in Classe 5. Ordin. Prædic. Auct. 9.*

VERITAS 30.

SVPONIT Tanquàm certum, quòd apud aliquos Nomenclatores Ordinis Prædicatorum inueniuntur duo scriptores huius nominis; nam fuit Armandus de Bello-Bisu Bononiensis, Magister Sacri Palatii, qui scripsit Postillam in Psalmos; & alter Armandus de Bello-Bisu, Barcinonensis, qui scripsit tractatum de Conceptione Virginis Mariæ, vt ipsi referunt ad annum 1530. Vide Francisc. Diagum in Historia Prouintiæ Aragoniæ lib. 2. cap. 31. & Alphon. Fernandez in sua concertatione fol. 323. de quo nos diximus aliqua in Trituratione num. 39. Michael Pius part. 2. lib. 1. colum. 108. ad annum 1296. adducit Armandum de Bello-Bisu, qui scripsit Postillam Scholasticam in Psalmos, & lib. 2. colum. 160. adducit Armādum de Bello-Bisu, Magistrum Sacri Palatii: sed secundum alios, & iuxta veritatem non fuit nisi vnus solùs Armādus de Bello-Bisu, Scriptor in Ordine Prædicatorum, & æquiuocatio stetit in illis vocibus Barcinonēsis, & Bononiensis, propter similitudinem. Deindè etiam est certum, quòd hic scripsit tractatum de declaratione difficilium dictorum, & dictionum in Theologia, quia incipit: *Reuerēdissimo in Christo Patri, &c.* Et etiā Sermones ex Psalterio Dauidico, seu collationes 98. quas in lucem dedit R. P. F. Ioannes de Vero, & prodierunt Lugduni anno 1525. cuius libri finis est: *Expliciunt Sermones compositi per Fratrem Armandum de Bello-Bisu, Ordinis Prædicatorum, ac Sacræ Theologiæ Magistrum, actu legentem ordinariè in Sacro Palatio Apostolico in ciuitate Auinionensi, vbi tempore Patris, ac Sanctissimi D. N. D. Ioannis Dei gratia Papæ XXII. Sancta Romana Curia tenebatur, quos in præfata ciuitate, & Curia compilauit, qui tamen inuenti sunt in honesto, & Religioso Fratrum Prædicatorum conuentu Beluacen. &c.* In hoc ergo libro extant de Conceptione B. Virginis Mariæ collationes quatuor, videlicèt, colum. 4. 27. 34. & 78. Ex quibus euidenter colligitur, quàm celebre erat iam Conceptionis festum ad annum 1316. (tunc enim regnare cæpit Ioannes XXII. in Ecclesia Romana) Vndè conuicti manent ad hominem illi, qui affirmant, festum Conceptionis incepisse tempore Sixti IV. qui auguratus fuit anno 1471. Siquidem Armandus, Ordinis Prædicatorum, & Sacri Palatii Magister edidit de Conceptionis Mysterio Collationes, seu Sermones quatuor, quando in toto libro solū continentur 98. de Sanctis, ac de tempore: Igitur illo tempore iam solemnissima erat. Et cōfirmatur ex collatione 27. quæ est sub hoc titulo: *De Conceptione, seu sanctificatione B. Mariæ Virginis ex Psalm. 31. de qua nunc melius sentit Ecclesia.* Sed tunc non sentiebat melius de sanctificatione, quia Ecclesia nunquam celebrauit festum de sanctificatione: ergo iam tunc, secūdùm Patres Prædicatores, melius sentiebat Ecclesia de præseruatione. Tandem pro certo etiam scias, quòd Armandus scripsit ab

anno

anno 1316. vsque ad annũ 1334. in quo Ioannes XXII. naturæ debitum soluit. Et quod post integrum seculum scripsit Turrecremata, id est, ad annum 1436. ac deinceps, reliqui Scriptores Ordinis Prædicatorum supra relati in Trituratione, & nullus ipsorum mentionem facit de Armando, nisi solùs Grysal. & iste ex quatuor Collationibus iam relatis solùm adducit vltimam: & in super illius nullã adducit auctoritatem; & ratio meo iudicio est; quia omnes existimarunt, Armandum potiùs esse pro nobis, quàm contra nos; quod sic ostendo ex auctoritatibus à Grysaldo prætermissis.

Primò, ex coll. 4. ad illud: Exurrexi quia Dominus suscepit me, sic inquit: *Quantum ad primum nota: surgere, non est nisi cadentis, & quia ipsa in peccatum originale verissimè naturaliter cecidisset (omni priuilegio secluso) sicut & cæteri; ideò dicit, exurrexi, quia hoc fuit necessarium. Ratio est: Vinitores volentes habere vlas mundas, & vinum defecatum, ac mundum, vites, quæ ceciderunt ad terram, erigunt, vndè pro tempore ne puluis, vel lutum terræ vbas reddat immundas, aut lutosas. B. Virgo comparat se viti, Eccl. 24. Ego quasi vitis fructificaui. Ad hoc ergo vt botrus ille pretiosus Dei Filius, à quo vinum sumimus in Sacramento Altaris, expressum in torculari Passionis, nihil contraheret impuritatis, necesse fuit pro tempore, id est, statim in puncto Conceptionis vitem, id est, Virginem erigi à peccato originali in Psalm. exurge gloria mea, exurge Psalterium, & cythara, exurgam diluculò, id est, ante ortum. Iob 3. de de peccato originali loquens: Spectet lucem, id est, Christum, & non videat, nec ortum surgentis Auroræ, scilicèt, Virginis Mariæ.* Fatetur ergo Armandus, quòd Maria in peccatum originale verisimè, & naturaliter cecidisset, sicut cæteri, nisi adesset priuilegium.

Secundò, ex coll. 27. fol. 31. ad illud: Tu remisisti impietatẽ peccati mei, inquit: *Ad propositum: Peccatum originale non est nisi priuatio originalis iustitiæ, cum debito habendi eam: Vndè peccatum originale est quoddam debitum, quod remittitur, cum culpa diluitur; inter cæteras autem creaturas Virgo B. Filium plus dilexit 2. Reg. 1. &c. Ergo Filius plus doni debuit ei conferre, & debitum quodcumque remittere; & ideò ipse ipsi remisit debitum peccati originalis, & contulit dona gratiæ spiritualis, &c.* Et infrà: *Non solùm enim spinæ peccatorum mortalium, & tribuli peccatorum ventalium fuerunt extirpatæ, sed zizania originalis peccati totaliter eradicata, in tantum vt in ea, vel in nato ab ea nullomodo sic creseeret, &c.* Si debitum peccati originis fuit remissum Mariæ, & ab ea, & ex nato eius Christo Domino, eodem modo, ac totaliter eradicata zizania originalis peccati in sententia Armandi: ergo Armandus non agnoscit in origine Mariæ culpam. Sed quidquid sit de his duabus auctoritatibus.

Tertiò, videamus ex Collatione ab ipsomet Grysaldo adducta, scilicèt, 34. ad illud: sanctificauit Tabernaculum suum Altissimus: Quid colligere possumus de mente Armandi inquit: igitur sic: *Opportuit ergo Virginem gloriosam lumen habere quasi innatũ sibi à principio creationis: & hoc fuit gratia sibi infusa statim à principio suæ creationis. Mediante enim lumine gratiæ intrauit lumen æternæ gloriæ, sicut in Psal. dicitur: In lumine tuo videbimus lumen. Oportuit etiam, quòd quia omnes ab Adam nascentes lippositatẽ, & impuritatẽ originalis peccati cõtrahunt, ab ea primitus purgaretur, & sanctificaretur, & hoc factum est statim post suam Conceptionem, ideò scribitur de Bersabee matre Salomonis 2. Reg. 11. Statim sanctificata est mulier ab immunditia sua, &c. Vt enim dicit Apostolus Rom. 5. Sicut per vnum hominem peccatum in mudum intrauit, & per peccatũ mors, ita in omnes homines mors pertranfit: Vnde ipsa Virgo Beata originale contraxit. Prius ergo non tempore, sed natura in sui sanctificatione morticinium originalis peccati expulsum fuit, & deindè per vnionem gratiæ Spiritus Sãcti sanctificata fuit.* Multa possunt deduci ex hac auctoritate: nam si habuit gratiæ lumen infusæ statim à principio creationis: Ergo non habuit originale in ipso creationis principio. Item, si admittit solùm prioritatem naturæ, non autem temporis, inter peccatum originale, & sanctificationem, secundùm suum opinandi modum, nec per solùm vnicum instans fuit Maria maculata, sed semper Immaculata.

Quartò, in collat. 78. inquit: *Ideò dicit Psalmus: Sanctificauit Tabernaculum suum Altissimus, scilicèt, per gratiæ, & virtutum infusionem: Deus in medio, scilicèt, Christus, non commouebitur, propter peccati originalis expulsionem, & actualis præseruationem. Adiuuabit eam Deus manè diluculò, quia hoc fuit factum statim ab eius Conceptionis principio, &c. Nox media vt dies illuminabitur, quia existens ipsa in medio noctis silentio, id est, in Matris vtero, & ipsa in vmbra originalis peccati concepta, statim per sanctificantem gratiam illuminata fuit, &c.* Hæc, & alia huiusmodi habet Armandus, quæ in nostra *Militia* latè examinãtur, in quibus verbis licèt ferè sæper repetat, quòd in vtero Maria fuerit sanctificata, purgata à peccato, & aliquando apertè, quòd contraxerit originale, loquitur sub illa vniuersali æquiuocatione antiquorum, existimantium, concupiscentiam parentum, & infectionem carnis esse originale. Nisi enim sic explicetur, & intelligatur Armãdus, passim se ipsum cõtradiceret: Est igitur Armandus, vel pro nobis, vel problematicus, vel saltem varius, & inconstans. In super, si verum

rum eſt, quod in Trituratione dicebamus, ex ipſis Nomenclatoribus, Ordinis Prædicatorum, ſcilicèt, Armādum elaboraſſe ſingularem tractatum de Conceptione Virginis, cùm illum non adducant Aduerſarii pro ſua ſententia: ſignum eſt euidens, quòd Armandus in illo libro noſtram ſequebatur ſententiam. Nam ſi omnes Patres Dominicani, relati in Trituratione, recollegerunt pro ſua opinione omnia, & ſingula, quæ pro ipſis quoquomodo eſſe poterāt, à ligno, & Cedro, quæ eſt in Libano, vſque ad Hyſſopum, quæ egreditur de pariete, de volucribus, reptilibus, &c. & prætermiſerunt illum Tractatum Armandi de Conceptione: ergo Armandus in illo non erat pro ipſis.

ARNALDVS, Salernitanus Epiſcopus, Ordinis Minorum in libro. Diſtinctionum ſuarum cap. de Arca. *Bandell. cap.* 24. *Dezafol.* 48. *Petr. de Vincent.*

VERITAS 31.

DE Hoc Arnaldo nullam adducunt auctoritatem, quia tantùm dicunt: *Idem tenet Magiſter Arnaldus, Epiſcopus Salernitanus, in lib. Diſtinctionum ſuarum, & in cap. de Arca.* Et nota citationis modum: *In lib. Diſtintionum ſuarum, & in cap. de Arca*, vt inſinuarent, quòd in duplici loco dixerit Salernitanus, Virginem fuiſſe cōceptā in peccato originali, in lib. Diſtinc. & in cap de Arca. Sed nullam adducunt auctoritatem, fortè vt ſua non detegeretur impoſtura; nam Auctor iſte videtur penitùs fictus, multiplicatus, atque contra veritatem adductus: quod ſic demonſtratur. Primò, eſt fictus, quia nullus Nomenclator antiquus, vel modernus de tali Arnaldo, Epiſcopo Salernitano, mentionem facit, nec in Chronicis, aut Annalibus Ordinis Minorum inuenitur. Nam Epiſcopus Salernitanus ſolùs fuit Bertrandus de Turre, quem Aduerſarii etiam adducunt infrà pro ſua ſententia, num. 42. & fortè pro Bertrando de Turre, Archiepiſcopo Salernitano, dixerunt de hoc Arnaldo, Epiſcopo Salernitano, & ſic eſt multiplicatus. Et cōprobatur: quia ex Ordine Minorū ſolùm tres Arnaldi inueniuntur Scriptores, ſcilicèt, Arnaldus Aloſtanus: ſed hic fuit Flander, & non Epiſcopus, & obiit anno 1578. & ſic hic non potuit eſſe, cum Bandellus ſcripſerit ante integrum ſæculum, ad annum 1475. alius fuit Arnaldus à Boſatio, & hic fuit Gallus, & etiam modernus: ac tandem fuit Arnaldus Guillelmus, qui ſcripſit librū dictū: Dieta ſalutis. Hæc conſtant ex Vvilloto, Gonzaga, Toſigniano, & Vvadingo, & ſic Arnaldus iſte, Epiſcopus Saleternitanus, & Minorita volauit ſuper pennas ventorum.

Secundò: eſt multiplicatus, quia hic citatus liber Diſtinctionum extat manuſcriptus in Bibliotheca S. Ioannis Regum Toletan. antiquis caracteribus, littera Z. n. 65. & incipit: *A A A. ſignificat gemitum, & metum.* Sed huiuſmodi Diſtinctionum liber non eſt Arnaldi, ſed cuiuſdam Aſtenſis, Ordinis Minorum, qui floruit ad annum 1312. quem etiam pro ſua ſententia adducunt Aduerſarii, infra num. 77. Et quòd liber iſte ſit Aſtenſis, patet ex titulo, rubris caracteribus præfixo in eodem libro, qui talis eſt: *Incipiunt Diſtinctiones Aſtenſis, aptæ multùm ad componendos Sermones, &c.* Cùm ergo Aduerſarii adduxiſſent Aſtenſem Minoritam in quodam Sermone, vt in præallegato numero videbimus, cum hoc Diſtinctionum libro alterum finxerunt Minoritam Arnaldum Salernitanū, qui nūquam fuit in rerū natura, vt talibus multiplicationibus numerus Minorum fieret maior contra Immaculatam Virginis Conceptionem.

Tertiò: quiſquis fuerit Auctor iſte, ſiuè Bertrandus, Arnaldus, ſiuè Aſtenſis, abſque vllo fundamento adducitur. Nam in illo libro Diſtinctionum cap. de Arca Noe, quod incipit: *Arcæ Noe comparatur B. Virgo:* in principio hæc ſunt verba: *Fuit Arca B. Virgo leuigata, id eſt, polita gratia ſanctificationis, bituminata gratia conſeruationis, ita quòd aquæ diluuii non potuerunt in ea habere aditum, imò etiam quantò magis tribulationes creſcebant, tantò magis eleuabatur in altū.* Et infrà: *Arcæ Moyſi, quæ vocatur fœderis, & Arcæ reconciliationis, Arcæ Teſtamenti, Arcæ ſanctificationis aptatur B. Virgo propter eius fabricam, &c. De primo Exodi 25. Arcam de lignis Sethim compingite. Vndè Gloſſa, ligna Sethim ſunt bona, & imputribilia, in quo ſignificatur B. Virgo, quantū ad puritatem incorruptibilem, & leuitatem incomprehenſibilem. Peccatum Arcarys graue, & putridum fuit, &c.* Et infrà: *Arcæ Teſtamenti aptatur B. Virgo, in qua erat materia pretioſa, forma artificioſa, &c. De primo, Exod. 37. Beſeleel Arcam Domini fabricauit de lignis Sethim. Per Beſeleel, qui interpretatur vmbraculum Domini, intelligitur Spiritus Sanctus, de quo dicitur Lucæ 1. Spiritus Sanctus ſuperueniet in te, &c. Arca iſta fuit B. Virgo, cuius primordialis materia fuit de lignis Sethim, id eſt, ad modum ligni Sethim albæ ſpinæ, &c.* Hæc ſunt omnia, quæ in illo libro Diſtinctionum, & citato capite de Arca extant, quæ poſſunt concernere propoſitam Conceptionis materiam. Aduerſarii ergo pro ſe adducunt iſtum librum, ſeu auctoritatem; quia ibi vocatur Maria, Arca ſanctificationis; & quia gratia ſanctificationis fuit bituminata; deducentes ſuam communem conſequentiam: fuit ſanctificata: ergo contraxit originale peccatum. Inſulſa certè illatio, vt

alibi

alibi passim demonstrabimus in hac Ventilatione. Nam quis negat, vel negare potest Mariam in sua Conceptione fuisse sanctificatam? Id est, sanctam factam? neque pro hac consequentia opus erat recurrere ad Pseudo-Arnaldum, cùm notissima sit illa Dauidis exclamatio: Surge, Domine, in requiem tuam, tu, & Arca sanctificationis tuæ.

Sed iam educamus ex hac citata auctoritate, & Arca vestra sicut immunda, etiam munda, ex ipsis Auctoris verbis. Primo hoc, aquæ Diluuii non potuerunt habere aditum in Mariam; sed aquæ Diluuii fuerunt vmbra peccati originalis, dicente, atq; canente Ecclesia sancta: *Ruptisunt fontes abyssi magnæ, & factum est diluuiū peccatisuper omnē terram; Arca verò Deifera eleuata est insublime, &c.* Igitur si aquæ istæ no habuerunt aditū ad Mariam: ergo non contraxit illud. Secūdò, si Arca hæc Mariana fuit fabricata ex lignis Sethim imputribilibus, puris, & incorruptibilibus, dicente eadem Ecclesia infesto Immaculatæ Conceptionis: *Arcam de lignis Sethim compingite, &c.* Igitur in ipsa non habuit locum corruptibilitas, & impuritas peccati originalis? Tertiò, si primordialis materia huius Arcæ fuit ex lignis albis, no nigris, vt dicit Auctor: Igitur Maria in suo primordio nullam habuit peccati originalis vmbram; vel nigredinem? Cùm ergo in proposita Arcæ auctoritate, essent istæ tres illationes nitidæ, & mundæ, quasi columbæ lacte lotæ; ideò Bādellus in suo diluuio fictionum tacuit verba; & solùm dimisit coruum, qui non est reuersus ad eum.

ATHANASIVS Magnus, Episcopus Alexandrinus, ac Sanctus, super Lucam. *Ita Bandellus cap. 14. & in Officio Lect. 8. Dezza fol. 20. à tergo. Spina part. 6. cap. 2. & Vincentia.*

VERITAS 32.

SANCTI Athanasii Alexandrini opera notissima sunt, siquidē prodiderunt Romæ 1477. Parisiis 1520. & 1581 & 1532. & nouissimè anno 1608. & Coloniæ anno 1617. Sed cùm S. Athanasius non scripserit super Lucam, totum quod de hoc sanctissimo Ecclesiæ grecæ Patre dicunt Aduersarii, fictum, atque fantasticum est. Auctoritatem verò ipsius sic adducunt: Magnus etiam Athanasius, Alexandrinus Episcopus, Sanctitate, & Doctrina mirabilis, super Lucam, prærrogatiuam Christi protestatus est, sic dicens: *Christus enim singulariter Sanctus erat, & in hoc ab alijs Sanctis in sanctitate dissimilis, quia sanctitatem simul cum natura suscepit. Hæc ille.* Vnde Gregorius hic dictū exponens in 2. Moralium: *In cunctis, inquit, fidelibus Spiritus Sanctus venit; sed in solo Christo singulariter mansit quia eius humanitatē nunquā deseruit. Hæc ille* Hucusque sunt ad litteram Aduersariorum verba, in quibus non solùm adducūt Athanasium, sed etiam Gregorium. Quod autem auctoritas Athanasii sit ficta, & supposita, nō indiget probatione; quia nec S. Athanasius scripsit super Lucā, nec in aliis Athanasii operibus talia reperiuntur verba. Hāc autē auctoritatē suo modo, ac pro libito fabricarunt, & finxerunt ex quibusdam verbis Bedæ super Lucam cap. 1. lib. 1. tom. 7. colum. 225. ad finem, de qua nos infrà in Beda num. 41. Auctoritate 3. Et sic constat, quòd tàm citatio, quàm verba sunt ficta, & ab ipsorūm cerebro ad libitum fabricata, vt loco dicto demonstrabitur. Sed videamus, an vt ipsi dicunt, S. Gregorius exposuerit hanc suppositam, & fictam Athanasii auctoritatem in lib. 2. Moral (nota allegationis modum, quando liber ille habet 29. capita) verba autem Gregorii in præallegato 2. libro Moralium cap. 28. sub hoc titulo: *Quòd prophetis Sāctis, & adest, & abest spiritus Prophetiæ*: exponens illud Amòs 7. *Non sum Propheta, &c.* sic inquit Gregorius: *Vndè benè & in Euangelio scriptum est: Super quem videris Spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est qui baptizat. In cunctis namque fidelibus, Spiritus venit, sed in solo Mediatore semper singulariter permanet: quia eius humanitatem nunquam deseruit, ex cuius Diuinitate processit: in illo igitur manet, qui solùs & omnia semper potest; nam fideles qui hanc accipiunt, cùm signorum dona semper habere, vt volunt, non possunt, hunc se accepisse, quasi in transitus ostensione testantur.* Hæc sunt verba Gregorii, in quibus nec in toto capite nominat Athanasium, nec saltem aliquod verbum ex illis citatis ab Aduersariis de Athanasio: ergo totum, ab ipsis propositū, tàm de Athanasio, quàm de Gregorio fictum est, & contra veritatem adductum: quoad litteram ex dictis patet, quoad sensum demonstrabitur suo loco, quia Beda loquitur de Mariæ integritate; Gregorius verò de dono Prophetiæ; quod in fidelibus non semper adest, benè tamen in Christo Domino, in quo singulariter permansit, & cuius humanitatem nunquam deseruit, sed quid hæc cùm Conceptione Virginis Mariæ, vel cū verbis S. Athanasii? An spiritus Prophetiæ est peccatum originale? Vt verba vnius Patris, ac Magni Athanasii, Ecclesiæ grecæ Doctoris fingerentur intentione alterius: verba, & omnia Gregorii Magni Ecclesiæ latinæ Doctoris adulterata sunt.

AVGVS-

AVGVSTINVS De Ancona, Ordinis Eremitarum S. Auguſtini in Poſtilla ſuper Lucam, & ſuper Epiſtolas Pauli. *Anonym. Auctore* 126. *Bandel. cap.* 25. *Deza fol.* 49. *à tergo. Vincent. & Paul. Gryſald.*

VERITAS 33.

DE Auctore non eſt dubitandum, quia doctus, & grauis fuit, communiter Auguſtinus Triumphus Anconitanus dictus, qui natus ann. 1243. vna cum Ægidio Romano, Columna Pariſios audiuit SS. Thomam, ac Bonauẽturam, & octogenarius deceſsit è vita. Scripta, & elogia huius Auctoris vide apud Thom. Gratianum in Anaſtaſi, fol. 38. quem ſic adducunt Auerſarii: *Idẽ tenet eiuſdem Ordinis Magiſter Auguſtinus de Ancona in Poſtilla ſuper Lucam, vbi probat per multas rationes, quòd B. Virgo fuit Concepta in peccato originali: Idem etiam dicit ſuper Epiſtolas Pauli in multis locis.* Dicimus ergo, quòd Aduerſarii non ſolùm cum ſufficienti, ſed etiã ſuperlatiuè cum ſufficientiſsimo fundamento adducunt pro ſua ſententia Auguſtinum Anconitanum, ſed non vt ipſi dicunt in Poſtilla ſuper Lucam, ſed in ſpeciali tractatu in Salutationẽ, & Annuntiationem Angelicam, ſuper caput 1. Lucæ, qui nec eſt, nec poteſt dici Poſtilla, ſed latiſsima expoſitio, & commentarius, nec etiam eſt verum illud quod dicunt: *Probat per multas rationes, &c.* quia quæ ibi adducit, nec ſunt rationes, nec multæ; ſed hoc probat per tria inconuenientia, & breuiſsimè. Verba enim ipſius quæſt. 1. ſunt: *Dicamus ergo, quòd Beata Virgo, ſi non fuiſſet in peccato originali concepta, tria inconuenientia ſequerentur.* Inconuenientia autem ſunt hæc. Primo, quòd non fuiſſet ex ſemine Adæ, & Abrahæ. Secundò, quòd non fuiſſet per commixtionem maris, & fœminæ. Tertiò, quòd non eguiſſet Redemptore. Quæſtione verò 2. probat latiſsimè, quòd fuerit in vtero ſanctificata, & inter alias rationes adducit hanc: *Quod ergo Beata Virgo fuerit in vtero ſanctificata, auctoritate Canonis Bibliorum, vel ſacræ Scripturæ probare non poſſumus, quia de ea non fit mentio. Sed probatur hoc Eccleſiæ approbatione, & Sanctorum ratione. Nam Eccleſia celebrat, ſolemnizatque Virginis glorioſæ Natiuitatem, quod nequaquam approbaret, niſi firmiter teneret, ipſam in vtero ſanctificatam, &c.* Ex quibus verbis tria notanda colligimus. Primum, quòd antiquitus fuit controuerſia non leuis circa Virginis ſanctificationem; vndè quando Auctores antiqui abſolutè dicunt; Maria fuit ſanctificata in vtero matris, hoc proferunt contra illos, qui affirmabant, non fuiſſe ſanctificatam, non contrà adſtruentes præſeruationem. Secundum, quòd ſi Anconitanus vixiſſet his temporibus, in quibus Eccleſia celebrat, & ſolemnizat Virginis glorioſæ Conceptionem, abſque dubio mutaret ſententiam; nam ecce redit ad ipſum ſaum argumentum: *Nam Eccleſia celebrat, ſolemnizatq; Virginis glorioſæ Conceptionem, quod nequaquam approbaret, niſi firmiter teneret, ipſam in vtero fuiſſe præſeruatã.* Tertium, & principale notandum eſt, quòd Eccleſia videtur hodie tenere quaſi eadẽ firmitate, vel ſimili certitudine, Virginem fuiſſe puram, & ſine peccato in ſua Conceptione, ſicut tenet, & affirmat de eius Natiuitate; quia eodem modo, ac eiſdem verbis celebrat vtramque feſtiuitatem. Et hæc de illa expoſitione Anconitani ſuper cap. 1. Lucæ.

An verò ſuper Epiſtolas Pauli in multis locis, vt Aduerſarii dicunt, ſuſtinuerit Anconitanus, Virginem Mariam conceptam fuiſſe in originali peccato, mihi incertum eſt, quia licèt plura opera huius Auctoris viderim manuſcripta, vt de Poteſtate Papæ, & ſuper Euangelium Matthæi, quod incipit: *Dum quietum ſilentium*, ſuper Epiſtolas Canonicas, & Apocalypſim: & alia quam plura, nunquam tamen inuenire potui hanc expoſitionem ſuper Epiſtolas Pauli. Relinquo ergo rem ſub lite, quia veritas ſolùm ſecundùm quod iuſtum, eſt iudicat.

AVRELIVS Auguſtinus, Hyponenſis Epiſcopus, Malleus Hæreticorum. Sanctus, & Eccleſiæ Doctor, ſuper Pſalm. 34. 7. & 10. ſuper Ioann. Hom. 5. & libro 2. & 5. contra Iulianum cap. 9. & libro 2. de Baptiſm. Paruul. & de Natura, & Gratia, & lib. de Nuptiis, & Concupiſc. & de Perfect. Iuſtitiæ, & de Origine Animæ, & Hypognoſticon contrà 1. Blaſphem. & contra quinque Hæreſes, & lib. de Ciuitate Dei, & libr. ad Dardanum, & de Trinitat. cap. 13. & in Inchiridione cap. 15. & 26. & de Grat. & Peccato originali, & in Pharet. Original. Sanctorum, & contra Maxim. lib. 12. cap. 21. & libro: Quando, cur, & quomodo Deus homo cap. 6. & 10. & Sermon. de Aſſumpt. & Serm. 16. de Verbis Euang. in libr. de Articulis Fidei, & 10. Confeſionum, &c. *Ita Capreolus, Turrecrem. part. 5. cap. 9. fol. 87. à tergo, & cap. 19. fol. 95. à tergo, & cap. 20. Anonym. Auctore 22. & via 3. part. 2. ab auctoritate prima, & deinceps, Bandel. cap. 9. & in Officio Lection. 4. 5. & 6. Deza fol. 15. Vincent. Gryſald. Caſtellan. Barel. Brixienſ. Soncinas, Canus, S. Antoninus, Spin. Sotomaior, & omnes ferè in Tritur. relati.*

VERITAS 34.

DE Isto sanctissimo, ac notissimo Ecclesiæ Doctore, cuius opera millies fuerunt excussa Lugduni 1520. in 4. & ibidē 1563. Parisiis 1571. Basileæ 1529. & iterum Parisiis 1531. Antuerpiæ 1586. & alibi, tot, tantasque adducunt auctoritates, aliquas ex professò, alias vero incidenter, vt satis difficile esset eas ad numerum reuocare, ac transcribere ad litteram, & earum sensum radicitùs explanare; sed qua potuerimus breuitate, principaliores, ac communiores ventilabimus. Prima ergo ab Aduersariis, ex Augustino adducta sic se habet: In primis nāquè Aurelius Augustinus, &c. sic dicit super Psalm. 34. *Adam mortuus est propter peccatum, Maria ex Adam mortua est propter peccatum: caro autem Domini ex Maria mortua est propter delenda peccata. Hæc ille.* Augustini verò verba præallegato Psal. 34. concione 2. sic se habent: *Sic ergo peccatum Domini, quod factum est de peccato, quia inde carnem assumpsit de massa ipsa, quæ mortē meruerat ex peccato. Etenim, vt celerius dicam: Maria ex Adam mortua est propter peccatum Adæ: Adam mortuus est propter peccatū, & caro Domini ex Maria mortua propter delenda peccata: hoc cilicio se induit Dominus, & ideò nō est agnitus, &c.* Conferendo ergo verba verbis, constat, quòd Aduersarii cauillosè prætermiserunt primam clausulam, scilicèt, *peccatum Domini, quod factū est de peccato, & c.* vt sic tegerent, de quo peccato loquebatur Augustinus; nō de originali, quia Dominus non habuit originale, sed de carne ipsa, quæ per peccatū mortua fuerat in Adam, quā Augustinus vocat peccatum in eodemmet loco, ac clausula dicens: *Ergo sic dicitur mors peccatū, quæ facta est peccato: quomodo dicitur lingua græca, lingua latina, nō ipsum membrū carnis, &c.* Et statim post ista verba prosequitur Augustinus cum supra positis in auctoritate: *Sic ergo peccatū, & c.* Ex hac enim prima clausula pendet intelligentia secundæ, quia est declaratio antecedentis, vt innuitur in illis verbis, etiam pretermissis ab Aduersariis; *vt celeriùs dicam.* Secundò, eadem intentione ante posuerunt illam clausulam: *Adā mortuus est propter peccatū*, vt sic exprimerent, ex peccato Adami priùs, & antecedenter posito, derivatam fuisse maculam in Maria; volentes corrigere Augustinum, per descensum Adami ad Mariam, quia ipse processerat per ascensum à Maria ad Adamum. Tertiò, & principaliter prætermiserunt, *propter peccatum Adæ:* aliud est enim Mariam fuisse mortuam *propter peccatum*, sic nudè dictum: aliud verò longè diuersum, esse mortuam propter peccatum *Adæ*. Nam mors à peccato actuali Adæ fuit originata; non enim moriuntur homines, quia habent, vel habuerunt peccatum originale; sed quia Adam peccauit contra præceptum Domini, dicentis: In quacumque hora comederis, morte morieris. Vndè licèt Deus præseruaret decem, vel viginti homines à peccato originali, adhuc isti morerentur. Vide quæ dicimus circa hoc ex ipso Augustino, infra num. 231. Vndè Maria, vt egregiè dicit Augustinus, non est mortua propter peccatum absolutè, sed propter peccatum Adæ; & cum hoc genitiuo *Adæ*, legunt omnes antiquæ editiones, exceptis duabus modernis. Quartò, quoad sensum etiam adducta est auctoritas sine fundamento, quia in ea agit Augustinus de morte, non de peccato originali: reiicitur ergo hæc prima, quia ex omni parte claudicat in littera, & in sensu, vt visum est.

Secunda sic adducitur: Item, idem in libro Hipognosticon, contra primam Blasphemiā Pelagii: *Christus, inquit Apostolus, de peccato damnauit peccatum in carne, quia de humana videlicèt carne peccatrice carnem absque culpa suscipiens; & hanc innoxiam crucifigens, peccatum quod nos damnauerat per inobedientiam Adæ, pro nobis patiendo damnauit. Hæc ille.* Auctoritas verò Augustini tom. 7. in Hypognosticon vltimæ impress. in Appēdice fol. 615. colum. 1. littera C. & in aliis fol. 294. loquens contra Pelagianos de Christo Domino, talis est: *Nam vt inimicam mortem vinceret, vel eius matrem peccatum, ideò Dei filium hominem suscepisse, si oculos caligine mortis non perdidistis, attendite. Nam quod impossibile erat legi, inquit Paulus Vas electionis, in quo infirmabatur per carnem, misit Deus Filium suum in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne.* Et post sex lineas prosequitur Augustinus: *Id est, per concupiscentias carnis, ex peccato venientes, quas solo arbitrio libero homo vincere non potest; nisi enim præcedente gratia Dei, &c.* Et post alias septem lineas sic prosequitur: *Nam ideò ille in similitudine, quia non per libidinis vsum, vt nos, sed spiramine mystico, ex Virginis vtero, in vera natus est carne: de humana videlicèt peccatrice naturam peccatricem, peccatricem dico, non Deo Auctore, sed homine delinquente, carnem vt dixi, suscipiens absque culpa, & hanc innoxiam crucifigens, peccatum, quod nos damnauerat per inobedientiam in Adam terreno, & c.* Ex omnibus his locis suam breuem auctoritatem composuerunt, seu melius finxerunt Aduersarii, mutando, addendo, auferendo pulcherrima Augustini verba, & si dicere licèt, omnia falsificando, quoad litteram, vt consideranti patebit. Quoad sensum verò nota, quod ibi impugnat Augustinus illam blasphemiam Pelagianorum: *Adam, siuè peccasset, siuè*

non

non peccaſſet, moriturum fuiſſe. Vnde neque ex aſſumpto, neque ex verbis aliquid habet, cõtra Virginis puritatem, quia eſt de natura humana peccatrice. Inquit enim in 2. Blaſphemia circa principium: *Adam igitur factus eſt abſque peccato natura: cum verò peccauit homo, natura peccauit, & facta eſt natura iam peccatrix, id eſt, vitium habens peccati; non ipſa effectiua vitij, vel peccatum, &c.* Et infrà: *Auditque per vnum hominem peccatum intraſſe in mundum, & per peccatum mortem, & ita in omnes homines pertranſiſſe, in quo omnes peccauerunt, & audes dicere, Hæretice; Adæ peccatum nulli niſi ſoli nocuit ipſi? Et verè tunc ſoli nocuit, cum ſolus eſſet ipſe, & Eua mulier eius, ſed in illis vnis omnes eramus, quia natura humani generis erant, &c.* Ideò Aduerſarii prætermiſerunt illa verba: *Peccatricem dico, non Deo auctore, ſed homine delinquente.* Vndè hæc auctoritas magis demonſtrat hominem delinquentem, quam Matrem peccatricem, & ad probandum debitum in Adam efficax eſt.

Tertiam auctoritatem ſic adducunt Bandellus, & eius continuator · Item, idem in libro, Quãdo, cur, & quomodo Deus homo cap. 10. *Sciebant*, inquit, *Sancti Patres, quòd poſt primi Parentis lapſum nemo ex eius ſtirpe more naturali propagandus erat, qui ſe, vel alios erigere valeret, niſi ille deſurſum veniret, qui virtute diuinitatis de carne peccatrice humanitatem ſine peccato acciperet, cum qua homines peccato proſtratos erigeret. Hæc ille.* Chimerica falſitas huius auctoritatis, & illius inaudita fictio non poteſt plenè examinari, neque intelligi, niſi cũ ſequenti, cum qua habet connexionem, vt ex ipſa patebit.

Quartam auctoritatem ſic adducunt illi, qui ſupra: Item, idem in eodem cap. 6. *Si fortè alicui per hominem purum redemptionem hominũ fieri potuiſſe videretur, conuenit vt intelligat, quòd de ſtirpe Adæ nullus naturaliter propagari poterat, qui illius delicto nõ teneretur aſtrictus: & ideò quilibet tantò minus vniuerſale chirographum delere poſſet, quantò vniuerſali, vel propria culpa minimè careret. Hæc ille.* Iſtas duas auctoritates adducunt ex libro S. Auguſtini de Incarnatione Verbi ſub titulo: Quando, cur, & quomodo Deus homo. Sed attende, Lector, & audies mirabilia magna. Et primò talis liber non extat in S. Auguſtini operibus. De Incarnatione enim ſolùm habet Auguſtinus libros duos exiſtentes tom. 4. à fol. 224. quorum primus incipit: *Species eorum, quæ per prædicationem:* & ſecundus ſic: *Vbique in omnibus*; ſed propoſitæ auctoritates in nullo illorum extant, neque in alio quolibet libro, aut loco S. Auguſtini. Item S. Anſelmus Cantuarienſis edidit duos libros de Incarnatione contra Gentiles ſub titulo: Cur Deus homo, & incipit primus: *Sæpè, & ſtudioſè*, & ſecundus: *Rationalem naturam*; ſed nec in iſtis ſunt auctoritates adductæ ab Aduerſariis. Item cum libris S. Fulgentii, Ruſpenſis Epiſcopi: *De Incarnatione, & gratia Domini, &c.* extat quoddam opuſculum Diui Petri Diaconi; de Incarnatione, quod incipit: *Dominis ſanctiſſimis.* Et cap. 6. fol. 176. adducuntur quædam verba ſimillima iſtis propè ſitis in hac ſecunda auctoritate Aduerſariorum, quæ ſic ſe habent, loquens de peccato Adami: *Ex hoc nullus eſt hominum, qui non huius peccati vinculo naſcatur, aſtrictus, præter eum, qui ad hoc vinculum peccati ſoluendum nouo generationis modo natus eſt, mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Ieſus.* Hæc ſunt omnia, quæ extant in Patribus, & quæ inuenire potui circa has duas auctoritates.

Dico igitur aſſertiuè, quòd Aduerſarii illas tranſcripſerunt non ex Auguſtino, ſed ex ſuo Leonardo de Vtino, Ordin. Predicat. Serm. 2. de feſto Natiuit. Domini, qui eſt in ordine 12. qui incipit: *Verbum cáro factum eſt, &c.* circa principium; vbi introducit Sanctiſsimam Trinitatem ſic loquentem: *Tertia ratio eſt · quia nos dedimus humanæ naturæ in ſui prima creatione quædam, per quæ ſupra ſtatum ſuis principijs congruentem eleuabatur, putà, immortalitatem, quæ erat gratiæ non naturæ, iuſtitiam originalem, & alia huiuſmodi ex mera liberalitate noſtra, quæ omnia per peccatum amiſit: vnde reparare eam, eſt ad gradum ſuperiorem ipſam eleuare, in quo priùs condita fuerat. Sed non eſt poſsibile eleuare aliquam naturam ad ſuperiorem gradum, niſi nobis, qui naturas condidimus, & earum gradus ordinauimus; ideò præciſè vnus noſtrum poteſt humanam naturam reparare. Iſtæ rationes confirmantur per Auguſtinum libro, Cur, quando, & quomodò Deus homo, cap. 6. dicentem.* (Nota, Lector, ſequentia; quia iam inuenimus Auguſtinum, librum, & auctoritates) *Si cui per hominem tantummodò hominum fieri redemptio videatur, conuenit, vt intelligat, quòd de Adæ ſtirpe nullus naturaliter propagari poterat, qui illius delicto non teneretur aſtrictus. Et ideò quilibet tantò minùs vniuerſale chyrographum delere poſſet, quantò vniuerſali, vel propria culpa minimè careret. Vndè Rex clemens, & potens tali modo homini ſubuenire diſpoſuit, quo melius nunquam excogitari potuit, & vndè condeſcendit clementiùs, indè illum eleuauit potentiùs. Quia enim primus homo ceciderat, oportuit, vt homo ſecundus conderetur, qui rectitudinem, quam primus homo non tenuerat, iſte quaſi emendando teneret. Hæc ille.* Ecce omnia verba Vtini vndè Aduerſarii trãſcripſerunt auctoritatem cap. 6. in qua ſolùm vitiarunt principium; nam Vtinus ex Auguſtino inquit: *Sicut per hominem tãtummodò hominum fieri redemptio videatur.*

Aduerſarii ſic: *Si fortè alicui per hominem purum redemptionem hominum fieri potuiſſe videretur*: ingerentes illud *purum*; nam alia parui momenti ſunt. Sed iam vltra progrediamur ad inquiſitionem alterius auctoritatis Auguſtini ex capite 10. Proſequitur ergo Vtinus ſic: *Ideò Deus Pater confert cum filio, & Spiritu Sancto dicens illud, quod ponit Auguſtinus ibidem, cap. 10. Adam per inobedientiam morti addictus, meritò poteſt dolere, ſed multò grauiùs, ac miſerabiliùs poſſet lugere, ſi reparationis ſuæ myſterium diutiùs ignoraret: ſcit enim quòd nos Angelis delinquentibus non peperci. mus, ſed irrecuperabiliter eos damnauerimus. Ideòque meritò multò ſibi minus parcẽdum opinari poteſt. Demum itaque qui prius tangendo vetita, grauem ruinam fecit, ſatis grauiorem, & valdè incomparabiliter deteriorem deſperando incurreret, niſi Dominicum aduentum ad inſtar Angelorum minimè cadentium cognouerit venturum. Verumtamen ſumma noſtra prouidentia, qua lapſo homini manũ porrigere diſpoſuimus, quòd tandem ad gratiam redeat, ei inſinuare velimus: & ſub multis miſeriis ægrotantem de ſpe recuperandæ ſalutis lætificare, & quodammodò pondus inſtantis ei doloris alleuiare curemus. Hæc ille.* In hac Auguſtini auctoritate ex cap. 10. nec litteram inuenies ex verbis adductis ab Aduerſariis; ſed vt ſcias, vndè illam extraxerunt, ſcire debes, quòd Vtinus gloſſando, ſeu exponendo prædictas auctoritates Auguſtini ſic proſequitur: *Sic ergo primo homini fuit primitùs reuelatus aduentus Domini, vt ſi meritò de inſtante miſeria doleret, valdè tamen de ſuo, ſuæque poſteritatis remedio gauderet, & filiis ſuis, quibus mortis ſententiam induxerat, quaſi congratulando eorum redemptionem per aduentum Domini poſſet intimare.* (Nota, Lector, ſequentia verba, quia iam ingreditur auctoritas à nobis quæſita) *ſciebat enim, quòd poſt ſui lapſum nemo ex eius ſtirpe more naturali propagandus erat, quiſe, vel alios erigere valeret, niſi ille deſurſum veniret, qui virtute diuinitatis de carne peccatrice ſine peccato acciperet humanitatem, cum qua homines iacentes erigeret de palude, cui inhæſerant, & valdè magno, vt ita dicã, eo nomine extraheret. Tali quippè deſiderio Adam cum filiis ſuis cruciabatur, & tali ſpe pariter refocillabatur. Exempli ſupplicanti Domino Papæ, vel Imperatori, &c.* Et proſequitur latè explicando ſuprà dicta.

Ex his euidenter conſtat, quòd auctoritas ex cap. 10. adiudicata, non eſt Auguſtini, ſed Vtini non ex illo Doctore Eccleſiæ, ſed ex iſto Ordinis Predicatorum ſcriptore. Videns enim Bandellus, quod in verbis Auguſtini nihil erat pro ſua opinione, & quod Gloſſa Vtini ſuper primam auctoritatem capit. 6. aliqualem dicebat reſpectum ad ſuum deſiderium maculandi Dei Matrem, introduxit Gloſſam Vtini ſub nomine Auguſtini in cap. 10. hoc ne eſſet credibile, Lector, niſi ita euidenter demonſtraretur à veritate? Sed adhuc videamus, qua fidelitate trãſcripſit ſuum Vtinum. Et primò, illud, *ſciebat*, id eſt, Adam, tranſtulit Bandellus de plurali, *ſciebant*. Secundò, addidit illud, *Sancti Patres*, vt ſic reduceret auctoritatem ad ſuum intentum de Doctoribus, ac Magiſtris Eccleſiæ. Tertiò, vbi Vtinus, *quod poſt ſui lapſum*; Bandellus abſtulit relatiuum, *ſui*, & introduxit illud, *quòd poſt primi parentis lapſum*. Quartò, vbi Vtinus; *cum qua homines iacentes erigeret de palude, cui inhaſerant*; Bandellus ſic: *cum qua homines proſtratos erigeret*. Hoc fuit genium Bandelli, Generalis Ordinis Prædicatorum: ſimilibus enim auctoritatibus & ſuos decepit, & nos hallucinauit. De mente autem Leonardi de Vtino vide num. 208.

Quinta auctoritas ſic adducitur: Item, idem in 2. de Baptiſmo paruulorum: *Non eſt*, inquit, *in filiis hominum, nec fuit, nec erit qui nullo vnquam peccato fuerit obſtrictus, aut ad iuſtitiam non ex peccato peruenerit, excepto vno Mediatore, per quem finitis peccatorum inimicitiis reconciliamur Deo. Solus ergo ille etiam homo factus, manens Deus, peccatum nullum vnquam habuit, nec ſumpſit carnem peccati, quamuis de materna carne peccati. Quod enim inde ſuſcepit, illud profectò ſuſcipiendo mundauit. Hæc ille.* Vera autem Auguſtini auctoritas tom. 7. lib. 2. de Peccat. Meritis, & Remiſsione, & Baptiſmo paruulorum contra Pelagianos, cap. 24. fol. 300. talis eſt: *Vt nos quidèm nati eſſemus in carne peccati, ille autem in ſimilitudine carnis peccati. Nos non ſolùm ex carne, & ſanguine, verum etiã ex voluntate viri, & voluntate carnis: ille autem tantum ex carne, & ſanguine, & non ex voluntate viri, neque ex voluntate carnis, ſed ex Deo natus eſt. Et ideò nos in mortem propter peccatum; ille propter nos in mortem ſine peccato.* Et poſt quinque lineas impertinentes ad hanc materiam proſequitur ſic: *Nos enim ipſius gratia facti erimus filij Dei, ille ſemper natura erat filius Dei. Nos aliquando conuerſi adhærebimus impares Deo; ille nunquam auerſus manet æqualis Deo. Nos participes vitæ æternæ; ille vita æterna; ſolus ergo ille etiam homo factus, manens Deus, peccatum nullum habuit vnquam, nec ſumpſit carnem peccati, quamuis de natura carnis peccati, quod enim carnis indè ſuſcepit, id profectò aut ſuſcipiendum mundauit, aut ſuſcipiendo mundauit. Ideò Virginem matrẽ non lege carnis peccati, id eſt, non concupiſcentiæ carnalis motu concipientem, ſed pia fide ſanctum germen in ſe fieri promerentem, quam eligeret creauit, de qua crearetur, elegit, &c.* Ex his ſimplici intuitu conſtat primò, hanc auctoritatem eſſe viciatam, præci-

puè

puè quia ex proprio cerebro finxerunt abſque vllo timore hanc clauſulam: *Non eſt in filijs hominum, nec fuit, nec erit, qui nullo vnquam peccato fuerit obſtrictus, aut ad iuſtitiam nō ex peccato peruenerit, excepto vno Mediatore.* Quia nec talia verba, nec ipſis ſimilia extant in præallegato libro Auguſtini, nec (vt reor) in alio ſuorum operum loco, licèt verum ſit, quòd in eodem capite, longè ab auctoritate propoſita 8 o. lineas, dicit Auguſtinus: *Alius eſt ſenſus carnis, ſine quo nullus fuit, aut eſt, aut erit in corpore viuens homo, & aliud eſt cōcupiſcentia, ſine qua fuit antè peccatum primus homo, &c.* Et ſi ex hoc loco ſumpſerunt, eſt totaliter adulterata, ſi ex alio, penitùs ficta. Secundo, alia auctoritatis clauſula eſt vitiata; nam vbi Auguſtinus *Quamuis de natura carnis peccati.* Ipſi ſic: *Quamuis de materna carne peccati*, mutantes verorum illud, *natura*, in, *materna*, vt ſic in materna carne Mariæ ponerent peccatum. Fateor, quod in duobus antiquis originalibus manuſcriptis erat ſcriptum, *materna*, vt notatur in eodem Auguſtino ad marginem, & in Annotation. Louanien. col. 197. quorum verba ſunt: *Nec ſumpſit carnem peccati, quamuis de natura carnis peccati, variant hic M. S. duo, &c.* Et ex hac parte quoad litteram, habere poſſunt aliquam excuſationem, ſed non quoad intentionem: nam ſi omnes impreſsiones habent, *natura*, & ſic omnia alia originalia M. S. qua intētione derelinquentes fontem viuum textus, recurſum habuerunt ad ciſternam marginalem ſolùm, vt macularent Dei Matrem? Præcipuè quando in illis tribus libris de Baptiſmo contra Pelagianos ſemper loquitur Auguſtinus de natura filiorum Adam. Audite Auguſtinum dimicantē contra eoſdem hæreticos, & de eadem materia in lib. 2. Hypognoſticon circa principium: *Nullum enim hominem tam amatorem, vel defenſorem ſui erroris, ad Dei iudicia reprehendenda, vel etiam refellenda diabolus potuit inuenire, niſi Pelagium, & Cœleſtium nouæ legis iura tradentes. Adam igitur factus eſt abſque peccato naturâ: Cùm verò peccauit homo, natura peccauit, & facta eſt naturaliam peccatrix, id eſt, vitium habens peccati, non ipſa effectà vitium, vel peccatum, &c.* Et ſtatim infrà loquē dō de peccato Adami, & Euæ: *Sed illis vnis omnes eramus, quia natura humani generis erant, ſicut in nobis omnibus illi vni ſunt, quia natura eorum ſumus, &c.* De hac natura affirmat Auguſtinus, Chriſtum habuiſſe carnem peccati; quia ſemper contra Pelagianos aſſumit illud Pauli: *Fuimus enim, & nos aliquando natura filij iræ.* Deindè quia hìc, *materna*, non facit perfectum ſenſum, nam ibi loquitur Auguſtinus per Antytheſim, inter naturam diuinam, & humanam, vt conſtat ex illis verbis: *Ille ſemper naturâ erat Filius Dei* (quæ etiam aſtutè prætermiſſa fuerunt ab Aduerſariis) & per correlationē ad iſta dicit Auguſtinus de humana: *Quamuis de natura carnis peccati.* Hoc etiam colligitur ex ſequenti clauſula Auguſtini (quam etiam prætermiſerunt Aduerſarii) ſcilicet: *Ideò Virginem Matrem non lege carnis peccati, &c.* Vnde ſenſus verborum Auguſtini eſt: Chriſtus ex *natura* diuina impeccabilis fuit: at ex *natura* humana habuit ſimilitudinem carnis peccati, non peccatum. Denique quia Pelagiani, vt ſaluarent ſuū deteſtandum errorem circa peccatum originale, conabantur eradicare ex illis Apoſtoli Pauli verbis: *Fuimus enim, & nos aliquando naturâ filij iræ, ſicut & cæteri*; vocem illam, *natura*, & loco illius volebant legere *prorſus*. Accipite expreſſam auctoritatem Auguſtini lib. 6. contra Iulianum Pelagianum cap. 4. fol. 240. col. 3. ad finem: *Quod autem dicis, vbi ait Apoſtolus; natura filij iræ, poſſe intelligi, prorſus filij iræ. Nōnè hinc admoneri debuiſti, antiquam contra vos defendi Catholicam fidem: quia non ferè inuenitur latinus codex, ſi nō à vobis nunc incipiat emēdari, vel potiùs in mendum mutari; vbi non natura ſit ſcriptū, &c.* Tolerabilior profectò erat adulteratio Pelagianorum, nam ipſi mutabant vocem, vt naturam à Deo creatam liberarent à peccato originali; & hìc mutata eſt vox *naturæ*, vt Dei creatoris Matrem macularent originali culpa, &c. Tertio, quia hic loquitur Auguſtinus de Chriſto, nō de Maria; de Conceptione actiua, non de paſsiua. Tandem (& potiſsimè notandum, pro Auguſtino, & aliis Sanctis Patribus) quòd hanc conſequentiam: *Solus ergo ille etiam homo factus, manens Deus, peccatū nullum habuit vnquā, &c.* deducit ex his præmiſsis: *Nos non ſolùm ex carne, & ſanguine, verum etiam ex voluntate viri, & voluntate carnis: ille autem ex carne, & ſanguine, & non ex voluntate viri, neque ex voluntate carnis, ſed ex Deo natus eſt.* Loquitur ergò Auguſtinus de illo peccato generationis, ſiuè de libidine, & concupiſcentia exiſtente in illa voluntate viri, & voluptate carnis, quando vir generat; ab hoc peccato nullus, nullus iterum dico, nullus excipitur niſi ſolus Ieſus, quia omnes alii adhuc, & ipſa Virgo Maria genita eſt ex voluntate viri, & ex voluntate carnis. Sed nō eſt controuerſia de hoc peccato generationis, ſed de macula animationis. Ideò ergo (proſequitur Auguſtinus) elegit Chriſtus *Virginem Matrem non lege carnis peccati, id eſt, non concupiſcentiæ carnalis motu concipientem*, vt ſic Chriſtus nec in ſe, nec in parente, neque in generatione, neque in Cōceptione; neque in voluntate viri, neque in voluptate carnis, in actione, vel in termino, nec ſaltem minimam vmbram habuit peccati, licèt elegerit ſimilitudinem; & hoc modo ſumpto peccato, ſolus Chriſtus, ſolus millies, genitus, conceptus, vel natus eſt in naturâ humana

mana ſine peccato, ſiquidem ab hac lege carnis peccati, nec ipſa Virgo Maria fuit exempta, ſcilicèt, quod generaretur ex viri voluntate, ex carnis voluptate, & concupiſcentiæ carnalis motu. Quartò, & vltimò nota, quòd vocat hic generationem, Conceptionem, dicens: *Non concupiſcentiæ carnalis motu concipientem:* in ſola enim generatione (more ſcholaſtico, & propriſsimo nunc loquendo) eſt concupiſcentiæ carnalis motus, non in Conceptione, ſeu animatione · ſed antiqui Patres tunc non attendebant ad omnes iſtas ſubtilitates, poſt exortam controuerſiam neceſſarias vndè iſta propoſitio: Maria concepta fuit ſecùndum legem carnis peccati, nunc pro expreſsiua opinionis contrariæ reputaretur, ſed iuxta doctrinam Auguſtini, & aliorum antiquorum nihil dicit, quia cōceptio hìc ſumitur pro generatione, & lex carnis peccati pro voluntate viri, carnis concupiſcentia, ac libidine exiſtente in ipſo actu generationis. Vltimò, notate illa verba, fortè non ab omnibus intellecta: *Aut ſuſcipiēdum mundauit, aut ſuſcipiendo mundauit:* illud quod Chriſtus aſſumpſit, id eſt, carnem, aut ſuſcipiendam mundauit antequā illam actualiter ſuſciperet, vel ipſam ſuſcipiendo in ipſo ſuſceptionis actu mūdauit: Ex his duobus poſsibilibus modis nullum determinat Auguſtinus, vtrumque approbat, elige ergo quidquid volueris, *ſi ſuſcipiendum mundauit*, ſuſcipiendum erat in Natiuitate, & in Conceptione Mariæ non ſolū in ſpecie, ſed etiam in indiuiduo, & ſic ex tunc mundauit, nam ex carne illa, cui vnita eſt anima Marię, Verbū ſuam ſuſcepturus erat, & ſic *ſuſcipiendū mundauit*, illud, vel illam carnem, ex quo vltimatè cæpit eſſe caro Mariæ; ſi aliter *ſuſcipiendo mundauit*: ergo mūdare in Virgine non præſuponit immunditiam, nam ſuſcipiendo Verbum, carnem Mariæ in ſua incarnatione illam mundauit præſeruando ab immunditia, non enim mundauit auferendo immunditiam. Item verba illa; *quam eligeret creauit, de qua crearetur, elegit*, pro Virginis præelectione ante creationem ſtare videntur de quibus plura poſſemus dicere; non ergo verba Sanctorum ſunt iudicanda ſecundum corticem, & primam faciem.

Sexta auctoritas ſic adducitur: Item, idem lib. de Nupt. & concup. *Ex hac*, inquit, *carnis concupiſcentia tamquam filia peccati quæcumque naſcitur, proles originali eſt obligata peccato niſi in illo renaſcatur: quem ſine iſta concupiſcentia Virgo concepit, propterea quando in carne naſci eſt dignatus, ſolus ſine peccato eſt natus: Hæc ille.* Verba Auguſtini præallegato libro 1. cap. 24. fol. 349. nouiſsimę impreſsionis, & Pariſienſi fol. 177. colum. 4. ſic ſe habent: *Ex hac concupiſcentia carnis, quæ licèt in regeneratis iam non deputetur in peccatum, tamen naturæ non accidit niſi de peccato: ex hac, inquam, concupiſcentia carnis, tanquam filia peccati, & quando illi ad turpia conſentitur etiā peccatorū matre multorum, quæcūque naſcitur proles, originali eſt obligata peccato, niſi in illo renaſcatur, quę ſine iſta concupiſcentia Virgo cōcepit: propterea quando naſci in carne dignatus, ſine peccato ſolus eſt natus.* Quoad litteram aliqua non parui momenti in hac auctoritate vitiarunt, vt ex ipſa cōſtat, quoad ſenſum vero. Dico primo, quod hic intendit probare Auguſtinus, quod peccatum originale non prouenit ex nuptiis, quæ bonæ ſunt, ſed ex concupiſcētia, & libine, ſic incipit illud caput: *Quapropter natos non ex bono, quo bonæ ſunt nuptiæ, ſed ex malo concupiſcentiæ, &c.* Et hoc ipſum probat in illis duobus libris. Secūdo dico, quòd ibi loquitur S. Doctor de lege communi in Natiuitate, vt conſtat ex illis verbis: *Quæcumque naſcitur proles, originali eſt obligata peccato, &c.* Aqua, lege communi non obſtāte, Virgo nata fuit abſque peccato, & ſi ab expreſſo, *naſcitur*, fuit in ſua Natiuitate excepta, cur non ab improprio, & tranſlatiuo, *naſcitur*, Conceptionis? Tertio dato, quòd hic loqueretur de Natiuitate in vtero, id eſt, Conceptione, ſolùm dicit Auguſtinus; quòd naſcitur obligata peccato: admitte ergo cum Auguſtino in illa Conceptione ſolùm obligationem, & debitum, & non actualem ſolutionem, & nulla erit diſceptatio. Quarto, dicit Auguſtinus, quòd quæcumque naſcitur proles ex concupiſcentia, originali eſt obligata peccato, niſi renaſcatur in Chriſto: at vos dicitis, quòd renata fuit in Chriſto, in veſtra ſanctificatione, antequā ex vtero naſceretur, & poſt ſuam Cōceptionem, tranſacto vno die, vna hora, vel ſaltem vno inſtanti, & ſic ſaluatis illud; *niſi renaſcatur*, hoc etiam dicimus nos anticipando renaſcentiam, & ſanctificationem veſtram ſolū per vnum inſtans, renata eſt per nos, ſed in ipſo momēto, quo nata, eſt renata; renata eſt etiam per vos; ſed poſt primū momentū hoc ſaltem vos moueat, quod noſtrum eſt ablatiuum, & veſtrum accuſatiuum. Quinto dicit Auguſtinus, quòd Chriſtus natus eſt ſine concupiſcentia, *propterea* (nota cauſalem) at Maria *propterea*, quia genita cum concupiſcentia, originali fuit obligata peccato, & ſic ſolus, & ſolus Chriſtus ſine peccato eſt natus. Sexto nota illud: *quando naſci in carne eſt dignatus*, in vno eodemque inſtanti, vt docet fides, Chriſtus Dominus, natus eſt in carne, & in anima conceptus, & animatus in Virginis vtero, in carne conceptus ſine peccato purus, quia ſine concupiſcentia genita, in anima Sanctus per naturam, quia Deus; non ſic Maria, quia priùs tēpore fuit nata in carne, ideſt, generata, ſeu cōcepta in vtero Annæ, per quadraginta, vel octoginta dies, & poſteà in anima & quia prima in carne natiuitas eſt, conceptio

fuit

fuit ex cõcupiſcẽtia: *Originali fuit obligata peccato*, ideò vel propterea Chriſtus, *quando naſci eſt in carne dignatus, ſine peccato ſolus eſt natus*: In hac prima conceptione carnis. Septimo, hæc Auguſtini ſunt vniuerſalia verba, vbi enim eſt expreſsè, clarè, ac diſtinctè propoſitio illa: Virgo Maria in ſui Conceptione, ſeu animatione contraxit peccatum originale? Verbum illud, *Virgo*, iam eſt in auctoritate Auguſtini (ſed loquendo de Conceptione actiua, non paſsiua) quærite ergo alia, & oſtendite.

Bandellus, & eius ſequaces poſt iſtam auctoritatem Auguſtini ſic inmediatè proſecuntur: Vndè Hugo de S. Victore prædictam auctoritatẽ exponens in libro Sententiarum ſuarum, ſic dicit: *Caro Chriſti prius fuit in Maria originali obligata peccato, ſicut Auguſtinus ait: Sed operatione Spiritus Sancti antequàm à Dei verbo aſſumeretur, fuit à peccato mundata. Hæc ille.* Verba Hugonis, vt latè videbimus num. 128. auct. 1. ſic ſe habent. *De carne illa cui vnitum eſt verbum, quæritur, vtrum prius in Maria fuerit caro illa obligata peccato, quod ita fuiſſe Auguſtinus dicit, ſed in ipſa ſeparatione per Spiritum Sanctum mundata fuit, & à peccato, & à fomite peccati, &c.* Confer verba verbis, & in hac breui auctoritate inuenies ſequentia vitia: Primum, quòd Hugo quærit dubitatiuè, ipſi adducunt affirmatiuè. Secundùm Hugo non explicat ſuprà poſitam auctoritatem, ſed aliam longe diuerſam. Tertium addiderunt illud *originali*. Quartum ferè omnia alia verba vitiarũt: De mente autem legitima Hugonis, vide prælegatum numerum.

Septima auctoritas ſic adducitur: Item in eodem libro, ſic dicit: *Omne nuptiarum bonũ impletum eſt in illis Chriſti parentibus, proles, fides, ſacramentum: prolem cognoſcimus, ipſum D. Ieſum Chriſtum, fidem, quia ibi nullum adulterium, ſacramentum, quia nullum diuortium. Solus ibi nuptialis concubitus non fuit, quia in carne peccati fieri non poterat, ſine illa carnis concupiſcentia, quæ accidit ex peccato, ſine qua concipi voluit, qui futurus erat ſine peccato, vt hic etiam doceret omnem carnem eſſe peccati, quando quidem ſola, quæ non indè nata eſt, non fuit caro peccati. Hæc ille.* Extat hæc auctoritas in Auguſtino 1. libro de Nupt. & Concupiſcentia tom. 7. fol. 176. Prima verba in cap. 11. ad finem; & alia in principio, cap. 12. ſicque ex duplici capite vnam continuarunt auctoritatẽ: Item, vbi Auguſtinus: *pudenda concupiſcentiæ*, ipſi abſtulerunt ly *pudenda*: Item, vbi Aduerſarii ſolùm: *qui futurus erat ſine peccato*, Auguſtinus in ſuper habet: *non in carne peccati, ſed in ſimilitudinem carnis peccati*, quæ prætermiſſa fuerunt ab Aduerſariis non ſine cauſa: Item, vbi Auguſtinus: *quæ de concubitu naſcitur*, ipſi ſic abſolutè: *omnem carnem eſſe peccati*. Hæc ſunt vitia litteræ: quoad ſenſum autem, dicimus, quòd ſola caro Chriſti, quæ non eſt nata ex concupiſcentia, neque ex concubitu, non fuit caro peccati; Virginis autem Mariæ, quia & concubitu, & fortè ex concupiſcentia, fuit caro peccati; ſed hic non loquimur de illa carne peccati, ſed de peccato animæ: concedemus enim vobis libentiſsimè hoc: caro Mariæ fuit caro peccati, quia ex coitu & concupiſcentia genita, dum concedatis nobis, animam Mariæ nullum habuiſſe peccatum. Inſuper notate illud: *Sine qua*, id eſt, concupiſcentia, *concipi voluit, qui futurus erat ſine peccato*, ſi hæc ergo Auguſtini fuit ratio à priori, quare Chriſtus non habuerit peccatum actuale, deducite à poſteriori, in Maria, quæ futura erat, & fuit ſine peccato actuali: ergo genita fuit ſine illa carnis pudenda concupiſcentia.

Octaua auctoritas ſic extat: Item in libro Iponoſticon contra ſecundam Blaſphemiam: *Omnis*, inquit, *homo carnaliter naſcens filius iræ rectè dicitur, quia natura eſt Prothoplauſti, quæ prior in illo propter delictum, iram iuſti iudicis Dei iuſtè ſuſcepit: ſi enim delictum eius per quod, vt dixi, Deum ad iram prouocauit, non traheremus, nũquam natura filij iræ diceremur. Et ideò peccatum eius non ſolùm ipſum, ſed & omne genus infecit humanum, cum eius damnationem ſimul & culpam ſuſcipimus, eius enim nos delicto vulneratos eſſe Vas electionis probat, cùm dicit: non eſt diſtinctio, omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei; dicendo, omnes, nullum excipit, quinimo totum genus declarauit humanum, peccauerunt enim omnes, dùm ex vno peccatore, omnes naſcũtur peccatores. Hæc ille.* Hanc auctoritatem latè damus in Scriptura, auctoritate 1. & ideò ſolùm dicimus ad eã quòd in multis eſt vitiata, & quòd Auguſtinus tãtum intendit deſtruere illud peruerſum dogma Pelagianorum dicentium: *Peccatum Adæ neminem nocuit, niſi ſolùm ipſum.* Cõtra quam blaſphemiam arma vertit Auguſtinus, & ad illud Hæreticorum, *Neminem nocuit*, opponit Doctor Sanctus illud Apoſtoli: Omnes enim peccauerunt, *Et dicendo omnes, nullum excipit, quinimo totum declarauit genus humanum.* Ad vniuerſalem oppoſuit vniuerſalem, non curando de exceptione vnius, vel priuilegio particulari Virginis Mariæ, quia iam dixerat in lib. de Natura, & Gratia: *Excepta Virgine Maria, cum de peccatis agitur, nullam volo habere quæſtionem.*

Nona auctoritas ſic ſe habet: Item in eodem contra primam blaſphemiam: *Omnibus*, inquit, *hominibus, tam iuſtis, quàm in iuſtis propter peccatum Adæ, quod naſcentes traxerunt, mors corporalis iſta debetur. Hæc ille.* In operibus S. Auguſtini tam antiquarum, quàm nouiſſimæ impreſsionis tom. 7. in Appendice extat tra-

tractatus fol. 115. cuius titulus eſt: *Hypognoſticõ aduerſus Pelagianos, & Celeſtianos incerti Auctoris*, & hæc habet libros ſex. Ex hoc tractatu aliquas adducunt Aduerſarii auctoritates, quæ in prædictis libris reperiuntur, ſed hanc deſumptam ex primo libro, ſiuè contra primam Blaſphemiam, cuius initium eſt: *Aduerſarii fidei Catholicæ, &c.* inuenire non potui. Quòd non ſit in libro citato, aſſertiuè affirmo: ſi eſt, vel nõ, in alio Auguſtini libro, vel tractatu affirmare nõ audeo: & ſic iudicet Lector, an hæc reputari debeat pro ficta falſa, & non exiſtente in rerum natura, & ſolùm excogitata ab Aduerſariis, vt macularent Dei Matrem? Ego rebus omnibus æqua lance ponderatis, ex antecedenti, quæ extat, & ſubſequenti, quæ etiam extat, abſolutè hanc eſſe fictam exiſtimo; corrigam tamen cenſuram, quando Aduerſarii ipſam oſtenderint.

Decima auctoritas ſic adducitur: Item in eodem contrà quintam Blaſphemiam: *Audi*, inquit, *& alium, Dei ſapientiam inquirentem, & per illam mortalibus veritatem prædicantem: Graue, inquit, iugum ſuper filios Adam, à die exitus de ventre Matris eorum vſque in diem ſepulturæ in matrem omnium? Quid eſt hoc iugum graue, niſi peccatum? Et quare dictũ eſt iugum, niſi quia ex duobus Adam, ſcilicèt, & Eua venit in mundum? Vel quia duorum premit, & conterit colla, id eſt, maſculi, & fœminæ, maiorum, videlicèt, & minorum, quia in vtroque ſexu iugum ſunt. Ideò ait, generaliter, & ſuper filios Adã dicendo ſuper filios ætates non diſcernit, vel ſexus, ſed omnes eſſe peccatores æquauit, præter Chriſtum, qui ſicut cæteri ex vſu coniugatorum natus non eſt. Huic ergo iugo in originali peccato iuncti omnes maiores, atque minores, vitia ex ipſo orta tanquam aratrum trahimus in mortis corpore.* Hæc ille. Auguſtini autem verba, tom. 7. in prælegato libro 5. contra quintam Blaſphemiam Pelagianorum; quę talis erat: *Paruulos non trahere originale peccatum, neque perituros à vita æterna, ſi ſine ſacramento Baptiſmatis ex hac vita migrauerint*, fol. 302. colum. 4. litt. K. ſunt hæc. *Audi aliter quidem quàm Dauid loquentem, ſed non aliter prophetantem, in vno vnico Spiritu vera dicentem, quòd Adæ peccato, & paruuli naſcendo premantur. Dauid enim, inquit, vt ſuprà iam dictum eſt: Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in delictis peperit me mater mea. Iſte ait in libro Eccleſiaſtico: Graue iugum ſuper filios Adam, à die exitus de ventre matris eorum, vſque in diem ſepulturæ in matrem omnium. Quod eſt hoc graue iugum, niſi peccatum? Et quare dictum eſt iugum? niſi quia ex duobus Adam, & Eua veniat, vel duorum premat, & conterat colla, id eſt maſculi & fœminæ, maiorum videlicèt, atque minorum quia in vtroque ſexu iugum ſunt: Ideò ait generaliter: Graue iugum ſuper filios Adam: Dicendo ergo ſuper filios, ætates non diſcreuit, vel ſexus, & cõparando iugum peccato propter Chriſtum, qui vt cæteri ex vſu coniugatorum natus non eſt: omnes cæteros eſſe peccatores æquauit. Hoc iugo, id eſt, originali peccato reuincti maiores, atque minores, vitio ex ipſo orti, tanquàm aratrum trahimus, quamdiu ſumus in mortis corpore, cuius cupiditatis vomere proſcinditur, hoc eſt, corrumpitur terra noſtra, &c.* Conferendo ergo verba verbis, ſunt in hac auctoritate vitia ſequentia. Primò, prætermiſerunt principium. Secundo, finxerunt illud: *Audi & alium Dei ſapientiam inquirentem, & per illam mortalibus veritatem prædicantem.* Tertiò, Auguſtinus ſolum *veniat*, ipſi: *venit in mundum.* Quartò, tranſmutarunt totam vltimam clauſulam. Quintò, vbi Auguſtinus, *vitium ex ipſo ortu*, Aduerſarii ſic, *vitia ex ipſo orta*, quæ diuerſiſsimum faciunt ſenſum. Sextò, prætermiſerunt verba vltima. Alià autem ſunt vitia minoris momenti. Quantùm ad ſenſum fateor in rei veritate, quod non inuenio in propoſitis verbis, vnde Aduerſarii deducunt hanc conſequentiam? Ergo Maria contraxit originale; niſi ex eo quod ſolùm excipiat Chriſtum ab illo graui iugo peccati originalis, ſed vt ſæpè dictum, excipere Filium non eſt damnare Matrem; & ſi ab illà clauſula: *Omnes cæteros eſſe peccatores æquauit*, excipitur Maria quia in nullo æquatur cæteris, cur non & ab originali?

Vndecima auctoritas ſic ſe habet. Item in eodem modicũ infrà ſic dicit: *Paruuli itaquè omnes, vt dicit Apoſtolus, natura filij iræ ſunt, ſcilicèt, primi parentis offenſione connexi: non enim dicerentur filij iræ, niſi iram, id eſt, peccatũ protoplaſti, qui peccando Deum ad iram primus in noſtro genere prouocauit traherent ſeminati. Ab hac igitur ſola ſorde peccati, quam trahit de libidinis malo paruulus, conceptus quidem breuis vita, & plenus iracundia eſt.* Hæc ille. Verba autem Auguſtini, ibidem pag. 303. litt. D. ſic ſe habent: *Quia iuſtus Dominus nihil facit iniuſtum, & verax non poteſt eſſe mendax. Paruli vtiquè, vt dicit Apoſtolus, natura filij iræ ſunt: Adæ, ſcilicèt, parentis, ſicut ſæpè diximus, offenſione connexi: Non enim dicerentur filij iræ, niſi iram, id eſt peccatum Primiplaſti, qui peccãdo Deum ad iram primus in genere noſtro prouocauit, traherent ſeminati: ideò dictum eſt. quis enim erit mundus à ſorde? Nè vnus quidem, etiam ſi vnius diei fuerit vita eius ſuper terram; vel ſicut dictum eſt alio modo, tamen idem: Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine? Nonnè tu qui ſolus es? Ob hanc igitur ſolam ſordem peccati, quam trahit, non de coniugij bono, ſed de libidinis malo, paruulus breuis vitæ, & plenus iracundiæ eſt.* Ex

his

his facilè videbis, Lector, quot, quantaque in hac auctoritate prætermiſerint, & ferè omnia eſſentialia, præcipuè verò illud: *Non de coniugij bono*, & etiam intelligis, quòd nihil eſt contra Immaculatam Virginis Conceptionem.

Duodecima auctoritas ſic adducitur: Item Auguſtinus in 2. de Nupt. & Concupiſ. ſic dicit: *Dicimus eos, qui de comixtione maris, & fœminæ naſcuntur, trahere originale peccatum, eoſque de parentibus quibuſcumque naſcantur, non negamus adhuc eſſe ſub diabolo, niſi renaſcãtur in Chriſto, qui de eadem ſexus vtriuſque cõmixtione naſci noluit, vt per eius gratiam de poteſtate eruti tenebrarũ in regum illud trãsferantur. Hæc ille.* Nota, Lector, pro huius auctoritatis exacta intelligentia, quod S. Auguſtinus ſcripſit ſex libros contra Iulianum Pelagianum; quibus ipſe Iulianus reſpondit, imputando Auguſtino, quòd ſi in paruulis admittebat peccatũ originale, reprobabat nuptias, à quibus paruuli naſcebantur; nam illius peccati originalis nulla alia cauſa eſſe poterat, quàm nuptiæ. Contra hoc ſcripſit S. Auguſtinus libros de Nuptiis, & Concupiſcentia; demonſtrando, quòd peccatum originale, non à nuptiis quæ bonæ erant, ſed à concupiſcentia, quæ erat in parentibus, propter Adæ peccatum, originem ducebat, & ideo dicebatur originale. Contra librum iſtum replicauit iterum Iulianus (vel alius pro ipſo) volens ergo Auguſtinus refutare hoc, contra ipſum ſecundum reſcriptum, edidit librum ſecundum de Nuptiis, & concupiſcentia, in quo refert à ſe in primo libro dicta, & ab Hæretico calumniata; claritatis gratia do illa quæ extant in eodem Auguſtino tomo 7. cap. 2. fol. 179. litt. E. Deindè alia verba mea ſubtexuit (inquit Auguſtinus) vbi dixi: *Nec aduertunt quòd ita nuptiarum bonũ malo originali, quòd indè trahitur, non poteſt excuſari, ſicut adulteriorum, & fornicationum malum bono naturali, quòd indè naſcitur non poteſt excuſari. Nam ſicut peccatum, ſiuè hinc, ſiuè indè trahatur, opus eſt diaboli; ſic homo, ſiuè hinc, ſiuè indè naſcatur, opus eſt Dei.* Etiam hic ea prætermiſit, in quibus aures Catholicas timuit. Nam vt ad ad hæc verba veniretur, ſuprà dictum erat à nobis: *Hoc ergo quia dicimus; quòd antiquiſsima, atque firmiſsima, Catholicæ fidei regula continetur, iſti nouelli & peruerſi dogmatis aſſertores, qui nihil peccati eſſe in paruulis dicunt, quòd lauacro regenerationis abluatur, tanquàm damnemus nuptias, & tanquàm opus Dei, hoc eſt, hominem, qui ex illis naſcitur opus diaboli eſſe dicamus, infideliter, vel imperitè calumniãtur.* His ergo noſtris prætermiſsis, ſequuntur illa noſtra quæ poſuit, ſicut ſupra dictum eſt. In his itaque, quæ prætermiſit, hoc timuit, quia cum ætæ Eccleſiæ Catholicæ pectori conuenit, fidēque ipſam antiquitùs traditam atque fundatam clara quodammodo voce compellat, & aduerſus eos vehementiſsimè permouet, quod diximus: *Quia nihil peccati eſſe in paruulis dicunt, quod lauacro regenerationis abluatur.* Omnes enim ad Eccleſiam non propter aliud cum paruulis currunt, niſi vt in eis originale peccatum generatione prima Natiuitatis attractum, regeneratione ſecundæ Natiuitatis expietur. Deindè ad noſtra ſuperiora verba reuertitur, quæ neſcio cur repetat: *Eos autem, qui de tali commixtione naſcuntur, dicimus trahere originale peccatum, eoſque, qui de parentibus quibuſcumque naſcantur, non negamus adhuc eſſe ſub diabolo, niſi renaſcantur in Chriſto.* Hæc verba noſtra, & paulò antè iam dixerat, deindè ſubiungit quod de Chriſto diximus: *Qui de eadem ſexus vtriuſque commixtione naſci noluit*: ſed etiam hic prætermiſit quod ego poſui: *Vt per eius gratiam de poteſtate tenebrarũ eruti, in regnum illius, qui ex eadem ſexus vtriuſque commixtione naſci noluit, transferantur.* Vide, obſecro te, quæ noſtra verba vitauit tanquam inimicus omninò gratiæ Dei, &c. Hucuſque ſunt verba Auguſtini, ex quibus Aduerſarii ſuam adducunt auctoritatem contrà Immaculatã Virginis Conceptionem, ſine fundamento, veritatè, aut fideſitate, prætermittendo, & connectendo inter ſe diſtantia; ſed cum iſta coniũgere debes ſequentem.

Decima tertia auctoritas eſt: Item, idem modicũ infra: *Omnes homines, qui de ſexus vtriuſque commixtione naſcuntur, ideò dico expertes non eſſe delicti, quia de illa commixtione ſunt nati, quæ ſine pudenda libidine, non poteſt etiam quòd honeſtum, eſt operari. Dixit enim Beatiſſimæ memoriæ Ambroſius Epiſcopus, cum Chriſti corporalem Natiuitatem inſinuaret, ideò Chriſtum expertem, quia conceptus eius vtriuſque ſexus commixtione eſt expers, nullum autẽ hominum eſſe ſine delicto, qui de illa ſexuum commixtione conceptus eſt natura. Eius verba iſta ſunt: Ideò, inquit, & quaſi homo per vniuerſa rẽtatus eſt, & in ſimilitudine hominum cuncta ſuſtinuit, ſed quaſi de ſpiritu natus, abſtinuit à peccato. Omnis homo mendax, & nemo ſine peccato, niſi vnus ſolus Deus. ſeruatum eſt igitur, vt ex viro, & muliere, id eſt, per illam corporum mixtionem, nemo videatur, expers eſſe delicti; qui autem expers eſt delicti expers eſt etiam huius conceptionis. Hæc ille.* Propoſuit Auguſtinus in illo libro 2. de Nupt. & Concupiſc. vt vidimus in auctoritate antecedẽti obiectiones Hæretici Iuliani, ſiuè introductas calumnias, Nunc Auguſtinus explicat ſuam mentem ſic. *Dicis enim, inquit, illos eſſe ſub diabolo, quia de ſexus vtriuſque commixtione naſcuntur? Dico tamen propter delictum eos eſſe ſub diabolo: ideò autem expertes non eſſe delicti, quia de illa commix-*

mixtione ſunt nati, quæ ſine pudenda libidine nō poteſt etiam, quod honeſtum eſt operari. Dixit hoc etiam Beatiſſimæ memoriæ Ambroſius Mediolanenſis Eccleſiæ Epiſcopus; cum Chriſti carnalem Natiuitatem ideò diceret expertem eſſe delicti, quia conceptus eius vtriuſque ſexus commixtionis eſt expers: nullum autem hominem eſſe ſine delicto, qui de illa commixtione conceptus eſt. Nam eius verba iſta ſunt: Ideò, inquit, & quaſi homo per vniuerſa tentatus eſt, & in ſimilitudine hominum cuncta ſuſtinuit, ſed quia de ſpiritu natus, abſtinuit à peccato. Omnis enim homo mendax, & nemo ſine peccato, niſi vnus Deus. Seruatum eſt igitur, inquit, vt ex viro & muliere, id eſt, per illam corporum mixtionem nemo videatur eſſe expers eſſe delicti: Qui autem expers eſt delicti, expers eſt etiam huiuſmodi Conceptionis, &c. Hæc eſt Auguſtini auctoritas in qua, quoad litteram, non pauca vitiarunt, præcipuè verò addiderunt. Primò illud: *Omnes homines, &c.* vt ſic introducerent ſuam vniuerſalem. Secundò, prætermiſerunt illud: *Dico tamen propter delictum eos eſſe ſub diabolo;* vt ſic non cognoſceretur, hanc auctoritatem eſſe explicationem antecedentis. Tertiò, vbi Auguſtinus: *Cum Chriſti carnalem Natiuitatem ideò diceret,* ipſi ſic: *Cum Chriſti corporalem Natiuitatē ideò diceret;* quæ valdè diuerſa ſunt. Quartò, prætermiſerunt ly *delicti*. Quintò, addiderunt ly *natura*. Sextò, vbi Auguſtinus: *& nemo ſine peccato, niſi vnus Deus*, ipſi addiderunt ſuum commune thema, ſcilicèt ly *ſolus*. Hæc, & alia ſunt vitia litteræ; ſed quoad intentionem notare debes, ô Lector! quòd hæc auctoritas eſt eadem cum antecedenti; nam ibi propoſuit Auguſtinus, ſeu retulit quæ Iulianus de ipſo dicebat, & hic circa illa explicat ſuā mentem. Quis autem vnquam vidit, quod titulus ſeu propoſitio quæſtionis, & ſolutio illius ſint duę auctoritates diuerſę? O Sacratiſsima Virgo Maria! congregauerunt aduerſum te iſta, &c. Nota autem pro veritate Lector, quòd cū S. Auguſtinus ſcripſerit plures libros contra Pelagianos, negantes peccatum originale in omnibus, adducit hanc Ambroſii auctoritatem, vt in lib. de peccato originali, cap. 41. fol. 342. colum. 2. ad finem, & lib. 1. de Nuptiis, & Concupiſcentia cap. 35. fol. 351. col. 1. & lib. 2. cap. 5. fol. 104. colum. 1. & lib. 1. contra Iulianum, cap. 4. fol. 367. col. 1. & lib. 2. cap. 3. fol. 377. colum. 1. & cap. 5. fol. 379. Et hanc Ambroſii repetitam auctoritatem ab Auguſtino alternatiné, iam ſub vno, iam ſub altero, quinquies adducitur ab Aduerſariis contra Immaculatam Virginis Conceptionem. Eſt nè hoc cōgerere, &c. Et inſuper ſemper aliquod de nouo in ipſa vitiando, vt ſuis locis videbimus.

Decimaquarta auctoritas talis eſt: Item Auguſtinus in lib. 2. de Gratia & peccato originali, circa finem, contra Pelagium, & Celeſtinum, ſic dicit: Beatus Ambroſius Antiſtes Dei, cuius fidem inter latinæ linguæ Eccleſiaſticos Scriptores, Pelagius plurimum commendat ſcribens contra Nouatianos, ait: *Omnes homines ſub peccato naſcimur, & ipſe noſter ortus in vitio eſt, dicente Dauid: Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea. Hæc ille.* Fatemur, quòd hæc auctoritas extat tom. 7. lib. 2. de Peccato originali cōtra Pelagium, & Celeſtiū (non Celeſtinum, vt malè Aduerſarii) cap. 41. fol. 342. colum. 2. littera B. in qua etiam aliqua alterarunt, quoad litteram. Illa ergo admiſſa interrogo, iſta vniuerſalis: *Omnes hominem ſub peccato naſcimur*, proqua ſupponit, an pro expreſſa, ac reali Natitate ex vtero, & ſic ortus ſupponet pro Conuiceptione, quòd inſinuare videtur Anonymus, quia deducit hanc conſequentiam: *Sed B. Virgo fuit homo: ergo fuit ſub peccato concepta, & eius Conceptio in vitio fuit.* Vel illud, *naſcimur*, ſupponit pro Natiuitate in vtero (quæ acceptio erit contra litteram) & ortus ſtabit pro prima generatione Parentum, quomodocumque ergo ſumatur, nihil probat contra nos: nam ſi ortus ſumitur pro prima conceptione carnali, quòd *ortus* iſte fuerit in vitio, eſt extra quæſtionem, & controuerſiam noſtram, & naſcimur ſumitur impropriè, contra vim, & proprium, ac receptum verbi ſignificatum; ſi autem *ortus* ſumitur propriè pro cōceptione, & *naſcimur*, pro vera, ac reali Natiuitate ex vtero, vt ſumi debent cum hæc vniuerſalis habeat exceptionem, quoad ſecundam clauſulam, quia non eſt nata Maria ſub peccato: quare non habebit, quoad primam, & ortum eius eſſe ſine vitio? Aſsigna diſparitatem, quia in littera Ambroſii, & Auguſtini ego nullam inuenio.

Decimaquinta auctoritas eſt: Item, idem in libro de Fide ad Petrum, circa principium ſic dicit: *Dum enim ſibi inuicem vir, & mulier miſcentur, vt filios generent, non eſt ſine pudenda libidine parentum concubitus, & ob hoc filiorum ex eorum carne naſcentium non poteſt eſſe ſine peccato conceptus, vbi peccatum in paruulos nō tranſmittit propago, ſed libido. Nec fœcunditas humanæ naturæ facit hominē cum peccato naſci, ſed fœditas libidinis, quam homines habent ex illius primi iuſtiſsima condemnatione peccati. Ideò B. Dauid, quamuis de legitimo, iuſtoque naſceretur cōiugio, propter originale tamen peccatum, quo naturaliter obſtricti ſunt filij iræ, non ſolùm filij impiorum, ſed omnes etiam, qui de iuſtorum ſanctificata carne naſcuntur, exclamat dicens: Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea. Sanctus etiam Iob mundum à ſorde eſſe peccati nullum hominem eſſe dicit, nec ſi vnius diei vita eius ſit ſuper terram. Dei ergo filius, vt illud pec-*

cā-

catum, quod in concubitu mortalis carnis generatio humana contraxit, aufferret, conceptus est nouo more sine coitu viri, & sine libidine concipientis Virginis, vt per Deum hominem, quem absque libidine cõceptum inuiolatus edidit Virginis vterus, aboleretur peccatum quod nascentes trahunt omnes, quibus talis est nascendi conditio, vt matres eorum fœcunditatis opus implere non possint, nisi prius virginitatem carnis amiserint. Hæc ille. Suppono hanc auctoritatẽ esse, quam inueniet Lector in S. Augustino tom. 3. & nouissima impressione in Appẽdice fol. 385. colum. 2. littera B. (quia existimatur librũ illum esse S. Fulgentii, & sic extat in operibus eius à fol. 83. cap. 2.) Sed nota, quia hanc etiam vitiarunt Aduersarii. Primò, prætermittendo ex principio totam hanc clausulam: *Istam verò cæterorum hominum carnẽ, per humanum certum est nasci concubitum, viro seminante, fœmina verò concipiente, atque pariente.* Vt non cognosceretur hic agi de carnali generatione, sed de primaco ceptione. Secundò, addiderunt ly *pudenda*. Tertiò, vbi ipsi, *hominem*, in textu est de plurali *homines*. Quartò, antepossuerunt illud: *Propter originale tantum peccatũ*, nam in textu sic extãt verba: *In quo, scilicet, nec infidelitatis culpa, nec fornicationis maculâ poterat inueniri, propter originale tamẽ peccatũ quo naturaliter obstricti sunt filii Iræ, &c.* Illud ergo peccatũ originale, quod respiciebat parẽtes generãtes, adscripserunt Aduersarii filiis genitis, vtsic suum deducerent intentum. Quintò, vbi textus: *in delictis*, ipsi, *in peccatis*. Sextò, vbi textus: *mundum à sorde*, ipsi addiderunt: *Mundum à sordè esse peccati*. Septimò, vbi textus: *non esse hominem*, ipsi: *nullum hominem*, addentes ly *nullum*. Octauò, post illud: *Dei ergo filius, &c.* dereliquerunt quinque lineas. Nonò, prætermiserunt illud: *Deus Incarnatus in Matre Virgine*. Decimò, vbi textus: *Quibus in corpore mortis talis est*, ipsi: *quibus talis est*, prætermittentes; *in corpore mortis*. Vndecimo, dereliquerunt vltima verba, quæ in textu sic se habent: *Solus igitur abstulit peccatum conceptionis, atque Natiuitatis humanæ, Deus vnigenitus, qui dum conciperetur, veritatem carnis accepit ex Virgine, & cùm nasceretur, integritatem virginitatis seruauit in Matre.* Videntes enim, quod textus æqualiter loquebatur de Conceptione, ac Natiuitate, & quod nõ obstante hac vniuersali æqualitate Maria habuerat priuilegium Natiuitatis, tacendo hæc vltima verba, obuiare conati sunt consequentiam Conceptionis. His ergo vndecim vitiis capitalibus demptis alia extant vt in originali. Quoad sensum autem solùm dico, quòd loquitur textus de generatione carnis, seu concubitu, quem Doctores antiqui ore pleno vocabant conceptionem, quòd autem loquatur de illa prima conceptione carnis, constat ex verbis ipsis: *Carnem, concubitum, viro seminante, fœmina concipiente, miscentur, sine libidine, ex eorum carne nascentium, propagatio, libido, fœcunditas, fœditas libidinis, cõiugio, fornicatio, sanctificata carne, cõcubitu mortalis carnis, sine coitu, sine libidine, &c.* Cum ergo hæc, & talia verba exprimant cõceptionẽ carnis, vide quo fundamento volunt Aduersarii transferre hæc ad Conceptionem secundam animationis? Et hoc modo sunt omnia.

Decimasexta auctoritas adducitur sic: Item Augustinus in libro 3. Catholicæ Fidei, qui dicitur Manuale, vel Ecclesiæ dogm. cap. 13. *Nõ solùm*, inquit, *morte corporis, quæ peccati pœna est, sed etiam peccatum, quod est mors animæ, per vnum hominem in omne genus humanum transisse credo, & fateor sicut dicit Apostolus: Per vnum enim hominem peccatum intrauit in mũdum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransit, in quo omnes homines peccauerunt, propter hanc regulam fidei, etiam paruulos, qui nihil peccatorum in semetipsis committere potuerunt, ideò in remissionem peccatorum, baptizari in matre Ecclesia concedo, vt regeneratione mundentur, quod carnali generatione traxerunt. Hæc ille.* Pro huius auctoritatis, ac duarum sequentium veritate assequenda, sciat Lector, quòd in operibus S. Augustini tom. 3. extat Tractatus, seu liber hoc titulo: *Liber de diffinitionibus Orthodoxæ fidei, siuè de Ecclesiasticis Dogmatibus.* Et licèt iste in antiquis impressionibus fuerit editus sub nomine Augustini, in nouissima Parisiensi edita anno 1635. est in Appendice fol. 280. vbi in censura præfixa in initio operis (quod incipit: *Credimus vnum esse Deum, &c.*) dicitur non esse Augustini, sed Gẽnadii Massilienſis: At cuiuscumque sit tractatus ille, non habet libros tres, sed vnum, nec in cap. 13. extant verba adducta ab Aduersariis, sed cap. 34. sed audi quomodo: *Si quis soli Adæ prævaricationem suã, non etiam eius propagini asserit nocuisse, aut certè mortem tantum corporis, quæ pœna peccati est, non autem & peccatum quod mors est animæ, per vnum hominem in omne genus humanum transisse, testatur, iniustitiam Deo dabit, contradicens Apostolo dicenti: Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransit, in quo omnes peccauerunt.* Hæc sunt verba ex quibus Aduersarii suam fabricarunt auctoritatem. Nota ergo pro amore Dei, ex quo inani, ac debili fundamento, illam vndique fictam turrim erexerunt contra Immaculatam Dei Matrem! Nec possunt dicère, quòd verba alia existentia in sua auctoritate desumpserint ex altero capite eiusdem libri, quia in nullo extant, sicque hæc auctoritas (excepta Pauli sententia: *Per vnum homi-*

minem, &c.) tota eſt falſa, ficta, & ſuppoſita.

Decimaſeptima auctoritas ſic ſe habet: Item in eodem libro capit. 17. *Quia*, inquit, *filii Matris Eccleſiæ ſumus, profecto credimus, quòd ſi Adam non peccaſſet, non mortuus fuiſſet, ſed cum omnibus filiis ſuis ad gloriam regni cœleſtis translatus fuiſſet, ſed quia inobediens, fuit cecidit, & traxit ſecum omnem poſteritatem ſuam in mortem corporis, & animæ. Sanguis autem Chriſti reſerauit nobis ianuam vitæ æternæ: Ante enim Aſcenſionem Chriſti omnes Sanctorum animæ in inferno tenebantur; poſt verò Aſcenſionem eius aſcendunt in gloriã, quia Chirographum illud à Domino iam deletum eſt, & nos de ſeruili conditione liberati ſumus. Hæc ille.* Auctoritas vero in prælegato libro non capite 17. vt ipſi dicunt, ſed 78. ſic ſe habet: *Ante Paſſionem Domini omnes animæ Sanctorũ in inferno ſub debito præuaricationis Adæ tenebantur, donec auctoritate Domini per indebitam eius mortem, à ſeruili conditione liberarentur.* Et cap. ſequenti proſequitur: *Poſt Aſcenſionem Domini ad cœlos omnium Sanctorum animæ cum Chriſto ſunt, & exeuntes de corpore ad Chriſtum vadunt, ſpectantes reſurrectionem corporis ſui, vt ad integram, & perpetuam beatitudinem cum ipſo pariter immutentur, &c.* Ex his verbis ſuam auctoritatẽ finxerunt Aduerſarii, capite enim 22. & 34. & 38. mentionem facit, de Adamo ſed longè aliter, & ad diuerſum intentum · de ianua autem; Chirographo, & aliis in auctoritate contentis, nec apex extat in toto illo libro, & ſic etiam eſt abſolutè, & ſimpliciter ficta.

Decimaoctaua auctoritas talis eſt: Item in eodem libro cap. 20. *Nullus*, inquit, *Sãctus, & iuſtus, in hoc mortali corpore viuens, caret omninò peccato, ſed ideò pro certo credo illa verba Dominicæ orationis, vbi dicimus: Dimitte nobis debita noſtra, veraciter in hac vita in omnibus Sanctis dici, quia in veritate habent quod plangant, nec tamen in hoc deſinunt eſſe iuſti, cũ effectu aliter teneant ſanctitatem, liberantur enim à lege peccati, & iuſtificantur gratia Dei per Ieſu Chriſtum Dominum noſtrum. Hæc ille.* Auctoritas verò in originali non capite 20. ſed cap. 86. ſic ſe habet: *Nullus Sanctus, & iuſtus caret peccato, nec tamẽ ex hoc deſinit eſſe iuſtus, vel ſanctus, cum effectu teneat ſanctitatem, non enim naturæ humanæ viribus, ſed propoſiti adiumento per gratiã Dei, adquirimus ſanctitatẽ, & ideò ſe omnes Sancti veraciter pronuntiant peccatores, quia in veritate habent quod plangant, & ſi non reprehenſione conſcientiæ, certè mobilitate, & mutabilitate præuaricationis naturæ.* Ex his verbis deſumpſerunt quæ ipſis placuit, deſinentes, quod ipſis non placuit: illud vero de oratione Dominica extraxerunt à cap. 37. vbi ſic dicitur: *Quicumque ipſa verba Dominicæ orationis vbi dicimus: Dimitte nobis debita noſtra, ita volunt à Sanctis dici, vt humiliter, non veraciter hoc dicatur, anathema ſit.* Nota quantum diſtare poteſt cap. 37. à cap. 86. Hæc ſũt omnia, & ſingula, quæ in illo libro inueniuntur pro hac auctoritate; ſi autem debeat reputari pro abſolutè ficta & falſa, tu, ò Lector, conſidera: Ego verò hoc ſolùm dico, & affirmo de tribus illis vltimis auctoritatibus deſũptis ex libro de diffinitionibus Orthodoxæ fidei, & Eccleſiaſticis Dogmatibus, quod in ſolis ipſis tribus extant, vel commiſerunt Aduerſarii pluſquã centũ quinquaginta vitia, & adulterationes peſsimas, & capitales, & ſi in tribus auctoritatibus cõtinẽtibus viginti lineas, in libro S. Auguſtini communi, & qui paſsim ab omnibus præ manibus habetur, & non liber de Aſtrologia, Mathematica, vel de rebus naturalibus, ſed de diffinitionibus Orthodoxæ fidei, & Eccleſiaſticis, ac Catholicis dogmatibus incipiẽte: *Credimus vnũ eſſe Deũ, &c.* Et vbi conſequenter continentur illa, quæ credere, & tenere debeant Chriſtiani, ad conſequendam vitam æternam· Aduerſarii ſolùm, vt macularent Dei Matrem, Angelorumque Reginam Mariam in viginti lineas tantùm finxerunt adulterationes vitia, ac falſa teſtimonia, pluſquam centum quinquaginta, quid agerent in Auctoribus, & operibus incognitis, quæ non tractant de diffinitionibus fidei, ac de Eccleſiaſticis dogmatibus? Hoc conſidera Lector, & obſtupeſces.

Decimanona auctoritas talis eſt: Item Auguſtinus in libro 5. cõtra Iulianum: *Quid enim*, inquit, *quòd magnis argumentationibus laboras peruenire ad impietatis abruptum, vt quia Chriſti caro de Maria nata eſt, quæ ex Adam ſicut cæteri homines fuit propagata; propter hoc nihil diſtat à carne peccati? Et credis ſine vlla diſtinctione, Apoſtolum dixiſſe, Chriſtum fuiſſe miſſum in ſimilitudine carnis peccati. Imò potiùs inſtas, vt nulla ſit caro peccati? Sed dic michi quaſo quid eſt ſimilitudo carnis peccati, ſi nulla eſt caro peccati? Sed hanc Apoſtolicam ſententiam, me non intellexiſſe dixiſti, nec eam tamen expoſuiſti, vt te docente diſceremus, quomodo aliqua res poſsit eſſe ſimilis rei quod nullomodo eſt? Quòd ſi dementis eſt hoc dicere, & ſine dubio caro Chriſti non eſt caro peccati, ſed ſimilitudo carnis peccati, quid reſtat, niſi vt intelligamus ea excepta, omnẽ reliquam carnem humanam eſſe carnem peccati. Et hinc apparet illam carnis concupiſcentiam, per quam Chriſtus concipi voluit, feciſſe in humano genere propagationem peccati. Quia Mariæ corpus quamuis ex tali concupiſcentia venerit, non tamen eam traiecit in corpus, quòd non indè concepit. Cæterum Corpus Chriſti inde dictum eſt veniſſe in ſimilitudinem carnis peccati, quia omnis alia homi-*

minum caro eſt caro peccati. Quiſquis hoc negat, & carnem Chriſti ita comparat carni cæterorum hominum naſcentium, vt vtramque eſſe rat eſſe æqualis puritatis, deteſtandus hæreticus inuenitur. Hic reſcinde auctoritatem; quia Aduerſarii habent ad marginem: *Et paulo infrà*, in quo denotāt, quòd ſequens auctoritas ſit à præcedenti diſtincta. Anonymus auctoritate 4. in aliquibus variat à Bandello. Sed auctoritas Auguſtini in prædicto libro circa finem, in omnibus impreſsionibus, ac etiā in libro ſeorſim typis mandato cōtra Iulianū, Louanii 1642. (ſolùm enim differt vltima impreſsio in illa clauſula *Aut nullā*, vſque contendit *hæreticus*) fol. 235. col. 2. litt. E. ſic ſe habet · *Quid eſt quod laboras magnis argumentationibus peruenire ad impietatis abruptū, vt Chriſti caro, quia de Maria natus eſt, cuius Virginis caro, ſicut cæterorū omnium ex Adam fuerat propagata, nihil diſtet à carne peccati: Et ſine vlla diſtinctione Apoſtolus dixiſſe credatur, eum fuiſſe miſſum in ſimilitudine carnis peccati: aut nullam carnem eſſe peccati, aut ſi ſit, quia indè venit, indè etiam eſſe Chriſti contendit hæreticus, imò potiùs infias, vt nulla ſit caro peccati, ne hoc ſit & Chriſti? Quid eſt ergo carnis ſimilitudo, ſi nulla eſt caro peccati? Sed hanc Apoſtolicam ſententiam me non intellexiſſe dixiſti, nec eam tamen expoſuiſti, vt te Doctore noſſemus, quòd aliqua res poſsit eſſe ſimilis ei, rei quæ non eſt. Quòd ſi demētis eſt dicere, & ſine dubio, caro Chriſti non eſt caro peccati, ſed ſimilis carni peccati: quid reſtat, vt intelligamus, niſi ea excepta, omnem reliquam humanam carnem eſſe peccati? Et hinc apparet, illam concupiſcentiam, per quam Chriſtus concipi noluit, fuiſſe in genere humano propaginem mali; quia Mariæ corpus, quamuis indè venerit, tamen eam non traiecit in corpus, quòd non indè concepit. Cæterum Corpus Chriſti indè dictum eſt eſſe in ſimilitudine carnis peccati: quia omnis alia hominum caro peccati eſt. Quiſquis negat & carnem Chriſti, ita carni comparat naſcentium hominum cæterorum, vt aſſerat vtrāque eſſe puritatis æqualis, deteſtandus hæreticus inuenitur.* Aliqua ſunt in hac auctoritate eſſentialia, ad verum legitimumque ſenſum ſpectantia, prætermiſſa, addita, alterata, & penitùs mutata ab Aduerſariis, inter alia noto ſequentia. Primo, vbi Auguſtinus, *natus*, per relationem ad Chriſtum, ipſi legunt *nata*, per ordinem ad carnem. Secundò, prætermiſerunt illud *cuius Virginis caro*, vt ſic indicarēt, quod Auguſtinus nō loquebatur de Virginis carne, ſed de Maria abſolutè. Tertiò, prætermitto illud, *fuerit*, tranſmutatū in *fuit*. Et illud, *propter*, quia parui momenti ſunt, ſed non ſic illud additū caro *Chriſti*. Quartò, prætermiſſum eſt illud, *Aut nullā carnē eſſe peccati*. Quintò, omnia quæ ſequūtur ſunt tranſmutata. Sextò, infrà addiderūt illud verbum, *carnis*. Septimò, illud Auguſtini: propagationē *mali*, ipſi: *peccati*; eſt enim maxima diſtinctio inter vtrūque, malum eſt venenū, & ipſa mors, & non ſunt peccata. Octauò, vbi Auguſtinus: *Quia Mariæ corpus quāuis inde venerit*, ipſi quāuis, *ex tali cōcupiſcētia*. Nonò, pro illud: *eſſe* finxerūt, *veniſſe*. Decimò, vbi Auguſtinus: *quiſquis negat*, ipſi addiderunt: *hoc*, vt illā clauſulā: *deteſtādus hæreticus* non ad vltimā orationem, ſed ad omnia ſuprà relata referrent. Vltimò præcipuè, ac principaliter notare debes, quòd non omnia in hac auctoritate relata ſunt Auguſtini, nam prima illius verba ſunt Iuliani hæretici, vt videre poteris in vltima impreſsione, c. 15. col. 2. litt. B. Sed Aduerſarii ex Iuliano, & Auguſtino fabricarūt ſuā auctoritatem Auguſti-Iulianam, & hoc ipſum ſæpè fecerunt, vt infrà videbimus, iſta ergo ſunt præcipua vitia litteræ. Sed ſenſus, & intentio Auguſtini longiſsimè diſtant ab hac propoſita ab Aduerſariis concluſione: Maria contraxit originale peccatum; nam illa clauſula, quæ in tota hac auctoritate vnica, & ſola eſt, vel eſſe poteſt pro hac materia: *Quid reſtat vt intelligamus, niſi ea excepta omnē reliquā humanā carnem eſſe peccati, &c.* In quibus verbis Auguſtinus clarè, & expreſsè affirmat, omnem carnem humanam eſſe carnem peccati, excepta carne Chriſti: non eſt ad rē; quia hic vocat carnē peccati, illam, quę ex concupiſcentia parentū gignitur, cùm autem ſola caro Chriſti non fuerit ex cōcupiſcentia genita, nec ex libidine, aut aliqua carnis delectatione; ideò ſola ipſa non eſt caro peccati. At in hoc ſenſu caro Mariæ fuit caro peccati: vndè hæc propoſitio nunc: caro Mariæ in ſua generatione, vel Conceptione fuit caro peccati, eſſet proteſtatiua opinionis minus piæ, & in doctrina Auguſtini nihil dicit.

Vigeſima auctoritas ſic adducitur: Et infrà: *Peccatum enim originale in omnes homines per cōcupiſcentia trāſiit, in illā autē ſolam carnem tranſire non potuit, quā non ex illa Virgo cōcepit. Adā enim occulta tabe carnalis cōcupiſcentiæ tabificauit in ſe omnes de ſua ſtirpe venturos; carnē autem Chriſti non tabificauit, quia in eius cōceptu concupiſcentia nō fuit. Caro itaq; Chriſti immortalitatē de mortalite materni corporis traxit: contagiū autē originalis peccati ab ipſa nō accepit, quia etiā coeuntis concupiſcentiā nō inuenit, natura enim hominis Chriſti naturæ noſtri ſimilis fuit, ſed in vitio noſtræ diſſimilis extitit. Ipſe enim ſine vitio natus eſt homo: à quo vitio immunis hominum inuenitur nemo. Hæc illa.* Auguſtini auctoritas parum poſt ſupra poſitam ſic ſe habet, in dicto lib. 5. cōtra Iulianum cap. 15. *Quod autem attinet ad peccati originalis in omnes homines tranſitum, quoniam per concupiſcentiam carnis tranſit; tranſire in eam carnem non potuit, quàm non per illa Vir-*

go concepit; quòd enim de alio libro meo, quem ſcripſi ad ſanctæ memoriæ Marcellinum, velut mihi præſcribens ponere voluiſti de Adam dictum, quòd tabificauit in ſe omnes de ſua ſtirpe venturos. Vndè vtique ille tabificauit, non indè Chriſtus in Matris vterum venit. Sed verba quæ ad rem maximè pertinent in eadem ſententia mea, ego dicam, quia tu dicere noluiſti, & ſtatim cur nolueris apparebit. Occulta, inquam tabe carnis concupiſcentiæ tabificauit in ſe omnes de ſua ſtirpe venturos, non itaque carnem tabificauit, in cuius cõceptu tabes iſta non fuit. Caro itaque Chriſti mortalitatem de mortalitate materni corporis traxit, quia mortale corpus eius inuenit; contagium vero peccati originalis non traxit, quia concubentis concupiſcentiam non inuenit: ſi autem nec mortalitatem, ſed ſolam ſubſtantiam carnis de Matre ſumpſiſſet, non ſolùm caro eius caro peccati, ſed nec ſimilitudo carnis peccati eſſe potuiſſet. Et poſt triginta lineas proſequitur. *Verumtamen natura hominis Chriſti noſtræ naturæ diſſimilis non fuit, ſed vitio noſtro diſſimilis fuit. Ille quippè ſine vitio natus eſt homo, quod hominum nemo.* In hac ergo auctoritate prima oratio fere tota eſt vitiata, & idem dico de ſecunda deindè vbi Auguſtinus: *Contagium peccati originalis non traxit*, ipſi ſic, *contagium autem originalis peccati ab ipſa non accepit*, quæ valdè diuerſa ſunt; nam aliud eſt contagium ipſum originale, aliud verò contagium originalis peccati: etenim contagium originale peccati eſt concupiſcentia, quæ non tranſiuit in carnem Chriſti, quia ipſe a Matre ſine concupiſcentia fuit genitus: peccatum vero originale non eſt contagium carnis, ſed animæ. *Adam* enim tabe carnalis concupiſcentiæ *abificauit in ſe omnes de ſua ſtirpe venturos*, inquit Auguſtinus, & hanc propoſitionem explicat. Ergo loquitur de tabe carnalis concupiſcentiæ, à qua originale peccatum cauſatur in paruulis, & ipſa eſt cauſata in parentibus generatibus ab originali peccato Adami, qui omnes ex ſua ſtirpe venturos illa, ideſt, concupiſcentia, in generatione tabificauit, à qua ſola excepta fuit Chriſti generatio Aduerſarii ergo relicta cauſa tranſierunt ad effectum: Intereſt ergo, vt hoc radicitus examinemus in verbis Auguſtini, *per concupiſcentiam carnis tranſiit originale peccatum*, inquit Auguſtinus, & hoc indubitatum eſt: concupiſcentia enim fiſtula, & canalis eſt, per quam tranſiit originale: ſi enim non eſſet concupiſcẽtia in parentibus, originale non haberet vndè poſſet tranſire ad prolem. Triplici enim tabe tabificauit Adam poſteros ſuos, morte, concupiſcentia, & originali macula: mors propriè licèt ſit tabes, & malum, nec eſt vitiũ, nec peccatũ, ſed ſimilitudo vitij peccati: ſi enim Chriſtus, ſaltè diſpenſatiuè, non fuiſſet mortalis, nec ſimilitudinẽ carnis peccati habuiſſet. Hanc traxit Chriſtus de mortalitate materni corporis, quia mortale corpus eius Matris inuenit: hæc enim fuit diſpenſatio, vt tranſiret caro mortis, non exiſtente concupiſcentia cauſa mortis: ſed concupiſcentia, & originalis macula quæ ſunt verè vitia: & peccata: concupiſcentia in parentibus originale in prole: concupiſcentia vt cauſa, originale vt effectus, illa vt via, & iſtud vt terminus, nullo modo fuerunt in Chriſto; & ſic ſine vitio nullus natus eſt homo in mundo niſi ipſe. Hoc eſt, quod clarè, & expreſsè dicit Auguſtinus in præſenti auctoritate. Vndè Virgo Maria in hoc ſenſu Auguſtini, non eſt nata abſque vitio, quia & ſi non contraxit originale in ſua animatione; fuit tamen procreata concupiſcentia parentum in ſua generatione. Communis fuit mors, quoad actum Chriſto, & Mariæ, ſed in mortalite diſſimiles, quia ipſa in concupiſcentia genita, & licèt non in originali concepta, quaſi ex iure, & connaturaliter mortalis fuit, & hoc fuit illud generationis vitium; ipſe vero Chriſtus nihil habuit vitii; quia abſque concupiſcentia, & originali fuit natus, & ſic diſpenſatiuè ſolùm mortalis. Vndè ſequitur euidenter, quòd hæc propoſitio: Maria concepta, vel nata eſt cum vitio, vel hæc: contagium originale fuit in generatione, vel in Conceptione Mariæ, vel denique hæc: caro Mariæ, vel Maria ipſa, vel Mariæ generatio fuit tabificata peccato, concupiſcentia, aut originali macula, & contagio nunc multum dicerent, & exprimerent pro cõtraria ſententia; ſed iuxta modum loquendi Auguſtini, nihil probant contra Immaculatam Conceptionem, quia ſunt propoſitiones ex parte termini a quo. Itẽ nota, quòd ex hac: Maria mortua eſt, non rectè deducitur: ergo contraxit originale, ſed ſic eſt deducẽda: Maria mortua eſt: ergo fuit genita modo naturali à parentibus.

Vigeſima prima auctoritas, ſic adducitur: Nõta, quod Auguſtinus, per carnem peccati, intelligit hominem, vel naturam hominis habentem peccatum, à parte denominans totum. Vndè in 1. de Baptiſmo paruulorum: *Similitudo*, inquit, *carnis peccati eſt illa, in qua fuit pœna ſine culpa, caro verò peccati eſt qua culpa fuit & pœna, Hæc ille.* Veritas verò eſt, quòd S. Auguſtinus ſcripſit libros 3. ad Marcellinum, ſub titulo de Peccatorũ Meritis, & remiſsione, deque Baptiſmo paruulorũ, in quo lib. 1. cap. 32. fol. mihi 290. explicãs illud de exaltatione ſerpẽtis in deſerto, ſic incipit: *A ſerpente quippè mors venit, qui peccatũ, quo mori mereretur, homini perſuaſit: Dominus autem in carnẽ ſuã non peccatũ trãſtulit, tanquàm venenum ſerpentis, ſed tamen tranſtulit mortẽ: vt eſſet in ſimilitudine carnis peccati pœna, ſine culpa, vndè in carne peccati & culpa ſolueretur, & pœna, &c.* Hæc

ſunt verba, ex quibus Aduerſarii ſupra poſitam compoſuerunt auctoritatem, quia alia, aut ſaltem ipſis ſimilia non extant in toto illo libro: igitur ex maiori parte ſunt ficta, vel melius omnia adulterata quoad litteram, & ſenſum. Deindè ex quo verbo ex prælegatis poſſunt deducere concluſionem ab ipſis propoſitam: Maria contraxit originale? Quare hæc adducta fuit ſolùm ad multiplicandum numerum auctoritatum.

Vigeſimaſecunda auctoritas talis eſt: Item in eodem: *Vna eſt caro peccati, in qua omnes ad damnationem naſcuntur, & vna eſt ſimilitudo carnis peccati, per quam omnes à damnatione liberantur. Hæc ille.* Verba autem Auguſtini in eodem 1. libro cap. 28. hæc ſunt, explicans illud: *Qui mecum non eſt, aduerſum me eſt*, ſcilicèt, *conſtitue igitur quemlibet paruulum: ſi iam cùm Chriſto eſt, vt quid baptizatur? Si autem, quòd habet veritas, ideò baptizatur, vt ſit cùm Chriſto, profectò, non baptizatus, non eſt cum Chriſto; & quia non eſt cum Chriſto, aduerſus Chriſtum eſt, neque enim eius tam manifeſtam debemus, aut poſſumus infirmare, vel immutare ſententiam. Vndè igitur aduerſus Chriſtum, niſi ex peccato; neque enim ex corpore, & anima, quæ vtraque Dei creatura eſt. Porrò ſi ex peccato, quod in illa ætate, niſi originale & antiquum? Vna eſt quippè caro peccati, in qua omnes ad damnationem naſcuntur, & vna eſt caro in ſimilitudinem carnis peccati, per quam omnes à damnatione liberantur. Nec ita dictum eſt, omnes, velut quicumque naſcuntur in carne peccati, iidem ipſi omnes mundari intelligantur, per carnem ſimilem carni peccati, &c.* Quoad litteram igitur optimè eſt tranſcripta auctoritas, in qua ſolùm nititur probare Auguſtinus, eſſe originale peccatum in paruulis, contra Pelagium, & Hæreticos illius temporis; illa verò propoſitio: *Vna eſt caro peccati, in qua omnes ad damnationem naſcantur*, eſt vniuerſalis, ex qua nihil concluditur in præſenti controuerſia, etenim ipſemet Auguſtinus latiſsimè explicat ibidem quomodo ſit intelligenda illa vniuerſalis *omnis*, vide ibi. Item, vt ſæpè dixi, & millies repetam, ex ipſis antiquorum Patrum verbis: hæc propoſitio, adhuc expreſsè prolata: Mariæ caro in ſua Conceptione fuit caro peccati, eſt corpus ſine anima, communis enim modus loquendi Patrum, & præcipuè Auguſtini, fuit vocare carnem peccati illam, ex concupiſcentia genitam.

Vigeſimatertia auctoritas talis eſt: Item idem ſuper Ioannem: *Chriſtus*, inquit, *paſſus eſt vt peccati caro redimeretur. Fugiamus ergo omnes ad Chriſtum, & ſub peccato nos eſſe fateamur, vt eius ſanguine redimamur. Hæc ille.* Nota citationis modum, *ſuper Ioannem*, quando B. Auguſtinus habet de expoſitione Euangelii S. Ioannis centum viginti quatuor tractatus, & ſuper Epiſtolam ipſius, decem, vt videre eſt tomo 9. à fol. 1. vſque 268. Sed veritas (cui nihil latet) dicit, quòd hæc adducta auctoritas ab Aduerſariis extat tractatu 41. ſuper capite 8. Ioannis fol. 125. colum. 2. littera D. & in impreſſ. Pariſienſ. fol. 66. colum. 4. littera K. ad illud: *Si ergo vos filius liberauit, verè liberi eritis*, explicans illud Saluatoris: *Quia omnis qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati, &c.* Sed extat ſic: *Ad Chriſtum omnes fugiamus, contra peccatum Deum liberatorem imploremus: venales nos petamus, vt eius ſanguine redimamur. Dicit enim Dominus: Gratis venundati eſtis, & ſine argento redimemini, ſine pretio, ſed veſtro, quia meo. Hoc Dominus dicit: Ipſe enim pretium dedit, non argentum, ſed ſanguinem ſuum. Nam nos & ſerui, & egeni remanſeramus. Liberat ergo ab hac ſeruitute ſolus Dominus qui, illam non habuit, ipſe de illâ liberat, ſolus enim in hac carne venit ſine peccato. Nam quos videtis in manibus matrum paruulos ferri, nondum ambulant, & iam ſunt compediti, traxerunt enim de Adam, quòd ſaluatur à Chriſto, &c.* Alia quàm plura habet Auguſtinus in illo tractat. de liberatione à peccato per Chriſtum facta, ſed ab iſtis ſuam auctoritatem extraxerunt Aduerſarii. Confer ergo hanc auctoritatem cum adducta ab illis, & videbis quantum ad litteram, in quantis differant: quoad ſenſum verò patet, quòd loquatur in adultis de peccatis actualibus: in paruulis verò de originali, de quibus dicit, quòd traxerunt de Adan debitum, quod ſoluatur à Chriſto. Si autem hoc eſt dicere clarè, & expreſsè, ac nominatim, Virginem Mariam contraxiſſe originale, ipſi videant, quia aliud non eſt in tota auctoritate, nec in omni regione circumcirca. Niſi illud explicas verba eiuſdem Ioannis: ſi dixerimus quia peccatum non habemus nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Vbi Auguſtinus: *Solus hoc dicere potuit inter mortuos liber, de ſolo dici potuit, qui non nouerat peccatum: Etenim expertus eſt omnia ſecundùm ſimilitudinem ſine peccato. Solus dicere potuit: ecce venit Princeps mundi, & in me nihil inueniet. Quemcunque alium, licèt iuſtum, excuſeris, non omnimodo eſt ſine peccato, nec qualis erat Iob, cui Dominus, &c.*

Vigeſimaquarta auctoritas eſt hæc: Vndè idē Sermone 16. de verbis Euangelii prædictā auctoritatē exponens, ſic dicit: *Miſit Deus filiū ſuū, vt ait Apoſtolus, in ſimilitudinē carnis peccati, quia videlicèt caro erat, ſed peccati caro nō erat. Iſte autem Pelagius negans, originale peccatum in paruulos traduci: carnem infantiū, car-*

ni Christi cogitur coæquare. Non ita est, charissimi. Non enim pro magno cõmendaretur in Christo similitudo carnis peccati, nisi ea excepta omnis cætera hominũ caro esset caro peccati. Quid est caro peccati, nisi illa quæ mortem habet & peccatum? Quid enim est similitudo carnis peccati, nisi illa quæ mortem habet sine peccato? Si enim peccatum haberet, esset caro peccati, si autem mortẽ non haberet, non esset similitudo carnis peccati. Hæc ille. Adhanc auctoritatem dicimus: in operibus S. Augustini nullum extare tractatum de verbis Euangelii, attamen inuenitur vnus, de verbis Domini, sed Sermone 16. qui extat tom. 10. fol. 15. & incipit: *Admonet nos*, nec verbum reperitur ex præallegatis. Habet etiam tractatum de verbis Apostoli. Sed Sermone 16. qui incipit: *Apostolum Beatũ*, nullum extat verbum. Reuolui Augustinum, & tandem tom. 10. Sermone 14. qui est de Baptismo paruulorum contra Pelagianos, & incipit: *Natale S. Ioannis, &c.* De verbis Apostoli fol. 71. inueni sequentia verba: *Adam primus accepit morsum serpentis cum veneno: ergo natus in carne peccati fit salus in Christo per similitudinem carnis peccati. Misit enim Deus filiũ suum, non in carne peccati, sed sicut sequitur, qui scripsit in similitudine carnis peccati, quia non complexu maritali, sed de vtero virginali, misit in similitudinem carnis peccati, vt quid hoc? Vt de peccato damnaret peccatum in carne, de peccato peccatum, de serpente serpentem. Sed de similitudine, quia in Christo nullum peccatum, sed sola similitudo carnis peccati. Ideò exaltatus est serpẽs, sed æreus: Exaltata est similitudo carnis peccati, vt sanaretur origo peccati, quia misit Deus filium suum in similitudinẽ carnis peccati, non in similitudinem carnis. Nam vera caro est; sed in similitudinem carnis peccati, quia mortalis caro, sine vllo omnino peccato, vt de peccato propter similitudinẽ damnaret peccatũ in carne propter veram iniquitatem. Vera iniquitas in Christo non fuit, sed mortalitas in illo fuit: Peccatum non suscepit, sed pœnam peccati suscepit. Suscipiendo sine culpa pœnam, & pœnã sanauit, & culpam. Ecce quomodo sunt ista quæ admiratus Nicodemus dixerat. Quomodo possunt ista fieri? &c.* Et ego etiã admiratus possum dicere: Quomodo possunt ista fieri? Vt ex tota hac auctoritate nec vnum saltem verbum trascripserint fideliter Aduersarii? Quod ex hoc Augustini loco desumpserint verba sua negare non possunt: tum quia alibi non reperiuntur, alias illa ostendant, tum propter similitudinem materiæ propositæ. Si ergo ex hoc fundamento fabricarunt illam chimeram, quid dicẽdum restat de prædictis Scriptoribus? Tu, ò Lector, confer verba verbis, & profer iudicium & sententiam.

Sed ante eius promulgationẽ nota etiã, quòd Bandellus ad calcem immediatè post hanc auctoritatem subscripsit hanc glossam: *Ex quibus manifestè patet, quòd cũ Augustinus in prædicta auctoritate asserat, omnem carnem humanam, excepta carne Christi, esse carnem peccati (etiã nominando Beatam Virginem) per hoc intelligitur, quòd omnes homines præter Christum habuerunt aliquod peccatum. Intelligitur etiã, quòd quicumque asserit, aliquem hominẽ fuisse semper sine omni peccato, cogitur concedere illũ fuisse æqualis puritatis cum Christo, quia puritas intenditur per recessum à contrario. Vndè si duæ carnes, vel naturæ æqualiter recedãt à peccato, & nullius peccati admixtionẽ habeant, sunt æqualis puritatis, & cum Augustinus hoc dicat esse hæreticum; consequens est, vt quicumque dicit, B. Virginem nullum vnquam habuisse peccatum, sit hæreticus appellandus. Item cum dicat, omnes homines per concupiscentiam generatos habuisse originale peccatũ, & asserat, B. Virginem per concupiscentiam fuisse generatã, consequens esse voluit, quòd B. Virgo fuerit in originali peccato concepta. Expositionem autem prædictæ auctoritatis, diffusè posui in alio libello quem Comiti Petro de Gambara intitulaui, in ratione vndecima tertiæ viæ.* Hucusque in originali Bandelli. similiter, & in secundo recognito per Dezam: ex quibus patet, quòd Auctor illius libelli Anonymi, de quo nos in Trituratione num. xjx. fuit Vincentius Bandellus de Castronouo: Illam autem rationem vndecimam viæ 3. sic incipit: *Vndecima ratio talis est: affirmare, quod Sancti negant, vel negare, quod Sancti affirmant, est valdè impium, sed dicere, B. Virginem non fuisse conceptam in peccato originali, vel ab eo fuisse immunẽ in sui Conceptione, est negare, quod Sancti affirmant, & affirmare: quod Sancti negant, ergo est valdè impiũ, &c.* Et sic prosequitur adducendo aliquas auctoritates Sanctorum, præcipuè S. Augustini, omnes tamen fictas, vitiatas, & adulteratas, vt vidimus & infrà amplius apparebit: sed de hac à se proposita ex Serm. 16. de verbis Euangelii, nec minimum habet verbum, & sic in omnibus finxit. Pro principali auctoritate Augustini, & in ea Aduersariorum commento, vide, ò Lector! vbi Augustinus nominet in ea Beatam Virginem, vt dicere auderent: *Etiam nominando B. Virginem:* & vbi est illud: *Cum Augustinus dicat esse hæreticum.* Et quòd loquantur de hac vnica, & sola auctoritate Augustini, patet ex illis verbis: *Expositionẽ autè prædictæ auctoritatis diffusè exposui, &c.* Ergo non solùm Augustinus est vitiatus, & adulteratus, sed etiam ficta illa, quæ nec Augustinus excogitauit, imò nec ipsemet Bandellus.

Vigesimaquinta auctoritas: Item Augustinus in 10. super Genesim ad litteram (sed in margine habet, capite 22.) *Quid*, inquit, *coin-*

qui-

quinatius illo vtero Virginis, cuius caro & ſi de peccati propagatione venit; non tamen de peccati propagatione concepit, vt nè in ipſum quidem corpus Chriſti ea lex ſæuiret, quæ in membris poſita corporis repugnat legi mentis. Hæc ille. Auguſtinus verò non capite 10. nec cap. 22. ſed libro 10. tomo 3. fol. 147. colum. 2. litt. E. cap. 18. ſic inquit: *Et quid coinquinatius illo vtero Virginis? Cuius caro etiã, ſi de peccati propagatione venit, non tamen de peccati propagine concepit; vt nè ipſum quidem corpus Chriſti ea lex ſæuirit in vtero Mariæ, quæ in membris poſita corporis mortis repugnat legi mentis, quam Sancti Patres coniugati refrenantes, non quidem niſi quouſque licebat in concubitũ relaxaverunt, &c.* Primò, ergo vbi Auguſtinus: *Nõ tamẽ de peccati propagine cõcepit*, ipſi *propagatione*. Sũt enim diuerſiſsima. Secũdo, abſtulerunt illud: *in vtero Mariæ*. Tertiò, eadem intentione prætermiſerunt vltima orationis verba, vbi Auguſtinus declarat, quæ, & qualis fuerit illa lex poſita in mẽbris, quam ſancti Patres refrenabant: Loquitur enim de concupiſcentia parentum in generatione, ſeu libidine exiſtente in genitalibus, de quibus alias ſæpè Auguſtinus in ſuis operibus, à qua ſolùm Chriſti caro fuit immunis: quòd autem Mariæ caro fuerit ex propagatione peccati, concupiſcentiæ, & libidinis, tranſeat, quia hoc nihil ad rem pro præſeruatione ab originali in ſua animatione: hoc enim inquirimus, an ſtante quòd eius generatio fuerit ex viro, & fœmina, ex concupiſcentia, & libidine potuerit præſeruari ab originali macula? Vide ſequentia.

Vigeſimaſexta auctoritas. Item, idem vbi ſuprà: *Proinde Corpus Chriſti, quamuis ex carne fœminæ aſſumptum ſit, quæ de illa carnis peccati propagatione concepta fuerat, tamen quia non ſic in eo conceptum fuit, quomodo fuerat illa cõcepta, ideo ipſum non fuit caro peccati, ſed ſimilitudo carnis peccati. Hæc ille.* Auguſtinus verò conſequenter, ſeu continuò ad antecedẽtis verba, inquit: *Quàm Sancti Patres coniugati refrenantes, non quidem niſi quouſque licebat, in concubitum relaxauerunt, nec tamen tantummodo quouſque licebat eius impetũ pertulerunt. Proindè corpus Chriſti quamuis ex carne fœminæ aſſumptum eſt, quæ de illa carnis peccati propagine concepta fuerat, tamen quia non ſic in ea conceptũ eſt, quomodo fuerat illa concepta, nec ipſa erat caro peccati, ſed ſimilitudo carnis peccati.* Hæc Auguſtinus. Ex quibus patet, quòd hæc auctoritas cũ antecedenti, eſt vna ſola, & indiuiſibilis, Aduerſarii autem illam in duas diſtinctas diuiſerunt, vt ſic multiplicarent teſtimonia contra Virginis puritatem. Secundò, quòd in vna & altera prætermiſerunt illa verba, ex quibus conſtare poterat mens Auguſtini: *Sancti Patres coniugati refrenantes, non quidem niſi quouſque licebat in concubitum, &c. Eius impetum pertulerunt, &c.* Manifeſtabatur enim euidenter ex illis, Sanctum Doctorem locutum fuiſſe de concupiſcentia, luxuria & libidine, quæ coniugatis tempore concubitus euenire ſolet; hanc vocat Auguſtinus carnis propaginem. Aduerſarii verò ſicut ſuprà, ſic & hic, vitiarunt in ly *propagationem*. Maria enim fuit ex propagine concupiſcentiæ, ſiuè carnis peccati, licèt ipſius Sancti Patres coniugati ſanctiſsimi Ioachim, & Anna, in concubitu refrenaſſent, & relaxaſſent carnis peccati impetum, & petulantiã quouſque licebat, & amplius, At Chriſtus nullo modo fuit ex illa propagine carnis peccati, quia ibi neque fuit coniugium, neque concubitus, nec aliqua carnis petulantia, vel impetus, & ſic non fuit conceptus Chriſtus, ſicut Maria in prima carnis generatione, quod totum libentiſsimè concedimus. Nota etiam, quòd Auguſtinus vocat hic abſolutè conceptionem, ipſam generationem primam carnalẽ, ſicut & in aliis locis, vt ſuprà notatum manet. Hoc ergo ſuppoſito, quod clarè conſtat ex verbis Auguſtini, hæc propoſitio: Maria eſt concepta ex propagine, vel propagatione peccati, vel: Caro Mariæ fuit caro peccati in ſua Conceptione; caro autem Chriſti ſolùm ſimilitudo carnis peccati, ſecundum Auguſtini doctrinam nihil dicit contra eius Immaculatam Conceptionem! Aduerſarii autem, vt vides ſemper, & vbique conati ſunt, reducere ad ſecundam conceptionem animæ, quæ Sancti dixerunt de prima carnis conceptione, & peccatum parentum in generatione prolis adſcribere filio genito.

Vigeſimaſeptima auctoritas. Item vbi ſuprà: *Cùm*, inquit, *ſit in ſemine & viſibilis corpulentia, & inuiſibilis ratio, vtrumque curit ex Adam vſque ad corpus Mariæ, quia & ipſum eodem modo conceptum eſt, ſicut corpus aliarum. Chriſtus autem viſibilem carnis corpulentiam de Maria Virgine aſſumpſit; ratio verò conceptionis non à ſemine virili, ſed longè aliter, ac deſuper aduenit. Vulnus autem præuaricationis Adæ per omnem carnem ab ipſo ſeminali ratione propagata tranſfunditur. Hæc ille.* Auguſtini verò auctoritas in eodem libro 10. cap. 20. colum. 1. litt. I. ſic ſe habet: *Cùm enim ſit in ſemine & viſibilis corpulentia, & inviſibilis ratio, vtrumque occurrit ex Abraham, vel etiam ex ipſo Adam, vſque ad corpus Mariæ, quia & ipſum eo modo conceptũ, & exortum eſt. Chriſtus autem viſibilis carnis ſubſtantiam de carne Virginis ſumpſit: ratio verò Conceptionis eius non à ſemine virili, ſed longè aliter, ac deſuper venit. Proindè ſecundũ hoc quod de Matre accepit, etiã in lũbis Abrahæ fuit, &c.* Et poſt 13. lineas proſequitur ſic: *Eadem namque caro non Abrahæ tantum, ſed ipſius*

ſus primi terrenique hominis, ſimul habebat & vulnus præuaricationis, & meditamentum vulneris: Vulnus præuaricationis, in lege membrorum repugnantem legi mentis, quæ per omnem inde propagatam carnem ſeminali ratione quaſi tranſcribitur. Huius auctoritatis adulterationes ſunt. Prima, quia prætermiſerunt illud, *ex Abraham*, & tantùm dixerunt, *ex Adam*, vt ſic de notarent quòd Auguſtinus loquebatur de illa inuiſibili ratione, quæ ſolùm originem ducit ab Adam, ſcilicèt, originale peccatum; non verò de illa, quæ in aliis Patribus etiam inueniebatur, ſcilicèt, concupiſcentia. Secundò, abſtulerunt illud, *exortum*, & ſolùm dixerunt, *conceptum*, vt ſic vitiarent Auguſtini textum, & intẽtionem eodẽ modo loquentis de generatione, & Conceptione, ſiuè de Conceptione, & natiuitate; nam quomodocumque ſumatur, aliud eſt *conceptum*, aliud *exortum*: nam ſi *conceptum* ſumatur pro propria conceptione animationis, & *exortum*, pro natiuitate ex vtero, ſi corpus Mariæ conceptum fuit in peccato, non tamen fuit exortum: ſin autem *conceptum* accipiatur pro generatione actiua carnali, & *exortum*, pro paſſiua generatione corporis Mariæ, controuerſia noſtra non eſt de concupiſcentia, & corporea conceptione. Tertio, ſine timore vllo addiderunt illud: *Sicut corpus aliorum*, quæ verba in Auguſtino non extant. Quarto, vbi Auguſtinus: *ſubſtantiam*, ipſi: *corpulentiam*, eo fine, & intentione, vt reſpiceret ad corpulentiam Adami ſupra poſitam. Quintò, tota vltima oratio eſt vitiata, ſeu potiùs adulterata, vt intuenti patebit. Sexto, quantum ad ſenſum, quia Aduerſarii hanc auctoritatem adducunt pro Conceptione, ſeu animatione carnis virgineę, quando ipſe expreſsè, & palam loquitur de conceptione, ſeu generatione carnali, vt denotant illa verba: *Ratio verò Conceptionis eius non à ſemine virili, &c.* Et illa: *Seminali ratione quaſi tranſcribitur.* Probat enim Auguſtinus, quòd caro Chriſti non fuit propagata virili ſemine, ſiuè ſeminali ratione à Patre, ſicut fuerat propagata caro Mariæ: vulnus enim concupiſcentiæ, & libidinis erat in membris parentum in Adam, Abraham, & ſic de ſingulis vſque ad Ioachim, & ſic hæc auctoritas ſicut antecedentes, nec verbum habet de originali macula prolis.

Vigeſimaoctaua auctoritas eſt talis: Item Auguſtinus, vt allegatur in Pharetra originalium Sanctorum, cap. de Beata Maria: *Credimus*, inquit, *Beatam Virginem in vtero Matris ſanctificatam, & ab originali peccato fuiſſe mundatam. Hæc ille.* O breuis, & compendioſa auctoritas, ſed pharetrata! Scias ergo Lector, quòd hæc Pharetra originalium Sanctorum eſt quoddam opuſculum Sancti Bonauenturæ, quod extat tomo 6. & capit. 5. & in rei veritate eſt de Beata Maria, vt dicunt Aduerſarii, & extat folio mihi 103. colum. 2. vbi poſt aliquas auctoritates Gregorii, & Ambroſii adducit ſeptem ex Auguſtino, ſed nullomodo ibi citat, nec adducit hanc adductam ab Aduerſariis, nec aliam ipſi ſimilem ſaltem in vnico verbo, & ſic quærant aliam Pharetram pro hac ſagitta, quia hæc parata, & ficta fuit, vt ſagittarent in occulto rectos corde: Nec poſſunt dicere, quòd Fratres Minores illam abſtulerunt à Pharetra, quia opera S. Bonauenturæ typis mandata fuerunt ab Angelo Rocca Auguſtiniano, & Magiſtro Sacri Palatii Dominicano, qui in hac materia de Conceptione nec apicem prætermiſerunt, vt infrà num. 49. ſuo loco videbimus.

Vigeſimanona auctoritas ſic adducitur: Item Auguſtinus, vt allegatur à quibuſdã, in Sermone Aſſumptionis: *Eximere*, inquit, *Virginẽ gloriоſam aboriginalis peccati cõtractione, temerarium dicimus, licèt hoc Deũ potuiſſe non negamus. Hæc ille.* Et proſequitur Anonymus ſic: *Has duas vltimas auctoritates non vidi in originalibus, ſed tamen in duobus libellis ſic allegatas reperi.* Cùm ergo auctoritas iſta ſit falſa, & ficta ſicut prędcdẽs, quia in nullo Sermone Aſſumpt. S. Auguſtini reperitur (legi enim & reuolui, quidquid in Sermonibus tomo 10. adducit S. Doctor, & fuit labor ſine fructu) ſequitur quod in hac materia Conceptionis, locuti ſunt ad libitum, & ex mero cerebro, vt non dicã aliud. Deindè fatetur Anonymus, ſeu Bandellus, ſe has duas auctoritates non vidiſſe in originalibus: ergo alias omnes viderat: ſi viderat, quomodo in ipſis tot, tantaſq; falſitates, atque mẽdacia trãſcripſit? Tandem dicit, quòd has auctoritates inuenit in duobus libellis, non in vno tantum ſed duobus, & non ſignat libellos: ſed non in libello Turrecrematæ, quia ibi non extant, ergo vel in libellis Guillelmi de Gannaco, vel Ioannis Ægidii de Catalonia, vel Ioannis Dominici de Raguſio, vel Raphaelis de Parnaſio, vel Ioannis de Montenigro, vel Ioan. Brizii, de quibus diximus in Triturationc, & dicemus infrà, quia iſti tãtum ex Ordine Prædicatorum (vt referunt Anonymus, & Bandellus) ſcripſerunt libellos; ſeu tractatus de ſanctificatio ne Virginis; quales ergo erant tractatus illi, ſiuè libelli, in quibus tales reperiebãtur auctoritates fictæ, & falſæ? Et hic deprehẽdet ò Lector, ex vngueleonẽ. Quia ſi in S. Auguſtino primò, ac notiſsimo Eccleſiæ Doctore finxerunt tales auctoritates, quid facerent in alis? Cõcludo, quòd iſte duæ auctoritates vltimæ, nec ſunt in Pharetra, nec in Auguſtino, nec illas extraxit Anonymus ex duobus, neq; ex vno ſaltẽ libello, ſed videns nullã eſſe auctoritatem in S. Auguſtini operibus loquentẽ directè, & formaliter de B. Mariæ Cõceptione finxit has

duas

duas expreſſas, & vt nō deprehenderetur in fragranti delicto, aufugit ad illos duos libellos incognitos. Patres, itæ ſunt duæ auctoritates clarè, & expreſsè pro veſtra opinione, oſtēdite nobis illas in Auguſtino, vel plus dico, in aliquo libello, & aſsignamus vobis terminum vſque ad diem iudicii: & ſimul notate, quòd qui finxit iſtas, finxit etiam illam Innocentii VI. de qua in Triturar. num. xix.

Trigeſima ſic ſe habet, ex Anonymo Auct. 10 fol. 105. & inſ. à Rat. 21. fol. 129. colum. 4. Idem Auguſtinus in Sermone Aſſumptionis, qui incipit: Sancta, atque glorioſa: *Deſcendit*, inquit, *Filius Dei in Virginem ſicut pluuia in vellus, purgauit pretioſam margaritam, & Virginitas eius non ſenſit aliquam iacturam, & dicunt Manichæi, Dominum Ieſum non potuiſſe per fœminam naſci. Non enim dignum eſt, inquiunt, vt tanta Maieſtas per ſordes, & ſquallores fœminæ tranſire credatur. Sed dicet tibi, Manichæe, Deus creator hominum filius hominis: quid eſt quod te promouet in Natiuitate mea? Non ſum libidinis conceptus cupiditate, ego matrem, de qua naſcerer, feci, ego viam meā itineraui, præparaui, atque mundaui. Hæc quam deſpicis Manichæe mater eſt mea, ſed manu fabricata eſt mea; ſi potui inquinari, cum eam facerem, potui inquinari cum ex ea naſcerer. Sicut tranſitu meo illius non eſt corrupta Virginitas, ita mea ibi non eſt maculata Maieſtas. Si ſolis radius cloacharum ſordes ſiccare nouit, & eis inquinari non valet, quanto magis ſplendor lucis æternæ, in quo nihil inquinati incurrit, quocumque radiauerit, mundare poteſt, & ipſe pollui non poteſt. Sicut ergo ille natus eſt ſolus inter mortuos liber, ſic iſtius, ex qua natus eſt pudor, ſolus eſt integer. Hæc ille.* Et in prælegata rat. 21. addit. *Hoc idem dicit in Serm. Aſſumptionis quem ego vidi in libris vetuſtiſsimis, &c.* In primis, quod dicunt Aduerſarii de hac auctoritate, & Sermone Aſſumptionis, qui incipit: *Sancta, atque glorioſa*, & libris vetuſtiſsimis, falſum, & fictum eſt; quia talis Sermo non extat in S. Auguſtino, nam in ipſo ſolùm ſunt duo Sermones de Aſſumptione, quorum vnus extat tom. 9. fol. 195. & incipit: *Ad interrogata de Virginis*, alius verò tom. 10. fol. 170. & incipit: *Adeſt nobis*. Cùm ergo nullus ſit Sermo incipiēs, vt Aduerſarii dicunt, neque in aliis Sermonibus extent prælegata verba, ſequitur quod totum hoc de Sermone Aſſumptionis ſit fictum, & falſum; imò plus dicimus, quod nullus eſt Sermo Aſſumptionis in aliquo antiquo Patre, incipiens: *Sancta, atque glorioſa*; ſed verum eſt, quòd prælegata verba deſumpſerunt ex Sancto Auguſtino: attamen ex libro de 5. Hæreſibus, qui incipit: *Debitor ſum*, contra 3. Blaſphemiam, ex hoc ergo loco cap. 4. (in nouiſsima impreſſ. eſt 5.) tom. 6. fol. 9. colum. 4. deſumo, & tranſcribo auctoritatem Auguſtini, quæ ſic ſe habet: *Quid eſt, quod te permouet in mea Natiuitate? Non ſum libidinis Conceptus cupiditate. Ego matrem, de qua naſcerer, feci: ego viam meo itineri præparaui, atque mundaui. Hanc, quā deſpicis, Manichæe, mater eſt mea, ſed manu fabricata eſt mea; ſi potui inquinari, cum eam facerē; potui in illa inquinari, cum ex ea naſcerer. Sicut tranſitu meo illius nō eſt corrupta Virginitas, ſic & mea non eſt ibi maculata Maieſtas. Si ſolis radius cloacharum ſordes deficcare nouit; eis inquinari non nouit: quanto magis ſplendor lucis æternæ, in quo nihil inquinamenti incurrit, quocumque radiauerit, mundare poteſt, ipſe pollui non poteſt? Stulte, vndè ſordes in Virgine Matre, vbi non eſt concubitus cum homine patre? Vndè ſordes in ea, quæ nec concipiendo libidinem, nec pariendo eſt perpeſſa dolorem? Vndè ſordes in domo ad quam nullus hoſpes acceſsit? Solus ad eam Dominus, & fabricator eius venit, veſtem, quam habebat induit: eamque ſicut inuenit clauſam reliquit. Sicut ille natus eſt ſolus inter mortuos liber: ſic iſtius ex qua natus eſt, matris pudor ſolus eſt integer, &c.* Si omnia, & ſingula, quę in hac auctoritate Aduerſarii pro ſuo libito tranſmutarunt, & vitiarunt, eſſent exprimenda, ferè nullum verbum intactum maneret: principaliora verò ſunt ſequentia. Primò, ex proprio cerebro appoſuerunt auctoritatis principium, & in ipſo finxerunt illa verba: *purgauit pretioſam margaritam*, vt ſic purgatam à peccato ex ipſo limine introducerent Dei Matrem, & quia voluerunt addere hoc, finxerunt illud de libris vetuſtiſsimis. Secundò, prætermiſerunt totam illam clauſulam: *Stulte, vndè ſordes in Virgine matre? &c.* quia cum ipſi ponerent ſordem in Virgine matre, abſtulerunt ab Auguſtino verba, quæ ſordem omnem contra Hæreticos amputabant, & contra ipſos etiam militabant, & fortè potiori iure, quia illi ponebāt ſolummodo phyſicas, & naturæ ſordes; iſti autem morales, & peccati, reliqua vitia conferēdo verba verbis, enumera tu, ſi potes. Tertiò, ſi ad domum Marianam *nullus hoſpes acceſsit*, vt dicit Auguſtinus: ergo nec peccatum originale. Quartò, ſi Auguſtinus in hac auctoritate aufert à Maria omnem ſordem materialē, phyſicam, & naturalem; quomodo ex eadem auctoritate deducitis vos, fuiſſe in ea ſordem formalem, moralem, & peccatum? Deindè quis Catholicorum vnquam negauit, Verbum diuinum viam ſuo itineri præparaſſe, atque mundaſſe? Clamamus nos dicentes, quòd præparauit, & mundauit viam ſuam in matre, ita vt in ea, nec maculæ vmbram, neque peccati tabem dereliquerit; vt etiam hic clamat Auguſtinus, & ex hac ipſius auctoritate probant quam plures Doctores peritiſsimi; ex noſtris vos verò dicitis ipſam habuiſſe ſordem, maculam,

lam, & peccatum: quis ergo, ò Patres! est cum Augustino?

Trigesimaprima est sic: Item Augustinus contra Maximum Hæreticum lib. 10. cap. 21. *Non*, inquit, *Deus habitat in homine, quem non antè Spiritus Sanctus sanctificauerit, atque purgauerit. Denique ad Mariam illam Beatã Virginem dicebatur: Spiritus Sanctus superueniet in te; vtique ad sanctificandum, & purgandum eam. Hæc ille.* Augustinus vero non libro 10. contra Maximum, vt ipsi dicunt, sed lib. 3. cap. 21. tom. 6. fol. 162. col. 4. sic inquit: *Quid potuisti dicere, ideò dictum esse, quia in nemine habitat Deus, quem non ante Spiritus Sanctus sanctificauerit, atque purgauerit, quasi templũ Deo habitaturo non sibi sanctificet, & purget Spiritus Sanctus, cum Apostolus*, &c. Hæc Augustinus, & nihil amplius. Vbi ergo, Patres est illa vltima clausula: *Denique ad Mariam*, &c. O fictio excogitata ex proprio marte, vt macularent Dominam, ac Reginam purissimam Angelorum! Quando in Augustino, non solùm in toto illo capite 21. sed nec in toto libro est, nec reperitur. Et quid hæc auctoritas cum peccato originali Mariæ? si hoc debeat vociferari, alii iudicent: at silentium meum auribus percipiat Lector, & intelligat clamorem meum.

Trigesima secunda auctoritas est hæc: Sãctus Augustinus lib. 2. cõtra Iulianum sic dicit (Canus perperam citat libr. 53. contra Iulianum cap. 9.) *Omnes homines illorum primorum parentum peccato nascuntur obnoxij, hoc enim, qui negat, fidei Christianæ fundamenta subuertere conatur, vna est enim omnium Catholicorum fides, qui per vnum hominem peccatum intrasse in mundum vno corde credunt, vno ore fatentur, & nostras nouitias præsumptiones Catholica antiquitate subuertunt; habens enim contra te non solùm Occidentis, verum etiam, & Orientis Episcopos, qui vno omnes eodem modo credunt; per vnum hominem peccatum intrasse in mundum, in quo omnes peccauerunt, qui modus hic est, vt peccato illius hominis primi, omnes homines nasci credantur obnoxij. Hæc ille.* Augustinus verò non 2. lib. nec 53. nec cap. 9. sed lib. 1. in principio cap. 2. tom. 7. fol. 202. col. 2. litt. K. sic inquit: *Ista vertitur quæstio, quòd ego dico nuptias esse laudandas, vt nullo modo ad earum culpam, vituperationemque pertineat, quòd omnes homines primorum illorum hominũ peccato nascantur obnoxij: hoc enim qui negat, ipsa Christianæ fidei subuertere fundamenta conatur. Hinc quippè factum est, vt de nuptijs, & concupiscentia librum scriberem, nuptiarum, scilicèt, bonum discernens à malo, vndè trahitur originale peccatum.* Et posteà inquit: *Tu autem dicis, nuptias sine dubitatione damnari, nisi quod ex eis nascitur, ab omni fit liberum obligatione peccati*, &c. Et post 90. lineas cap. 3. prosequitur Augustinus: *Vna est enim omnium Catholica fides, qui per vnum hominem peccatum intrasse in mundum, in quo omnes peccauerunt vno corde credunt, vno ore fatentur, & nostras nouitias præsumptiones Catholica antiquitate subuertunt.* Hæc sunt, quæ Augustinus habet ibi; alia verba desumpserunt ex cap. 5. circa finem, fol. 204. col. 4. litt. K. vbi Augustinus sic: *Tu autem habes in conspectu, non solùm Occidentis, verum etiam Orientis Episcopos; nam qui nobis deesse videbantur, plures Orientis inuenimus. Omnes vno eodemque modo credunt, per vnum hominem peccatum intrasse in mundum, & per peccatum, mortem, & ita in omnes homines pertransisse, in quo omnes peccauerunt. Qui modus hic est? Vt peccato illius primi vnius homines omnes nasci credantur obnoxij?* &c. Ergo ex tribus locis diuersis desumpta est hæc auctoritas, vitiando ipsam in triginta, & amplius partibus? At circa sensum vide sequentem, quia in parte coincidit cum ista.

Trigesimatertia auctoritas sic adducitur à Bandello cap. 15. fol. 20. Idem tenet Innocentius Episcopus, qui floruit anno Domini 397. tempore Archadii, & quatuordecim alii Episcopi, Doctores litteratissimi, qui damnarũt Pelagium, vt recitat Augustinus in 1. contra Iulianum. Postquam igitur Augustinus enumerauit, & adduxit singula dicta prædictorum Sanctorum illustrium, statim subiungit in 1. & 2. contra Iulianum: *Vna est omnium Catholicorum firma fides, qui per vnum hominem peccatum intrasse in mundũ, in quo omnes peccauerunt vno corde credunt, vno ore fatentur. Et vestras nouitias præsumptiones Catholica antiquitate subuertunt. Propter quam Catholicam veritatem Sancti, ac Beatissimi in diuinorum eloquiorum, pertractatione clarissimi Sacerdotes Hyrenæus, Cyprianus, Rethicius, Olympus, Hylarius, Ambrosius, Gregorius, Innocentius, Ioannes, Basilius, quibus, velis, nolis, addo Hieronymũ Presbyterum, vt eos obmittam, qui nondum dormierunt, aduersus vos proferunt de omnium hominum peccato originali obnoxia successione sententiam. Vndè nemo excipitur nisi solus ille, quẽ sine lege peccati Virgo concepit. Hæc ille.* Hucusque Aduersarii ex Augustino. Verba autem primæ clausulæ desumpserunt ex lib. 1. contra Pelagium cap. 2. circa medium, vt posita manent auctoritate antecedenti. Ad finem verò lib. 2. cap. 10. loquendo de peccato originali inquit: *Non est hoc malum nuptiarum, sed primorum hominum peccatum in posteros propagatione traiectum. Etiã huius mali reatus Baptismi sanctificatione remittitur. Deus autem iustus, si tanta paruulis mala, quãta nunc dicere nõ sufficio, nihil peccati trahentibus irrogaret, magis appareret iniustus. Iustitiæ verò perfecta capacitas hominis non negatur, quia nec vitio-*

rum

rum omnium pleniſſima ſanitas ſub omnipotenti Medico deſperatur. Propter quam Catholicã veritatem Sancti, ac Beati, & in diuinorum eloquiorum pertractatione clariſſimi Sacerdotes Hyrenæus, Cyprianus, Rethicius, Olympus, Hilarius, Ambroſius, Gregorius, Innocentius, Ioannes, Baſilius, quibus addo Presbyterum, velis, nolis, Hieronymum, vt omittam eos, qui nondum dormierunt, aduerſus vos proferunt de omnium hominum peccato originali obnoxia ſucceſſione ſententiam. Vnde nemo eruit, niſi quem ſine lege peccati, repugnante legi mentis, Virgo concepit. Quid eſt quod exultas? &c. Ex his patet, quòd auctoritatem antecedẽtem deſumpſerunt Aduerſarii ex primo libro contra Pelagium, ſed ex tribus diſtinctis locis; hanc autem ex principio primi libri, & ex fine ſecundi: notabilis equidem auctoritatum farrago! Deindè falſum eſt, quod dicunt de quatuordecim Epiſcopis; nam hic enumerat ſolùm Auguſtinus vndecim, niſi dicant, quod loquuntur de illis quatuordecim Epiſcopis Græcis, de quibus Auguſtinus in 1. libro cap. 5. vbi dicit: *Habemus alios Orientales Epiſcopos quatuordecim, Eulogium, Ioannem, &c.* Et ſi ita eſt, iam auctoritas iſta eſt etiam fabricata ex tribus locis inter ſe valdè diſtantibus. Quomodo ergo hæc ſunt componenda, aut verificanda, vbi tot adſunt chimeræ? Sed illis relictis ex omnibus auctoritatibus hucuſque adductis ex S. Auguſtino, ſolũ huius vltima clauſula alicuius extitiſſet momẽti, ad probandum ſuum propoſitum aſſumptũ, ſi ſtandum eſſet verbis Aduerſariorum. Sed nota, quòd ipſi cauillosè, ſatis vitiarunt illa duo verba eſſentialia, ſcilicèt, *eruit*, & loco eius apposuerunt, *excipitur*, & prætermiſerunt illud, *repugnante legi mentis*, quibus ſenſum, & mentem Auguſtini enormiter adulterarunt. Contendebat enim S. Auguſtinus contra Pelagium negantem peccatum originale in paruulis, & per conſequens affirmantẽ Baptiſmum, ſeu regenerationem per Chriſtum non eſſe neceſſariam, Auguſtinus contradicebat affirmando. (catholicè, ac verè) Tum quòd omnes homines obnoxia ſucceſsione contrahebant originale peccatum, à quo *nemo eruit*, nec liberat, nec liberare poterat, niſi ille quem Virgo concepit; quia omnes alii obnoxia ſucceſsione tenebantur, ſub illa ſententia peccati originalis; quia omnes concepti erant ſub lege peccati, repugnante legi mentis: *vndẽ nemo eruit*, nec eruere poterat, niſi ſolus ille, *quem ſine lege peccati, repugnante legi mentis, Virgo concepit.* Breuiſsimè, ac clariſsimè, ò Lector! Auguſtinus dicit. à peccato originali *nemo eruit*, niſi ſolus Chriſtus; Aduerſarii verò ſic: à peccato originali *nemo excipitur*, niſi ſolus Chriſtus. Vide ergo, vtrum iſtę propoſitiones inter ſe cohæreant? Ex hac ergo, & antecedenti auctoritate, ſolùm poſſunt deducere Aduerſarii, quòd S. Auguſtinus probat contra Pelagium, & affirmat, hanc propoſitionem vniuerſalem eſſe Catholicam, & veram: omnes homines peccato naſcuntur obnoxii, id eſt, obligati, ſiue omnes homines obnoxia ſucceſsione habent peccatum originale. Ex hac vniuerſali Auguſtini ſolùm poſſunt deducere Aduerſarii, quòd ex illa D. Pauli: omnes in Adam peccauerunt. Et hanc non legitima illatione, quia aliud eſt eſſe obnoxium peccato, ſeu obligatum, aliud peccare.

Sed quia Aduerſarii ex libris Auguſtini contra Iulianum hinc indè colligentes verba, varias compoſuerunt auctoritates contra immaculatam Virginis Cõceptionem, vt ſuprà vidimus, & ſimiliter hos vndecim Sanctos Patres, hìc contra Pelagium ab Auguſtino adductos, ipſi etiam contra eandem Conceptionẽ adducunt, vt infrà ſuis locis videbimus; imò paſsim inſinuant, atque etiam expreſsè affirmant, nos in hac materia tenuiſſe Pelagii errorem, & ipſius hæreſim, vt infrà num. 39. videbimus. Et Anonymus via 3. part. 2. Auctor. 18. & 19. & 20. ex primo libro contra Iulianum adducit alias auctoritates, & ſparſim in toto ſuo opere de veritate Conceptionis non paucas, & omnes vitiatas, & adulteratas, quas ſigillatim ventilare nimis eſſet tœdioſum: Ideò operepretium erit, hìc ex ipſo Auguſtini libro breuiter proponere errorem Pelagii, contra quem Sancti illi Patres in Auguſtino, & per Auguſtinum dimicabant. Pelagius ergo abſolutè negabat, eſſe peccatũ, culpam, ſeu maculam aliquam in paruulis; quia nulla, dicebat, eſt cauſa talis peccati, nec poteſt eſſe principium illius maculæ: non Deus, non natura, non parentes, non nuptiæ, non ipſimet infantes, &c. Auguſtinus verò conſtanter, ac catholicè affirmabat, eſſe peccatum originale in paruulis, non ab aſsignatis cauſis, ſeu principiis, ſed ab origine vitiato in primo homine, & ſic in vltimo certamine lib. 2. de Nuptiis cap. 27. in Epilogo fol. 212. littera H. inquit: *Quid ergo à nobis quærit iſte, qui non vult ab Apoſtolo audire, per quod peccatum inueniatur in paruulo: vtrum per voluntatem, an per nuptias, an per parentes? Ille audiat, per quid: Per vnius delictum, &c.* Hoc meliùs, & expreſsiùs declarant ipſa Auguſtini verba, eodem libr. 2. contra Iulianum cap. 9. in principio, ſic breuiter controuerſiæ ſcopum proponentis: *Sed iam quid egerimus per totum iſtum librum, in ſummam, ſicut poſſumus, breuiter colligamus. Propoſuimus hic auctoritatis molem Sanctorũ, qui Epiſcopi ante nos, non ſolùm ſermone cum hic viuerent, verum etiam ſcriptis, quæ poſteritati relinquerent, fidem Catholicam ſtrenuè defenderunt, vt veſtra argumenta confringerent, quibus dicitis: Si Deus homines creat, non poſſunt*

ſunt cum aliquo malo naſci. Si nuptiæ bonum ſunt, nihil ex eis oritur mali. Si in Baptiſmate peccata omnia remittuntur, non poſſunt nati de renatis trahere originale peccatum. Si iuſtus eſt Deus, non poteſt in filijs parentum damnare peccata, cum ipſis parentibus dimittat & propria. Si perfectæ iuſtitiæ capax eſt humana natura, habere non poteſt vitia naturalia. Contra hæc Pelagii verba immediatè ſic reſpondet Auguſtinus: *Ad hæc nos dicimus, & Deum eſſe hominum creatorẽ, hoc eſt, animæ, & corporis, & bonum eſſe nuptias, & per Baptiſma Chriſti, omnia peccata dimitti, & iuſtum eſſe Deum, & perfectæ iuſtitiæ capacem humanam eſſe naturam, & tamen cum hæc omnia vera ſint, obnoxios naſci homines origini vitiatæ, quæ trahitur ex homine primo, & ideò ire in damnationem, niſi renaſcantur in Chriſto.* En tota Auguſtini, & Pelagii controuerſia ad ſummam redacta ab ipſomet Auguſtino. Accipite aliud teſtimonium ex ipſo Auguſtino in Hypognoſticon aduerſus Pelagianos, & Celeſtianos exiſtente eodem tom. 7. vbi in principio recapitulans blaſphemias Pelagianorum, refert has quinque, dicens: *Adã, inquiunt, ſiuè peccaſſet, ſiuè non peccaſſet; moriturum fuiſſe. Tamẽ peccatum eius neminem, niſi ſolùm nocuit ipſum. Poſſe hominem per liberum arbitrium, tanquam perſe ſibi ſufficientem, implere quod velit, vel etiam meritis operũ á Deo gratiam vnicuique dare. Libidinem naturale eſſe bonum, nec in ea eſſe quod pudeat. Et paruulos baptizatorum filios non trahere originale peccatum, neque perituros à vita æterna, ſi ſine Sacramento Baptiſmi ex hac vita migrauerint.* Et continuò exclamat Auguſtinus: *O malũ dogma, quod pacis inimicus inuenit! O dogma, per quod ſcinditur matris vnitas Eccleſiæ, &c.* Contra hæc, ſcilicèt, dogmata dimicabat Auguſtinus, vbicumque loquitur contra Pelagianos, & Iulianum, affirmando, quoad vltimam Blaſphemiã, peccatum originale eſſe in paruulis à primo parente deriuatum, hoc rationibus ſuis, & auctoritatibus nitebatur alienis Sanctus Doctor ſtabilire contra Hæreticum. Vide de hoc latiùs, in libro S. Auguſtini, contra ſecundam Iuliani reſponſionem reperto ad annum 1617. & typis mandato à R.P. Michaele Paludano, Auguſtiniano Louanii 1642. in 4. vtilè quidem ad intelligendum S. Auguſtini Pelagianorumque ſententiam, circa controuerſias de ſtatu puræ naturæ, peccato originali, efficacia gratiæ, &c. Vide etiam Claudium Menardum, Andegauẽſem, ad libros Auguſtini contra Iulianum ad finem tom. 3. eiuſdem Auguſtini nouiſsimæ impreſsionis; ac R.P. Matthiam Hauzeur, in Anatomia totius Auguſtinianæ doctrinæ, Leodii impreſſ. in duobus tomis, ann. 1643. tom. 1. à fol. 894. ſtante ergo recta intentione, ac genuina intelligentia, finis intentionis, ac verborum Auguſtini, nihil inuenies in illis ſex libris contra præſentem controuerſiam præſeruationis Virginis, niſi vniuerſalem illam; omnes in Adã peccauerunt, & egent gratia Dei. At nos concedimus illam vniuerſalem, & ſolùm inquirimus de priuilegio, & exemptione. Concedimus cum Auguſtino, & fatemur cum reliquis Sãctis ab ipſo adductis eſſe peccatum originale in paruulis contractum à primo parente Adamo. Et hoc ſuppoſito, inquirimus, an Virgo Maria illud contraxerit, nec nè ex ſpeciali gratia: ergo verba Auguſtini à vobis deſumpta ex hoc libro, ſicut & alia Sanctorum, quorum auctoritates hìc refert Auguſtinus, ſunt extra rem, & propoſitum aſſumptum.

Sed miror, quomodo inter tot, tantaſque auctoritates ab Aduerſariis adductas ex libris cõtra Iulianum, non legerint illam exiſtentem lib. 5. cap. 9. fol. 135. colum. 4. littera K. vbi ſic inquit: *Illud ſanè magnum, verumque dixiſti cum poſuiſſes teſtimoniũ Apoſtoli Petri dicentis: Qui peccatum non fecit. Notandum eſſe, quòd iudicauerit Apoſtolus ſufficere, ad oſtendendum in Chriſto nullum fuiſſe peccatum, quia dixit nullum eum feciſſe peccatum, vt doceret, inquis, quia qui non fecit, habere non potuit, omninò veriſsimum eſt. Profectò enim peccatum etiam maior feciſſet, ſi paruulus habuiſſet; nam propterea à nullus eſt hominum, præter ipſum, qui peccatum non fecerit, grãdioris ætatis acceſſu: quia nullus eſt hominũ præter ipſum, qui peccatũ non habuerit, infantilis ætatis exortu, &c.* Ecce in quo ſimul conueniebant Auguſtinus, & Iulianus, catholicus, & hæreticus circa peccatũ, ſcilicèt, qui habuit, fecit, qui fecit, habuit: qui habuit originale, fecit actuale, qui fecit actuale, habuit originale: *quia qui non fecit, habere nõ potuit:* ergo ſi Maria non fecit, habere non potuit. Si ſufficiens eſt *ad oſtendendum in Chriſto nullum fuiſſe peccatum, quia dixit, eum nullum feciſſe peccatum:* Cum Virgo Maria nullum fecerit, vt tenemus de fide: ergo nec habuit. Clamant Aduerſarii, quòd in illis verbis eiuſdem Auguſtini, in lib. de Natur. & Grat. ſcripto etiam contra Pelagianos: *Cùm de peccatis agitur, nullam de Maria volo habere quæſtionem, &c.* loquitur de actualibus, quòd quidem falſum eſt, quia loquitur etiam de originali, & de omnibus abſolutè, & ſimpliciter; ideò dixit de plurali *cum de peccatis.* Sed dato quòd loquatur de actualibus factis, per propoſitam Auguſtini regulam, etiam eximitur ab originali. Hoc incidenter notaui propter illud, *nullus eſt hominum præter ipſum, qui peccatum non fecerit grandioris ætatis acceſſu.* Si ab hac expreſſa vniuerſali Auguſtini excipiunt omnes Catholici cũ Eccleſia Mariam: cur non & excipienda erit ab alia quacumque vniuerſali (cum de peccatis agitur) exiſtente in Auguſtino?

Tri-

Trigesimaquarta auctoritas: Item Augustinus super Psal. 7. (alii veriùs super Psalm. 70.) *Filius*, inquit, *Dei, fratres, & filius hominis, vt nos efficeremur filij Dei, caro factus est ex Maria Virgine. Vndè Maria Virgo? Ex Adam: ergo ex isto primo captiuo Beata Virgo, & caro in Christo de massa captiuitatis accepta fuit. Hæc ille.* Augustinus verò Psalm. 7. Serm. 2. propè finem tom. 8. fol. 269. sic inquit: *Factus ille quod tu, filius hominis; vt nos efficeremur Filij Dei, caro factus. Vndè caro? Ex Maria Virgine. Vndè Maria Virgo? Ex Adam: ergo ex illo primo captiuo, & caro in Christo de massa captiuitatis. Vt quid hoc? Ad exemplum; suscepit à te in quo moreretur pro te, suscepit à te, quod offerret pro te.* Nota, ò Lector! quot, quantæque sint adulterationes in tribus lineis. Primò, initium est additum, & vitiatum, vt de se patet. Secundo, vbi Augustinus solùm habet: *caro factus*, ipsi addiderunt *ex Maria Virgine*, quia licèt hoc sit de fide, hìc additū est, vt in de initiū sumeret sua non recta intentio. Tertio, vbi Augustinus interrogat: *Vndè caro?* ipsi apposuerunt: *Vndè Maria Virgo?* Quo totum vitiarunt textū, quoad litterā, & quoad sensum: quoad litteram iam patet, quoad sensum cōstat; quia ibi loquitur Augustinus de carne Christi, ideò dixit. *Vndè Caro?* Id est, Christi, sed ipsi: *Vndè Maria?* Quarto, eadem intentione videntes, quod Augustinus pari modo loquebatur de carne Christi, ac de Maria (quia hoc ipsis ad rem non erat) vitiarunt graduationem Augustini: *Vndè caro? Ex Maria Virgine. Vndè Maria Virgo? Ex Adam.* Quintò, vbi Augustinus: *Ergo ex illo primo captiuo, & caro in Christo*, absque eo quòd nominarent Virginem Mariam, ipsi transcripsiserunt sic: *Ergo ex illo primo captiuo Beata Virgo, & caro in Christo.* Sextò, addiderunt illud: *accepta fuit*, vt sic in Mariam ponerent primò illam massam captiuitatis. Septimò, prætermiserunt vltima verba, à quibus pēdet tota auctoritatis intelligentia, non ergo pro ipsis debet esse auctoritas, vbi septem adulterationes apprehenderunt verbum vnū? Quoad sensum, ibi solùm intendit probare Augustinus, quòd Filius Dei factus est filius hominis, vt homines fierent Filii Dei, atque demonstrat, quomodo factus fuerit filius hominis: quia scilicèt, Christus assumpsit carnem ex Maria, quæ quidem fuit filia Adami, &c.

Trigesimaquinta auctoritas potest componi ex pluribus; nam Soncinas citat pro sua sententia S. Augustinum libro 10. suarum Confessionum; sed nullam adducit auctoritatem. S. Antoninus citat eundem in libro de Perfectione iustitiæ. Bandellus autem dicit: *Hic etiam Doctor præclarissimus tenet in quinquaginta septem locis suæ doctrinæ, solùm Christum fuisse sine peccato, & omnes homines, excepto Christo, aliquod habuisse peccatum, sicut annotatum in alio libello. Ex quibus clarè patet, quòd Doctor iste perspicuus, tenuit B. Virginem originale contraxisse peccatum, &c.* Sed in libro 10. Confessionum, qui extat tom. 1. & incipit: *Cognoscam te cognitor*, & habet capita 43. nec minimum inuenio verbum, pro hac materia notatione saltem dignum, aut ad materiam Conceptionis, vel peccati originalis, directè, vel indirectè pertinens. In libro de Perfectione Iustitiæ, qui est contra Celestium, & extat tom. 7. & incipit: *Sanctis Fratribus*, multa extant de peccato, sed nihil inuenio, quod saltē à limine contradicat Immaculatæ Conceptioni Mariæ. Quod dicit Bandellus de quinquaginta septem locis, vbi Augustinus affirmat; omnes homines, excepto Christo, aliquod habuisse peccatum, à se notatis in priori libello, falsum est, quia in tali libello, id est, Anonymo, solùm adducit, quæ suprà memorata manent in auctoritatibus examinatis. Quid est hoc? nemo vos seducat, videte veritatem, palpare tenebras, & mendacia, quia hæc in Augustino patrata, non sunt phantasma, sed veritates demonstratę, quę videntur ossa, & carnem habere.

BARTHOLOMAEVS De Bononia, Ordinis Prædicatorum, in Postilla super Lucam. *Ita Band. cap. 23. Deza fol. 42. Petr. de Vincent. & Gryfald.*

VERITAS 35.

INTER Scriptores Ordinis Prædicatorum, fuit quidam Bartholomæus, ex ciuitate Bononiensi, quem Antonius Bumaldus in sua Bibliotheca, vocat Bartholomeū Biscia: Antonius verò Senēsis; Bartholomæū partum. Sed adeò ipse paruæ, ac obliuioni memoriæ, apud alios Nomēclatores Ecclesiasticos, est vt nullus de ipso, vel minimam faciat mentionem. Dicunt similiter, Bumaldus, & Senensis, quòd hic scripsit super Matthæum, & Lucam, quasdam Postillas, sed opus, hoc nunquam fuit typis mandatum; imò Doctores cōficientes Cathalogum scribentium super Lucam, & Matthæum, vt Angelus Rocca, Possevinus, & Iustinianus, nec de Bartholomæo Bononiensi, nec de eius Postilla mentionem faciunt: Leand. Alber. primus Dominicanorum Nomenclator lib. 3. ad finem mentionem facit de hoc Bartholomæo, sed nihil dicit de scriptis. Quando autem prædictus Bartholomæus vixerit, etiam est in certum; nam nullus assignat annum quo floruerit, vt saltim ex tempore aliquam desumeremus notitiam. Nam

Ioan.

Ioan. Michael Pius, part. 2. lib. 1. colum. 108. inter Scriptores adducit quendam Bartholomæum Paruum de Bolonia, qui floruit ad annū 1298. & infrà fol. 139. ad annum 1315. adducit aliū scriptorem Bartholomæum Paruum de Bononia, & dicit ibidem istum esse diuersum ab altero Bartholomæo Paruo de Bononia, qui vixerat ad ann. 1303. ecce iam habemus in Ordine Prædicatorum tres Bartholomæos Paruos de Bolonia, quibus adde quartum, quia statim infra adducit alterum Bartholomæum de Bononia, etiam Paruum ex Seraphino Razzi, & insuper adde quintum, scilicèt, Antonium Paruū de Bolonia, de quo agit ipsemet Pius, part. 2. lib. 2. colum. 226. ad annum 1402. O Bononia magna Italiæ ciuitas, & quantos Paruos habuisti in sola Religione Prædicatorum! Vt ergo non rideat mundus, ex tanta paruitate dicamus, solùm fuisse vnum, vt condescendamus pietati. Et hic fortè fuit ex contemporaneis Bandelli, & de illis seminatoribus, qui in Prouincia Lombardiæ exibant manè, & vesperè seminare semen suum. Igitur Auctor iste ex hac parte est, quasi non fuisset. Insuper existimo hunc esse saltim multiplicatum cum posito suprà num. 27. nam Senensis, de illo sic inquit: *Antonius de Bononia, cognomento Paruus, &c.* Et de hoc sic: *Bartholomæus cognomẽto Paruus, Bononiensis, &c.* Cùm ergo ambo fuerint Parui, Bononienses, & Ordinis Prædicatorū, videtur multiplicatio exorta à genio Bandelli; eo maximè, quia ille citatur in Serm. Natiuitatis, cuius Euangelium est S. Lucæ, & hic in Postilla eiusdem. Aduersarii enim Sermones vocant Postillas communiter, & in rei veritate, omnes Sermones antiquorum sunt quædam Postillæ Euangeliorum.

Aduersarii de hoc suo Bartholomæo nullam adducunt auctoritatem, sed solùm cotam, seu indicationem, dicentes: *Idem tenet Magister Bartholomæus de Bononia, in Postilla super Lucam*, & nihil ampliùs. Vndè existimandum est, quòd Aduersarii non viderunt Postillam Bartholomæi, vel quòd verba ipsius non probabant eorum intentum; nam si aliquid diceret, licèt parui esset momenti, illud non prætermitterent; nam Bandelus primus, qui hunc adduxit ad theatrum cum leuissimo; imò nullo fundamento finxit auctoritates, sed quidquid sit de supradictis, Bartholomæus fuit ex Ordine Prædicatorum, & sic testis suspectus, eius opera non inueniuntur, nec de illo auctoritatem adducunt, & sic vt arista sicca congreget ir in locum vnum, cum aliis, quia apparet arida, sicut etiam suprapositus Antonius de Bononia, & duo Angeli de Bononia, de quibus num. 17. & 18. & 27.

BARTHOLOMAEVS Brixiensis, Canonista, in Apparatu suo cap. Pronuntiādum, de Consecrat. in 3. *Turrecrem. part. 6. cap. 36. fol. 125. à tergo, Anonym. Auctore 179. Bandel. cap. 19. Deza fol. 29. Vincent. & Paul. Gryfald.*

VERITAS 36.

AVCTOR Hic notus est inter Canonistas, de quo mentionem faciunt Bibliotheca vtriusque iuris, fol. 21. Ioan. Baptista Ziletus, sæpè Ioan. Fichardus in vitis recentiorum Iurisconsultorū, Valentinus Forsterius, fol. 627. & Gesnerus, fol. 102. sic inquit: *Bartholomæus Brixiensis reformauit textum Decreti, post Ioannem Theutonicum, suppleto defectu, vbi correctio necessaria videbatur, &c.* Floruit tempore Gregorii IX. Hic Brixiensis edidit Apparatum Iuris Canonici, & incipit: *Ad immitationem maiorum*, extatque manusc. in Escoriali VII. fol. 2. Ac etiā aliud opus de eodem assumpto, quod incipit: *Quoniam suffragrantibus antiquorum laboribus, &c.* & extat manusc. in Biblioth. S. Ecclesiæ Toletanæ, in fol. & continet quasdam additiones ad Decreti Glossas, vt videre est in omnibus impressionibus Iuris Canonici, in quibus in principio, ac margine extant hæc verba: *Glossas Ioannis suppleuit in multis Bartholomæus Brixiensis.* Balthasar Pachecus in Exortatione ad studium Iuris Canonici, fol. 54. ex S. Antonino, hæc dicit: *Quantū ad Glossam, quæ ipsi Decretorum textui inserta est, notat S. Antoninus, quòd primus Glossator eius, seu commentator fuit Hugo, seu Hugutio; secūdus qui glossauit fuit Ioannes Theuthonicus, & ita est Glossa communis in textu, &c. Insuper dicit, quòd Bartholomæus Brixiensis addidit quædam ad prædictas Glossas, quæ corrigunt opinionē Ioannis, vel meliùs declarant, & interdum solutiones interposuit, quæ prætermissæ fuerant à Ioanne.* Hoc ipsum meliùs, ac clariùs cōstat ex verbis ipsius Bartholomæi Brixiensis, in principio sui Apparatus, quæ sic se habent: *Quoniam nouis superuenientibus causis, nouis est remedijs curandum: idcircò ego Bartholomæus Brixiensis, confidens de magnificentia Creatoris, Apparatum Decretorum duxi in meliùs reformandū, non detrahendo aliquid, nec attribuendo mihi Glossas, quas non feci, sed supplendo defectum solummodo, vbi correctio necessaria videbatur, vel propter substractionem Decretaliū, & diminutionem earundē, vel propter iura, quæ superuenerunt de nouo, interdum etiam solutiones interposui, quæ prætermissæ fuerant à Ioanne.* Ex his, & aliis breuitatis causa prætermissis, patet, quòd

quòd Gloſſæ præcipuæ Iuris Canonici fuerunt Hugonis, vel Hugutii, aliæ verò Ioannis Theutonici: Nam Bartholomæus Brixienſis nullam Gloſſam edidit, ſed iam poſitas correxit, & emendauit, ipſas illuſtrando aliquibus ſolutionibus, & additionibus: & hæc de Auctore, & opere.

Poſtquam ergo Turrecremata in capite de Canoniſtis adduxerat Ioannem Theutonicum in capite Pronuntiandum, ſic proſequitur: *Itē, ad idem eſt Bartholomæus Brixienſis, in Apparatu, in capite Pronuntiandum, de Cōſecratione diſtin. 3. qui eadem verba ponit, quæ de Ioanne proximè poſita ſunt.* Hæc, & nihil amplius Turrecremata, in quibus ſolùm affirmat, quod Brixienſis de materia Conceptionis tantū dixerat, quod alias ſcripſerat Ioannes Theutonicus, & ideò nullam auctoritatem de nouo adducit. At Bandellus, & Vincentia, his non contenti, ne tantus miles abſque armis pugnaret, more ſuo finxerunt quādam auctoritatem pro Bartholomæo Brixienſi, ſic dicentes: Idem tenet Bartholomæus Brixienſis ſuper eodē capitulo, ſic dicens: *Feſtum Conceptionis B. Virginis celebrandum non eſt, quia fuit in originali peccato concepta. Hæc ille.* Et hæc ſunt Bandelli, & Vincētiæ verba. Sed ſcias, Lector quòd Turrecremata errauit prudenter, nullam aſſignando auctoritatem, ſed Bandellus, & Vincentia impudenter fingentes auctoritatem. Nam in præallegato capite Pronuntiandum, ſolùm eſt quędam Gloſſa, quæ agit de feſto Conceptionis, quæ eſt Ioannis Theutonici: vt Turrecremata dixit, non Bartholomæi Brixienſis, vt Bandellus, & Vincentia finxerunt, de qua nos infrà, num. 193. vide ibi. Vndè prorſus alienum eſt ab omni veritate, quòd Brixienſis in prędicto capite, Pronuntiandū, nec in alio ſui Apparatus loco, vel minimum verbum habeat contra Virginis Conceptionem, aut eius feſtiuitatem. Bartholomæus enim in illo cap. Pronuntiandum, habet ſolùm ſequentē Gloſſam: *Hic ponitur tertia diſtinctio, in qua oſtendit Gratianus, quæ feſtiuitates ſunt celebrandæ: interſerit etiā de generalibus ieiunijs. In hoc ergo cap. enumerantur, quæ feſtiuitates ſunt per circulum anni celebrandæ. Additur etiam, quòd ieiunium, ex quo eſt ab Eccleſia inditū, debet ab omnibus obſeruari. Et quo tempore debeant ſolemniter pœnitentes reconciliari,* Et nihil amplius. Et ſic quæ dicunt de hoc Auctore, & eius auctoritate, falſa ſunt, & ficta, & inſuper auctoritas iſta eſt adulterata in principaliori verbo. Attendite ergo, fratres, à falſis prophetis, qui veniūt ad vos. Nec ſolùm iſte Bartholomæus Brixienſis eſt falsò citatus, ſed etiam mendaciter adductus: tenet enim noſtram ſentētiam, teſte Bernardino de Buſto in Mariali part. 1. Serm. 3. de Concept. ad finem fol. 41. vbi ſic inquit: *Vnde Bartholomæus, Epiſcopus Brixienſis, in ſuo Reportorio part. 2. in verbo: Feſtum: dicit, quòd Eccleſia facit ſolemne feſtum in die Conceptionis Beatæ Virginis, & quòd ipſe in tali die celebrauit ſolemniter in capella Summi Pontificis, in præſentia eius, & Cardinalium, & aliorum Prælatorum, &c.* Cùm ergo iſte vixerit ab ann. 1227. vſque 1281. videte, quàm antiqua fuerit feſtiuitas Conceptionis in Eccleſia Romana. Non ergo incipit, vt vos communiter dicitis, à Sixto IV. ſed anteà per duo ſæcula, & cognoſcite, quo fundamento, ac veritate adduxeritis pro veſtra opione Bartholomæum Brixienſem?

BARTHOLOMAEVS De Piſis, Ordinis Minorum in Serm. Facta ſunt Encœnia. *Ita Turrecremata part. 6. cap. 32. fol. 123. Anonym. Auctor. 128. Bandel. cap. 24. Deza fol. 46. à tergo, Barelete.*

VERITAS 37.

HVIVS Notiſsimi Doctoris, ob varia, & erudita eius opera, auctoritatē ſic adducit Turrecremata: Item ad idē eſt eiuſdem Ordinis P. M. Bartholomæus de Piſis, in Quadrageſimali ſuo, in Euāgelio illo: Facta ſunt Encœnia Ieroſolymis, Ioannis 4. vbi quærens, an ipſo facto, quòd aliquis ſanctificatur, reddatur impeccabilis, & poſita quadruplici differentia ſanctificationis, dicit ſic: *Quarto modo ſanctificatur aliquis ſanctificatione, qua datur facultas per remotionem fomitis, ſiuè ſuperationem vitandi, tàm veniale, quàm mortale. Et iſto modo ſanctificata fuit glorioſa mater Chriſti in vtero.* Et ponit conſequenter, quòd impoſsibilitatem peccandi conſecuta eſt in ſecunda ſanctificatione, quæ fuit in Incarnatione filii Dei, adducens Alexandrum de Ales in 3. Hæc ſunt verba Turrecrematæ: Bandellus verò ſic adducit prædictam auctoritatem. Idem tenet Magiſter Bartholomæus de Piſis, eiuſdem Ordinis Minorum in Sermone, Facta ſunt Encœnia, ſic dicens: *Beata Virgo Maria fuit in vtero matris ſanctificata, per quam fuit peccatum ab ea remotum, & fomes ligatus, & data fuit ei facultas euitandi tàm peccatum veniale, quàm mortale, vt dicit Alexander de Ales.* Vide ergo, ò Lector! & cōſidera, quantum diſtet auctoritas hæc à præcedenti præcipuè in illud, *ſanctificata, per quam fit peccatum ab ea remotum.*

Attende veritati, ò Lector! Bartholomæus de Piſis ſcripſit Quadrageſimale de contemptu mundi, ſiuè de triplici mundo, Senſibili, Mycrocoſmo, & Architypo elaboratum ab Auctore, anno Domini 1398. & excuſſum Mediolani per Vldericum Scizenzeler anno 1498.

in 4. in quo Feria quarta Dominicæ Paſsionis Sermo in ordine 40. incipit: Facta ſunt Encœnia in Ieroſolymis, Ioannis 10. &c. in quo agit de bono, quod conſequitur homo ex mundi contemptu; finis autem Sermonis eſt: *Vt pater eſſet in eo, & ipſe in patre perpetuò. Amen.* Sed in prædicto Sermone, lecto, & reuiſo ter, & quater, auctoritas à Turrecremata, & Bandello adducta non extat; imò nec vnum ſolum verbum ex ſupra poſitis. Vndè conſtat quod vnus, & alter fuerunt falſarii, aut tenentur demonſtrare aliud quadrageſimale, & Sermonem: *facta ſunt Encœnia.* Reuoluimus ſemel, & iterum ferè totum librum, exiſtimãtes, quòd fortè in aliò Sermone eſſent prædallegata verba, quæ inuenire non potuimus, quin potiùs Sermone 37. cuius titulus eſt, de Dominica de Paſsione poſt prandium, de illo bono, quod conſequitur homo ex mundi contemptu, & incipit: *Quis ex vobis arguet me de peccato*, ſic inquit circa principiũ: *Primo veram innocentiam concedendo: homo enim, vt dicit Apoſtolus, cum natura ſit filius iræ, Epheſ. 2. & cum D. Ioann. in Canonica cap. 1. Si dixerimus quod peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt, &c. Hinc eſt quod Deus præſeruando hominem, ne contrahat peccatum, quod ſibi ineſſe deberet, mirabilis eſſe dicitur, quia talem innocẽtiam tenet, & cuſtodit; & hoc modo ponimus de B. Maria, quòd innocentiam habuit à peccato originali, à quo per infuſionem gratiæ, in conunctione animæ carni à Deo collatæ, præſeruata fuit. Vndè quod natura non dabat in Virgine, Deus per gratiam ſuam effecit. Deus quoſdam natos iam in vtero, & peccato originali ineffectos, ante egreſſum de vtero ſanctificando innocentiam à peccato dat, & mirabilis etiam in talibus reperitur; quia eos præ alijs magnos facit, & ſic dicit Scriptura, magnum fuiſſe Eſaiam capit. 49. De ventre matris meæ recordatus eſt nominis mei. Sic Ieremiam capit. 1. quem Deus ſanctificauit ante egreſſum de vulua. Sic & Ioannem Baptiſtam fecit magnum, vt Angelus patri prædixerat in vtero ſanctificando, & replendo Spiritu Sancto, Lucæ 1. Et multos poſt ortum magnos fecit, à peccatis mortalibus præſeruando.* Hæc ſunt, quæ Piſanus habet in illo quadrageſimali, & ſimilia verba adducit Sermone 41. qui incipit: *Rogabat Ieſum*, quæ breuitatis cauſa omitto, quia prædallegata ſufficiunt, vt videat Lector, qua veritate, ac fundamento adducunt Aduerſarii Bartholomæum Piſanum, in quadrageſimali cum in ipſo expreſsis verbis ſit pro noſtra præſeruatione.

At ſi volueris etiam colligere, qualis fuerit Piſani mens in omnibus ſuis operibus, circa materiam Conceptionis, lege eiuſdem Mariale, ſiuè librum de Laudibus Beatę Virginis Mariæ, impreſſ. Venetiis 1590. in 4. in quo Tract. 7. ſub hoc titulo: *Habitatio Dei viui anima ſcilicèt, corpuſque Mariæ nullo peccati contagio maculatur; ſed in infuſione ipſius animæ corpori ſic gratia præuenit diuina, vt eius ſacer Conceptus, ab originalis peccati macula, vt piè creditur, fuerit mirificè præſeruatus.* Quod eruditè tractat, & latiſsimè probat à fol. 95. vſque 130. atque hanc Virginis præſeruationem a peccato originali in aliis etiam operibus ſuis, adſtruit. Turrecremata ergo, vel deceptus ab aliis, vel decipere volens alios, de Piſano hanc fabricauit chimeram, ac falſum protulit teſtimonium: & quatuor Anonymus, Bandellus, Deza, & Barelete, ſine vlla præmeditatione dixerunt: Amen.

BARTHOLOMAEVS De Piſis, Ordinis Prædicatorum in Summa Confeſſorum per ordinem Alphabeti poſita, vocabulo Feriæ. *Turrecremat. part. 6. cap. 36. fol. 126. Anonym. via 3. Auct. 86. Band. cap. 19. Deza fol. 30. à tergo, Vincent. Gryſ.*

VERITAS 38.

HIC Auctor, cuius proprium nomen fuit Bartholomæus de S. Concordio patria Piſanus, qui vixit ad an 1320. ediditSummam, communiter vocatam Piſanam, ſeu Magiſtrutiam, de quo tanquã de celebri Scriptore, mentionem faciunt Nomẽclatores Dominicani; ſed Aduerſarii in locis prædallegatis non adducunt ipſum inter Auctores Dominicanos, ſed inter Dominos Canoniſtas, neq; ibi exprimunt, quòd fuerit ex Ordine Prædicatorum, quare autem hoc fecerint: Inueſtigare non potui: An quia ignorarunt, ipſum eſſe Ordinis Prædicatorũ? Sed hoc videtur impoſsibile. An vt occultata religione impinguarẽt claſſem illam peritiſsimorum Doctorũ in iure Canonico? Et hoc eſſe potuit. Sed qualiſcumque fuerit cauſa, ſaltẽ error non excuſatur, quia hic nõ fuit Canoniſta, ſed Theologus, nec Dominus, ſed Frater Dominicanus.

Auctoritatẽ verò ſic adducit Turrecremata inter Canoniſtas: Item ad idẽ eſt Bartholomęus de Piſis in Summa Cõfeſſorum per ordinẽ Alphabeti compoſita, qui in vocabulo Feriæ dicit ſic: *De feſto autẽ Conceptionis dicendum ſecundùm S. Thom. in 3. p. quæſt. 27.* & nihil amplius. Bandellus inter Canoniſtas ſic inquit: Idẽ tenet eiuſdem Ordinis D. Bartholomæus de Piſis, in Summa ſua cap. de Feriis: *Licet*, inquit, *Eccleſia Romana toleret conſuetudinem aliquarũ Eccleſiarum, feſtum Conceptionis B. Virginis celebrantium, non tamen propter hoc datur intelligi, quòd in ſua Conceptione fuerit ſancta. Sed quia ignoratur quo tempore fuerit ſanctificata; ideò celebratur in die Conceptionis, potiùs feſtum*

ſtum ſanctificationis eius, quam Conceptionis. Hæc ille. Ex hac auctoritate exiſtimo, quòd Bandellus non vidit Summã Piſani, ſed ſumpta ſolùm notitia ex ſupra poſitis verbis Turrecrematæ citantis verba Sancti Thomæ in 3. part. quæſt. 27. abſque alio examine illa adſcripſit Piſano, neſciens, & ignorans quis fuerit ille Piſanus, ſed quia vidit ipſum adductum inter Canoniſtas, illum vocauit Dominum Canoniſtam. Confirmatur hoc ex ipſamet auctoritate adducta, quæ nec eſt iuxta litteram Sancti Thomæ, nec iuxta verba Piſani, & ſic vtrumque vitiauit. Auctoritas Piſani ex primo originali impreſſo Mediolani, anno 1494. verbo Feriæ, litt. B. & Venetiis 1476. in 4. Regali, & in aliis tàm impreſsis, quàm manuſc. (fuit enim communiſsimum opus) & incipit: *Quoniam vt ait Gregorius ſuper Ezechielem, nullum omnipotenti Deo tale ſacrificium, quale zelus animarum, &c.* ſic ſe habet: *De feſto Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis dicendum, ſecundùm Thomam 3. part. quæſt. 27. quòd licèt Romana Eccleſia ipſum non celebret, tolerat tamen conſuetudinem aliquarum Eccleſiarum, illud feſtum celebrantium, vndè celebritas non eſt totaliter reprobanda, ſed neque propter hoc quòd feſtum Conceptionis celebratur, datur intelligi, quòd in ſua Conceptione fuerit ſancta, ſed quia quo tempore fuerit ſanctificata, ignoratur, celebratur feſtum ſanctificationis eius, potiùs quam Conceptionis, in die Conceptionis ipſius.* Hæc ſunt ſecundùm veritatem Piſani verba. Vndè euidenter colligitur, quòd Bandellus, Vincentia, & alii nullo modo viderunt Piſani Summã, ſed iuxta verba S. Thomæ citata à Turrecremata, ipſi ex proprio cerebro aliam finxerunt Piſani auctoritatem, aliàs quomodo poſſent illam tam difformem tranſcribere à ſuo originali? Nam primò prætermiſerunt illam totam clauſulam: *De feſto Conceptionis B. Mariæ Virginis dicendum ſecundùm Thomam in 3. part. quæſt. 27.* Secundo, illud, *quod.* Tertio, vbi Piſanus: *tolerat tamen conſuetudinem*, ipſi: *toleret conſuetudinem.* Quarto, dereliquerunt illud: *ipſum non celebret.* Quinto, vbi Piſanus: *Romana Eccleſia*, ipſi: *Eccleſia Romana.* Sexto, vbi Piſanus: *illud feſtum celebrant illum*, ipſi: *feſtum Conceptionis B. Virginis celebrantium.* Septimo, omiſerunt illam clauſulam: *Vndè celebritas non eſt totaliter reprobanda.* Octauo, vbi Piſanus: *ſed neque*, ipſi: *Non tamen.* Nono, prætermiſerunt illud: *quòd feſtum Conceptionis celebratur.* Decimo, etiam dereliquerunt illud: *ſed quia.* Vndecimo, etiã illud: *ignoratur.* Duodecimo, vbi Piſanus: *celebratur feſtum ſanctificationis, potiùs quàm Conceptionis in die Conceptionis ipſius*, ipſi ſic: *In die Conceptionis eius, potiùs feſtum ſanctificationis eius, quàm Conceptionis.* Ergo tota auctoritas à primo vſque ad vltimum verbum, non ſolùm eſt vitiata, ſed quaſi ficta, & ſi finxerunt auctoritates ex propriis Auctoribus, quorum libri erant communiſsimi, quid agerent de alienis, & incognitis? Et hęc de auctoritate, quoad litteram.

De mente autem Piſani, & ſenſu verborum exiſtimo, verè, & realiter, quòd Piſanus nullo modo loquitur contra noſtram opinionem. Imò confirmat, quòd ſæpè dixi, & infrà euidẽtiùs patebit, ſcilicèt, omnes antiquos circa feſtum Conceptionis in æquiuocum laboraſſe, quòd ſic probo ex his etiam Piſani verbis. Nota, Lector, nam Piſanus ſic concludit ſuam auctoritatem: *Sed neque propter hoc, quòd feſtum Conceptionis celebratur, datur intelligi, quòd in ſua Conceptione fuerit ſancta, ſed quia quo tempore fuerit ſanctificata, ignoratur, celebratur feſtum ſanctificationis eius, potiùs quam Conceptionis in die Conceptionis ipſius.* Ecce quomodo vocat Piſanus, diem octauam Decembris diem Conceptionis Virginis, & de hac Conceptione affirmat, quòd non fuit ſancta, id eſt, illa generatio Ioachimi, & Annæ nõ fuit ſancta, quia ibi fuerunt concupiſcentia, libido, & amplexus maritales: tamen celebritas illa non eſt totaliter reprobanda, inquit Piſanus, ſi fit per ordinem ad ipſam ſanctificationem, quando ſcilicèt, Maria ipſa fuit facta ſancta, ſiuè in primo, ſiuè in ſecundo inſtanti, & animata, vel poſt quadraginta, vel poſt octoginta dies. Sub hac acceptione totum hoc concedimus; quia ſic nihil eſt contra immaculatam Virginis Conceptionem, ſumendo Conceptionem, vt nunc ſumitur, pro ipſa animatione, non pro generatione prima parentum. Vndè ſequitur, quòd iſtæ propoſitiones: Conceptio Mariæ non fuit ſancta: feſtum Conceptionis Virginis non debet celebrari; apud antiquos Doctores etiam ex Dominicana Familia equiualebant ſequẽtibus: generatio Mariæ ex Ioachimo, & Anna, vel concubitus ipſorum non fuit ſanctus; generatio Mariæ ex ſuis Parentibus, nõ debet celebrari, niſi per ordinem ad ſanctificationem factam in animatione ipſius. Hoc modo locutus eſt Piſanus, & hoc modo loquuntur alii, & hoc modo nihil contra nos.

Pro vltimo complemẽto ſciat Lector, quòd in Bibliothecâ Sancti Ioannis Regum Toletan. Pluteo Z. n. 91. extat quoddam manuſcriptum antiquis caracteribus in pergameno, in cuius principio extat tabula operis, quæ incipit: *Abbas*, ad finem verò inquit: *Explicit tabula ad Summam de caſibus conſcientiæ, ſecundùm explanationem R. P. Fr. Bartholomæi de Sancto Concordio de Piſis, Ordinis fratrum Prædicatorum.* Opus verò incipit ſtatim ſic: *Incipit Summa de caſibus ad conſcientiã, compilata per fratrẽ Bartholomæũ de Piſis, Ordinis Prædicatorũ: Quoniam, vt ait Gregorius ſuper Ezechielem,*

nullum Omnipotenti Deo, &c. Finis verò Summæ sic se habet: *Si verò aliquis doleret de bono alterius, in quantum alter excedit eum in bonis, tunc esset inuidia, vt dictum est supra, &c.* In hac ergo Summa manuscripta nullum est verbum ex contentis in Summa impressa Pisani, siue ex supra allegatis, verbo enim Feriæ solùm habet hæc verba: *Festum Conceptionis Beatæ Virginis, celebratur sicut Natalis Domini.* Fortè dicent Aduersarii, quod hic loquitur Pisanus de Conceptione actiua, seu Verbi Incarnatione; transeat, nam de hoc non curo: solùm enim demonstrare intendo, quòd non omnia originalia Pisani Manuscripta habent illa verba, quæ extant in impressis, vndè autem hoc prouenerit, ipsi inquirant. Nam mihi sat est ex supradicta auctoritate, quòd in omnibus eius verbis non peccauit Pisanus labiis suis, neque quidquam contra Immaculatam Conceptionem Matris Domini locutus est.

BARTHOLOMAEVS De Spina, Ordinis Prædicatorum, in quæstione propria quodlibetica, in qua probat esse de fide. *Ita Paulus Gryfaldus in Alphabet. 5. littera B. Auctore 2.*

VERITAS 39.

HIC Fuit Magister Sacri Palatii, patria Senensis, & floruit ad annum 1517. inter alia quam plura opuscula què latè recenset Antonius Senensis, fol. 44. elaborauit duo, in quibus de Conceptione Virginis Mariæ, primum sub hoc titulo: *De vniuersali corruptione generis humani seminaliter propagati, &c.* Secundum verò sub hoc: *Tractatus contra Opusculum Caietani de Conceptione Beatæ Virginis, &c.* De quibus suprà in Trituratione num. xl. Scripsit etiam alium tertium libellum contra Immaculatam Virginis Conceptionem, de quo ipsemet in primo à se edito Opusculo de vniuersali corruptione circa principium, sic inquit: *Et alias plures propositiones ad hoc ipsum propositum in alio nostro libello, dum iuuenis essem edito fit mentio per singulas accuratiùs, &c.* Hic libellus à se laboratus, dum esset iuuenis, cùm esset senex, typis mandauit, Romæ anno 1546. sub nomine, ac inscriptione Ioannis de Turrecremata, vt infrà num. 193. latè dicam.

Redeundo ergo ad illum libellum de vniuersali corruptione generis humani, qui latissimus est, continens septem partes, & in eis cap. 71. præcipua, principalis, ac vnica quæstio in ipso contenta hæc est: *Quæritur, vtrum secundùm fidem Catholicam firmiter tenendum sit, omnes homines ab Adam seminaliter propagatos, contrahere peccatum originale de facto, & videtur quòd non, quia multi fideles, etiam religiosi, ac docti viri tenent, Beatam Virginem esse conceptam sine peccato originali, quam tamen constat, ab Adam esse seminaliter propagatam: ergo non repugnat fidei tenere, quòd non omnes ab Adam seminaliter propagati contraxerunt originale peccatum. In contrarium est auctoritas sacræ Scripturæ expressè, &c.* Huc ergo tendit tota illa quæstio, disputatio, ac libellus Spinæ, scilicèt, vt ostendat, esse de fide Virginem Mariam contraxisse originale peccatum, atque propositionem, seu opinionem contrariam esse formaliter hæreticam. Et si hoc ex professo, & acerrimè disputauit, & scripsit in Romana Curia, Magister ille Sacri Palatii, vir religione, ingenio, ac eruditione præstantissimus (his enim, & aliis magnificis epitetis ipsum condecorant sui) post Sixti IV. Extrauagantes, quando iam ferè tota Ecclesia celebrabat festum Conceptionis: quid dicerent, ac prædicarent in angulis totiùs mundi, fratres minùs sapientes, & docti? Prosequitur deindè sic Spina in illo suo libro: *In ista quæstione principali, mea est intentio impugnare nouam quandam opinionem, quam licèt sciam, & probare hic intendam esse falsam, & contra fidem Catholicam, non tamen Auctorem labe hæresis, aut peccati mortalis macula pollutum ob hoc dixerim, potest enim quisque tenere, quòd sibi videtur esse verum, etiam de pertinentibus ad fidem, priusquàm per Ecclesiæ determinationem sibi innotescat oppositum, &c.* Hæc Spina. Cuius verba respiciunt Sixtum IV. Summum Ecclesiæ Pontificem, ac Pastorem, vt denotant illa verba: *nouam opinionem*, quia illa de Conceptione non erat noua, sed antiqua, nec solùm habebat *Auctorem*, sed Auctores, Auctor enim erat Sixtus IV. quia determinauerat neutram esse de fide, & descendens à capite illo ad membra, sic ait: *Et quia principaliter Minoritani contrarium nostræ cõclusionis principalis defendere conantur, vt ad veritatem fidei facilius deducantur ex multitudine copiosa Sanctorum Patrum, &c.* Hoc initium est, & principium pungentis illius Spinæ. Nam infrà parte 5. præallegati operis tanta, ac talia dicit, quod ego libentissimè sub æterno silentio prætermitterem, nisi Veritatis Sol clamaret, quòd cùm sit iam tempus messis, faciculos zizaniæ, & Spinarum in vnum congregare necesse est: quare saltem aliqua breuissimè tamen, transcribam, vt scian docti, pariterque videant periti, quid in hac cõtrouersia dictum, vel actũ fuerit ab Aduersariis, qua scientia, modestia, veritate, ac religione, quo denique inflexibili, & obstinato animo post Summorum Põtificũ oracula cæperint facere, ac docere.

Primus fasciculus, seu propositio sit illa capitis

pitis ſecundi, vbi dicit Spina his eiſdem verbis, quòd *in Papâ, dum eſt ipſe in via, peccatũ quodlibet accidere poteſt, etiam error in fide, cum obſtinatione, ita quod formaliter fieri poteſt hæreticus, &c.* Nè trepides, Lector, quia maiora horum videbis: vult ergo Spina ex hac vniuerſali, ac deteſtanda propoſitione probare Pontificem, Summum Eccleſiæ Patrem, ac Domini noſtri Ieſu Chriſti Vicarium in terris, Sixtum IV. fuiſſe hæreticum, licèt materialiter, quia expediuit Extrauagantes illas, quas poſteà approbauit ſacroſanctum Concilium Tridentinum, circa myſterium Conceptionis, in quibus affirmat Summus Pontifex, neutram ſententiam eſſe de fide, contra quem inſurgebat Spina, probando ſuam opinionem eſſe de fide, & ſic erraſſe Summum Pontificem contra articulum fidei expreſſum in Scripturis, atque Sanctis Patribus.

Secundus, probare intendit Spina, quòd Papa talia decernens, vel præcipiens, ſtatim deponitur in cœlo à Deo, de Sede, ac poteſtate Pontificia, & iam non eſt ampliùs verus Pontifex, nec Chriſti Vicarius in terris. Audi eius verba: *Et talis ſic, quoad Deum depoſitus, cum nullam habeat auctoritatem ſuper Chriſti fideles, ſi quidquam decernat, aut mandet, quantum in ſe eſt, nullum obligat ad aliquid credendum, vel operandum, neque cenſuræ vllæ poſſunt ab eo fulminari, vel pœnæ comminari, aut iuſtè contra non parentes infigi, &c.* Vt ex hoc execrabili principio deducat, quòd non tenebantur obedire Decretalibus Sixti IV. quia eo ipſo quòd illam condidit, quoad Deum depoſitus fuerat à Sede Petri, cui Chriſti fideles iam non tenebantur obedire.

Tertius faſciculus Spinæ continetur in illis verbis: *Quòd quando Papa non obſtinatè, ſed ex ſimplici ignorantia, opinionem erroneam ſequitur, neſciens eam contrariare ſacris litteris, vel determinationi Eccleſiæ; paratus quando ſibi hoc conſtaret, ab opinione reſilire, cùm non ſit ex hoc formaliter hæreticus, perſeuerat Chriſti Vicarius, tàm quoad Deum, quàm quoad Eccleſiam. Hi tamen, qui clarè nouerunt opinionem illam eſſe erroneam, peccarent, & formaliter hæretici eſſent, ſi illam non impugnarent, &c.* Ex hoc præſuppoſito deducit opinionem de præſeruatione Virginis à peccato originali eſſe erroneam, ac formaliter hæreticam, & ſic Sixtum IV. & fratres omnes Minores, ſi ſolùm ex ſimplici ignorantia peccabant, eſſe materialiter hæreticos: ſi verò docti, ac ſcientes eſſe formaliter hæreticos; ideòque Patres Prædicatores prædictam opinionem impugnabant, quia cùm eſſent in Dei Eccleſia docti, & ſcientes, vt à peccato, & hæreſi liberarentur, admonebant alios, quid in hac materia tenendum eſſet. Cæteri verò, vel eſſe hæreticos, vel ignorantes à planta pedis vſque ad verticem capitis, &c.

Quartus deducitur ex illis verbis Spinæ: *Intendit etiam Pontifex per illam Extrauagantẽ obuiare ſcandalis, quæ oriebantur, & ſequebantur ex prædicantium quorundam imprudentiâ, qui putantes Deo ſacrificium offerre, in publicis Sermonibus dicebant hæreticos, eos qui contradictionis illius parti negatiuæ adhærebant, & quod impium erat, ſic opinari, aut ſic opinantibus fauere, vel conſentire. Malè enim agebant illi Prædicatores, cùm neſcirent eos eſſe obſtinatos, qui partem illam negatiuam tuebantur; obſtinati autem ſoli in his, quæ ſunt contra fidem non publicatam, vocandi ſunt hæretici, &c.* Multa colliguntur ex his Spinæ verbis, ac primò, & principaliter fatetur: Patres Dominicanos in publicis Sermonibus ſuis prædicaſſe contra aſſertores partis negatiuæ, eos vocando impios, & hæreticos; & hoc agebant per vniuerſum mundum, & quòd ex ſimilibus prædicationibus, orta fuerint tot ſcandala. Deindè quòd non ſolùm prædicabant contra fratres Minores, ſed etiam contra illos, qui ipſis fauebant, vel conſentiebant, & ex hac parte inſurgebant contra omnes Chriſti fideles, pios Principes, ac Reges, & ipſorum Summum Paſtorẽ. Tandem reprehendit ſuos ex imprudentia, eo quòd malè agebant (ò ſecundus Heli reprehenſor filiorum ſuorum!) neſcientes, an aſſertores partis negatiuę eſſent obſtinati; nam de reliquo iuſtitiſsimam iudicabat cenſuram: Infrà verò aſſertores opinionis negatiuæ nititur ſaluare, & excuſare ab obſtinatione, ac formali hęreſi (nota, Lector, prætextum, & cauſam) eo quòd non cognoſcebant, & ignorabant, quid in ſacris litteris, Eccleſiæ Patribus, & determinationibus Conciliorum continebantur. O Spina vbicumque ſpina!

Quintus, proſequitur Spina: *Ex his infertur, quoad hanc ſententiam; Virgo Maria eſt concepta cum peccato originali, formaliter, & de facto. Et eo etiam magis excuſantur tales, quibus non eſt clara VERITAS, quãdo videant multos reputatione communi doctos viros, id ipſum ſecum ſentire. Si quis ergo diceret tales eſſe hæreticos falſum diceret, & eſſet per Extrauagantem illam excommunitatus: ſecus qui diceret opinionem eſſe in ſe hæreticam. Hoc enim non ſubeſt poteſtati Papæ, vt quæ hæretica eſt opinio, faciat ſua voluntate non hæreticam. Nec prohibere poteſt, quin VERITATEM agnitam declarent ſapientes, &c.* Quæ hìc dicit Spina, clarè, & diſtinctè iam vides, ſed non ſunt minoris momenti illa, quæ indicat, vel inſinuat vt eſt illud, quòd ſolùm reputatione erãt docti, qui opinionem negatiuam ſequebantur: quòd ſententia de Immaculata Conceptione, erat in ſe hæretica formaliter, clarè, & expreſsè ex

Scriptura, & Conciliis, ita vt nec Summus Pontifex ponet circa eam ferre iudicium: quia iam hoc ab ipsis summis Summorum Pontificum Correctoribus, & superintendentibus omniũ sapientum sapientissimis, erat agnitum, determinata, & vt hæretica damnata, à qua Dominicana determinatione nec ad Summum Pontificem erat recursus.

Sextus, cap. 8. quam plura adducit Spina mendacia de Sixto IV. quæ breuitatis causa omittimus. Tãdem ibidem dicit: *Cùm vix obtinuissent, post indulgentias, & permissionem officij de Conceptione B. Virginis præceptum, nè vocarentur hæretici, vt prius contingebat, &c.* En quomodo iterum affirmat Spina, quod tenentes opinionem de præseruatione Virginis, ante Sixtum IV. ore pleno vocabantur hæretici, & à quibus vocabantur, nonnè à Patribus Dominicanis? Imò post Extrauagantes Sixti IV. per quadraginta ferè annos hæc scribebat Spina, quomodo igitur hoc modo negant? Et quærunt rationes absque vllo fundamento, & veritate, ad demonstrandum Sixtum IV. absque vlla rationabili causa promulgasse illas Extrauagantes, pœnas, & censuras?

Septimus sic dicit: *Quia verò ponendo Beatam Virginem ab originali peccato præseruatam, videtur expressè sequi oppositum conclusionis, quam probauimus esse Catholicam, & de necessitate fidei, tãquam vnum de principalibus fundamentis, absque vlla dubitatione credendum. Hortatos velim omnes, præcipuè Prædicatores, ne sub excusationis velamine, quasi venerentur B. Virginem, agnitam tantæ necessitatis impugnent. Aduertant pro sua salute, tale peccatum esse grauissimum, vtpotè, directum contra Doctorum omnium veritatum Spiritum Sanctum, quòd neque in hoc sæculo, neque in futuro, secundùm Domini sententiam, mereretur remissionem, &c.* Quid tibi videtur, o Lector! de hac fulminata sententia, contra tenentes præseruationem Virginis a peccato originali? Sed solùm noto: si Conceptionis articulus erat tunc de necessitate fidei, & vnus ex principalioribus, & ita vt PP. Dominicani omnes vnanimiter clamarent pro vltima determinatione Pontificia, ac diffinitione Canonica, vt ipsemet etiam Spina capite sequenti clamat: quomodo nunc Arpallegus, & alii reclamant dicentes, quod non pertinent ad fidem, neque est in statu vltimæ diffinitionis, quia vidisti mare, fugisti; quare Iordanis conuersus es retrorsum? In Concilio Basilienſi clamabant Montenigro, & Turrecremata, pro vltima diffinitione, pro eadem Caietanus in Concilio Lateranensi: ac denique Duimius, & Spina hoc spectabant ex Concilio Tridentino. Nunc verò iam reclamant contra diffinitionem.

Octauus fasciculus colligitur ex capit. 21. quod pro titulo habet hæc verba: *Contemptus Sanctorum, à defendentibus præseruationem B. Virginis à peccato, dedit lubricum Martino Luthero, hæreticorum pessimo, &c.* Et quid circa hoc non proclamat Spina? Ita vt non vereatur affirmare, ac dicere: *Adeò præualuit pernitiosissimum virus eius, vt iam non possint Summi Pontifices adhibere remedium, & forte iustissimè permisit hoc Deus, & in pœnam negligentiæ, quia nullus hactenus curauit huius morbi suborientis causam amputare: quod fecissent vtique facilè, si controuersia hæc de Conceptione Virginis inter Christianos desæuiens, per Ecclesiasticam sanctionem fuisset é medio sublata.* Hæc ad litteram Spina. Et infrà sæpè repetitit, & affirmat, quòd Lutherus sumpsit occasionem, ad suas detestandas hæreses, ex sententia præseruationis, quasi hæc illarum caput, causa, atque occasio totalis, & vnica fuerit; non verò cuiusdam N. imprudentia, & vanitas, & alterius N. præsumptio, & negligentia. Vide etiam, Lector, quomodo iterum clamant pro vltima diffinitione, & Ecclesiastica sanctione.

Vltimus, & proprius fasciculus Spinarum est ille recollectus a quodam graui, ac peritissimo viro qui ad cõpendium reducens supra relata, & alia contenta in illo libro vniuersalis corruptionis Spinæ sequentes extraxit propositiones minus pias. Prima, modus dicẽdi, quod B. Virgo fuerit præseruata ab originali, non est rationabilis, nec fidelis. Secunda, aliquem excipere ab originali ex seminaliter propagatis ab Adã, est hæreticum. Tertia, Pontifici in rebus fidei, & regiminis promissa est assistentia Spiritus Sancti, cum conditione tamen, scilicèt, si faciat, quod in se est, vt dirigatur ab Spiritu Sãcto, procedendo de consilio Cardinalium, & Episcoporum peritorũ. Quarta, Papa non potest Dominicanis silentium imponere, nec prohibere, nè sententiam de immaculata Conceptione, vt hæreticam impugnent, & si quid tale præciperet, non faceret vt Pontifex ex directione Spiritus Sãcti, sed vt singularis, & præsumptuosa persona motu proprio. Quinta, si Papa præciperet tale silentium, iam non esset Papa, nec Christi Vicarius. Sexta, Dominicani non obstante Sixti IV. Decreto possunt sententiam de Immaculata Conceptione, vt hæreticam impugnare, & quilibet seruus Iesu Christi omni studio ad hoc conari debet, vt Pontifex tandem moueatur facere, quod facere tenetur. Septima, reuelatio, quæ occasionem præbuit festo Conceptionis à Sathan facta est. Octaua, per diabolum inualuit mos celebrandi festiuitatem Conceptionis. Nona, præferenda est auctoritas Sanctorum Doctorum, sua dicta per Scripturas confirmantium, auctoritati Pontificum. Decima, oppositum Immaculatæ Conceptionis,

nis eſt de neceſsitate fidei, & vnum de principalibus fundamentis eius. Vndecima, Aſſertores Immaculatæ Cõceptionis ſimiles ſunt Luthero, & aliis Sectariis, *in contemptu Sanctorum*, & auctoritatum eorum. Duodecima, iuſtiſsimè fortè permiſit Deus hæreſim Lutheri, in pœnam negligentiæ Pontificum, in tolerãda ſententia Immaculatæ Conceptionis, contra veritatem Sanctorum. Decimatertia, Aſſertores Immaculatæ Conceptionis ſunt amici diaboli, filii gehennæ, obtenebrati à diabolo, impudentiſsimi, & impoſtores, à quibus fugiendum, ſicut à diaboli laqueis. Decimaquarta, præſeruatio Virginis aboriginali, non differt ab hæreſi Pelagianorum formaliter, ſed materialiter.

Hæc, & alia huiuſmidi extant in illo libello Spinæ de vniuerſali corruptione, & bene in titulo, prophetauit enim, neſciens quid diceret: ſi enim eum non adduxiſſet bonus vir Gryſaldus, non eſſet occaſio huius Ventilationis. Vtinam quod in hac materia nunquam memoratus fuiſſet homo ille in mundo, quia eius liber, O Sacra Prædicatorum familia, tanquàm terra maledicta, ſemper ſpinas, & tribulos germinabit tibi. De alio verò opuſculo Spinæ contra Caietanum latè locuti ſumus in Triturationc: atque etiam de alio cõtra reclamationem Ludouici à Caruajalo. Do Nyſſeni verba orat. in Natal. quia ſatis eſt ad rem: *Quòd autem per rubum Virginis corpus, quod Deum ſuſcepit, intelligatur, nec te ſimilitudinis pudeat. Nam omnis caro propter peccati ſuſceptionem, & ob id ipſum tãtum, quod eſt caro, peccatum eſt. Peccatum autem in ſcriptura vocatur Spina.*

BASILIVS Cæſarienſis, cognomento Magnus Epiſcopus, ac Sanctus, in 1. & 2. cõtra Iulianum, & in libro de Baptiſmo cap. 2. *Turrem. part. 6. cap. 14. fol. 107. Capreolus, Anonym. Auctore 20, Bandel. cap. 13. Dezà fol. 19. à tergo Spina part. 6. cap. 2. S. Antoninus, Vincent. & Paul. Gryſald.*

VERITAS 40.

HVIVS Sanctiſsimi Patris Eccleſiæ Græcæ notiſsima ſunt opera impreſſa Pariſiis 1618. & Græcolat in 3. tom. 1566. & 1523. & Baſileæ 1540. & Antuerpiæ 1616. Primam ergo auctoritatem ſic adducit Bandellus: Idem tenet S. Baſilius Cæſarienſis Epiſcopus, ſapientia clariſsimus, in libro contra Manicheos vt recitat Auguſtinus in 1. & 2. contra Iulianum: *Nos*, inquit, *omnes ægritudinem peccati contraximus, quoniam Eua à ligno prohibito ieiunare noluit, & propter hoc medico indigemus, qui non eſt opus ſanis ſed ægrotantibus.* Hæc auctoritas poteſt vocari ficta, falſa, & adulterata, nam ex quolibet aliquid habet. Sanctus enim Auguſtinus in libro 1. contra Iulianum, poſtquam adduxerat aliqua verba ex S. Baſilio; quæ à propoſitis valdè differunt, ſic inquit: Sed audi quoad rem præſentem ſpectat, qui de peccato primi hominis ad nos etiam pertinente dicat iſte Sanctus ſine vlla ambiguitate Baſilius, quod & ſi reperi interpretatum; tamen propter diligentiorem veri fidem, verbũ è verbo, malui transferre de Græco: In Sermone de Ieiunio: *Ieiunium*, inquit, *in Paradiſo lege conſtitutum eſt. Primum enim mandatum accepit Adam: A ligno ſcienti bonum, & malum non manducabis. Non manducabis, autem ieiunium eſt, & legitis conſtitutionis initium. Si ieiunaſſet à ligno Eua, non iſto indigeremus ieiunio. Non enim opus habent valẽtes medico, ſed malè habentes. Ægrotauimus per peccatum, ſanemur per pœnitentiam. Pœnitentia verò ſine ieiunio vacua eſt. Maledicta terra ſpinas, & tribulos pariet. Conſtritari ordinatus es, nunquid delitiari?* Et paulò pòſt in eodem Sermone idẽ ipſe: *Quia non ieiunamus*, inquit, *decidimus de Paradiſo, ieiunemus ergo vt ad eum redeamus.* Hæc ſunt Baſilii verba, vt adducuntur à S. Auguſtino in illo lib. 1. contra Iulianum, cap. 5. fol. 369. col. 1. Et infrà idem Auguſtinus, ad compendium reducens ſuprà poſita verba, inquit: Dicit tibi Sanctus Baſilius: *Nos ægritudinem contraxiſſe peccati, quoniam Eua noluit à ligno prohibito ieiunare.* Dicit poſtremò: *Nos de Paradiſo decidiſſe, quia non ieiunauimus, atque vt illò redeamus præcipit vt ieiunemus.* Hucuſque Auguſtinus, & nihil ampliùs habet de hac materia. Verba autem extracta ex ipſis originalibus S. Baſilii Homilia 1. de Ieiunio fol. 96. Antuerpianæ impreſsionis circa principium, ſic ſe habent: Nam quod primum Adæ interdictum eſt, his verbis: *De ligno ſcientiæ boni, & malinè edatis, hæc ipſa vox, ne edatis, ieiunij, abſtinentiæque lex eſt. Si Eua porrò ſe à ligno ieiunam ſeruaſſet: nos equidem nunc haud quæquã opus haberemus hoc ieiunio; non egent medico ij qui rectè valent, ſed qui ex morbo laborant. Ex peccato nos ægrotamus, pœnitentia ad curationem vtamur, pœnitentia autẽ ſine ieiunio viget. Maledicta terra tribulos & ſpinas producet tibi. Iuſtum eſt ergo te in mœrore eſſe, non in epularum delicijs, vitaque iucunditate verſari, &c.* En, Lector! omnia verba Auguſtini, & Baſilii. Dicant ergo Aduerſarii, ex quo illorum ſuam trãſcripſerunt auctoritatem, non ex Auguſtino, nec ex Baſilio, neque ex vtroque ſimul, quia adhuc ex verbis ipſorum talis auctoritas, ſeu tertia entitas nõ poteſt componi: Nam primò, vbi eſt illa prima Aduerſariorũ clauſula: *Nos omnes ægritudinem peccati contraximus*? Nullibi, & hæc ablata, que vt patet, ficta fuit ab Aduerſariis, reli-

liqua licèt etiam vitiata, nullius sunt momenti, pro præsenti materia, & præcipuè inquire in Augustino, vel Basilio; vbi est illa vniuersalis, *omnes*. Secundo, gratis admisso, quòd hæc autoritas esset vera, in qua clausula eminenter, formaliter, vel virtualiter, vel vt vos proposuistis expressè, & nominatim; continetur illa vestra conclusio: Virgo Maria cõtraxit peccatum originale? Tertio, citant Basilium, in libro contra Manichæos: quòd falsissimum est, quia neque Basilius scripsit contra Manichæos, nec verba illa extat nisi in Humilia de Ieiunio, vt vidimus, quæ non est contra Manicheos; imò neque ipsos nominat in tota Homilia. Quartò, illa Aduersariorum verba *in primo & secundo contra Iulianum*, indicãt, quòd illa verba libri primi, vel alia ipsis similia, quæ militant contra Conceptionem, adducit etiam Augustinus ex Basilio, in secundo libro contra Iulianum, quòd etiã est falsum, quia in 2. libro nulla, nulla inquam extant verba S. Basilii, & sic illã remissionem, seu cotam adduxerunt, vt sua opinio haberet maiorem apparentiam, multiplicatis intercessoribus.

Secundam auctoritatem sic adducit Paulus Gryssaldus: Basilius Episcopus Cæsarienſis libro de Baptismo cap. 2. *Nemo est à sordibus purus.* Et nihil amplius dicit. O Lector! vide, & perpẽde hanc magnam, atque expressam auctoritatem, contra Virginis Mariæ Immaculatã Cõceptionem? Sed iam aliquid habet boni; nam & si parui momenti, est tamen breuis, & compendiosa. Sed attende ad rei veritatem. S. Basilius edidit Tractatus duos de Baptismo. Primus incipit: *Dominus noster*, & hic non est diuisus per capita. Alter, qui est in ordine secundus, & incipit: *Optimi Dei gratia*, habet capita tredecim. In capite ergo 2. à Gryssaldo citato, nec in toto illo tractatu, talia non extant verba: in tractatu verò primo fol. mihi 176. col. 2. litt. B. hæc habet Basilius: *Illud igitur, denuo, emendationem præteritæ nauitatis, in peccatorũ immunditia factæ, significare puto, dicente Iob: Quòd nemo purus sit à sordibus, etiamsi vita sit vnius tantum diei; & Dauide lugente, ac dicente: quoniam in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea: Apostoloque conteſtante: quòd omnes peccauerunt, & egent gloria Dei, &c.* Hæc sunt integra Basilii verba. Ex quibus meo iudicio sua desumpsit Gryssaldus, nam alia non extant in illis tractatibus de Baptismo. Errauit ergo. Primò, in remissione; seu cota. Secundò, non rectè citauit S. Basilium; potiùs enim allegare debuerat S. Iob, Basilius enim ibi solùm est relator, aliàs enim eodem modo, imò potiori iure posset adducere pro sua sententia S. Iob, vt dixi & S. Dauidem dicentem: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum*, ac S. Paulum similiter dicentem: *Omnes peccauerunt*, & per consequens omnia Breuiaria, Missalia, Sacram Bibliam, libros omnes & Auctores, in quibus illa Iob, Dauidis, & Pauli scripta sunt verba? Tertiò, ex prædictis verbis. quomodo deducitis vestram consequentiam: Ergo Maria contraxit peccatum originale? Dicetis quod sic: Nemo est purus à sordibus, secũdum Basilium: Ergo nec Virgo Maria. Videtur nè vobis bona hæc consequentia Patres docti, atque deuoti? Tùm sic: Ergo Maria habuit non solùm sordem peccati originalis, sed etiam alias sordes. Patet euidenter, quia textus non dicit, sordem, in singulari, sed sordes, in plurali, non peccati, sed peccatorum. Deindè Basilius hic clarè loquitur, & exprimit Natiuitatem, vt ex littera constat. Habuit nè Maria in Natiuitate sordes, aut peccata? Et quo fundamento nomen Natiuitatis transfertis ad Cõceptionem? Tandem Basilius agit de peccatis actualibus, vt ex textu, antecedentibus, & consequentibus patet. Deducite ergo nunc vestram consequentiam; ex natiuitate, immũditia, sordibus, iniquitatibus, atque peccatis, videte si placet, vestrum Ioannem Aquilanum, Doctorẽ antiquum qui in Sermon. Annunt. fol. 787. interpretatur illud: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum*, de peccatis concipientium, id est, parentum non conceptorum, hoc est, filiorum.

Sed redeundo ad verba Basilii; scias Lector, quòd ibi loquitur de emendatione primæ generationis, seu parentum concubitu, quem basilius vocat præteritam Natiuitatem; vbi fuit libido, concupiscentia, immunditia, ac sordes: Ideò loquitur in plurali, hoc ergo stante, tanquàm indubitato principio, vtpotè constante ex ipsis Basilii verbis. Si hic diceret Basilius, illaque profert in comuni, in particulari sic: Nariuitas Mariæ habuit emendationem à peccatorum immunditia, quia nõ fuit pura à sordibus, & iniquitatibus, quia in peccatis concepit eam Mater eius. Nonnè hæc terrerent mentes audientium? & tamen iuxta suum modum loquendi, inspectis rebus, de quibus agit, nihil dicit contra Immaculatam puritatem Virginis Mariæ, quia loquitur de parentum generatione, immunditiis, ac sordibus illorũ. Nec obstant, quin potiùs cofirmãt supra dicta illa Basilii verba: etiam si vita sit vnius tantùm diei: nã antiqui omnes, & etiam moderni vitam infantis incipiunt enumerare à die generationis ipsorum; vnde communiter dicitur, infantẽ esse in vtero Matris per nouem integros menses, cùm tamen propriè, & secudùm rei veritatem loquendo, vsque ad secundùm mensem, & fortè tertium, nec animatur, nec est infans. Primum ergò diem infantis vocabant diem generationis ipsius, quia tunc incipiebat esse; cuius primus dies dicebant (& benè) non esse sine

sordè

ſorde, & immunditia, &c. Hic latiſsimus modus loquendi antiquorum circa infantes vos ſeduxit, vt etiam innocentes, ac Sanctos abſque vlla ratione pro veſtra adduceretis ſententia. Cùm ergo veritas hic cæperit, vera Baſilii verba, ac ſententiam in Militia noſtra pro Conceptione quærite.

BEDA Presbyter Venerabilis, ac Sanctus, in quadam homilia ſuper Ioannem, & in homil. octauæ Epiphaniæ, & in Lucam cap. 1. & in hom. Vigiliæ S. Andreæ, & in homil. ſuper Miſſus eſt. *Turrecr. part. 6. cap. 25. fol. 116. Anonym. Auctore 37. Bandel. cap. 16. Deza fol. 24. Caietan. fol. 72. Vincent. Gryſald. Barelete, Canus, Brixienſis.*

VERITAS 41.

BEDÆ Venerabilis, Anglo-Saxonis, vitam, & ſcripta vide apud Pitſeum ad annum Chriſti 734. à fol. 129. cuius opera fuerunt excuſſa Pariſiis 1499. Coloniæ 1612. Baſileæ 1563. & alibi. Hunc ergo in primis Aduerſarii iterum adducunt ſub nomine Petri Tripolitani, de quo infrà num. 254. Et ità eſt duplicatus. Primam igitur Bedę auctoritatem ſic adducunt: Beatus Beda, Venerabilis Presbyter, & Monachus, qui doctrina, & ſanctitate claruit in Anglia, anno Domini 698. in quadam homilia ſuper Ioannem ſic dicit: *Et benè Præcurſor vt cognouit Chriſtum, eum agnum vocauit, quia ſolùm illũ præ cæteris mortalibus ſingulariter innocentem ab omni peccato mundum cognouit.* Hæc Homilia ſic confusè, & cauillosè adducta; *in quadam homilia ſuper Ioannem.* Reperitur tomo 7. in Vigilia S. Andreæ fol. mihi 290. quæ incipit: *Tanta, ac talis, &c.* Vbi ſtatim in principio inquit Beda: *Ecce enim narrante Euangeliſta, fratres chariſsimi, audiuimus quia ſtabat Ioannes, & Diſcipuli eius duo, & reſpiciens Ieſum ambulantem dicit: Ecce Agnus Dei; ſtatimque cognouimus, imò iam notum ad memoriam reuocauimus: quare Ieſum Præcurſor ſuus Agnum Dei vocauerit? Quia videlicèt eum præ cæteris mortalibus ſingulariter innocentem, hoc eſt, ab omni peccato mundum nouit: quia nos ſanguine ſuo redempturum, &c.* In hac auctoritate addiderunt ex proprio cerebro illam exceptiuam, *ſolum illum*, quo ſolo verbo totam vitiarunt auctoritatem quoad ſenſum. Deindè vbi eſt in Beda illa clauſula prima? Et benè Præcurſor vt cognouit *Chriſtum, eum Agnum vocauit.* Ex hac ergo auctoritate, in qua Beda vocabat Chriſtum ſingulariter innocentem præ cæteris mortalibus, & ab omni peccato mundum; deducunt Aduerſarii: ergo Maria non fuit ſingulariter innocens; vel: Maria fuit immunda: alias ad quid adducerent hanc auctoritatem? Ex puritate ergo filii arguut Matris impuritatẽ, & ex munditia Chriſti, Virginis immunditiam. Quid eſt hoc, Patres? An iudicatis, has eſſe necenarias, naturales, legitimas, ac infallibiles cõſequentias? Filius eſt immaculatus: ergo Mater eſt maculata: Ieſus eſt innocens; ergo Maria eſt peccatrix: Chriſtus eſt iuſtus: ergo Maria eſt iniuſta? Omnes Sancti clamãt, quod honor filii redundat in Matrẽ, & & è cotra; dedecus Mariæ redũdaret & in Chriſtũ: ergo totaliter deuiant à via veritatis, qui ex his: Chriſtus eſt Sanctus, mũdus, immaculatus, innocens, purus, &c. conãtur deducere has: ergo Maria fuit impura, nocens, maculata, immunda, & non ſancta? Se de hoc vide ſupra num 2. & auctoritatem ſequentem, & alibi ſæpè in hac Ventilatione.

Secundam auctoritatem ſic adducunt. Item in Homilia octauæ Epiphaniæ: *Ecce*, inquit, *Agnus Dei, quaſi dicat: Ecce Agnus innocens & ab omni peccato immunis, vtpotè qui de carne peccatrice nullam traxit maculam culpæ. Hæc ille.* Bedæ autem verba tom. 7. in homilia non in octaua, ſed in Epiphania Domini, quæ incipit: *Ioannes Baptiſta, &c.* col. 320. in principio ſic ſe habẽt. *Ioannes Baptiſta, & Præcurſor D. Saluatoris, quem diù venturum populis verbo prædicauerat, ipſum iam venientem ad ſe, ſicut ex lectione S. Euangelii, fratres, modò cum legeretur, audiſtis mox digito demonſtrauit, dicens: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mũdi: Ecce Agnus Dei, ecce innocẽs, & ab omni peccato immunis, vtpotè, qui os quidẽ de oſsibus Adã, & caro de carne Adã; ſed nullã de carne peccatrice traxit maculã culpæ. Ecce qui tollit peccata mũdi, ecce qui iuſtus inter peccatores, mitis inter impios hoc eſt, quaſi Agnus inter lupos apparens etiã peccatores, & impios iuſtificãdi habet poteſtatẽ, &c.* Ex his deprehenditur, qualiter fuerit vitiata: Primo, quia principium eſt variatum. Secũdo, abſtulerunt illam clauſulam præcipuam, & eſſentialem; *vtpotè qui os quidẽm de oſsibus Adam, & caro de carne Adam*, vt ſic Aduerſarii reducerent ad Matrem Dei Mariam, quod Beda expreſsè dixerat de Adãm. Tertio, eadem intentione prætermiſerunt illa verba vltima, quibus Beda exprimit ſuam mentem de peccatis actualibus, loquitur enim pro illo, tunc, quando Ioannes protulit ſua verba. Vltimo, ex hoc antecedenti Chriſtus eſt innocens Agnus, & ab omni peccato immunis, deducunt hanc conſequentiam: ergo Maria in ſua Conceptione fuit rea, & habuit peccatum; quando nec de peccato originali, Conceptione, imò nec Maria fit minima mentio. Si hæc ſunt tolerabilia, tu Lector, tacitè conſidera, & iudica.

Tertiam auctoritatem ſic adducunt. Item idem ſupra Lucam 1. capitulo: *Dei namque filius*

lius carnem, atque animam, nullo peccati pondere grauatam ſuſcepit, & tãquã ſponſus de vtero virginali proceſſit: ideòque dictum eſt ei: quod ex te naſcetur Sanctum, &c. Ad diſtinctionem quippè noſtræ ſanctitatis Ieſus ſingulariter Sanctus naſciturus aſſeritur. Nos inquam, & ſi ſancti efficimur, non tamen ſancti concipimur, quia ipſa naturæ corruptibilis conditione conſtringimur, vt cum Propheta gemẽtes ſinguli dicamus: Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, &c. Ille ergo ſolus veraciter ſanctus natus eſt, qui ex commixtione carnalis culpæ conceptus non eſt. Hæc ille. Bedæ autem verba tom. 5. col. 225. poſt medium ſic ſe habent: *Ecce Verbum Dei Patri coæternum, lumenque de lumine ante ſæcula natum, carnem in finem ſæculorum, atque animam nullo peccati pondere grauatam ſuſcipiet, & de vtero virginali, tanquam ſponſus de Thalamo ſuo procedet in mundum. Ideòque & quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius Dei. Ad diſtinctionem noſtræ ſanctitatis Ieſus ſingulariter ſanctus naſciturus aſſeritur. Nos quidèm & ſi ſancti efficimur; non tamen naſcimur, quia ipſa naturæ corruptibilis conditione conſtringimur, vt meritò cum Propheta gementes ſinguli dicamus: Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in delictis peperit me mater mea. Ille autem ſolus veraciter ſanctus eſt, qui vt ipſam conditionem naturæ corruptibilis vinceret, ex comixtione carnalis copulæ conceptus non eſt.* Attende, Lector, nam hæc eadem verba adduxerunt ſupra in Athanaſio ſuper Lucam; cùm tamẽ nec expoſitio ſit Athanaſii, nec verba Bedæ, quia in Athanaſio omnia ſunt ficta, & in Beda non pauca adulterata. Primò, illud Bedæ de futuro, *ſuſcipiet* (explicat enim verba Angeli ante Incarnationem Verbi) ipſi tranſtulerunt ad præteritum, *ſuſcepit*. Secundò, eodem modo vbi Beda; *procedet*, de futuro; ipſi, *proceſſit*, de præterito; & hoc totum factum eſt ex intentione, vt iam ſupponerent factam Conceptionem. Tertiò, ex tota illa clauſula: *Tanquam ſponſus de Thalamo ſuo procedet in mundum*, ſolum tranſcripſerunt verbum illud, *procedet*; ſed hoc etiam vitiatum; quia ipſi, *proceſſit*, vt dixi. Quartò, etiam truncarunt verba illa Angeli: *Quod ex te naſcetur ſanctum, vocabitur Filius Dei*; nam in Beda illud, *Filius Dei*, coniungitur cum illo, *Ad diſtinctionem noſtræ ſanctitatis*. Quintò, addiderunt illud, *quippè*, quod emphaticum quidem eſt, & aduerbium confirmationum. Ideò ſextò, vbi infrà Beda, *nos quippè*; ipſi, *nos inquam*. Septimò, vbi Beda, *ſancti efficimur, non tamen naſcimur*; ipſi ſic, & *ſi ſancti efficimur, non tamen ſancti concipimur*, mutantes natiuitatem in Conceptionem, quia hic opus, hic labor ipſorum, & hic totus ſtabat auctoritatis ſenſus. Octauo, eodem fine, prætermiſerunt totum illud: *Et in delictis peperit me mater mea*: quia ad ſuum propoſitum non erant partus, & natiuitas, ſed ſolùm Conceptio. Nono, vbi Beda: *Ille autem ſolus veraciter ſanctus eſt*, illi ex proprio marte addiderunt; *natus eſt*; quia cùm Beda loqueretur de ſanctitate abſoluta, addito illo verbo, *natus*, reſtrinxerunt verba ad terminos ſolùm natiuitatis. Decimò, aſtutè prætermiſerunt illam clauſulam: *Qui vt ipſam conditionem naturæ corruptibilis vinceret*; quia expreſsè ibi loquitur Beda de virginali integritate, quæ vt non corrumperetur in Matre, noluit Chriſtus ex carnalis commixtionis copula concipi. En in ſola vna auctoritate decem capitalia vitia. O Eccleſia Dei Catholica, ſancta, & vera! Aliter enim tranſtuliſti tu hæc eadem Bedæ verba in feſtiuitate Expectationis B. Virginis, Lectione ix. vbi nec in apice deuiaſti à veritate; ſed hic locum non habuit illud: Exẽplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, & vos faciatis; Et nota, quòd hæc auctoritas eſt duplicata, nam ipſam iterum adducunt in Zacharia infrà num. 314. & triplicata cum illa adducta in Athanaſio.

Quartam ſic adducunt: Item idem in eodẽ, exponẽs illud: Hic eſt filius meus, in quo mihi benè complacui, ſic dicit: *Omnis, qui pœnitendo corrigit aliqua, quæ fecit, eo ipſo quo pœnitet ſe ſibimet diſplicuiſſe indicat, qui emendat, quod fecit. Et quia omnipotens Pater, ſicut intelligi ab omnibus poterat, humano modo lucutus eſt de peccatoribus, dicẽs: Pœnitet me feciſſe hominem; demonſtrat, quia ſibimet diſplicuit in peccatoribus, quos creauit. In ſolo autem ſibi vnigenito Domino noſtro complacuit, quia hunc inter homines hominem creaſſe non pœnituit, in quo ſolo peccatum nullũ inuenit. Hæc ille.* Hæc verba non inueniuntur vbi Aduerſarii citant, ſcilicèt ſuper Lucam, ſed extant in Homilia octauæ Epiphaniæ tom. 7. fol. 326. col. 1. vbi ſic inquit: *Quod ait vox Paterna: hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ad comparationem terreni hominis dicit, in quo peccante, quodammodo ſibi diſplicuiſſe Deus cõditor inſinuat, cùm ait: pœnitet me hominem feciſſe in terra. Pœnitentia quidèm in Deum nulla cadit, ſed noſtro more loquens, qui compungi pœnitentia ſolemus, quando contra votum noſtra opera verti videmus. Pœnitere ſe dixit hominem feciſſe in terra, quem à rectitudine ſuæ fabricæ peccando deuiare conſpexit. In filio autem ſuo vnigenito ſibi ſingulariter complacuit, quia hunc hominem, quem induerat, à peccato immunem ſeruare cognouit, &c.* Ex ſola prima verborum facie plenè videtur, qualiter hic Bedæ locus ſit totaliter, ac malè vitiatus, aliqua mutata, alia tranſmutata, & omnia à recta diſpoſitione, imò & gramatica aliena; ſolùm vt ab oculis legentium celarent, quod Beda loquebatur de peccatis actualibus; ſed aliis clauſulis

ſulis relictis, vltimam, in qua ſententiæ pondus eſt ventilamus: nam vbi Beda: *Quia hunc hominem, quem induerat, à peccato immunem ſeruare cognouit*; Ipſi ſic tranſcripſerunt: *Quia hunc inter homines hominem creaſſe non pœnituit, in quo ſolo peccatum nullum inuenit.* Abſtulerunt ergo illud, *quem induerat, à peccato immunem cognouit.* Et addiderunt ly *inter homines*, & ly *in quo ſolo*, & ly *nullum*: Ergo hæc auctoritas totaliter, & abſolutè pro ficta eſt reputanda. Adde inſuper, quod hanc ipſiſſimam auctoritatē inuenies infrà num. 262. in Rabano Mauro, quam Aduerſarii aliis indutam veſtibus, ſeu depictam coloribus, id eſt, verbis mutatis, iterum in theatrum inducunt ſub nomine Rabani, vt alium multiplicarent ſuæ opinionis Auctorem, & in S. Gregorio Magno num. 95. auctoritate 5. Vide ibi, quia non eſt adeo facile ſcire, cuius ſit auctoritas & imago hæc, atque ſubſcriptio.

Quintam ſic adducit Turrecremata. Primò quidem dicit Venerabilis Beda (vt ſuperiùs extitit allegatum) in Homilia ſuper Miſſus eſt, loquens de effectu ſanctificationis, quem Spiritus Sanctus duobus modis in ea diuinæ ſuæ potentiæ efficacia oſtendit: *Quia mentem (quantum humana fragilitas patitur) ab omni vitiorū ſorde caſtificauit, vt cœleſti eſſet digna partu, & in vtero eius ſanctum, ac venerabile Redemptoris noſtri corpus ſola ſua operatione creauit, id eſt, nullo virili interueniente attactu, carnem de carne Virginis ſacræ ſanctam intemerata formauit.* Et infrà: *Obumbrauit autem B. Dei Genitrici virtus Altiſſimi, quia ſanctum cor eius cum compleuit, ab omni eſtu concupiſcentiæ carnalis temperauit, & mundauit à deſideriis temporalibus, ac donis cœleſtibus mentem ſimul illius conſecrauit & corpus. Ideòque & quod naſcetur (inquit) ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei. Quia enim de ſanctificatione Spiritus concipies, ſanctum erit, quod gignetur. Congruit Conceptioni Natiuitas, vt qua contra humanæ conditionis morem Virgo concipis, ſupra humanæ conditionis modum Dei filium generes. Omnes quippè homines in iniquitatibus concipimur, & in delictis naſcimur.* Et infra: *Solus verò Redemptor noſter pro nobis incarnari dignatus, mox ſanctus natus eſt: quia ſine iniquitate conceptus eſt. Hæc Beda.* Et hucuſque Turrecremata; quam auctoritatem fideliter, omni legalitate ſeruata tranſcripſit: nam ſic extat tomo 7. Homilia de Annunt. quæ incipit: *Exordium noſtræ* col. 337 a quibus tamē parui momenti tranſmutatis. His ſuppoſitis Bandellus, Caietanus & alii ſic eandem auctoritatem trāſcribunt dicentes: Item idem in Homilia ſuper miſſus eſt: Et ponitur in Gloſſa ordinaria: *Spiritus*, inquit, *Sanctus ſuperueniens in Virginē, mētem eius ab omni vitiorum ſorde caſtificauit, & ab omni æſtu carnalis concupiſcentiæ cor eius temperauit, atque mundauit. Hæc ille.* Primo ergo falſum eſt, quòd hæc auctoritas, vt ab ipſis adducitur, ſit in Gloſſa ordinaria: nam ibi col. 686. nouiſſimæ impreſſionis, & in aliis, ſolùm extant hæc verba: *Spiritus ſuperueniens in Virginem, & mentem illius à ſorde vitiorum caſtificauit, vt cœleſti eſſet digna partu*: Et nihil amplius. Vnde conſtat, quòd omnia alia verba ſuo modo compoſuerunt. Secundò, abſtulerunt principium, & finem auctoritatis, relinquendo ipſam in puris naturalibus, vt ſic quantum in ipſis erat, occultarent, de qua Conceptione loquebatur Beda, an actiua, vel paſsiua; de primo, vel ſecundo aduentu Spiritus Sancti. Tertiò, hanc eandem auctoritatem adduxerunt ſupra num. 16. auctoritate 14. pro S. Ambroſio, ſic dicentes: Item idem, id eſt, Ambroſius, ſuper Lucam, vt allegatur à S. Thoma in 3. Senten. & in 3. part. *Spiritus*, inquit, *Sanctus ſuperueniens in Virginem, mentem illius ab omni vitiorum ſorde caſtificauit. Hæc ille.* Nunc autem eandem auctoritatem faciunt Bedæ, ſolùm addentes aliam clauſulam, ſcilicèt, illam: *Et ab omni æſtu carnalis concupiſcentiæ cor eius temperauit, atque mundauit.* Si hæc verba ſunt S. Ambroſii, vt affirmat D. Thomas, quare illa tribuiſtis Bedæ: ſi eſt Bedæ, vt eſt, quare ipſam adſcripſiſtis Ambroſio? O Salomon! qui pro tuliſti ſententiam, dà etiam modum, quia neſcit veritas, quomodo diuidendus ſit infans.

Nunc ad plenam Bedæ Ventilationem ſolùm reſtat inquirere de eius mente. Et ſic dico primò, quòd ibi loquitur de Incarnatione Verbi, non de Conceptione Virginis, & ex hac parte ipſum adducere, fuit extra propoſitum. Secundo, quod in illis verbis: *Ab omni vitiorum ſorde caſtificauit*, ſicut in illis: *quia Spiritus Sanctus, cor illius cum impleuit, ab omni æſtu concupiſcentiæ carnalis temperauit, mundauit, à deſideris temporalibus*, &c. Sic enim extant in Beda, & non illud *et* additum in Turrecremata, nam aliud eſt, *et mundauit*; aliud vero, *emūdauit*; nam *et* ſemper eſt coniunctionis nota, quæ in Beda non extat. Et gratis admiſio, quod *mundauit* ac *emundauit* eſſent idem, in prædictis verbis loquitur Beda de ſuperuentione Spiritus Sancti tempore Incarnationis ſuper Virginem; ne in ſeminis exhibitione aliquo concupiſcentiæ æſtu, delectationis carnalis pruritu, vel deſiderio aliquo temporali coinquinaretur; ſicut in generatione, ſeu ſeminis effuſione omnibus aliis contingit fœminis; vt ſic mens Virginis in Deum collecta, vnicè, & vnita inde flectibiliter, materiam Dominici corporis abſque vlla delectatione, ſorde, vel minimo animæ, aut corporis inquinamento miniſtraret. Hæc eſt mens, & ſententia Bedæ; ſi quis autem hoc aliter intelligere vellet, ſiuè ex noſtris, ſiuè

Ad-

Aduersariis, absolutè erraret. Tunc sic: ergo illud, *castificauit*, & illud, *emundauit*, non indicat sanctificationem à vitiis, & sordibus contractis, sed præseruationem ab illis, nec *temperauit* Spiritus Sanctus æstum cōcupiscentiæ actualis, sed possibilis; vel desiderium carnale, quod inerat, sed quod inesse poterat. Accipite vestrum Angelicum Doctorem in 3. Senten. dist. 3. quæstiunctula 1. in responsione ad hanc auctoritatem: Ad secundum dicendum: *Quòd sordes vitiorum, à quibus in Conceptione Saluatoris B. Virgo castificata dicitur, non fuerunt aliqua peccata venialia, sed reliquiæ quædam originalis peccati, sicut recedente habitu adhuc aliquæ dispositiones manent. Vel dicendum, quòd castificatio à sordibus vitiorum non intelligitur remotio existentium, sed impedimentum futurarum sordium.* Si ergo S. Thomas intelligit, & explicat ab omni vitiorum sorde castificare, pro ab omni vitiorum sorde præseruare, & idē dicit Alexander Alensis, vt supra vidimus num. 13. Vndè ergo hæc militant contra Immaculatam Conceptionem Mariæ? Si enim illud, *castificauit, temperauit, & mundauit*, sunt hìc idem, quòd præseruauit, præuenit, immunem fecit: igitur quamuis expressè, & clarè loqueretur de Cōceptione passiua, & diceret Beda: Deus Mariam in vtero ab omni vitiorum sorde castificauit, vel Spiritus Sanctus in generatione Mariæ omnem æstum concupiscentiæ temperauit, vel denique: Deus emundauit Mariæ Conceptionem, nihil diceret, iuxta suum hìc loquēdi modum. Tertiò, ex vltima clausula, quę iuxta verborum sonitum iudicata difficilior videtur, meliùs nostrum comprobatur assumptum, scilicèt, de æquiuocatione verborum apud antiquos Patres; nam sæpè sumunt Conceptionem pro generatione, generationem pro Cōceptione, & pro vtraque natiuitatem. Attende, inquit Beda, solus Redemptor noster, *mox Sānctus natus est, quia sine iniquitate conceptus est.* Quando *mox* natus? scilicèt post locutionem Angeli, post obumbrationem Spiritus Sancti, *mox* postquam fuit castificata, temperata, & emundata caro, vel Maria, *mox* natus est, id est, in vtero Christus: ergo iam Beda vocat absolutè natiuitatem, quam nos modò vocamus Conceptionem? Nec hoc negant Aduersarii, qui passim, & communiter admittunt, & vtuntur his terminis, natiuitatis in vtero, & natiuitatis extra vterum. Natus est igitur Christus in vtero, inquit Beda: *Quia sine iniquitate conceptus est.* Nota causalem, *quia*; ideò enim Sanctus natus est in vtero, quia sine iniquitate est conceptus: ergo sumit Conceptionem pro generatione, seu administratione materiæ; aliàs esset friuola reduplicatio, natus est in vtero Sanctus, quia conceptus est in vtero Sanctus, vel clarius sic iuxta vim causalitatis, quia Christus fuit sine iniquitate conceptus; idò sanctus natus est in vtero. Sed quę, vel qualis fuit illa Cōceptio præcedens natiuitatem in vtero? Dices, & bene dices, quòd fuit generatio, vel administratio illa materię seminis, vel sanguinis facta à Virgine, priùs natura, quàm Christus nasceretur in vtero. Optimè ergo Beda vocat Conceptionem administrationem materiæ, & seminis, quā modo vocamus generationem; ac per consequens sua propositio æquiualet huic: Ideò Christus conceptus, seu natus est in vtero Mariæ sanctus, quia ipsa administrauit materiam, seu generauit ipsum absque vitio aliquo, sorde, concupiscentia, & libidine, & sic nostrum euidenter patet assumptum, scilicèt, quod Beda sumit conceptionem pro administratione materiæ in generatione. Confirmatur hoc amplius, & clarius. Inquit enim Beda: *Quia quod de sanctificatione Spiritus concipies, Sanctum erit, quod gignetur; congruit Conceptioni natiuitas, vt quæ contra humanæ conditionis morem Virgo concipis, supra humanæ conditionis modum Dei Filium generes.* Nota verba: Primo dicit: quod *concipies*, sanctum gignetur. Secundò: quod *conceptioni* congruit *natiuitas*. Tertio; quod Virgo *concipis*, Dei Filium *generes*; En quatuor distincta verba: concipere, gignere, nasci, generare. Ruminare, ò Lector! illa, & inuenies, quòd priùs ponit concipere, quàm gignere priùs Cōceptionem, quàm natiuitatem, & priùs denique cōcipere, quàm generare. Et semper, & vbique conceptio stat, & stare debet pro generatione prima carnali, non pro propria, & rigorosa Conceptione animationis. Vndè dicit, concipies per Spiritum Sanctum, non à viro, & semine humano, & sic Sanctum erit, quod *gignetur*; & sic tuæ *Conceptioni* maternæ congruet *natiuitas* filii in vtero; & quia illa sine iniquitate, & sordibus, hæc sine culpa, & macula, & quia extra humanam conditionem, vt Virgo purissima *concipis*, sine viro, & sordibus, necessè etiā erit, quòd absque humana conditione in tuo vtero *generes* Dei Filium, non hominis filium. En quomodo semper Beda sumit conceptionem extra proprium significatum, nunc communiter admissum, & vsitatum in Scholis. Si ergo ista non te conuincunt, ingredere cubiculum tuum, & fac conceptiones tuas.

Breuiter illud etiam Bedæ ventilandum erit. *Quia quod de sanctificatione Spiritus concipies*: Illud de *sanctificatione*, respicit ne aliquid maculatum, & sordidum in Virgine, quod pro Verbi Incarnatione, siuè in anima, siuè in corpore esset priùs liberandum à sorde, aut purificandū à macula? Si affirmatiuè respondeas, mentiris vt Blasphemus: si negatiuè, optimè dicis, & optimè sequitur, quòd sanctificatio non semper supponit culpam, maculam, vel sordem in sanctificato; & multò minus in Virgine. Vndè nō

bene

benè ſequitur: Virgo Maria in ſua Conceptione paſsiua fuit ſanctificata: ergo à culpa contracta, quia non valet in Conceptione actiua; ſiquidèm à ſancta facta fuit magis ſancta, iuxta illud: qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc, & qui Sanctus, ſanctificetur adhuc.

BELTRANDVS, Vel Bertrandus de Turre, Ordinis Minorum, ac S. R. E. Cardinalis, ſuper Miſſus eſt, & in Serm. Natiuitatis B. Virginis, & in Serm. Annuntiationis. *Turrecrem. par. 6. cap. 30. fol. 122. & par. 5. cap. 2. fol. 83. Anonym. Auctore 150. Bandel. cap. 24. Deza fol. 45. Spina p. 6. cap. 4. Gryſald. Barelete, S. Antoninus, & Brixien.*

VERITAS 42.

HIC Beltrandus, vel Bertrandus de Turre, vel Monte-Fauentio de Caſtronouo, creatus Cardinalis à Ioanne XXII. anno 1316. tituli S. Mariæ in Aquiro, qui ſecundùm Frizonem in Gallia purpurata vixit vſque ad annum 1343. grauis extitit Auctor, ſcripſitque quàm plures Sermones, quorũ aliqui fuerunt typis mãdati in 4. alii vero obſeruantur manuſcripti in Bibliotheca Scorialis, vt de quatuor nouiſsimis. iv. D. 19. incipit: *Quis te faſcinauit*, in Bibliotheca S. Ioannis Regum Tolet. extant ſuper Epiſtolas Dominicales totius anni litt. Y. num. 49. qui incipiunt: *Scripſit Ezechias*, &c. Sermones verò de Sanctis extant in Bibliotheca Vaticana, & alibi, de quibus Vvadingus fol. 60. quos ego etiã paucis ab hinc annis vidi, & legi in Bibliotheca S. Eccleſ. Toletanæ. Et ſic vt teſtis ocularis dico, & affirmo, quòd hìc cum ſufficienti fundamento adducitur ab Aduerſariis pro ſua opinione, licèt pro noſtra ſententia ipſum citet Antonius Chucarus, Epiſcopus Azernenſis, ſcriptor antiquus in ſuo Elucidario fol. 63. col. 2. ad finem. Sed etiam ſcire debes, Lector, quòd Doctor iſte, ſicut Aluarus Pelagius, ſuprà citatus num. 15. & Guidus Carmelita, infrà adducẽdus, fuerunt ex iliis, qui dignitates obtinuerunt tempore Ioannis XXII. qui S. Thomam Aquinatem canonizauit. Et contra opiniones fratrum Minorum, ſcilicèt, de paupertate Chriſti: de Gloria animarum iuſtorum ante diem iudicii: & conſequenter contra hanc de Conceptione, propter quemdam Petrum Carbonelum Romæ factum Antipapam, cùm verus Pontifex eſſet Auinione, ex quorumdam fratrũ perſuaſione, nimis rigidum ſe oſtendit; qui poteſt capere, capiat.

Primam auctoritatem ſic adducunt dicentes: Eodem modo exponit Dominus Bertrandus de Turre, Cardinalis, eiuſdem Ordinis in expoſitione Euãgeliorum, vbi ſuper illud: Virtus Altiſsimi obumbrabit tibi, dicit: *Secundùm Gloſſam contra ardorem fomitis refrigerauit, & ſecundùm Gregorium 33. Moralium, caro Mariæ fuit obumbrata virtute Altiſsimi, quia in eius vtero lux incorporea corpus ſumpſit, ex qua obumbratione omne in ſe refrigerium carnis, & mentis accepit.* Nihil inuenio in hac auctoritate contra immaculatam Virginis Conceptionem; nam hic agit Beltrandus de paſsiua Conceptione, ſeu Verbi Incarnatione. Deindè quòd Virgo habuerit tempore Incarnationis fomitem, à quampluribus impugnatur, licèt Turrecrem. in p. 5. cap. 2. illud conetur probare ex hac Bertrandi, & aliorum auctoritatibus. Denique quia illud obumbrauit, refrigerauit, ſumitur præſeruatiuè, vt diximus in antecedenti num. auctoritate 5.

Secundam ſic adducunt: Item, ad idem eſt eiuſdem Ordinis Pater Dominus Bertrandus de Turre, Cardinalis S. E. R. in Serm. Annuntiationis ſub themate: Aue Maria, ſic dicens: *Fuit enim exempta naſcendo ex væ infectionis; quia fuit ſingulariter ſanctificata: & in ſecunda ſanctificatione, quando concepit Filium Dei, venit in ipſam tanta copia gratiæ, quòd non ſolùm compeſcuit in ea fomitem peccati, imò totaliter auulſit ab ea. Hæc ille.* Nec hæc auctoritas alicuius eſt momenti ad probãdum propoſitum aſſumptum de peccato originali contracto à Maria in ſua Conceptione: nam quòd fuerit exempta naſcendo ex væ infectionis, & ſingulariter ſanctificata, nihil dicunt pro Aduerſariorum opinione; ideòque hoc videntes adducunt alteram, ſcilicèt,

Tertiam ſic: Et plenius idem dicit in Sermone Natiuitatis eiuſdem Virginis, exponens illud Prouerb. 8. Dominus poſſedit me ab initio viarum ſuarum: vbi circa primam viam ita dicit: *Primum autem initium iſtarum viarum, id eſt, operum ſuorum fuit opus ſanctum, quod fecit ipſe Dominus in prima perſona, pertinente ad nouum Teſtamentum, quæ fuit Beata Virgo. Et iſtud primum opus, ſecundùm eum, fuit ipſius Virginis Conceptio, non quidem prima, quæ fuit in ſeminum tranſfuſione, nec ſecunda Conceptio Virginis, quæ fuit cum culpæ originalis contractione, quando eius anima fuit corpori infuſa, ſed tertia Conceptio, quæ fuit in gratia, & eius ſanctificatione, ac peccati originalis emundatione. Hæc ille.* En Beltrandus admittit tres conceptiones, ſeminis, animæ, & gratiæ, illaſque diſtinguit ad tollendam æquiuocationem, quam in aliis habebat, & ſuam pariter explicat ſententiam, quæ clarè, & apertè eſt pro contraria opinione: ſic, ſic veraciter procede, vt iuſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas, cum iudicaberis.

BERNARDINVS Senenſis, Ordinis Minorum, Sanctus in Sermone 4. de B. Virgine, &c. *Dezacap. 24. fol. 43. Gryſal. Alph. 6. Caietanus in Opuſc. Canus, & Iuſtin. Miechouien. & Arpalleg. fol. 32.*

VERITAS 43.

AVTOR, ſicut opera eius notiſsima, ſunt excuſſa primo Lugd. ann. 1501. deindè recognita à Petro Rodulpho Toſsigniano Venet. 1591. poſtremò per Ioannem de la Haye Pariſiis 1636. & Sermones de feſtiuitatibus Virginis, de quibus præcipuè hic fuerunt typis mandati Norimbergæ per Fredericũ Kreuſnerum anno 1493. Ex hoc ergo Sancto Doctore, ac operibus eius ſic pro ſuo inſtituto in quadam Additione inquit Cotinuator, ſeu Corrector Bandelli: Idem tenet S. Bernardinus de Senis, eiuſdem Ordinis, quãuis modernus fuerit, & ipſam Virginis Conceptionẽ celebrare viderit, & controuerſias ſuper hac materia fuerit expertus: Dicit enim in 3. opere ſuorum Sermonum, quod incipit: *Ignis à facie eius exarſit* in tract. de Beatiſ. Virg. Serm. 4. qui incipit: *Sicut Sol Oriens mũdo*, in art. 1. formaliter iſta verba: *Dimiſsis autem ſcholaſticis bellis circa Virginalem conceptũ, triplicem ſanctificationẽ ad præſens diſcutiamus. Prima eſt generalis: ſecunda ſpecialis: tertia dicitur maternalis. Prima eſt ſanctificatio generalis; & hæc quidẽ eſt illa, qua ſanctificantur homines per Eccleſiaſtica Sacramenta, quod fit maximè per Baptiſmũ; & talis ſanctificatio duo bona in homine operatur; primo remouet culpam; ſecundo autem confert gratiam; tertiũ verò, non remouet, ſed remanet, ſcilicet peccati fomes, & pronitas ad peccandũ, quia & venialiter, & mortaliter talis ſanctificatus peccare poteſt. Secũda eſt ſanctificatio ſpecialis, & talis per gratiam Sancti Spiritus cõdonatur: Ponit autẽ hæc ſanctitas in ſtatu iuſtitiæ cõſummatæ, & operatur in ea tria. Primo, remouet culpam: ſecundo, confert gratiã: tertio, remouet pronitatem, nè poſsit homo faciliter mortaliter inquinari. Cùm igitur omnes in iniquitatibus concipiamur, neminẽ vnquam mortalium intra materna viſcera ſanctificatũ legimus, præterquã Ieremiã, & Ioannem Baptiſtam, quãquam de B. Virgine nulla ſit ambiguitas, ſicut dicetur infrà. Longè tamen eſt maior Ioannis ſanctificatio ſanctificatione Ieremiæ.* Et 1. ponit namque ibi originale quoddã prolixum, & ſunt verba Bernardi, in Serm. de S. Ioanne Baptiſta, & poſt verba illa ſubinfert: *Tertia fuit ſanctificatio maternalis, & iſta remouet culpam originalẽ, & confert gratiam, & remouet pronitatẽ ad peccandũ, tàm mortaliter, quàm venialiter. Et hæc fuit in Virgine matre.* Hucuſque ſunt verba Dezæ, ſiuè illius Continuatoris Bandelli, in prælegata Additione, quæ à ſuo originali legaliter, ac fideliter eſt tranſcripta; ſed de quo verbo, vel clauſula ex prælegatis colligat, Bernardinũ dixiſſe, Virginem Mariam cõtraxiſſe peccatum originale, ipſe non explicat, neque ego inuenio? Niſi fortè ex vltima oratione, diſcurrendo ſic: ſanctificatio Virginis ſecundùm Bernardinum remouit ab ea culpam originalem: ergo ſupponit illã; nã non poteſt res aliqua remoueri, niſi priùs inſit in eo, à quo remouetur. Et confirmatur; quia remouere culpam in ſanctificatione aliorum, eſt auferre ab anima culpam iam contractam, vt patet in ſupradictis à Bernardino: ergo cum eodem modo vtatur in ſanctificatione Virginis, remouere in Virgine, ſupponit iam exiſtentiam, & adhærentiam culpæ in anima. Ex his illationibus meo iudicio deducere poſſunt Aduerſarii ſuam concluſionem; non verò ex aliis claris, aut expreſsis.

Sed quòd ex his verbis nihil pro ipſorum opinione colligi poſsit, imò potiùs pro contraria, ſic breuiter probatur. Primò, quia remoueo, non ſemper ſignificat auferre aliquid à loco, in quo prius erat. Nam ſecundùm Ioannem de Ianua, Ordinis Prædicatorum, in ſuo Catholicon fol. 200. colum. 3. remoueo, has quatuor habet ſignificationes, amouere, auertere, abſentare, & ſeparare. Ecce huius verbi ſignificata: ex quibus amouere eſt propriè, tollere offendiculum, nè aliquis cadat, vel amouere aliquem à periculo, vel inſidiis illi appoſitis: auertere, id eſt, ictum venientem alio deuiare, vel retinere: abſentare, eſt, ab oculis, vel præſentia totaliter abſtrahere, vel ſeparare; abſentatur enim homo à ludicis oculis, nè illum in carcerem proiiciat; nam ille qui iam fuit in carcere, non dicitur abſentari à carcere, ſed fugere. Igitur ex verbo, remouere, non deducitur efficax argumentum. Secundò quia omnes acceptiones grammaticales huius verbi, remoueo, adducit Theſaurus linguæ Latinæ tom. 3. fol. 486. & ferè omnes ſtant pro nobis, quas in medium adduco. *Remouere aliquem à legibus*, id eſt, quòd non comprehendatur in illis. *Remouere aliquem à Republica*, id eſt, quòd non ingrediatur Rempublicam, vel poſtquam ingreſſus fuerit, illum repellere; & hæc ſignificatio pro vtraque opinione facit. *Remouere ab oculis, & occultare*, non quod priùs, & neceſſariò debeat aliquis eſſe præſens, & deindè occultetur, ſed potius vt nunquam videatur. *Remouere de medio, & clam auferre*, id eſt, occultatè, & inſenſibiliter aliquem abſentare: *Ex vrbe me remoui in montes*, hæc videtur ſupponere exiſtentiam, prius in vrbe, propter illam præpoſitionẽ *ex*, ſecus ſi diceret, abſtraxi mè ab vrbe, & remoui in montes: *A vulgo, & ſcena in ſecreta ſe remouere*, non quòd prius fuerit

rit in vulgo, vel ſcena, ſed quòd in illis non ſit ingreſſus. *Cauſas diſſidiæ remouere*, id eſt, ante quam veniãt rixæ, illas in cauſa euitare. *A ſe remouere inuidiã*, hoc eſt, nunquam illam habere. *Munus remouere ex oculis*, ad hoc non eſt neceſſe, quòd munus ſit præſens. *Miniſterio ſceleris me remoui*, id eſt, non cõſenſi ſcelere. *Metum remouere*, id eſt, cauſam metus amputare, ac ſi diceret: Non habeo metum. *Moram remouere*, id eſt, celeriter aliquid agere, abſque mora. *Nubem animi remouit ipſe dolor*, hæc ſignificatio nihil habet prorę præſenti. *Oculos remouere, & ſe totũ auertere*, id eſt, noluit videre. *Operã ſuam remouere à populari cœtu*, id eſt, nunquam illam propalare populo. *Pudorẽ remouere*, antequam pudor, vel cauſa pudoris adueniat; *ſe remouere ab aliquo*, & quaſi extraneum, vel incognitum efficere. *Remouere ſe à negotijs publicis*, vt remouetur religioſus, qui nũquam in illis ingreſſus eſt, ſed in deſertis habitat. *Ab amicitia alicuius ſe remouere*, id eſt, amicitiam cum aliquo nunquam contrahere. *Cura remouens ſoporẽ*, id eſt, antequam ſomnus veniat. *Suſpicionem leuare, atque abs ſe remouere*, id eſt, nullam actiuam, vel paſsiuam habere ſuſpicionem. *Vim procul hinc remouere*, id eſt, euitare, vt nulla intercedat vis. Ex his omnibus ſignificatis colligitur, quòd remoueo non neceſſario ſupponit exiſtentiam rei remotæ; ſed potiùs auerſionem illius, antequam veniat. Tertiò, quia Bernardinus diſtinguit triplicem ſanctificationẽ, generalem in baptizatis, particularem in ſanctificatis in vtero poſt cõtractionem culpæ, & maternalem ſolùm in Maria vnicè, & ſingulariter. Si ergo ſanctificatio Virginis eſſet in vtero poſt cõtractionem culpæ, hic tertius modus non eſſet diſtinctus à ſecundo: nam Maria fuiſſet ſanctificata, vt Ioannes, & Ieremias. Quarto, ex verbis ipſius Bernardini, inquit enim: quòd illa ſanctificatio maternalis *remouet culpã originalẽ, & remouet pronitatem ad peccandũ*. Ecce bis poſitum eſt verbum, illud remouet: ergo eodẽ modo debet ſumi vtrobique; ſed Maria nunquam habuit pronitatem ad peccãdum: ergo nec vnquam habuit originale peccatum, & ſi pronitas ad peccandũ ita remota fuit à Virgine, vt nunquã illam habuerit; eodem modo remota fuit culpa originalis. Quia inquit Bernardinus. *Dimiſſis autem ſcholaſticis bellis circa Virginalem conceptũ*: igitur in hoc Sermone nihil volebat agere de controuerſia, quæſtionibus, & argumentis, ſed ſimpliciter, & abſolutè loqui, vel iuxta vtrumque opinionem, vel tantùm iuxta vnam; atqui in toto Sermone nunquã affirmat, Virginem fuiſſe conceptam in peccato originali, aut macula, vel quid ſimile; imò potiùs dicit oppoſitum, vt infrà latiùs dicam: ergo abſq; vllo fundamento adductus fuit ab Aduerſariis, ſed ſuſpeade iudicium.

Secundam auctoritatem ſic adducunt. Item, idem in eodem Serm. art. 3. cap. 2. dicit: *Secundus verò huius Virginis ardor, impeccabilitas nuncupatur. Licèt enim, vt ex præcedẽtibus patet, B. Virgo in ſua Conceptione per gratiã adepta fuerit tantam fomitis reſtrictionem, quòd non poſſet in aliquod peccatũ adduci; remanſit tamen fomes in ea ſecundùm eſſentiam, ſed ſanctificatio hæc ſecunda in Cõceptione filij Dei ſuperaddidit in ea omnimodã fomitis extinctionem, eradicationẽ, & in bono confirmationẽ, ita vt quæ priùs poterat non peccare, iam peccare non poſſet. In prima igitur ſanctificatione Virginis tanta gratia perfectionis ei collata eſt, quòd in eius ſenſualitatem in tantum gratia redundaret, vt fomitẽ adeò reprimeret, vt nullum aliquando effectum, vel incitamentum haberet. In ſecunda verò ſanctificatione, in qua Spiritus Sanctus non ſolùm deſcendit in mentẽ, ſed etiam in ipſam carnẽ, & de carne operatus eſt mirabiliter carnem Chriſti, eam ſine macula fabricando, reliquit ipſius carnẽ immaculatam, extirpando in ea fomitem, & omnem concupiſcentiã, ita quòd peccare non poſſet. Et hoc ſentit Bernardus, & Damaſcenus, & Magiſter Sententiarũ.* Hæc auctoritas, quę deſumpta eſt ex duobus locis inter ſe diſtinctis, fideliter fuit tranſcripta; ſed neſcio quid in hac auctoritate ſit cõtra immaculatam Virginis Conceptionem? At ſuſpende etiam iudicium.

Tertiam auctoritatem ſic adducit: Idem in ſententia, dicit in eodem Serm. art. 1. cap. 4. vbi loquitur de trãquillitate mentis ipſius Virginis, & de impeccabilitate ipſius; vbi finaliter cõcludit dicens: *Propter hoc dici ſolet, quòd in B. Virgine poſt primam ſanctificationem remanſit fomes ſecundùm ſubſtantiam, ſed ligatus. Hæc ille in forma.* Hæc auctoritas nihil addit ſupra duas antecedentes: & ſic etiam in ipſa ſuſpendum erit iudicium.

Poſt ſupra enumeratas auctoritates addit ex propriis ille Corrector Bandelli hæc verba: *Et aduerte, quòd cũ iſte Sanctus iam hutus quæſtionis altercationes, & cõtrouerſias viderit, & Eccleſia hanc feſtiuitatem celebrãtem, vel celebrare permittentem cognouerit, & nihilominùs B. Virginem in originali peccato conceptã inſinuet (cum in omnibus ſequatur doctrinam S. Thomæ, quam etiam allegat in eodem Sermone art. 1. cap. 4. ad finem) non modicè, ſed effrenatè irridendi ſunt, qui in fauorem ſuum dicunt, quòd ſi Sancti viuerent modò, & viderent Eccleſiam celebrantem, & indulgentias concedentem, &c. ipſi dicta ſua retractarent. Illud quoque mirabile eſt, quòd cùm ad roborandam hanc opinionem multi libri falſificati ſint, quorum exemplaria tàm antiqua, quàm noua, tàm arte ſcriptorea, quàm impreſſoria apud nos erant, ex quibus ipſorũ falſitas, & grauiſſimum ſcelus deprehendi poterat hunc tàm Sãctum, ac tàm modernũ Do-*

ctorem, cuius opera rarißima erant, non permißi sunt falsificare, nec ipsius veram doctrinā occultare, vt nemo esset de Sanctis, qui in hac materia scripserunt, qui sicut Sanctos alios in vita, ita & eos nōn imitarentur in doctrina. Non enim fieri poterat, vt omnium illorum doctrinam impugnarent, qui singulorum vitam, & morem imitari summopere studebant. Obijt autem Sanctus iste Doctor ad annū 1444. & fuit canonizatus ann. 1450. in die Pentecostes. Hæc sunt verba illius Continuatoris Bandelli.

Sed iam ventilemus, qua veritate in istis verbis procedat; quia in ipsis plura inuoluit. Et primo nota illud: *Et nihilominùs B. Virginem in originali peccato cōceptam insinuet.* Vide ergo, Lector, quomodo ipsemet Aduersarius fatetur, quòd S. Bernardinus in hoc Sermone nihil expressè dicat contra immaculatā Conceptionē, sed solùm *insinuat*. O insinuator egregie, ex sola insinuatione magnum fabricasti ædificium! ex insinuatione vis maculare Virginē? Quare ergo in principio non dicebas: Idem insinuat S. Bernardinus, & non illud: *Idē tenet, idem dicit?* Adduxisti Bernardinam insinuationem pro tua opinione, scilicèt, quòd habuit fomitē quoad substātiam. Audi ergo nunc insinuationes existentes in eodē Sermone pro nostra sententia. Nam statim in Sermonis initio inquit: *Sicut Sol Oriens mundo, Eccles. 28. Sacramētum gloriosæ Virginis Matris Dei sublimißimum ad reuerendum, deuotißimum ad tractandū, dulcißimum ad contemplandū, hodiè, dilectissimi, proponitur nobis gloriosa equidem dies ista, quæ iubar solaris luminis nobis offert, dum conceptam pronuntiat Dei matrem, &c.* Si ergo dies Conceptionis Mariæ fuit gloriosa, quæ splendore suo pias mentes inflammat, illuminat, & roborat, & sacramentum sublime, reuerendum, deuotissimum, dulcissimū; igitur non cum culpa, atque peccato fuit conceptio illa? Item infrà plus insinuat dicens: *In quibus verbis sapientia Dei describit triplicē gratiosum B. Virginis statum. Primum Conceptionis: Secundum Natiuitatis: Tertium Annuntiationis, primum scilicèt eius Conceptionē dicit esse sicut solē, &c.* Si ergo Bernardinus commendat Conceptionē, sicut Natiuitatem, & Annuntiationem, in quibus nulla fuit macula, aut culpa, & dicit Cōceptionē fuisse sicut Solē, & gratiosam: ergo cum gratia. Et infrà ponens aliam similem insinuationem, dicit: Et de prædictis duobus Propheta ait dicens: *Tu fabricatus es Aurorā, & Solē, id est, B. Virginem in Conceptione eius, & Natiuitate.* Igitur Bernardinus non agnouit, nec insinuauit culpam in conceptione, quam vocat solem fabricatum à Deo. Audi aliam insinuationē. Nam articulus primus est *de quatuor admirandis gratijs, quibus repleta fuit B. Virgo in sua Conceptione*, & sic incipit: *Primus status B. Virginis fuit suæ Conceptionis, & tunc fuit B. Virgo sicut Sol in Aurora consurgens. In hoc statu contemplemur inter alios quatuor eius splendores. Primus dicitur sanctitas. Secūdus claritas, seu luminositas: Tertius charitas: Quartus, tranquillitas.* Possuntnè hæc compati cum insinuatione peccati, seu maculæ originalis? Sed adhuc restant insinuationes maioris momēti. Nam post verba adducta ab Aduersario: *Et hæc fuit in B. Virgine Maria matre Dei*, prosequitur: *Sanè Deus ipse æternus sicut mira sua sapientia creauit omnia: sic illam Benedictā matrem suam talem condidit, & sanctificauit in tempore, qualē eam sanctam elegit in sua æternitate.* Et ad marginē habet: *Virgo concepta fuit sine peccato originali.* Et infrà: De hac Conceptione Anselm. in libro de Concept. Virgin. sic ait: *Decebat vt illius conceptio de matre purißima fieret, ea puritate, qua puritate maior sub Deo nequit intelligi, &c.* Et infrà art. 3. cap. 2. inquit: *Aduertendu est tamen, quòd licet Deus perfecta dispositione dispoßuerit matrem suam, & absque omni culpa seruauerit eā: nihilominus tamen cunctæ paßiones illæ, quæ naturam sine peccato sequūtur, quæ scilicet sunt materia exercendæ virtutis, in ea plenius remāserunt, tàm respectu sui, quàm respectu filij, &c.* Denique quàm plures similes insinuationes videri possunt in illo capite, quod est de impeccabilitate virginis. Alias non insinuationes, sed affirmationes vide Lector, infrà.

Secundò, videamus quid insinuent, vel dicāt illa verba Correctoris Bandelli? *Non modicè, sed effrenatē ridendi sunt, qui in fauorem suum dicunt, &c.* Effrenatè ridetur de aliis, qui effrenatè deridendus erat de se ipso; tum quia adduxit S. Bernardinum ex sola insinuatione, quando expressè, clarè, atque assertiuis verbis nostrā tuetur sententiam. Nam tom. 1. suorum operū Serm. 52. qui incipit: *Cogitabat, &c.* in nouissima impressione tom. 4. Serm. 6. fol. 121. art. 1. cap. 1. loquendo de excellentia B. Virginis, & explicans illud verbum Salutationis Angelicæ: *Aue*, sic ait: *Secundo etiam modo in Virgine per Aue naturæ excellentia denotatur, quia ab alio triplici, ve, immunis fuit, scilicèt cōcupiscentiæ, culpæ, & pœnæ: fuit enim B. Virgo sine primo ve, hoc est, sine tyranno concupiscentiæ peccati originalis, quia sine eo concepta est: sicut teste Salomone Canticorum 4. didicimus, qui ait: Tota pulchra es, amica mea, & macula, scilicèt, originalis culpæ, nō est in te, &c.* Ex his verbis præcipuum nostrum intentum non insinuatur, sed euidenter exprimitur, scilicèt, quòd Maria in sententia Bernardini non solùm fuit concepta absque peccato originali, sed etiam absque tyranno concupiscentiæ; nisi dicamus, quòd adhuc Sancti Bernardini tempore vocabatur concupiscentia parentum, peccatum originale; & sic tunc idem erat dicere: Maria concepta

fuit

fuit cũ peccatò originali, ac dicere: Maria fuit concepta cum concupiſcentia: nunc verò diuerſiſsimas res exprimunt, & ſignificant; ſed quomodocumque ſumatur verba illa, clarè, & expreſsè ſunt prò noſtra ſententia. Alius deniq; expreſſus textus non inſinuatus, deſumitur ex tom. 3. Serm. 49. de Amore Glorioſo p. 1. pag. 290. antiquæ impreſsionis, & in altera fol. 272. col. 1. §. *Dico primo*, & modernæ tom. 3. in die martis poſt Paſcha fol. 427. explicans illud: Inter natos mulierum non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta, vbi inquit: *Et nota illud: dicere, quòd inter natos mulierũ non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta, vult dicere quòd Ioannis Baptiſtæ anima ſit maior omnibus animabus natis ex muliere, & Chriſtus cauet ſe extra, & Virginẽ gloriosam occultè: ſi bene aduertis ſuum eloquiũ, quia dixit: non ſurrexit; quia nullus dicitur leuare, ſeu ſurgere, qui non cecidit in aliquo peccato cõceptionis, nec actualis, & ſimiliter B. Virgo; ideò non ſunt in illa regula, quia non ceciderunt modo iam dicto; ideò non dicuntur ſurgere ſicut omnes cæteri homines, qui ceciderũt, & cadunt ab Adam, citra peccatũ originale. Tamen vtrum B. Virgo fuerit concepta in peccato originali, Eccleſia non damnat, ſed magis pium eſt, credere, quòd non fuerit in peccato concepta, quã credere quod ſic.* Nec hæc eſt inſinuatio, ſed expreſsio. Deindè in confirmationem prædictorum ſunt ibidẽ alia verba, ex Bartholomæo de Sicilia, & Daniele de Purgiliis, à S. Bernardino ſic tranſcripta, & probata: *Et dum pridiè eſſem in monaſterio Carceris, Diœceſis Paduanæ in illo eloquio cum quodã approbatæ religionis virò Domino Fratre Bartholomæo de Sicilia, ibi profeſò reddidit mihi vnam pulchrã rationem, quare nõ erat credendum, B. Virginem fore conceptam ex peccato originali: dixit enim mihi Danieli de Purgilis, ſi bene percepi. Certum eſt, quòd Deus creauit Adã ſine peccato originali ex limo terræ, deindè ex coſta eius creauit Euam, & ſine peccato. Et certum eſt, quòd Chriſtus Incarnatus fuerit Deus, & homo, & fuit maior quàm Adã, & Eua, & maioris dignitatis. Et tantum intereſt inter eos, quantũ inter Creatorem, & creaturam; modò non eſt credẽdũ, quòd ipſe filius Dei voluerit naſci ex Virgine, & ſumere eius carnem, quæ eſſet maculata ex aliquo peccato originali: imò credendum eſt, quòd voluerit ſumere carnẽ ex carne puriſſima, & quod eius mater fuerit pluſquã Eua, & Adã, qui creati fuerunt ſine peccato originali: quæ ratio mihi valdè applauſit, &c.* Hęc Bernardinus. Corrector ergò, qui ita effrenatè riſiſti pro tuis tribus inſinuationibus, vide, an pro his debeas effrenatè plorare!

Tertio notanda ſunt illa verba: *Mirabile eſt, quòd cùm ad roborandã hanc opinionẽ multi libri falſificati ſint, &c. Ex quibus ipſorũ falſitas, & grauiſſimum ſcelus deprehendi poterat, &c.* Redarguit nos iſte bonus vir, & vocat ore pleno fallarios, & ſceleratos, quia multos libros tàm impreſſos, quàm manuſcriptos vitiamus, & ex his multis libris in toto ſuo opere ſignat ſolum tres, ſcilicèt, in Ægio Zamorenſi poſito ſupra n. 5. vbi oſtendere nititur, quòd vnum aduerbium fuit in ipſo vitiatũ, nam loco *cum* poſitum fuit, *ſine*. Quo verò fundamento, & veritate hoc dixerit, iam ibi manet explicatum. Secundò, adducit Nicolaum de Lira, cuius quædã auctoritas eſt corrupta, quia additum fuit hoc verbum, *& matrẽ eius*, de quo nos infrà n. 226. Tertio, notat, quòd in Roberto Holkot addita fuit quædã integra columna, quòd an ſit verum, nec ne, ſuo loco exactiſsimè ſecũdùm veritatem ventilabitur: videat ibi Lector; nam pro nunc ſolùm noto, quòd illi multi libri falſificati, tàm impreſsi, quàm manuſcripti reducũtur ſolùm ad tres, in quibus ſunt tantũ duo verba, & vna clauſula vitiata; & ſi hoc eſt mirabile, & de hoc effrenatè reſiſti, ridè, vel luge etiam effrenatè, quia in omnibus Doctoribus pro veſtra opinione adductis mirabilia ſunt teſtimonia veſtra; ideò ſcrutata eſt ea anima mea, & ferè nulla eſt auctoritas in ipſis, quæ non ſit vitiata, & adulterata, vt in hoc Ventilatione mathematicè, & euidenter demonſtratur. Ipſam attẽtè lege, & ride, quia fortè erit riſus Sardonicus, vel riſus dolore miſcebitur. Denique audi, quid dicat Bernardinus de Buſto, Serm. 4. de Conceptione p. 3. fol. 47. col. 1. *Hanc eãdem opinionem tenet, & mirabiliter probat S. Bernardinus in tractatu de Conceptione ipſius Benedictæ Virginis, quem ego vidi Senis, & videtur eſſe ſcriptus manu propria ipſius Sancti, &c.* Et adducit teſtem Fr. Bernardinũ de Caimis. Hoc ego credo, ſed cũ eſſem Senis in cella S. Bernardini, quemodo eſt Oratorium, inter libros huius Sancti manuſcriptos Tractatum iſtum de Conceptione inuenire nõ potui, fortè ab aliquo deuotionis, vel alterius cauſa fuerat ſublatus, ſicut fecerunt, de Tractatu B. Ioannis Capiſtrani eiuſdem aſſumpti. Concludamus, S. Bernardinum Senẽſem, Franciſcanũ, cum verbis Ambroſii Catharini, Dominicani, etiam Senenſis in 2. opere de immacul. Concept. lib. 1. fol. 26. ad finem: *Producunt autem B. Bernardinum de Senis, quorũ dicta etiam facilè ſolui poſſent. Sed quanti obſecro, illum faciunt in hac quæſtione, quem tamen in nonnullis reprehẽdunt; & de cuius ſanctitate etiam quidã ex ipſis dubitant, qui, vt meis auribus audiui, adhuc repoſcunt ab eo Manfredi famam. Hæc autem ad homines loquor, qui, quos volunt, Sanctos recipiunt, quos autem volunt, in dubium vocant, &c.* Hæc dicit vnus ex ipſis, & veriſsimè, vt ex toto hoc ventilabro conſtabit, in quo canonizant, ſeu beatificant decem & octo, ſeu potiùs viginti ſolùm, quia in ipſorũ phantaſia maculabant Dei Matrem.

BERNARDVS Abbas, & Sanctus, in Serm. Assumpt. Dominæ nostræ, & in alio eiusdem Assumpt. & in Serm. Vigiliæ Natiuitatis, & in Epistol. ad Lugdunenses, & in multis aliis locis. *Turrecrem. part. 6. cap. 7. & 8. & 9. & 10. à fol. 90. Anonym. ratione 9. Auctor. 43. & auctoritate 32. & 33. & Bandel. cap. 17. & in Offic. Lectione 1. 2. & 3. Deza fol. 26. Spina part. 6. cap. 2. Caietan. fol. 72. Petrus de Vincent. Capreol. Gryfald. Castellan. Brixien. Soncinas, Barelete, Canus, S. Antoninus, Sotomaior, Iustin. Miechouien. Arpalleg.*

VERITAS 44.

IN Hac materia mellifluum, ac sanctissimum Ecclesiæ Patrem, tanquam primũ, ac præcipuum suæ opinionis Antesignanum, adducunt Aduersarii Bernardum, cuius opera fuerunt millies typis mandata. Vidimus editiones Parisien. anno 1517. & 1540. & 1547. apud Hugonẽ, & 1587. & Lugdunẽs. 1520. & 1538. Basilien. 1494. Argẽt. 1497. & nouissimas Parisiens. 1632. & 1648. in quatuor tomis, sed qua veritate, ac fidelitate ipsum adducant, hoc opus, hic labor. Et in primis ille doctissimus Magister Sacri Palatii, Bartholom. Spina par. 7. cap. 6. in illo suo libro de Vniuersali corruptione, affirmat, S. Bernardũ vixisse post S. Anselmũ per 130. annos, sed vide, quomodo hoc potuerit esse, si S. Anselmus migrauit è vita ann. 1109. & Sanctus Bernardus ann. 1153. At quando Spina dixit veritatem? Sed iam accedamus ad auctoritates, quas adducunt.

Primam sic: Idem tenet Beatus Bernardus Abbas, &c. in Sermone Assumptionis, qui incipit: *Intrauit Iesus in quoddam Castellum. Fortè*, inquit, *curiosus quisque requirat, cur in præsenti Euangelica Lectione nulla prorsus Lazari mentio fiat? Arbitror quidem, sanè non is à proposita similitudine dessidere; virginalem etenim domum intelligi volens per Castellum; Spiritus Sanctus siluit non incõgruè pœnitentiam, quæ malum vtique actuale concomitatur. Absit enim, vt proprii quidquam inquinamenti domus hæc aliquando habuisse dicatur, vt in ea proindè scopa Lazari quæreretur. Quòd & si originalem à parentibus maculam traxit, sed non magis à Ieremia sanctificatam, aut non magis à Ioanne Spiritu Sancto repletam credere prohibet pietas Christiana. Nec enim festis laudibus nascens honoratur, nisi sancta nasceretur. Postremò cum omnimodis constet, ab originali contagio sola Dei gratia mundatam esse Mariam, quippè cum & nunc in baptismate solam hanc maculam lauet gratia, & sola eam raserit olim petra circumcisionis, vt omninò pium est credere, proprium Mariæ delictum non habuit; ideò ab innocentissimo corde eius pœnitentia longè: sic ergo Lazarus apud eos quorum necesse est, conscientias ab operibus mortuis emundari, secedat inter vulneratos dormientes in sepulchris, vt in thalamo virginali inueniatur Martha, & Maria tantum. Hæc ille.* Sic hanc auctoritatem adducit Anonymus, atque etiam Turrecremata aliquibus parui momenti mutatis. Bandellus verò, ac Deza sic: *Beata*, inquit, *Maria omnimodè constat, ab originali peccato sola Dei gratia, priusquam nasceretur, fuisse mundatam. Hæc ille.* Auctoritas verò Bernardi vera, & propria in Serm. 2. de Assumptione, qui incipit *Intrauit Iesus*, colum. 250. littera F. sic se habet: *Sed fortè curiosus quisquam requirat, cur in præsenti Euangelica lectione nulla prorsus Lazari mẽtio fiat? Arbitror sanè, nè id quidèm à proposita similitudine dissidere. Virginalem etenim domum intelligi volens Spiritus Sanctus, siluit non incongruè pœnitentiam, quæ malum vtique comitatur. Absit enim, vt proprij quidquam inquinamenti domus hæc aliquando habuisse dicatur, vt in ea proindè scopa Lazari quæreretur. Quòd si originalem à parentibus maculam traxit, sed minus à Ieremia sanctificatam in vtero, aut non magis à Ioanne Spiritu Sancto repletam credere prohibet pietas Christiana. Hæc enim festis laudibus nascens honoratur. Postremo cum omnimodo constet ab originali contagio sola gratia mundatam esse Mariam: quippè cùm & nunc in baptismate sola hanc maculam lauet gratia, & sola eam raserit olim petra circumcisionis, vt omninò pium est credere, proprium Mariæ delictum non habuit: nihilominus ab innocentissimo corde etiam pœnitẽtia longè fuit: sit ergo Lazarus apud eos, quorum necesse est, ab operibus mortuis conscientias emundari: secedat inter vulneratos dormientes in sepulchris, vt in thalamo virginali inueniantur Martha, & Maria tantum, &c.* Si ergo hanc Bernardi auctoritatem conferas cum supra adducta ab Aduersariis, prætermissis illis verbis, quæ parui momenti sunt, & in grammatica deficientibus (quia fortè processerunt à Typographorum iniuria) principaliora vitia sunt sequentia. Primò, addiderunt verbum illud, *per castellum*. Secundò, vbi Bernardus: *quæ malum vtique comitatur*, ipsi sic: *quæ malũ vtique actuale comitatur*, addẽtes illud, *actuale*, & hoc aduertenter, vt subsequens Bernardi oratio non videretur auferre à Virgine omne malum, seu inquinamẽtũ, sed solùm actuale. Nam subsequentia Bernardi verba: *absit enim, vt proprij quidquã inquinamenti domus hæc aliquãdo habuisse dicatur*, indicabant omne inquinamentũ exclu-

excluſum fuiſſe à Virgine, propter illas vniuerſales, *proprij*, & *quidquā*, & *aliquando*, quia ſi aliquando non habuit inquinamentū: ergo nunquā: ſi non habuit quidquā inquinamenti: ergo nec originalis: ſi non habuit propriam maculam: ergo nec primam: Vt ergo illas vniuerſales voces reſtringerent tatum ad inquinamenta actualia, ex proprio cerebro addiderunt illud, *actuale*. Tertiò, malitiosè ſatis vitiarunt illa Bernardi verba: *Quòd ſi originalem à parētibus maculam traxit*, dicentes ſic: *quòd & ſi originalem, &c.* Addentes illam particulā *Et*, quo aduerbio propoſitionem conditionalem, & dubitatiuam Bernardi, fecerunt abſolutè, affimatiuam. Quartò, etiam adulterarunt illud Bernardi: *Non minus à Ieremia*, legentes: *Non magis à Ieremia*, vt ſic indicarent, quòd Maria non fuerat *magis* ſanctificata in vtero, quàm Ieremias. Ideò quintò, prætermiſerunt illud verbum Bernardi: *In vtero*. Sextò, totaliter vitiarunt illam Bernardi clauſulam: *Hæc enim feſtis laudibus naſcens honoratur*, legentes ſic: *Nec enim feſtis laudibus naſcens honoraretur, niſi ſancta naſceretur*; faciunt enim diuerſum ſenſum, & penitus vitiatum. Septimò, loco illius: *Ab originali contagio*, ſcripſit Bandellus: *ab originali peccato*. Contagium enim latiùs patet; nam hoc ſecundùm Doctores, eſt in carne, in concupiſcentia, & inſenſualitate parentum, &c. à quibus transfunditur, & contaminatur caro ſeminata: peccatum verò neceſſariò eſt in anima; ideò Bandellus ad auferendam omnem interpretationem, more ſuo, illa duo verba; vniuerſale contagium, mutauit in illa: originale peccatum. Octauo, addidit etiam illa verba: *priuſquam naſceretur*, quæ in Bernardo non extant, vt ſic totaliter clauderet aditum ad veram intelligentiam auctoritatis Bernardi, & ſignificaret, quòd Maria non fuit ſanctificata ab vniuerſali contagio in ſua Conceptione, ſed ab originali peccato, & hoc ſignatè: *priuſquam naſceretur*. Si ergo in vna ſola auctoritate notiſsimi Auctoris, & Sancti ſunt octo adulterationes capitales, quarum quælibet mutat penitus orationis ſenſum: igitur præuiderunt, quòd Bernardi verba, vt extant in ſuo originali, parum, vel nihil fauebant ſuæ opinioni. Loquitur enim ibi Bernardus clarè, & expreſsè de peccato actuali, cuius pœnitentia eſt remedium; & ſic circa peccatum originale loquitur ſub conditione, ſeu ſuppoſitione, quòd ſi etiam illud contraxiſſet à parentibus, cùm in vtero fuerit ſanctificata, nec peccauit actualiter, nec indiguit pœnitentia: conditionalem verò clarè exprimit dicens: *Quòd ſi originalem, &c.*

Secundam ſic adducunt: Item idem in alio Sermone Aſſumptionis: *Beata*, inquit, *Virgo hac ſingulari prærrogatiua in concupiendo refulget, quia filium non in iniquitate, quemadmodum cæteræ omnes, ſed ſuperueniente Spiritu Sancto ſola de ſanctificatione concepit. Hæc ille.* Ex hac auctoritate colligitur, quòd Aduerſarii, vel non legebant Sanctos Patres, vel ex aliquo corruptiſsimo manuſcripto, vel intentione, aut ignorantia claudicantes, currente calamo, & ſine diſcurſu hæc tranſcribebāt. Quòd patet; quia cùm Bernardus habeat quinque Sermones Aſſumptionis, in nullo extat talis auctoritas Sed in Sermone de Verbis Apocalypſis, qui incipit: Signum maganum: poſt medium, columna mihi 265. litt. A. ſic extat auctoritas; *Excellentiſsimum nobis Virginis noſtræ meritum, & ſingularis gratia commendatur. Nihilominùs fulget etiam nouus ille Conceptionis modus, vt non in iniquitate, quemadmodum cæteræ omnes, ſed ſuperueniente Spiritu Sancto ſola, & de ſola ſanctificatione Maria conciperet.* Quoad litteram tota auctoritas eſt vitiata, vt ex ipſa patet: quoad ſenſum ſimiliter; nā hic agit Bernardus de Conceptione actiua, & Verbi Diuini Incarnatione, & ſic abſque vllo, vel minimo fundamento adducitur, imò potiùs ex ipſa colligo ſequentia. Primò, quòd Bernardus generationem, ſeu adminiſtrationem materiæ vocat conceptionem. Secundò, quòd iniquitas, de qua hìc loquitur, eſt illa delectatio carnalis, cūcupiſcentia, ſiuè libido, quæ in omnibus fœminis tempore conceptionis viget, ſecundùm antiquorum modum loquendi; ſed ſecùndum modernorum, & proprium eſt in generatione actiua. Prærrogatiua ergò Virginis, ſecundùm propoſita varba Bernardi, fuit in illo nouo Conceptionis, ſeu generationis modo, quia ipſa non concepit, id eſt, generauit, in iniquitate, libidine, atq; delectatione ex viro, & coitu, ſicut omnes cæteræ fœminæ, ſed ex ſuperueniente Spiritu Sancto, in quo ſola, & vnica fuit: & iuxta hunc modum loquendi, hæc propoſitio: Maria concepta fuit in iniquitate, quemadmodum cæteræ omnes fœminæ, in Bernardo nihil dicit contrà Immaculatam Cōceptionem. Tertiò, noto illud: *De ſanctificatione concepit*, & interrogo, quid ibi ſignificat ſanctificatio? Nam ſi illam ſumit pro ſanctificatione fœtus, vel prolis, eſt falſa; quia etiā Ioannes, & Maria ſanctificati fuerunt: ſi ponis ſanctificationem in ipſa actione, ſcilicèt, in ipſa generatione, vel conceptione, iam ſanctificatio non ſupponit maculā, quia affirmas, Chriſtum in ſua generatione, atque Conceptione fuiſſe ſanctificatum, in quibus nec fuit, nec potuit eſſe culpa. Si conſtituis ſanctificationem in materia, quaſi diceret Bernardus: ſola Maria de re ſanctificata concepit, ſeu fœtum ſuum genuit ex ſemine ſanctificato, nec ibi ſanctificatio appellare poteſt ſupra aliquam maculam, quia nullam habuit puriſsima materia Deiparæ, & ſic concedis quòd in ſemine potuit eſſe ſanctifica-

ſica-

ficatio: Si denique sanctificatio cadit suprà causam agentem, id est, super Mariam, nec Maria fuit sanctificata à peccato originali tempore Incarnationis, neque ab aliqua vlla macula: igitur hìc sanctificatio necessariò debet sumi pro sanctificatione, vbi nulla præcesserat culpa, macula, vel peccatum. Et hoc notare debes, quia Aduersarii vbicumque audiunt sanctificationē, existimant iam suum esse cōclusum intentum, præsupponētes, quod sanctificatio semper supponit culpam, & maculam; quod nimis absurdum est.

Tertiam auctoritatem sic adducunt: Item in Sermone B. Ioannis Baptistæ: *Attende*, inquit, *obsecro diligenter, quàm ordinata dispositione Spiritus ille multiplex Ieremiam sanctificat, replet Ioannem, & superuenit in Mariam, Et Ieremiæ quidem admiranda sanctificatio, quia & si in peccato conceptus est, nascitur tamen sine peccato: Ioannem verò lōgè glorioſior virtus repleuit, quoniam sanctificatus est à peccato, & ita dominante Spiritu superinfusus, vt purgatus exeat, & repletus. Ineffabiliori autem modo Spiritus Sanctus superuenit in Virginem, quam tota Deitatis plenitudo, sine mensuræ discretione perfudit, vt non solū à peccatis abluta, & repleta Spiritu, sed & de Spiritu Sācto. Vides quā remotiori priuilegio, speciosus forma præ filiis hominū in Cōceptione ab alijs discretus sit? Illi etenim in peccatis, & de peccatis cōcepti sūt, hic de Spiritu, & in Spiritu Sācto cōcipitur. Hæc ille.* Hæc auctoritas extat in Serm. qui incipit: Hodiè dilectissimi, col. 1685. litt. E. Sed in multis vitiata; nā loquēdo de Ieremia, prætermiserūt integram clausulam, ac similiter in discursu de Ioanne omiserunt aliam orationem: quando verò loquitur de Virgine, sic inquit: *Ineffabiliori enim modo superuenit in Virginem, quam tota Diuinitatis plenitudo sinè mensuræ discretione perfudit, vt totum caperet, qui fecit totum, vt non solùm à peccatis abluta, & repleta Spiritu Sancto, sed & de Spiritu Sancto concepisse credatur: quia quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est. Inde, est quod singulari prærogatiua fides Catholica Filium Dei natum de Virgine, conceptum de Spiritu Sancto confitetur, vt Diuinitatis, & humanitatis indiuisibilis adunata connexio, vocabulorum ind fferentia designetur. Vides ergo, quàm remotiori priuilegio speciosus forma præ filiis hominum, à filijs hominum in concipiendo discretus sit? Illi etenim in peccatis, & de peccatis cōcepti sunt, hic in Spiritu, & Spiritu Sancto concipitur. Hæc sanè dicta sunt de cōceptione Ioannis, &c.* In huius auctoritatis parte sunt alia vitia alicuius momēti. Nā primò prætermiserunt illud, *Sancto*. Secundò, illud, *cōcepisse credatur*, vt conceptionem actiuam in illis verbis expressam occultarent. Tertio, propter eandem causam tacuerunt quatuor illas lineas, à verbo, *quia*, vsque *distingueretur*. Quarto, vbi Bernardus: *In concipiendo*, ipsi latis a veritate deuiantes, *in Conceptione*, vt sic nō tantùm actionem, de qua loquitur Bernardus, sed etiam comprehenderent terminum, id est, factum, conceptum, & conceptionem completam in actu: & hæc de littera. Quantum ad sensum verò. Ex ipsis verbis colligitur, quod totum assumptum huius auctoritatis est probare, Verbum Diuinum conceptum fuisse de Spiritu Sancto, ac ineffabiliori modo, quàm Ieremias, ac Ioannes, quia illum Maria concepit, & peperit à peccatis non solùm abluta, sed & repleta Spiritu Sancto, quod non habuerunt Matres Ieremiæ, & Ioannis, sed quid hæc cum Conceptione passiua Mariæ? Quando expressè loquitur Bernardus, de conceptione Ieremiæ, & Ioānis, vt indè transeat non ad Conceptionem Mariæ, sed ad Christi Conceptionem? Quare nō inuenio, à quibus verbis ex præallegatis ducant suam consequentiam Aduersarii, nisi fortè velint ex illis: *à peccatis abluta*: sed ex his tenebantur concedere in Maria non solùm peccatum originale, sed etiam alia, quia loquitur in plurali, *à peccatis*. Deindè quando fuit illa ablutio? si tempore Incarnationis est falsum: si propriæ Conceptionis, hoc non admittit textus. An fortè dicent, quod deducitur ex illis: *Illi etenim de peccatis, & in peccatis concepti sunt.* Sed hæc generalia sunt verba, & loquuntur de generatione ipsa Ioannis, & Ieremiæ (quam Bernardus vocat semper conceptionem) vt denotant illa vltima verba. *Hæc sanè dicta sunt de conceptione Ioannis, &c.*

Quartam auctoritatem sic: Item, idem in Sermone Ioannis Baptistæ, qui incipit: Hodie dilectissimi, illuxit dies, sic dicit: *Quicumque de massa præuaricatrice mundum ingreditur, pestem originalis peccati nobiscum trahimus, solus ille, qui peccatum non fecit, excipitur, quem Virginis aluus, ignorante viro, terris effudit. Hæc ille.* Vera autem auctoritas Bernardi in præallegato Sermone de S. Ioanne ante auctoritatem supra positam litt. B. sic se habet: *Quicumque de massa præuaricante mundum ingredimur, longam restem originalis peccati nobiscū trahimus: solus ille, qui peccatum non fecit, excipitur, quem virginalis vteri thalamus ignorātis virum terris effudit. Lōge quippè aliter, &c.* Vt in auctoritate sequenti, in qua breui auctoritate adulterarunt. Primò, vbi Bernardus, *præuaricante*; ipsi, *præuaricatrice*. Secundò, vbi Bernardus, *ingredimur*; ipsi apposuerunt, *ingreditur*, vt in tertia persona vniuersaliorem redderent propositionem, & nullum exciperēt. Tertiò, prætermiserunt vocē illam, *longam*. Quartò, vbi Bernardus, *restem*, ipsi scripserunt, *pestem*. Quare autem hoc fecerint, ipsi videant; nam restis, significat funem, & quasi obli-

obligationem ſucceſsiuam peccati; *peſtis* verò ſignificat contagium contractum, vel contrahendum. Circa ſenſum vide ſequentem auctoritatem.

Quintam ſic adducūt: Item idem in eodem. *Cùm omnes homines, præter Chriſtum, in iniquitatibus concepti ſint neminem mortalium infra materna viſcera legimus ſanctificatum, præter Ieremiam, & Ioannem Baptiſtam, quamquam de ſingulari Virgine nulla ſit ambiguitas, quin & ipſa maternis circumſepta viſceribus, ſublimiori ſanctificationis gratia mundata ſit, vt non ſolum à peccatis ablata, & repleta Spiritu Sancto, ſed & de Spiritu Sancto, poſteà filium concepiſſe credatur. Vides ergo, quàm ſingulari prærogatiua, & remotiori priuilegio ſpecioſus forma præ filiis hominum in conceptione ab alijs diſcretus ſit? Illi etenim in peccatis, & de peccatis cōcepti ſunt; hic de Spiritu Sancto, & in Spiritu Sancto cōcipitur. Hæc ille.* Hucuſque Aduerſarii. Sed Bernardi verba, poſt vltima poſita in antecedenti auctoritate, & verbum illud, *effudit*, ſic immediatè proſequitur: *Longè quippè aliter quàm nos, & deſsimili modo conceptus eſt, Spiritu Sancto tota Maieſtate Virginem inundāte, ſuperans vſum carnis, naturæ ordinē, viri commixtionem; ſic quippè decebat, vt peccatum neſciret, qui peccatum tollebat, vt ſimilitudinem carnis peccati ſuſciperet; non autem carnem peccati. Cùm igitur omnes in iniquitatibus concepti ſint, neminem vnquam mortalium intrà materna viſcera ſanctificatum legimus, præter Hieremiam, & Ioannem Baptiſtam, quāquam de ſingulari Virgine nulla ſit ambiguitas, quin ipſa maternis circumſepta viſceribus, ſublimiori ſanctificationis genere mundata ſit, vtpotè Sanctuarium illud, in quo Deus, & Dei Filius carnem fuerat ſuſcepturus, ſed longè minor Hieremiæ ſanctificatio, &c.* In hac auctoritate primū vitiū ſit, quod ex vno Sermone & ex vna columna, & auctoritate in ipſa ſucceſsiuè ac cōtinuè poſita; augēdo, prætermittēdo, & adulterando in toto, vel in parte, tres copoſuerunt Aduerſarii auctoritates diſtinctas, ſcilicèt, Tertiam, Quartā, & hanc Quintā, volentes ſic ex vno indiuiſibili Bernardi grano tres diſtinctas componere ſpicas contra Immaculatam Virginis Conceptionē. Si non credis, ò Lector! veritati, vide tu ipſe Bernardum, qui duos Sermones habet de Natiuitate S. Ioannis. Primus incipit: *Sit procul ab his.* Et extat colum. 215. at in hoc nihil inuenies pro hac materia. Eſt verò alius, qui extat colum. 1684. Et incipit: *Hodiè dilectiſsimi*; & in vna columna ſola circa principium inuenies tres ſupra poſitas auctoritates. Secundò, prætermiſerunt totam primam orationem ab illo verbo, *Longè quippè*, vſque, *peccati.* Tertiò, addiderunt illud, *Cum omnes homines, præter Chriſtum, in iniquitatibus conceptiſint.* Quæ verba non extant in Bernardo, ſed fuerunt addita, vt eſſent baſes aliarū, quia abſque illis ſinè fundamento erat tota auctoritas. Quartò, vbi in textu, *ſanctificationis genere*, ipſi apposuerunt, *ſanctificationis gratia:* Sunt enim valde diuerſa; nam Bernardi verba indicant, quòd Virgo Maria fuit in vtero ſanctificata alio excellentiori ſanctificationis genere, quàm Ioannes, & Ieremias; nō autem eſſet aliud ſanctificationis genus, ſi eſſet ſanctificata poſt culpam, ſicut fuerunt ipſi: nam ſanctificari poſt ſex menſes, vel poſt ſex dies, vel poſt ſex horas, non variat genus ſanctificationis; nam Ioannis, & Ieremiæ non fuit aliud ſanctificationis genus, quia in vtroque fuit poſt culpæ cōtractionem. Mariæ fuit diuerſum genus, quia ante contractionem in actu, & formalem, licèt non in radice, & cauſalem: Chriſti verò diuerſiſsimum fuit genus, quia omnibus modis in effectu, in cauſa, in actu, & radice, in actione, termino, & matre, &c. Quintò, ad illa verba: *Sanctificationis gratia mundata ſit*, continuo, & ſucceſsiuo calamo, quaſi eſſet vna integra oratio, addiderunt Aduerſarii illa: *Vt non ſolùm à peccatis ablata, &c.* Quando hæc verba diſtant in Bernardo inter ſe per triginta integras lineas. Sexto, illa verba: *Vides ergo, &c.* quæ adduxerant in tertia auctoritate, vt ſupra vidimus; iterum hic repetunt, licèt in aliquibus variata, fortè vt non cognoſceretur à legentibus eſſe vnam; & eandem auctoritatem: ſi ergo in vna auctoritate Bernardi, quamuis ab ipſis triplicata, duodecim inueniuntur capitalia vitia, opus non erat explanatione. Dico tamen breuiter, quòd Bernardus ſolùm intēdit in omnibus præallegatis verbis ſtabilire differentiam Conceptionis Verbi à conceptione aliorum hominum; ex eo quòd Chriſtus de Spiritu Sancto, & in Spiritu Sancto conceptus fuerit. Illa autem vltima verba, quæ in toto hoc Bernardi Sermone reſpiciunt Conceptionem paſsiuam Virginis; *Quamquam de ſingulari Virgine nulla ſit ambiguitas, quin & ipſa maternis circumſepta viſceribus ſublimiori ſanctificationis genere mūdata ſit* (quam clauſulam nec in apice alterarunt Aduerſarii, quia expreſſam iudicarunt eſſe pro ſua ſententia) ex ſe ſolùm dicunt, quòd Maria in vtero fuerit mūdata ſublimiori ſanctificationis genere, quā Ioannes, & Hieremias: hoc eſt, quod dicunt, & ſignificant, nec aliquid ampliùs poſſunt ex ipſis exprimere Aduerſarii. Ipſi ſic pro ſua opinione argumentantur: ſi mundata fuit in vtero per ſanctificationem: ergo ab aliqua macula, & culpa fuit mundata, non enim dicitur mūdari, niſi quod immundum eſt. Optimè argumentatis, ò Patres! quia veritas ſuper omnia. Sed nos pro noſtra ſententia aliam deducimus illationem ex eiſdem Bernardi verbis: Maria ſanctificata fuit in vtero ſublimiori ſanctificationis genere,

quam

quam Ioannes, & Hieremias, isti fuerunt mundati post culpæ contractionem, quando macula iam fuerat in anima: ergo Maria fuit mundata in carne, siuè causa ante maculæ contractionem. Alias non esset sanctificata sublimiori sanctificationis genere, nec ipsa diceretur in hac materia singularis. Nam quod Maria fuerit sanctificata post vnam horam, Ioannes post mille, & Hieremias post duo milia, non variant genus, imo neque speciem. Scitis enim illud: magis, & minus non variant speciem. Vos explicatis Bernardum; sed non piè pro Virgine exprimitis illud: *mundata*, sed illud: *sublimioris sanctificationis genere*, vos dicitis fuisse sanctificatam, sed non singulariter quia Ioannes, & Hieremias, fuerunt illo modo etiam sanctificati. At nos admittimus totam litteram Bernardi; nam dicimus fuisse mundatam, sed in carne, seu embryone, in ipsâmet animæ infusione, quia ibi erat fomes relictus ex concupiscentia parentum, & contagium commune; & sic sublimiori sanctificationis genere, quia illud mundari in carne, fuit sublimior genus sanctificationis, quàm sanctificari in anima post culpæ contractionem, ac per consequens dicimus fuisse eius sanctificationem singularem: ergo nostra expositio præferenda est. Et si adhuc restat in verbis Bernardi, vel inter nos aliqua ambiguitas, non Cæsarem appello, sed Summum Pontificem.

Sextam auctoritatem sic adducunt: Item, ad idem est Bernardus in Sermone Vigiliæ Natiuitatis Domini, qui incipit: Hodiè quoque Sermonem Ordinis nostri consuetudo. Loquens de Conceptione D. N. Iesu Christi ita dicit: *Intuere, obsecro, quale sit illud, quàm nouum, quã admirabile, quàm iucundum: quid enim pulchrius, quam conceptio casta? glorioſius, quàm sancta & syncera conceptio, in qua nihil pudoris est, nihil sordis, vel corruptionis?* Nota, ò Lector! hanc insignem auctoritatem, ad probandum Sacratissima Dei Matrem fuisse in originali peccato conceptam! o bone Deus! S. Bernardus habet sex Sermones de Vigilia Natiuitatis Domini à colum. 36. vsque 51. & in 4. col. 46. litt. A. extat proposita auctoritas: Sed attende ad eius principium: *Denique primam eius medicinam, primum, quod in sinistra portat, attende, & conceptum inuenies sine semine. Intuere obsecro, quale sit, &c.* Et prosequitur sicut in auctoritate, sed no absque aliquibus vitiis, & præcipuum fuit auferre illud; *Et conceptum inuenies sine semine*: Ex quibus colligebatur mens Bernardi in hac, & sequenti auctoritate. Sed si non est hæc ad probandum Aduersariorum intentum, est tamen ad comprobandum nostrũ secundum assumptum, scilicèt, quòd antiqui Patres (& præcipuè Bernardus semper, & vbique) ipsam generationem parentum, in qua amittitur castitas, & sunt pudor, sordes, & corruptio matris, vocabant ore pleno Conceptionem, ac per cõsequens, indecentias ac spurcitias illius generationis appellabant peccata, iniquitates, & his similia, vt videbimus in sequenti & aliis.

Septimam auctoritatem sic adducunt: Et infra: *Conceptus est iste non modò glorioſius in ipsa quasi exteriori specie, sed precioſius ex interiore virtute, vt (secundùm quod scriptum est) in sinistra Domini diuitiæ, & gloria similiter inueniantur: diuitiæ namque salutis cum gloria nouitatis. Quis enim potest facere mundum de immundo conceptum semine, nonne tu, qui solus es? Sine omni illicita, & immunda, conceptus est voluptate. In ipsa radice, & origine mea infectus & inquinatus sum, immunda est conceptio mea; sed est in quo tollatur ista confusio. Ipse enim tollit, in quem solùm ipsa non cadit. Diuitias salutis habeo, quibus redimam propriæ conceptionis impuritatem, Christi purissimam Conceptionem.* En altera auctoritas (quæ solùm distat à præcedenti per tres lineas) in qua sunt decem & octo vitia, licèt non magni momenti, & in super est gratis adducta, & sine vlla substantia ad probandam suam conclusionem. Nisi velint dicere, quod hic Bernardus loquebatur in persona Virginis Mariæ, & quòd illa, quæ Bernardus de se dicit, debẽt intelligi de Virgine (quod esset summum delirium) nescio quomodo hæc verba coaptari possint Conceptioni virgineæ? Quod vero euidenter deducitur ex hac auctoritate, est, quod Bernardus generationem, in qua est seminis effusio, voluptas, & libido, seminumque commixtio, siuè licita, siuè illicita, semper tamen immundam vocat Conceptionem, radicem, & originem, in qua ipse infectus, & inquinatus fuit, & hanc appellat etiam, *propriæ Conceptionis impuritatem*. Ista patent grãmaticaliter ex verbis Bernardi. Vndè deduco, quòd si aliquis modo diceret: S. Bernardus affirmat, Virginem Mariam fuisse conceptam de immundo semine, cum illicita, & immunda voluptate, in ipsaque radice, & origine sua fuisse infectam, & inquinatam, ita, vt impura, & immunda fuerit ipsius propria Conceptio. Dicerent, auditores, Bernardum clarissimis, & expressis verbis sustinuisse opinionem contrariã, & tamen in Bernardo nihil dicunt, nec probant contra Immaculatam Conceptionem, quia ipse non loquitur de Conceptione, seu animatione, sed de generatione parentum, quã ipse vocat semper Conceptionem, quia ex illa genitus est, atque de illa concipitur homo post quadraginta, vel ampliùs dies. Sicque antiquorum Patrũ verba examinanda sunt in ipso fonte, & non ex apparentia, & facie in illis indicandum. De sensu vide sequentem ad finem.

Octauam auctoritatem sic adducunt. Et infra

fra in eodem: *Habes adhuc maiores diuitias, habes gloriam ampliorem, mater est sine corruptione virginitatis, filius sine omni labe peccati, non cadit in matre Euæ maledictio: non cadit in prole generis ista conditio, de qua dictum est per Prophetam: Nemo mundus à sorde, nec infans, cuius est vnius diei vita super terram, ecce infans sine sorde solus, inter homines verax, imò est veritas ipsa: Ecce Agnus Dei sine macula, Agnus Dei qui tollit peccata mundi. Quis enim melius peccata mundi tolleret, quàm ille, in quem peccatum non cadit? Iste sine dubio lauare me potest, quem constat inquinatum non esse. Hæc manus opertum luto detegat oculum meũ, quæ sola sine puluere est. Item festucam educat de oculo, qui non habet talem in suo, imò ipse trabes educat de meo, qui nec exiguum puluerem habet in suo. Hæc Bernardus.* Et hæc ex ipso Aduersarii, & quæ tu, ò Lector! inuenies in operibus Bernardi Serm. 4. in Vigilia Natiuitatis, qui incipit: *Hodiernum quidem*, colum. 45. à quo tres istæ auctoritates, Sexta, Septima, & Octaua desumptæ fuerunt cum aliquibus tamen vitiis, & relictis illis parui momenti, præcipuæ adulterationes sunt sequentes. Prima, quòd post illum verbum vltimum in secunda auctoritate, *purissimam Conceptionem*, callidè truncarunt auctoritatem, vt sic prætermitterent sequentia verba Bernardi, quæ talia sunt: *O Beata sola inter mulieres benedicta, & non maledicta, sola à generali maledictione libera, & dolore parturientium aliena*: quia in his verbis videbant Bernardum vocasse Mariam *non maledictam*, absolutè, & absque vllo addito, vel coarctatione *& solam à generali maledictione liberã* (nota qualis est illa maledictio generalis) *& dolore parturientiũ alienam.* Si ergo hæc sola Bernardi verba plus ponderent pro nostra sententia, quàm alia adducta ab Aduersariis in relatis tribus auctoritatibus, tu Lector cõsidera. Secundò, etiã eadẽ intentione abstulerunt alia eiusdẽ grauitatis, quæ talia sunt: *Itaque vt fiduciam nobis daret, quòd tolleret hæc à nobis, prius matrem suam immunem, vt nec in conceptu quidquã pudoris, nec in partu quidquã doloris existeret:* Volebãt enim quòd in omnibus suis libris non legeretur verbum illud protestatiuum nostræ sententiæ, scilicèt *immunis*, nisi impugnando illud, vt nouũ, fantasticum, & nunquam apud antiquos Patres visum. Et si dixeritis, quòd hìc loquitur Bernardus, non de immunitate absolutè, sed de immunitate circa Conceptionem actiuam, quare adduxistis omnia hæc pro Conceptione passiua? Tertia verò, & principalis adulteratio maxima, atque solemnissima inter omnes in Ventilatione à veritate detectas, hæc est: Nam cùm Bernardus dicat sic: *Ecce infans sine sorde, solus inter homines verax*, ipsi auferentes comma, seu incisum, medians inter sordem, & solum, illud posposuerunt scribentes sic: *Ecce infans sine sorde solus, inter homines verax.* Vt sic ly *solus* appellaret supra sordem, non supra veracem, quando Bernardus dicit: *Ecce infans sine sorde, solus inter homines verax*, id est, solus Christus est verax inter homines; ipsi sic: solus Christus est inter homines sine sorde, vt ex hac vniuersali deducerent: si solus Iesus fuit sine sorde inter homines: ergo Maria cum sorde fuit. O Patres quòd nec iota, nec apex præteribit à lege peccati adulterationis? Quid vobis fecit veritas, quid Maria? Circa sensum illius Sermonis Bernardi dicimus: quòd loquitur de pudicitia, ac castitate generationis (quam ipse vocat Cõceptionem) in qua solã sunt illa quæ refert Bernardus, scilicèt pudor, sordes, & corruptio: in Conceptione enim secunda, seu animatione (de qua noster est, & debet esse sermo) nec est pudor, nec sordes, nec corruptio, sed macula, culpa, & peccatum originale. Aduersarii ergo, quæ dicit Bernardus de conceptione actiua parentum, transtulerũt ad Conceptionem passiuam prolis. Insuper expresè etiam declarant mentem Bernardi illa: *qui solus sine omni illicita conceptus est voluptate*, quia in ordine ad voluptatem Conceptionis, non modò solus, sed solissimus Christus fuit à Maria conceptus, absque vlla carnis voluptate; infecta enim voluptas parentum primæ conceptionis, radix est, & origo, à qua infecta, inquinata, & immunda est omnis secunda conceptio; vna est causa; altera effectus, de prima nullam habemus pronunc quæstionem (dico pro nunc, quia multi insignes Doctores illam etiam relegant à parentibus Mariæ) de secunda nihil dicit Bernardus, & sic istæ tres auctoritates non sunt ad rem, quia variant appellationem à parentibus in filios, à causa in effectum, à semine in prolẽ, à carne in animam, & à sorde; & immunditia actionis ad maculam, & culpam termini, & sic procedere possumus sine termino.

Decimam auctoritatem sic adducunt. Item Bernardus Sermone 78. in Cantic. *Nemo*, inquit, *filiorum hominum intrauit in hanc vitam sine generali confusionis velamine, vno sanè excepto, qui ingreditur sine macula, qui venit in similitudinem carnis peccati, vt de peccato damnaret peccatum in carne; hoc vno excepto, de cæteris vnus omnibus per omnia introitus est, electis dico, & reprobis, non enim est distinctio, omnes enim peccauerunt, & omnes verecundiæ caputium portant. Hæc ille.* Auctoritas verò sic se habet in præallegato Serm. 78. cuius titulus est: *Quod sponsa*, id est, *Ecclesia electorum prædestinata est ante sæcula, & præuenta ab eo, vt quæreret eum, & conuerteretur*, colum. 805. litt. C. *Sine quo generalis velamine confusionis nemo filiorum hominum intrauit hanc vitam, vno sane excepto, qui ingreditur sine macula, Emanuel*

is eſt, qui tamen & ipſe ex nobis, pro nobis, noſtrique ſe induit maledicti, noſtrique peccati ſimilitudinem, non veritatem, ſic enim habes: quia apparuit in ſimilitudine carnis peccati, vt de peccato damnaret peccatu. De cætero vnus omnibus per omnia introitus eſt; electis dico, & reprobis: non enim eſt diſtinctio, omnes peccauerũt, & omnes capitiũ ſuæ verecundiæ portant, &c. Aliqua ſunt in hac auctoritate vitia, parui tamẽ momenti pro noſtro aſſumpto, in qua nihil inuenies, niſi illam vniuerſalem, *omnes peccauerunt*; ſed pro hac non erat neceſsè recurrere ad Bernardum; in illa vero particula: *vno ſanè excepto, qui ingreditur ſine macula*, verbum, *ingreditur*, ſumitur pro prima generatione carnali: vel ingreditur, ſtat, ac ſupponit pro ingreſſu natiuitatis in mundum ex vtero, & ſi ab hac fuit exempta Maria: ergo & in ingreſſu Cõceptionis fuit priuilegiata: ſeu vt clariùs dicamus, ingreſſus, aut introitus hominis in mundũ triplex eſt: in vtero Matris, quando generatur: in corpore, quando animatur, & quando ex vtero naſcitur; omnes homines ingrediũtur in his tribus cum velaminibus confuſionis, S. Ioannes & Hieremias cum duobus: Maria cum vno, Chriſtus verò Dominus abſque vllo.

Vndecimam auctoritatem adducit ſolus Spina part. 4. cap. 9. dicens ſic: Non ſolùm autem prædicti Sancti Doctores Eccleſiæ veritatem huius principalis concluſionis affirmãt, & approbant; ſed vniuerſaliter Sanctorum Doctorum hoc ipſum eſſe commune placitum, quod ſecundùm fidem ſit tenendum: omnes homines, præter ſolùm Chriſtum, primorum parentum maculam incurriſſe, & quòd nullus, in quam, inter Doctores Sanctos inuentus eſt, qui contrarium auſus fuerit prædicare. Huius vniuerſalis Sanctorum Doctorum conſenſus fideliſsimus poſt Auguſtinum teſtis eſt Bernardus, qui in Epiſtola quadam ad Innocentium Pontificem contra quemdam Hæreticum ſic ait: *Omnes Doctores noſtri poſt Apoſtolos in hoc conueniunt, quòd hac neceſsitate Dei Filius incarnatus eſt, vt homo, qui aliter redimi non poterat, per mortem innocentis iure à Diaboli iugo liberaretur. Non poteſt quis cum redemptis gratias agere, qui captiuus non fuit; non enim quærit redimi, qui ſe captiuum non cognoſcit. Siuè ergo reconciliatio ſiuè redemptio liberatio eſt de vinculis diaboli, à quo captiui tenebamur. Hæc ille.* Videamus ergo, quomodo Spina, qui toties accumulat impropeia, vocando nos falſarios, & peſsimos corruptores ſcripturarum, atque Sanctorum Patrum, vt diximus in Triturationem num. xl. Bernardi tranſcripſerit auctoritatem tot emphaticis verbis propoſitam, nam ex hac ab ipſo ſolo adducta (quia in aliis ſequitur veſtigia Turrecrematæ, ac Bandelli) cognoſcetur eius genium, & veritas, qua proceſſit in aliis. Primò, ergo aſtutè dixit: *In Epiſtola quadam ad Innocentium Pontificẽ, contra quẽdam Hæreticum.* Nota Lector, citationis modum: *In quadam Epiſtola*, quando S. Bernardus habet trecentas quinquaginta tres Epiſtolas. Secundo nota illud: *Ad Innocentium Papam*, quando ad eundem habet Epiſtolas triginta octo, ſcilicèt: 150. 152. 155. 156. 158. 159 161. 164. 166. 167. 169. 171. 172. 176. 177. 178. 179. 180. 184. 189. 190. 191. 198. 199. 210. 211. 212. 213. 214. 215. 216. 217. 218. 318. 327. 329. 330. & 331. Vide ergo, qua intẽtione potuit dicere: *In quadam Epiſtola ad Innocentium.* Tertiò, nota illud: *contra quemdam Hæreticum*, tacens nomen Hæretici, fuit enim Arnoldus de Brixia, & ſubticuit omnia iſta nimia calliditate, vt infrà videbimus. Cùm ergo reſpectu illorum quæ in auctoritate continentur iſtæ ſint neniæ paruæ, illas prætereo, vt deueniamus ad grauiora, vt inquit Bernardus.

In prædictis ergo Epiſtolis ad Innocentium, in illa quæ eſt in ordine 190. & incipit: *Oportet ad veſtram referri, &c.* extat auctoritas adducta à Spina ante medium, colum. mihi 1554. litt. A. vbi impugnata Hæreſi circa Myſterium Trinitatis, proſequitur Bernardus ſic. *Hæc, inquã, omnia, aliaſque iſtiuſmodi nænias eius non paucas prætereo, venio ad grauiora. Nõ quòd vel ad ipſa cuncta reſpondeam, magnis enim opus voluminibus eſſet. Illa loquor, quæ tacere non poſſum. Myſterium noſtræ redemptionis (ſicut in libro quodam ſententiarum ipſius, & item in quadam eius expoſitione Epiſtolæ ad Romanos legi) temerarius ſcrutator Maieſtatis, aggrediens in ipſo ſtatim ſuæ diſputationis exordio, Eccleſiaſticorum Doctorum vnam omnium de hac re dicit eſſe ſententiam, & ipſam ponit, ac ſpernit, & gloriatur ſe habere meliorem, non veritus, contra præceptum ſapientis, tranſgredi terminos antiquos, quos poſuerunt Patres noſtri. Sciendũ eſt, ait, quòd omnes Doctores noſtri poſt Apoſtolos in hoc conueniunt, quòd diabolus dominium, & poteſtatem habebat ſuper hominem, & iure eum poſsidebat; ideò ſcilicèt quòd homo ex libertate arbitrij, quam habebat, ſponte diabolo conſenſit. Aiunt namque, quòd ſi quis aliquem vicerit, victus iure victoris ſeruus cõſtituitur. Ideò, inquit, ſicut dicunt Doctores, hac neceſsitate incarnatus eſt Filius Dei, vt homo qui aliter liberari non poterat, per mortem innocentis iure liberaretur à iugo diaboli. Sed vt nobis videtur, ait, nec diabolus vnquam ius aliquod in homine habuit, niſi fortè Deo permittente, vt carcerarius: nec Filius Dei, vt hominem liberaret, carnem aſſumpſit. Quid in his verbis intolerabilius iudicem, blaſphemiam, an arrogantiam? Quid damnabilius, temeritatem, an impietatẽ? An non iuſtius os loquens talia fuſtibus tunderetur, quàm rationibus refelleretur?* Sic que in-

uchi-

uehitur de inceps Bernardus acriter contra hæreticum per triginta duas lineas, ac posteà, inquit: *Non enim vis, vt diabolus in hominem habeat, vel habuerit potestatem. Fateor nec ego. Non tamen id circò non habet, quia ego, & tu hoc nolimus. Si non confiteris tu, nec cognoscis, cognoscunt, & dicunt, qui redempti sunt à Domino, quos redemit de manu inimici. Quod minimè negares & tu, si non esses sub manu inimici, non potes gratias agere cum redemptis, qui redemptus non es. Nam si redemptus esses, Redemptorem agnosceres, & non negares redẽptionẽ, nec quærit redimi, qui se nescit captiuum &c.* Hucusque Bernardus. Ex quibus patet, continuando vitia suprapositа: Quartò, quòd Spina primam auctoritatis partem sumpsit ex verbis peruersissimi hæretici Arnoldi, adductis à Bernardo ex illis libris Sententiarum, & expositione Epistolæ ad Romanos: & secundam auctoritatis partem ex Bernardi verbis transcripsit, & hoc ad quid? vt macularet Virginem Dei Matrem. Poterat nè excogitari quid execrabilius? Vel hoc fuit aliquando auditum in Ecclesia Dei?

Sed progrediamur vltra, quia maiora nos expectant. Admissa illa facta in auctoritate Arnoldo-Bernarda, seu catholico-hæretica, videamus saltem, qua legalitate ipsam trãscripsit magnus hic sacri Palatii Magister Spina. Quintò, prætermisit totum principium auctoritatis, quia ex illo cognoscebatur, illa non esse verba Bernardi. Sextò, Spina incepit absolutè dicens: *Omnes Doctores nostri*, Sanctus Bernardus sic: *Sciendum est, ait, quòd omnes Doctores nostri.* Desiderabat enim Spina, vt proponit in præambulo auctoritatis, quòd intelligerent legentes omnia verba illa esse ex mente Bernardi, sed Bernardus dicit palam esse hæretici, vt constat ex illo interlocutorio verbo, *ait*, id est, hæreticus. Septimò, post verbum illud: *Apostolos, in hoc conueniunt*, prætermisit Spina totam hanc clausulam: *Quod diabolus dominium, & potestatem habebat super hominem, & iure eum possidebat, ideò, scilicèt, quòd homo ex libertate arbitrii quam habebat, sponte diabolo consensit, &c. Ideò, inquit, sicut dicunt Doctores hac necessitate.* In quo vnico vitio plura commisit, nam coniunxit ly, *Apostolos*, cum ly, *necessitate*, derelinquendo media, propter illud: *ex libertate arbitrij*, & illud: *sponte diabolo consensit*, & illud, *ideò inquit*, quia dicæ clausulæ priores loquebantur expressè de peccato voluntario, quo homo diabolo se submisit, & hoc non desiderabat Spina, sed quod loqueretur de peccato originali: ly autem, *inquit*, denotabat non esse verba Bernardi, sed alterius. Octauò, vbi textus: *qui aliter liberari*, Spina: *qui aliter redimi*: sunt enim diuersissima quoad præsens institutũ. Nono, prætermisit omnia verba: *Sed vt nobis videtur, ait, nec diabolus, &c.* Vsque ad verba distantia ab istis per quadraginta lineas, vbi Bernardus loquitur ex propriis. Decimò, ex ipsis Bernardi prætermisit illa: *nõ enim vis, &c.* & sex sequentes lineas; & hoc etiã ex malitia, quia ex illis constabat clarè Bernardum loquutum fuisse de peccatis actualibus. Vndecimò, vbi Bernardus loquens cum hæretico, ait: *Non potes gratias agere*; Spina, in tertia persona: *non potest*, vt sic faceret propositionem determinatè neutram, absolutam, ac vniuersalem. Duodecimo, addidit illud: *quis*, vt sic expressiùs omnes comprehenderet. Decimotertio, vbi Bernardus: *qui redemptus non est*, Spina: *qui captiuus non fuit*, mutauit ly *redemptus*, in *captiuus*, & *est*, in *fuit*, viriando nomen, tempus, & personam. Decimoquarto, prætermisit totum illud: *Nam si redemptus esses, Redemptorem agnosceres: & non negares redemptionem.* Vide, si hoc est paruum vitium, factũ, vt tegeret finem Bernardi loquẽtis contra hæreticũ. Decimoquinto, addidit illud emphaticum: *enim*. Decimosexto vbi Bernardus: *qui se nescit captiuũ*, Spina: *qui se captiuum non cognoscit*. Decimoseptimo, addidit ex proprio cerebro totum illud: *Siuè ergo recõciliatio, siuè redemptio, liberatio est de vinculis diaboli, à quo captiui tenebamur*: Quæ verba, nec illorum minimum signum, extat in S. Bernardo. Finxit enim hoc; quia concedendo nos, vt semper concessimus, Virginem fuisse redẽptam, necessariò secundùm Bernardum fateremur etiam fuisse sub vinculis diaboli, & eodem modo, si diceremus, fuisse liberatam. Vide ergo quomodo transcripsit autoritates Sanctorum, ille, qui ore pleno millies vocat nos falsarios, adulteratores, atque corruptores auctoritatum Sanctorum Patrum. Et hæc de fictionibus capitalibus quoad litteram. Quoad sensum autem, qua scientia, intelligentia, aut illatione proxima, vel remota, potuit Spina colligere ex hac auctoritate, Virginem fuisse conceptam in peccato originali? Vt diceret: *Huius vniuersalis Sanctorum Doctorum consensus fidelissimus post Augustinum, testis est Bernardus.* Testis fidelissimus est Bernardus, sed à te infideliter adductus; & vide quã causam habes, quando testes, & ipsorum verba sunt huiusmodi vitiata, ac corrupta, & non Sancti Doctoris, sed hæretici pessimi. Sed iam, vt ex veneno aliquod extrahatur antidotum, scias, Lector, quòd infrà post integram columnam agit Bernardus de peccato originali, sic dicens: *Quòd si dixerit, pater tuus*, id est, Adam *addixit te, respondebo: sed frater meus redemit me: cur non aliundè iustitia, cùm aliundè reatus? Alius qui peccatorem constituit, alius qui iustificat à peccato, alter in semine, alter in sanguine. An peccatum in semine peccatoris, & non iustitia in Christi sanguine?* Nonne

vides, quomodo Bernardus affirmat, peccatum Adæ esse in semine? Si ergo concedit, & affirmat non semel tantum, sed bis, quòd peccatum Adæ sit in semine, & quòd conceptio est illa seminis receptio; quid contra nos? Quando expræsse diceret: Conceptio Mariæ fuit in peccato? Non est nostra controuersia Patres de peccato seminis, sed animæ, nec de illa seminis conceptione, sed de animatione. Insuper in propositis verbis indicare videtur Bernardus, quòd ad redemptionem, & iustitiam nostram, per Christi sanguinem, sufficit esse, vel fuisse peccatum in semine, & quod de hoc seminis peccato dixerat Iob: Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? & illud Dauidis: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.

Duodecimã auctoritatem adducit Castellanus in illo suo Sermone de sanctificatione, de quo in Trituratione num. xxxiv. sic dicens: Sanctus Bernardus in Sermon. de Assumptione Virginis: *Fateor autem, nihil est, quod amplius me delectet, sed neque quod terreat magis, quàm sermonem habere de Virgine Matre. Vt enim interim fileam illud ineffabile priuilegium meritorum, & prærogatiuam penitus singularem, tanto eam affectu deuotionis vniuersi, vt dignum est, honore amplectuntur, vt licèt de ipsa loqui gestiant omnes: quidquid tamen de indicibili dici potuerit, minus gratum sit, minus sapiat, minus acceptet:* Et statim nullo interposito verbo prosequitur sic: *Ex Sermone de Beata Virgine, qui incipit; Qui ---------- Præsenti igitur celebratione omnium prudentium Virginum Reginam sedulis, fratres charissimi, exposcite precibus, vt illo suo interuentu efficiat possibile, quo sanctæ Ecclesiæ concentus de eius congaudeat sublimatione, & gloria. Ista est enim præcipua festiuitas, in qua Angelorum omnis exultat militia; in qua Patriarcharum complentur veridica, & abdita mysteria, in qua Prophetarum panduntur vaticinia, in qua etiam & Gentilium referantur prænuntia scripta; in qua sanctificatur sponsa, sine exemplo Deo coniuncta; de cuius corporis materia oritur lumen in tenebris, ad stinguendas veterum piaculorum tenebras. Hæc, in quam, dies est, in qua prælucida stella, imò lumen maris, hoc est, huius mundi, cum decoris amœnitate, ex mortali genitura cunctis, qui saluandi sunt, illuxit. Hæc est honoranda diei lætitia, in qua præparatur vas virgineum diuinis charismatibus, ac micantibus margaritis ineffabiliter ornatum, in quo sublimitas Dei mixta homini compaginaretur carnaliter, non secundùm propaginem, sed secundùm Spiritus Sancti operationem.* Hucusque auctoritas; cuius prima pars extat in Sancto Bernardo Sermone 4. de Assumption. qui incipit: *Tempus loquendi*, colum. 255. litt. L. sed sic: *Fateor impertiam meam: pusillanimitatem propriam non abscondo. Non est equidem quod me magis delectet, sed nec est quod terreat magis, quàm de gloria Virginis Mariæ habere sermonem: Vt enim fileam interim ineffabile priuilegium meritorum, & prærogatiuam penitus singularem, tanto eam deuotionis affectu amplectuntur, honorant, suscipiunt (vt dignum est) vniuersi, vt licèt de ea loqui gestiant omnes, tamen quidquid dicitur de indicibili, eo ipso quod dici potuerit, minus gratum sit, minus placeat, minus acceptetur.* Iam vides, Lector, quàm vitiata sit hæc prima auctoritatis pars, in qua nihil inuenies contra Immaculatam Virginis Conceptionem. In secunda verò solùm reperitur ly, *sanctificatur*, & ly, *ex mortali genitura*. Sed velle ex his colligere maculatum Virginis conceptum, res esset ridicula: nam nos non negamus Mariam fuisse sanctificatam, vt sæpè diximus, & passim infrà dicetur, sicut neque controuertimus, vtrum fuerit genita mortalis, seu ex mortali genitura; fuit enim generata ex viri semine, quod in Adam fuit mortuum propter præcepti transgressionem, & sic omnes ex illo infecto fermento, & massa procreati ex mortali erant genitura. Quod comprobabimus ex Augustino, & aliis. Sed restat inquirere, cuius fuerit hæc auctoritas, quia in primis non est S. Bernardi, sed Fulberti Carnotensis. Secundò, non incipit Sermo ille: *Qui*, sed: *Mutuæ dilectionis amore.* Tertiò, tota auctoritas scatet adulterationibus, ac vitiis. Quartò, non extat ly, *sanctificatur*, fuit enim fictum, & additum tale verbum, vt alia reducerent ad suum intellectum, & desiderium. Vide quæ diximus de ipsa infrà in S. Fulberto, num. 80.

Vltimam auctoritatem adducunt ex Epistola Sancti Bernardi ad Canonicos Lugdunenses, quæ extat inter eius Epistolas num. 174. (malè Sotomaior 176.) columna mihi 1537. hanc Turrecremata adducit integram part. 6. capit. 10. Bandellus ex magna parte, Spina quamdam clausulam, Caietanus similiter, & in omnibus aliquid est vitiatum; ergo verò illam absolutè prætermitto, quia passim inuenitur, tàm in operibus Bernardi, quàm in Scriptoribus de Conceptione, dè qua Binarius, Petrus Posinus, Ægidius, & alii innumerabiles. Relinquendo ergo illa, quæ ab omnibus excogitata, & dicta hucusque fuerunt pro explanatione mentis Bernardi, & huius Epistolæ fine: dico iuxtà rei veritatem. Primò, quòd Ludignensis Ecclesia, & Canonici ad annũ Domini

ni

ni 1130. iam die 8. Decembris celebrabant festum Conceptionis Virginis Mariæ, iuxta reuelationem factam Hessino, & notitiam desumptam à Normandis, hoc per se notum est. Secundo, etiam est indubitatum, quod S. Bernardus Clareuallensis hoc sciens, & cognoscens, scripsit Canonicis Lugdunensibus illam Epistolam, in qua assumptum, finis, & vltimus scopus est probare, quod illa festiuitas Conceptionis nullo modo erat celebranda, & hoc probat, & persuadere nititur aliquibus rationibus mox examinādis. Tertio, etiam est certum, quod aliqui Doctores, tam Theologi, quam Canonistæ, scribentes post Bernardum, sequēdo vestigia illius sanctissimi Doctoris, ac primi Anthagonistæ, & impugnatoris illius festiuitatis, conuicti ex ipsius rationibus, & argumentis, constanter affirmarunt, talem festiuitatem non esse celebrandam, allegantes ferè omnes, ac dicentes, quasi pro vltima ratione, desumpta ab auctoritate: *Quia hoc modo sentit Bernardus in Epistola ad Lugdunenses, &c.* Et sic in hac materia omnium antiquorum impugnantium prædictam festiuitatem, fuit vna mens, & intelligentia, sicuti rationes, & verba ipsa indicant desumpta à Bernardo. Examinata ergò mente Bernardi secundùm rei veritatem, omnium aliorum sententiæ restant penitus expeditæ, ac coclusæ. Quarto, dico, & affirmo, quòd ex illa noua institutione festiuitatis exorta fuit inter fideles tàm doctos, quàm ignorātes, quædam maxima æquiuocatio, quæ fuit cōtrouersiæ indissolubilis nodus; & æquiuocatio talis erat: ex vna parte videbant, quod illa festiuitas celebrabatur sub titulo Conceptionis Virginis Mariæ: ex altera cernebāt, quòd hoc fiebat die 8. Decēbris: & ex his duobus suppositis, sic discurrebant: omnis infans ad sui formationem in vtero matris, à die, & hora, qua effuso semine à patre recipitur in vulua matris, vsque ad diem, & horam natiuitatis ipsius, defluunt nouem menses integri regulariter, & perfecti: quare Ecclesia Sācto Spiritu illustrata, quæ celebrat Natiuitatem D. N. Iesu Christi die 25. Decembris, festiuat eius Incarnationem die 25. Martii, quia tūc à Virgine Maria administrata fuit materia absque viri opere, virtute Altissimi, & in illo instanti infusa anima, & vnio Hypostatica facta. Et idem videtur sentire de Ioanne, qui cū natus fuisset die 24. Iunnii, die 24. Septembris celebrant Græci eius Annuntiationem. Igitur si Maria fuit nata die octaua Septēbris, & Lugdunenses celebrant eius Conceptionē die octaua Decembris, consequenter, & necessariò videntur celebrare eius generationem, siuè effusionem seminis à Ioachimo, & receptionem in vtero Annæ vno verbo celebrant generationem carnalem inter patrem, & matrem. Et hoc constat, quia aliàs non celebrarēt hanc festiuitatē die 8. Decembris, sed post quadraginta, vel octoginta dies, quādo ipsa Maria fuit animata, vel sanctificata: ergo signum est, quod solùm celebrāt die 8. Decēbris, quod in illa die cōtigit, scilicèt, conceptionē carnalē, Ioachimi, & Annæ coitum, effusionē. & receptionem seminis. Igitur errant Lugdunēses, in celebratione huius festiuitatis, quia Conceptio illa nec est celebranda, nec potest celebrari: etenim tunc nec erat Maria, nec vlla materia capax sanctitatis, seu sanctificationionis. Quare (dicebant, & clamabant illi Doctores antiqui) festiuitas Cōceptionis non est celebranda die 8. Decembris, siquidèm ibi fuit concupiscentia, libido, immūditia, sordes, peccatū, & macula; vel si celebranda est illo die 8. Decembris, erit per ordinem, & respectum ad illud tempus futurum, in quo Maria habuit esse, fuit animata, capaxque sanctificationis, & de facto sanctificata. Huic æquiuocationi non paruum administrauit fomentum, videre, quòd Lugdunenses in officio illius festiuitatis, tàm in Vigilia, quàm in ipso die, recitabant sub titulo Conceptionis, & incipiebat Antiphona: *Egredietur Virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eam Spiritus Domini, &c.* Cùm ergo vidissent, quod licèt die 8. Decembris egressa fuerit Virga de radice Iesse, non tamen ea die requieuit Spiritus Domini super eam, nec potuit requiescere, quia non erat subiectum aptū. Item quod in Inuitatorio dicebatur: *Aue Maria gratia plena*, & alia quàm plura, quæ extabant in illo officio antiquo Lugdunensis Ecclesiæ, quæ in rei veritate verificari non poterat, pro illo die octauo Decembris, nec carnali generatione tunc facta, quia pro tunc nec erat Maria, nec poterat esse gratia plena, nisi illa acciperentur per ordinem ad animationem, & sanctificationem. Hinc, ò Lector! exorta fuit totius controuersiæ innodatio inter Sanctū Bernardum, & alios cum Lugdunensibus, & ex illa controuersia tota æquiuocatio antiquorum, quia confundentes voces, terminos, ac significationes, iam vocabant illam primam Ioachimi, & Annæ carnalem generationem, Conceptionem Mariæ; iam ipsam animationem factam post quadraginta, vel octoginta dies: alii verò ad distinctionem prioris Conceptionis appellabant secundam, & propriam, sanctificationem, & confusio illorum comedit, & consumpsit laborem Aduersariorum, qui omnia ista vt grana pura ad suam aream adducere volentes asportabant paleas.

Inter omnes DD. modernos veram, atque genuinam intelligentiam huius Epistolæ assecutus est DD. Angelus Manrique tom. 1. Annal. Cist. ad ann. 1134. vbi latè agit de ipsa ca-

pit. 4. & 5. & in primis præsupponit hoc principium, quod certissimum est: *Equidem Conceptionis nomen si attendamus, neque in rigore vocis, neque in vsu Doctorum illius temporis pro animatione sumi, sed pro seminis prima susceptione, in confesso est: concipio enim, quasi simul capio. Vnde concipere mulieres dicuntur, cum genitale semen apprehēdunt ad fœtum faciendum, &c.* Hanc communem conceptionis acceptionem confirmat ex eodem Bernardo lib. de Anima cap. 2. dicente: *Fui enim in momento conceptionis de humano semine conceptus, deindè spuma illa coagulata modicum crescendo, caro facta est.* Et posito hoc solidissimo fundamento, explicat Epistolam sui melliflui Patris doctè, ex verborum grammaticali sensu de prima cōceptione carnali, cuius resolutio sic se habet: *Sentio igitur, mellifluum Doctorem nihil de instanti animationis Virginis, in quo præuentam gratia hoc nostro sæculo totius ferè Ecclesiæ consensus clamat, sed de paterni susceptione seminis intra maternam vuluam, fuisse loquutum, quæ prior, propriorque conceptio est, de qua tunc controuersia non parua fuit. Porrò de hac absolutè pronuntiasse, nihil Ecclesiastica festiuitate dignum, nihil sanctificatum continere, quin potiùs immunditiam, &c.* Et hoc probat, tum ex ipsis verbis Epistolæ, & ex errore, qui tunc vigebat ex die festiua, quam impugnabat: ex rationibus, quibus vsus est: & ex consensu omnium Doctorum: suppositā ergo illa Angeli explanatione, quam certam, ac verissimam iudicio.

Totum hoc euidenter demonstratur ex verbis Bernardi in præallegata Epistola. Nam assignans rationem, quarè festiuitas Conceptionis Virginis non esset celebranda, sic inquit: *Ipse mihi facile persuadeo, scriptis talibus nō moueri, quibus nec ratio suppeditare, nec certa inuenitur fauere auctoritas. Nam quid consequētiæ habet, vt quoniam sanctum præcesserit natalē conceptus, propterea reputetur & ipse sānctus? Nunquid quoniam præcessit, eum fecit & sanctum? Quia si præcessit, vt esset, non tamen vt sanctus esset. Vnde etenim illa ipsi sanctitas, quam secuturo transmitteret? An non potiùs, quia præcessit absque sanctitate conceptus, opportuit nimirum sanctificari conceptam, vt sanctus sequeretur iam partus? An fortè mutuatus sit sanctitatem à posteriore prior? Potuit sane illa quæ iam concepta facta est sanctificatio, ad ipsum qui sequebatur transire natalem; redire verò retrorsum ad conceptum, qui præcesserat, iam omninò non potuit. Vnde ergo Conceptionis sanctitas? An dicitur sanctificatione præuenta, quatenus iam sancta conciperetur, ac per hoc sanctus fuerit & conceptus: quemadmodū sanctificata iam in vtero dicitur, vt sanctus consequeretur & ortus? Sed non valuit ante sancta esse, quàm esse. Si quidèm non erat antequàm cōciperetur. An fortè inter amplexus maritales, sanctitas se ipsi conceptioni immiscuit, vt simul sanctificata fuerit, & concepta? Nec hoc quidē admittit ratio.* En totus primus Bernardi discursus. In quo vndecim vices repetit concipere, conceptionem, & conceptū, & nō semper idem significant, sed diuersissima; quia continuò exprimit, & ferè semper generationem, aliquando animationem, & aliquando indifferenter vtrumque. Vt hoc euidentius cōstet, explico sigillatim Bernardi verba iuxta grammaticalem sensum. Ad illud ergo Lugdunensium, siuè aliorum: Conceptio Mariæ præcessit per nouem integros menses eius Natiuitatem; cùm ergo Ecclesia celebret hanc die 8. Septēbris, optimè à nobis celebratur Conceptio die 8. Decembris. Contra hoc sic insurgit Bernardus: Quid consequentiæ habet, ò Lugdunenses, hoc à vobis propositum, vt quoniā *conceptus* præcesserit natalem sanctum, propterea reputetur ipse conceptus etiam sanctus? Nunquid quia præcessit conceptus, fecit sanctū natalē? Præcessit quidem conceptus, vt esset natiuitas, non tamen præcessit cōceptus vt natiuitas esset sancta. Vndè enim habuit, vel habere potuit conceptus sanctitatē, quā transmitteret in sequentem Natiuitatem? An non potiùs, ac meliùs diceretis: quia præcessit absque sanctitate ille *conceptus*, opportuit, ac decuit sanctificari *conceptam* in sua animatione, vt sic sanctus sequeretur i psius partus, & Natiuitas? An fortè, illud quod prius est, potuit mutuare, vel mutuatus est sanctitatem à posteriori? Potuit verò illa sanctificatio, quæ facta est iam *concepta* Maria, & animata, transire ad ipsum natalem, qui post ipsam Conceptionem necessariò sequebatur; tamen redire retrorsum ad *conceptū* seminis, qui præcesserat, nullo modo poterat. Vndè ergo illius *Conceptionis* primæ, seu generationis potuit esse sanctitas? An fortè dicetis, quòd Maria fuit aliqua singulari sanctificatione præuenta, vt sic sancta *conciperetur*, & per hanc sanctificationē etiam sanctus fieret subsequēs *conceptus* proprius Mariæ, quē admodùm communiter dicitur, quòd fuit sanctificata in vtero, vt pariter adstruant, quòd ortus, & Natiuitas consecuta fuerit sancta? Sed hoc non potest dici, scilicèt, quòd fuerit præuenta aliqua sanctificatione in sua Conceptione, vt esset sancta, antequā haberet esse, si quidem non erat, antequam *conciperetur* in sua animatione, vel generatione parentum. An fortè inter amplexus maritales sanctitas ipsi *Conceptioni* seminis se immiscuit, vt simul, & semel Maria fuerit sanctificata, &

con-

concepta illa prima conceptione, ſeu generatione? Nec hoc quidem admittit ratio. En quomodo Bernardus vtitur in hac auctoritate illius vocis Conceptio, & ſæpè ſumit ipſam pro generatione ſed aliquando debet accipi pro animatione vt rectum faciat ſenſum, ac tandem aliquando poteſt ſumi indifferenter. Aduerſarii non attendentes ad veritatem puram, & ſinceram, ſed ad fomentum ſuæ opionis, & vt Virginem Dei Matrem macularet, de relinquentes vuas, aſportarunt labruſcas.

Bernardi mens, & Epiſtolæ finis ampliùs declaratur ex ſequentibus verbis. Inquit enim S. Doctor. *Nec hoc quidē admittit ratio, quomodo namq; aut ſanctitas abſque Spiritu ſanctificāte: aut Sancto Spiritui ſocietas cum peccato fuit: aut certè peccatum quomodo non fuit, vbi libido nō defuit?* Nonne vides, Lector, quomodo clarè, & expreſsè loquitur de illa conceptione, in qua libido fuit? Nā in animatione non eſt libido, ſed in generatione; quod etiam cōprobant immediata verba: *Niſi fortè quis dicat, de Spiritu Sancto eam, & non de viro conceptā fuiſſe: ſed id hactenus inauditum.* Nota illud, *non de viro conceptā*, quando nunc ſecūdūm proprietatem ſermonis, ac rigorem Theologicum, diceremus non de viro generatam, ſumit ergo Bernardus, conceptionem pro viri generatione. Et his etiam intelleges ſequentia verba, quæ hucuſque omnium Doctorum premerunt calamos: *Si igitur ante conceptum ſui ſanctificari minimè potuit, quoniam non erat, ſed nec ipſo quidem conceptu propter peccatū, quod inerat, reſtat, vt poſt conceptum in vtero iam exiſtens, ſanctificationem accepiſſe credatur, quæ excluſo peccato ſanctam fecerit Natiuitatem, non tamen & Cōceptionē.* Ex his, & ſupra dictis colligitur, quòd Bernardus ex illo tēpore, ſeu ſpatio nouem menſium, quo Virgo Maria fuit in vtero Matris ſuæ Annæ, tres conſtituit terminos diuerſos, principium, medium, & finē, ſiuè generationis, animationis, & Natiuitatis. Principium generationis vocat conceptionem; medium autem animationis vocat etiam conceptionem (& hic ſtat tota æquiuocatio) finem verò appellat Natiuitatem, ſeu ortum. Inquit ergo Bernardus: Maria minimè potuit ſanctificari ante ſui initium, *ante conceptum ſui*, id eſt, ante ſuam generationē paternam, *quoniam tūc non erat*, ſua enim exiſtentia in vtero, ſiuè initiū & principium habuit Maria ab illa prima generatione, & ante initium rei res nō eſt, *ſed neque in ipſo quidem conceptu*, quando actualiter generabatur à ſuis parentibus, ſanctificari poterat, quia fuerunt tunc amplexus maritales, peccatum, libido, & concupiſcentia. Et ſic reſtat, *vt poſt conceptum*, illum primum parentum, ſeu generationem, quando erat *in vtero iam exiſtens* Maria iam formata, & animata, *ſanctificationem accepiſſe credatur*, quā ſanctificatione, *excluſo peccato* illo ſuæ generationis, *Sanctam fecerit natiuitatem*, quæ ſecundùm naturæ, ac temporis ordinem ſubſequenda erat, *non tamen conceptionem* illam parentum, ſeu generationem, quæ iam præceſſerat, & fuerat in peccato, & libidine facta. Iſte meo iudicio eſt genuinus ſenſus, ac propriſsimus verborum Bernardi; quem infrà ex Henrico de Halsia euidentiùs demonſtrabimus, & quod efficatius etiam comprobatur ex ſequentibus: *Quam ob rem, & ſi quibus, vel paucis filiorum hominum datum eſt cum ſanctitate naſci, non tamen & cōcipi, vt vni ſanè ſeruaretur ſancti prærogatiua conceptus, qui omnes ſanctificaret: ſoluſque abſque peccato veniens, purgationem faceret peccatorum. Solus itaque Dominus Ieſus de Spiritu Sancto conceptus: quia ſolus, & ante conceptū ſanctus. Quo excepto de cætero vniuerſos reſpexit ex Adām natos, quod vnus humiliter de ſemetipſo, ac verāciter confitetur: in iniquitatibus, inquiens, conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea. Cùm hæc ita ſe habeant: quæ nam iam erit feſtiuæ ratio Conceptionis? Quo pacto, inquam, aut Sanctus aſſeretur conceptus, qui de Spiritu Sancto non eſt, nē dicam de peccato eſt, aut feſtus habebitur, qui minimè ſanctus eſt?* Inquit ergo Bernardus: licèt aliquibus datum ſit cum ſanctitate naſci, nulli tamen cum ſanctitate *concipi* in vtero matris ſuæ quando generatur à ſuis parentibus, quia hoc ſolùm, & vnicè habuit D.N. Ieſus Chriſtus, qui de Spiritu Sancto abſque viri operatione *conceptus*; & genitus fuit in vtero Virginis: non enim in eius generatione habuit Virgo delectationem vllam, concupiſcentiæ fomitem, libidinem, vel aliquid immunditiæ, quæ in omnibus aliis mulieribus operatione viri concipientibus in ipſa ſeminis conceptione habent: de omnibus igitur illis, propter hanc cauſam optimè dixit Propheta: In iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea; ab hac ergo vniuerſali regula generationis filiorum Adam ſolus exemptus fuit Chriſtus; quia ante talem *Conceptum*, ſeu generationem in vtero, fuerat iam ipſe ex ſe Sanctus: alii enim ante ſuam generationem, vel primam conceptionem nec ſunt, nec poſſunt eſſe ſancti; illo ergo excepto, omnes in ſua origine, principio, & generatione dicere poſſunt: Ecce enim in iniquitatibus, &c. Cùm ergo Virgo Maria non fuerit in illa prima ſua Conceptione, ſeu generatione, generata à Virgine, ſed à corrupta, non virtute Spiritus Sancti, ſed operatione virili, nec ipſa antea fuerit, ſed in illa ſuorum parentum generatione inchoauerit eſſe, inter illos amplexus maritales, cōcupiſcētiā, libidinem, & fortè etiā peccatū, quo pacto (clamat Bernardus) iſte talis *cōceptus* aſſeritur ſanctus? Et ſi non fuit ſā-

ctus ille conceptus, seu generatio Mariæ, vndè natum est, vel quomodo cælebratur hæc vestra festiuitas *Conceptionis*, die 8. Decembris? Hoc modo locutus est Bernardus; hæc dicunt, ac exprimunt eius verba, non aliud, nec alia, & sic nec apicem habent contra Immaculatam Virginis Conceptionem, nec iota contra Coceptionis festiuitatem, quam nunc vniuersalis celebrat Ecclesia. Tolle ergo lapidē, id est, æquiuocationem vnius vocis inter antiquos, & modernos, & in hac controuersia in pace erunt tibi omnia.

Restat ergo nunc demonstrare, quòd supra posita litteralis, seu paraphrastica explanatio fuerit mens, & scopus intentus à Bernardo, quod sic breuiter, ac euidenter, meo iudicio, probo. Primò, quia Bernardus tam in hac Epistola, quàm in aliis auctoritatibus supra adductis ab Aduersariis, quàm etiam in omnibus suis operibus, semper, & vbique concubitum maris, & fœminæ, seu generationem carnalem parentum, vocat Conceptionē. Quorū non adduco quinquaginta, & amplius exempla, quia vt dixi in principio, in hac Vētilatione solùm argumentor ad hominem, ex auctoritatibus iam adductis & receptis ab Aduersariis. Secundo, quia omnes antiqui Theologi, ac Sancti scribentes post Bernardum. v. g. S. Thomas, S. Bonauētura, Alexander de Ales, & alii infra adducendi, quærentes in singularibus quæstionibus: An Virgo Maria sanctificari potuerit in parentibus, vel: An potuerit sanctificari in ipsamet generatione, & in semine. Respondent negatiuè, & adducunt ad comprobandam suam conclusionem auctoritatem, & auctoritates Bernardi supra positas, ex Epistola ad Lugdunēses: ergo vel illi Doctores nihil probabāt, vel Bernardus in hac Epistola loquitur de generatione carnali, ac prima conceptione seminis. Tertiò, quia si aliter intelligātur, aut vellent explicari verba Bernardi, & vbicumque ille adducit voces illas, conceptus, & conceptio, intelligere vellent Aduersarii pro animatione, vel secunda Conceptione, nec verbum verbo cohæreret, nec sensum perfectum, vel saltem rationabilem constructionem grammaticalem efficerent: secus est, vt vidimus, de generatione, seu propria conceptione carnis, vel seminū, cui omnia dicta à Bernardo aptissime conueniunt. Quarto, quia controuersia cum Lugdunensibus non erat circa sanctificationem Virginis in vtero, quia hanc admittit expræsè Bernardus, nec circa instans illud præseruationis, an fuerit primum, vel secundum, quia hæc controuersia post centum quinquaginta annos à Bernardi morte cæpit inter scolasticos; sed erat solùm circa illa, quæ contingerant die 8. Decembris, & festiuitatem ipso die celebratā à Lugdunensibus, quia cùm tunc non fuisset animatio Virginis, nec eius sanctificatio, nec fuerit denique propria coceptio animæ Mariæ, sed propria carnis in semine à suis parentibus administratio, de hac, & non de illa loquebatur Bernardus. Et comprobatur: quia Græci hanc festiuitatem die 9. Decembris celebrantes, non illam subscribunt nomine Conceptionis Mariæ, sed Conceptionis S. Annæ, & in omnibus antiquis picturis, etiam in Missalibus, ac Breuiariis, quorum non paucos nos vidimus, Coceptionis Mariæ Mysterium exprimunt die 8. Decembris, non cum imagine Virginis coronata stellis, & amicta sole, &c. Sed cum figuris Ioachimi, & Annæ se mutuo amplexantes; & adhuc nostris temporibus sunt quam plurimæ huiusmodi imagines, & quando parum scientes interrogant, quid est hoc? Communiter respondent intelligētes; Conceptio Virginis Mariæ, accipiendo pro Conceptione Mariæ illū mutuum congressum, seu copulam Ioachimi, & Annæ, ideoque Bernardus in hac sua Epistola dicit illud: *An forte inter amplexus maritales sanctitas seipsi conceptioni immiscuit?* Igitur de hac Conceptione facta inter amplexus maritales agebat Bernardus. Quinta ratio desumitur ex illis Bernardi verbis: postquam enim plura encomia dixerat de Virgine Maria sic inquit: *Quid adhuc addendum his putamus honoribus? Vt honoretur, inquiunt, & conceptus, qui honorandū præbuit partū: quoniam si ille nō præcisus esset, nec iste esset, qui honoraretur. Quid si alius propter eandem causam, etiam vtrique parenti eius festos honores asserat deferendos? Sed auis, & proauis id ipsum posset pro simili causa quilibet flagitare, & sic redderetur in infinitum, & festorum non esset numerus, &c.* Ex his verbis colligitur, S. Bernardum in hac sua Epistola locutum fuisse de prima conceptione seminis, seu generatione carnali, alias non solùm inanis, sed inepta, ac friuola esset hæc Bernardi ratio: non enim ipse ignorabat, quòd Conceptio passiua Mariæ, eius animatio, siue in stantanea illa vnio animę, fuerat vna, vnica, & indiuisibilis, de qua minimè poterat verificari ille processus in infinitum: at supposito, quòd Lugdunenses celebrassent festiuitatem generationis Ioachimi, & Annæ, argumentabatur efficaciter, nam pro simili causa erat auis, & proauis similis, & si non eadem ratio generationis, ac per consequens festiuitatis, ac si diceret: Festiuatis, quia Ioachim genuit Mariam: ergo festiuitate etiam, quia Ioachim fuit genitus à patre suo: & idem facito de auo, & proauis, tam Ioachimi, quam Annæ, &c. Concluditur ergo ex his quòd Bernardus in illa Epistola solùm intendebat probare generationē carnalē Ioachimi, & Annæ, licèt fuisset Mariæ, vel per ordinem ad Mariā, nec fuisse sanctam, nec festiuitatis dignam, vt potè factam operatione viri cum concupiscē-

tia,

tia, libidine, ſorde, ac fortè etiam cum peccato. Sed ex hoc nihil cõcluditur, nec probatur contra animationem Mariæ, & Conceptionem animationis (de qua nunc agimus) diſtantem ab illa carnali, per quadraginta, vel octoginta dies, vbi iam non erat vir; coitus, concupiſcentia, ſordes, libido, aut peccatum; ſed ſola omnipotens Dei virtus, ſapientia infinita, amor æternus Patris, Filii, ac Spiritus Sancti, formantes ſuam filiam, matrem, ac ſponſam, atque fabricantes ciuitatem illam ſanctam, nouam, & arcam teſtamenti, &c. Vultiſnè, quòd dicamus & nos: In vanum laborauerunt, qui ædificabant eam? Abſit.

Sed iam pro exacta, perfectaque huius Diui Bernardi Epiſtolæ intelligentia, ac ſupradictorum confirmatione, & vt pariter omnibus cõſtet, qualiter in præſentis controuerſiæ de Conceptione principio res ſe ſe habuerint, decreui hic cuiuſdam Libelli, ſeu Epiſtolæ ſingulariſsimæ antiquitatis, à paucis Scriptoribus modernis viſæ, aliqua tranſcribere verba. Sciat ergo Lector, quod poſt mortem S. Thomę Aquinatis, ac S. Bonauenturæ, in exordio ſæculi decimitertii, id eſt, ad annum 1300. cæpit acris cõtrouerſia de Conceptione Virginis, atque acerrima diſputatio, nec non indiſcreta contentio tàm in Sermonibus, quàm ſcholaſticis diſputationibus, inter Patres Dominicanos, Auguſtinianos, & Franciſcanos, ex quibus Guillielmus Guarro, vel Varro, Ioannis Duns Scoti Magiſter, qui floruit ad annum 1270. neſcio quid dixerit de macula S. Bernardi. Sed notare debes, Lector, quòd Guarro non fuit huius fabellæ, ſeu figmenti primus Auctor, ſed quidam Nicolaus Albanus Ciſtercienſis, qui floruit ad ann. 1151. in quadam Epiſtola, ſeu Apologia, quæ extat inter Epiſtolas Petri Cellenſis Abbatis S. Remigii tom. 12. Biblioth. Veterum Patrum Colonienſ. & in Annal. Ciſterc. tom. 2. fol. 519. vt latè vidimus in Triturationę num. lx. ad finem. Poſteà verò Franciſcus de Mayronis, Scoti diſcipulus, circa ann. 1310. addidit, quòd in hac Conceptionis materia D. Bernardus nõ erat audiendus: è contra verò Patres Dominicani hos, & alios incuſabant de hæreſi. Ex his & aliis dicteriis vbique inter Religioſos Mendicãtes ſeminatis, exortæ ſunt maximæ lites, ac diſſidia. Hoc eodem tempore, id eſt, circa annum 1330. vel vt dicit Vngarus Sermone de Conceptione, qui eſt in ordine 6. poſt annum 1370. ſurrexit quidam doctiſsimus Pater Ordinis Carthuſianorum dictus Henricus de Haſsia, plantator Gymnaſii Viennenſis in Auſtria, & edidit Opuſculum, ſeu Epiſtolam, in quatuor partes diuiſam ſub hoc titulo: *Contra diſceptationes, & contrarias prædicationes Fratrum Mendicantium, ſuper Conceptione Beatiſsimæ Mariæ Virginis, & contra maculam S. Bernardo mendaciter impoſitam.* Et Epiſtolam iſtam ad annũ 1500. typis edere curauit Ioannes Vvinphel de Sclеſtudio in 4. (an verò iſte fuerit diſtinctus ab alio Henrico de Haſsia Langeſtein, etiam Viennenſis Gymnaſii decoratore, quem communiter vocant ſæcularem, qui ſcripſit librum illum dictum, Speculum animę, ſeu Soliloquiũ, incipiens: *Anima mea noui quod curioſa ſis, &c.* mihi incertum eſt: potuit eſſe quòd mutans ſtatũ ex ſæculari factus fuerit Carthuſianus) Quod verò ego affirmo pro ſolido principio, eſt, quòd Opuſculum hoc Henrici de Haſsia fuit ſcriptum ante, vel circa ann. 1330. nam Ioannes Vitalis (non de Furno, Gallus, qui creatus fuit Cardinalis à Clemente V. ann. 1312. & mortuus ſecundùm Frizonem in ſua Gallia purpurata ann. 1327.) ſed alter Hiſpanus, qui ſcripſit contra Ioannem de Monteſono, ad annum 1380. cum Ioanne Alano in ſuis Defenſoriis immaculatæ Conceptionis, ſæpè citant Henricum de Haſsia, & Opuſculum iſtud contra Guarronem; conſtat ergo, quod circa ann. 1330. iam erant lites. In prima ergo parte ſuæ Epiſtolæ, proponit prædictus Henricus de Haſsia dicta Guarronis, & Franciſci de Mayronis, & inuocat S. Franciſcum, S. Dominicũ, ac S. Auguſtinum, vt dignentur inter ſuos pacẽ, ac religioſam apponere concordiam. In ſecũda parte, proponit irreuerentiam, & iniuriam Sanctis factam, vanitates, pericula, errores, & ſcandala ex prædicta inani contentione in populo Dei exorta, in tertia parte cap. 4. incipit ſub hoc titulo: *Intentio Bernardi in Epiſtola ad Canonicos Lugdunenſes, de Conceptione Virginis gloriosæ.* Cùm ergo Doctor iſte fuerit primus, qui ſpecialem tractatum ediderit de hac Conceptionis materia, & non fuerit Franciſcanus, quin potiùs ſcripſerit cõtra duos Minoritas, ſcilicèt, Guarronem, ac Mayronem, videamus, quid dicat, tùm de Bernardi Epiſtola, tùm de opinione Aduerſariorum, ac per conſequens de noſtra ſententia.

Adductis igitur aliquibus clauſulis illius Epiſtolæ S. Bernardi ſic inquit: *Ex prædictis poteſt perpendi clarè, quomodo totum pondus intentionis ſuæ ferebatur ad arguendam leuitatem, & præſumptionem illorum, & ad oſtendendum, quòd adhuc non fuit ſufficienter certum, nec ratione, nec auctoritate; an Virgo fuerit concepta ſine originali, & non fuit mens ſua ad aſſerendũ eam habuiſſe originale, nec prohibebat ideò feſtũ Conceptionis celebrari, quia Mater Domini concepta fuit in peccato, vt Franciſcus de Maronis ſibi imponit, ſed quòd nondum ad hoc feſtũ motiuũ habebatur ſufficiens, neque ad hoc quòd Virgo concepta eſſet ſine peccato, cum eſſet adhuc tanta, vel maior apparentia de oppoſito, & expreſsè nititur ibi oſtendere inſufficientiam motiuorum quæ tunc currebant.* Hoc colligit Henri-

ri-

ricus ex principio, ac fine Epistolæ S. Bernardi, & quidem rectè, doctè, ac secundùm rei veritatem ex cogitatum.

Deindè adducit Henricus illa verba Bernardi, quæ videntur ponere maculam in Conceptione Virginis; & prosequitur sic: *Et referens aliud motiuum, subiungit: Quæ etiam consequẽtia est, partus, vel natalis fuit sanctus? igitur cõceptus præcessit sanctus? Quia sanctitas in vtero potuit ad natale præcedere; sed rursum sanctitas natalis non potuit sanctificare Conceptionem: & consequenter ex verbis suis elicitur, quòd vult in Conceptione B. Virginis à comixtione seminum, vsque ad eius animationem omnino similiter fuisse actum secundùm legem originalem, quantum ad inductionem fomitis in embryonem, sicut in alijs filiabus Adam, & tales dispositiones materiales, quæ sunt fomes, & concupiscentiæ habituales radicatæ in carne corrupta, ex peccato primorum parentum, ad quas consequitur culpa originalis in anima, si eis coniungatur, sæpè vocantur peccatum. Et sic etiam videtur Prophetã sumpsisse peccatum, quando dixit: In iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea, quia in vno homine non est nisi vna culpa originalis. Christus verò nec sufuit vnquã culpæ, nec eius corpus talibus originalibus culpæ sequelis, quæ sunt, fomes, & inordinatæ materiales dispositiones radicatæ in carne. Et sic solùm vni, scilicèt, Christo reseruata est sancti prærrogatiua cõceptus, qui omnes sanctificare solus, & omninò absque peccato veniẽs, purgationem faceret peccatorum, vt dicit Bernardus ibidem. Et quod non plus intenderit, potest etiam ex pluribus alijs dictis eius ibidẽ clarè perpendi, imò ex dictis eius conuinci videtur, quòd in primo instanti, in quo Virgo existebat in vtero, fuit sãctificata; quia dicit expresse: Si Ioãnes Baptista, Hieremias, Dauid dicens: In te cõfirmatus sum ex vtero sanctificati sunt in vtero quomodo fas est suspicari tãtæ Virgini esse negatũ, perquã omnis mortalitas emerserat ad vitã. Fuit ergo proculdubio, inquam, Mater Domini anteà sancta quàm nata ex vtero. Post dicit: Si igitur antè conceptum sui sanctificari minimè potuit, quoniam non erat, sed neque in ipso quidẽ conceptu, propter peccatum, quod inerat, restat, vt post conceptum, in vtero iam existens sanctificationem accepisse credatur, quod sanctificatio, excluso peccato, sanctam faceret natiuitatem, nõ tamen Conceptionem. Quæritur ergo,* prosequitur Henricus, declarando hæc verba, Bernardi *quare non accepit sanctificationem tàm citò, sicut erat existens in vtero? Si dicis, quia peccatũ inerat; quæro, quare pro illa mensura magis prohibebatur à culpa sanctificationis infusio, quàm in quacumque mensura posteriori, in qua peccatũ etiam erat magis radicatum: & nulla poterit dari ratio. Igitur illa ratio Bernardi non conuincit, sed fuit vna apparentia ad ostendendũ, quòd non fuit euidens, Virginem conceptam sine peccato.*

Multa hic dicit Henricus ex mente Bernardi, omnia certa, & clara, & vt mihi videtur per se nota, si stãdum sit Bernardi verbis; quia cum semel, & iterum, ter, ac quater, ac ferè semper loquatur mellifluus Doctor de Conceptione prima carnali, facta inter amplexus maritales, in commixtione seminum, & non de conceptione animationis (quod nullus sanæ intelligẽtiæ negare poterit, aliter enim verba Bernardi non cohærerent, ac multa continerent inter se in cõpatibilia) quæ secundùm vocabuli vim rigorosam, ac propriissimã significationem est, & dici debet conceptio, id est, cum alio, vel ex alio acceptio: quare Ioannes de Ianua, Ordinis Prædicatorum, in suo Catolicon fol. 103. loquens de hoc verbo Conceptio, dicit, quod cõponitur ex con, & capio, addens: *Et est concipere, simul capere; vnde & mulier dicitur concipere, quoniam sperma viri cum suo concapitur, & concrescit. Concipere enim inuenitur pro mente, vel in mente concipere, vel intelligere. Vnde versus: concipit homo mente, mulier sed concipit aluo,* hoc ipsum latissimè dicunt Aureolus in tract. de Conceptione, Cucharus & alii. Sic que Bernardus, & antiqui propriissimè loquebatur, dum sumebant conceptionem pro prima carnali in cõmixtione seminum facta, & consequenter illa propositio fuit verissima: *Si igitur antè conceptum sui sanctificari minimè potuit,* id est, ante cõgressum parentum, videlicèt in lumbis ipsorum, & ante seminum commixtionẽ, *quoniam non erat,* id est, Maria, quia verè, & realiter non erat. Et hoc quod hic dicit Bernardus, postea ventilant Albertus Magnus, Alexander de Ales, & præcipuè Angelicus Doctor, & alii ipsorum Discipuli, inquirentes expressis verbis: An Virgo Maria potuerit sanctificari in parentibus ante Conceptionem? Et assertiuè respondent, quòd non, assignando pro ratione à priori, quoniam tunc non erat Maria, vt dicit hic Bernardus, quem etiam citant. Ex hoc ergo deducit Bernardus aliud principium, vt suam postea inferat consequentiam: *Sed nec in ipso quidèm conceptu propter peccatum quod inerat.* Si ante conceptionem, inquit Bernardus, siuè ante generationem parentum, quando materia erat in lumbis, nõ potuit sanctificari, quia non erat Maria, *sed nec in ipso quidem conceptu,* potuit sanctificari; quia etiam nõ erat, sed incipiebat esse secundùm carnem: *in ipso quidem conceptu* carnali erat alia insuper causa, quare tunc sanctificari non poterat, scilicèt: *propter peccatum quod inerat* in ipsa conceptione, seu generatione parẽtum proueniẽs ex concupiscentia, ac libidine ipsorum, & fomite transmisso in carne. Et quod hic non loqua-

quatur de animatione, quã nunc in noſtra conuerſia vocamus Conceptionem, videtur euidens: tum ex contextu; tum quia ſi illa prima clauſula *ante conceptum ſui*, ſonat, & ſignificat ante actum generationis parentum; hæc ſecunda: *neque in ipſo quidem conceptu*, ſignificat, & ſupponit pro ipſo actu generationis, in quo ſimiliter verè, & realiter non poterat Maria ſanctificari: nam in Conceptione animationis poterat ſanctificari, nec hoc negaret, nec poterat Bernardus, & ſic concludit, deducens ſuam conſequentiam: *Reſtat, vt poſt conceptum in vtero iam exiſtens, ſanctificationem acceperit credatur.* Et ſic credimus nos, ô Bernarde! quòd in vtero iam exiſtens ſanctificata fuerit; *nõ ante conceptum, nec in ipſo quidem cõceptu*, ſed poſt *conceptum in vtero iam exiſtens*, quia alias tua ratio non conuinceret, ſed eſſet apparens ſolũ, vt dicit Henricus: ſed concludit euidenter, ſic intellecta, & explicata.

Ad compendium ergo reducendo ſententiam *B. Bernardi*, eſt hæc: Tria ſunt interualla, ſeu tempora, in quibus poſſumus inquirere de ſanctificatione Mariæ. Primum eſt, *ante conceptum ſui*, quando ſemen ſolùm erat in lumbis parentum ante actum generationis; & tunc non potuit ſanctificari; quia verè Maria non erat. Secundùm, *in ipſo quidem conceptu*, id eſt, ipſo actu generationis, atque, cõmixtione ſeminum, facta die 8. Decembris, ex coaptatione materiæ, ad conceptionem, vſque ad vltimam diſpoſitionem embryonis, ſed nec tunc potuit ſanctificari, quia etiam tunc non erat Maria, & inſuper inerat in illa conceptione, ſeu generatione peccatum libidinis, & concupiſcentiæ parentum, & in carne fomes. Tertiùm, tempus fuit *in vtero iam exiſtens*, & tunc potuit ſanctificari, & ſanctificata fuit, vt ſancta naſceretur ex vtero. Hæc eſt expreſſa Bernardi mens. An autem hæc ſanctificatio fuerit in primo, ſecundo, vel tertio inſtanti ſuæ exiſtentiæ in vtero, Bernardus non dicit in tota hac Epiſtola, ſed diſcurſus Henrici de Haſsia concludit pro primo inſtanti, & noſtra ſentẽtia. Alia Hẽrici verba de differentia Conceptionis Chriſti, & Mariæ, clara ſunt, & veriſsima. Diſtinguitur enim Conceptio Chriſti à Conceptione Mariæ quantum ad præſens (nam alias in Trituratione numer. xliii. duodecim aſsignauimus diſparitates) quia Chriſti Conceptio, generatio materiæ adminiſtratio, & carnis concretio non fuit ſubiecta: *Illis originalibus culpæ ſequelis, quæ ſunt fomes, & inordinatæ materiales diſpoſitiones, quæ ſunt radicatæ in carne*, vt dicit Henricus innuens cum Bernardo, quòd hæc omnia contingerint in conceptione carnali Mariæ. Sed cùm de his non ſit noſtra quæſtio, tranſeat, dum tamen conſtet, quòd Bernardus non loquebatur de conceptione ſecunda, & fœtus animatione, ſed de carnali generatione facta die 8. Decembris, inter amplexus maritales. Item conſtat, quod ſanctificatio non opponitur præſeruationi, dicente Henrico: *Verum quòd in primo inſtanti, in quo Virgo exiſtebat in vtero, fuit ſanctificata.* Concedimus ergo vobis, ô Patres! libentiſsimè ſanctificationem Mariæ in vtero, dũ tamen ſit in primo inſtanti, non in ſecundo; vt vos vultis, nec ſolùm vnam ſed duas admittimus ſanctificationes, vt dicit Pelbartus in Roſario tom. 3. de Conceptione paſsiua Mariæ fol. 104. colum. 3. explicans hac Epiſtolam vide eius auctoritatem infrà num. 280. auctoritate 10. Denique poſt alia quæ habet Henricus in illo capitulo pro Epiſtola Bernardi, & eius intelligentia concludit ſic: *Igitur putandum eſt omnino, quòd ſolùm ſuis perſuaſionibus reprimere, & eradicare leuitatem, & præſumptionem conabatur illorum Canonicorum, & non aſſerere, Virginem in peccato originali conceptam fuiſſe.* Hæc ſunt præcipua quæ habet Henricus circa Epiſtolam Bernardi, quæ coincidũt ad litteram cum ſupra à nobis dictis, in hac vltima auctoritate. Sed pro controuerſia habet aliqua alia ſcitu digniſsima: nam cap. 7. cuius titulus eſt: *Oſtendit prædicantes aſſertiuè, quòd Virgo habuit originale, eſſe reprehendendos*, ſic inquit, *Penſato deindè dicto Saluatoris: Multa habeo vobis dicere, quæ non poteſtis portare modo, & alium Paraclitum mittam vobis, qui docebit vos omnem veritatem, & ſuggeret vobis quæcumque debetis facere, ſupple: in diſcurſu Eccleſiæ pro diuerſis temporibus, & hominum variationibus. Sunt enim ſucceſsiuè diuinæ veritates explicandæ Eccleſiæ pro expedientia temporis, nec omnia pro omnibus temporibus myſteria expediebat reuelari; nec omnes aperiri Scripturas. Et ideò ſecundùm iura reuelatio diuina inſtruit ſpecialiter in agẽdis, dirigit in Scripturis, & multa ſeruat vſus Eccleſiæ, licèt ſcripta non inueniatur; & Deus quandoque reuelat aliter quàm ſcripta Sanctorum tradiderunt, vt de ſanguinis cõſecratione. Similiter pẽſatis quàm pluris veriſimilibus motiuis, congruentijs, auctoritatibus, & multum conueniẽtibus, & rationabiliſsimis expoſitionibus, & Gloſsis omnium dictarum auctoritatum, & ſimilium, reputo eſſe valdè illum reprehenſibilem, qui aſſertiuè pradicat populo, Virginem conceptam in peccato originali; propter ea quæ dicta ſunt in capitulo primæ partis Epiſtola, & maximè reprehẽdi debet, ſi oppoſitam exprobet opinionem, & eam cenſeat hæreticam, vel erroneam.* Ex his patet, quomodo ab ipſomet exordio controuerſiæ cæperũt Patres Dominicani prædicare, Virginem fuiſſe conceptam in peccato originali, & ſimul ex probare contrariam ſententiam vt erroneam, & hæreticam; & hæc acta erant ante annum 1330. & hoc ipſum fece-

cerunt ad annum 1430. tempore Turrecrematæ, & ad annum 1530. tempore Spinæ, post Extrauagantes Sixti IV. & in hoc perseuerabant ante annum 1630. quando expedita fuit Decretalis Gregori XV. Itaque potest dicere hic conatus: Quadraginta annis proximus fui generationi huic, & dixi semper, &c.

Deindè cap. 8. ostendit modum respondendi ad auctoritates in summa sic: *Quia iuxta vsitatos modos loquendi, & terminos accipiendi in scripturis humanis, & diuinis, & iuxta consuetos modos interpretandi plurimos passus Scripturarum, possunt rationabiliter omnes auctoritates prædictæ exponi, & cõuenienter concedi potest, Matrem Domini originale contraxisse, ad intentionem auctoritatum, scilicèt, secundùm inferiorem radicem: Ita enim reperitur frequenter in scripturis, affirmari aliquid euenire secundùm inferiorem radicem, cuius tamen oppositum Deus euenire disposuit æternaliter. Ita hic quia ipsa, quantũ est de se nõ euasisset hanc maculam, & sic quantum in se fuit, contraxit. Sic etiam Deus denominatur, velle omnes homines saluos fieri, eo quòd antecedentia sufficienter dedit respectu salutis cuiuslibet, ita proportionabiliter in proposito. Item quia nullus homo ex se potest dicere veritatem: ideò Propheta vniuersaliter pronuntiauit: Omnis homo mendax, licèt non omnis homo mentiatur. Item dicit Augustinus: Tanta vnusquisque commisit mala, à quantis fuit præseruatus virtute diuina. Igitur homo denominatur agere, quod quantum de se est, ageret, & ita de pati. Et isto modo intelligitur auctoritas Augustini de fide ad Petrum, & eodem modo aliæ Bernardi, & aliorum. Similiter quòd iuxta consuetos modos loquendi, & vtendi terminis possit denominari purgata ab originali culpa, licèt eam non contraxerit; apparet, quia Christus dicitur segregatus à peccatoribus, & tamen segregatio tam præsupponit coniunctionem, sicut purgatio pollutionem. Item Virgo dicitur purgata à filij generatione secundùm legẽ, & tamen non fuit inquinata. Similiter in Angelis concedit Dionysius purgationem, in quibus nulla macula est. Conuenienter ergo, & iuxta communem modum loquẽdi hominum potest dici purgata à peccato, quod infuisset, nisi priuilegium præcessisset: sicut etiam quilibet redemptus dicitur liberatus à damnatione, quam incurrisset, & huiusmodi: & ita etiam congruenter dicitur sanctificata à sanctitatis carentia, quæ nata erat in causa, sicut dicuntur Angeli purgari à tenebris, quæ inessent sine tali illuminatione. Similiter communibus modis loquendi denominatur conuenienter redempta, non obstante, quòd nunquam habuit aliquod peccatum; nam sicut Patres antiqui virtute meriti Christi futuri fuerũt ab originali contracto liberati, ita Mater Dei ex speciali prærogatiua, virtute eiusdem meriti, ab originali debebat præseruari. Similiter posteritas filiorum Israel dicitur redempta à seruitute Ægyptij, quamuis ni quam fuerit sub illa seruitute, imò etiam ex tali præseruatione perfectiùs, & plenius fuit redempta omnibus, quia magis liberatur à seruitute, qui præuenitur sic, vt nunquam seruiat, quàm qui de seruitute eripitur, quia quantò magis festinatur à seruitute, & ab obligatione redemptio, tantò est magis intensa: igitur si obligationem præueniat, est maxima dicenda. Etiam maior liberatio dicitur fieri illi, qui minus seruit: igitur maxima ei, qui nunquam. Magis igitur fuerunt in vtero sanctificati, quàm ex Baptismate purgati. Manifestum etiam est, quòd discurrendo per concordantias Biblia, de omnes, omnia, &c. inueniuntur plurimæ auctoritates, quas oportet exponi, stante communi lege, vel consueto cursu, & similiter quibus oportet vniuersalitatem diuersimodè restringi, & determinare in exponendo eas, & eo modo exponatur Apostolus.* Hoc modo respodet Henricus Carthusianus ad communes obiectiones Aduersariorum doctè, clarè, & euidenter, à quo, vt existimo, didicerunt omnes, qui post illum scripserunt.

Capite verò 9. adducit aliquas apparentias, ac congruentias, vt probet, quòd Beata Virgo non habuit originale, sic dicens: *Sunt etiam rationes, & apparentiæ multæ pro ista parte. Primò, quia multæ conclusiones sunt ab Ecclesia determinatæ, ad quas non erant ita expressæ, & tot Sanctorum auctoritates, & Scripturæ sacræ: igitur videtur, quòd Spiritus Sanctus resistat in hoc auctoritatibus illis, cùm Ecclesia sinat festũ illud celebrari, & vt communiùs illam opinionem teneri, imò ferè ab omnibus de Ecclesia tenetur, excepto ordine vno, non obstantibus illis scripturis.* Nota, Lector, quomodo ad annum 1330. iam sinebat Ecclesia celebrari Conceptionis festum, & hoc etiam confirmatur ex decreto Raymundi Abbatis Scalæ Dei, expedito anno 1330. vt Abbas Sacrameniæ celebraret Conceptionis festum, de quo vide Angel. Mãriq. in Annal. Cistercien. ann. 1141. cap. 8. num. 13. fol. 414. ergo non fuit instituta festiuitas hæc à Sixto IV. qui regnauit ad annum 1480. vt volunt Aduersarii. Insuper quod sententia de immaculata Virginis Conceptione, ad annum 1330. iam ab omnibus communiter amplectebatur, excepto ordine vno, scilicèt, Prædicatorum, & hoc non dicitur à quodam Fratre Franciscano, sed Carthusiano, nec loquebatur ex relatione, sed ex certa scientia, & vt testis oculatus.

Item, prosequitur, *sicut in materijs Thopicis, & moribus quædam falsa sunt, quæ videntur probabiliora multis veris, ex apparentibus in lumine naturali, ita etiam est in materia practica Theologica, quòd videlicèt ex superficie, &*

sono

ſono auctoritatum Sanctorum, vel Scripturarũ, aliquæ falſæ concluſiones videntur habere maiorem colorem veritatis aliis veris; & hoc oritur, quia Doctores antiqui non attenderunt præciſionem, & diſtrictionem ſermonis, ſed largè locuti ſunt, & magis hortatoriè; plus enim ſtuduerunt ſanctitati, quàm cautæ, & præciſæ locutioni, loquentes modo communi ad pium intellectum. Peruenimus iam ad noſtrum aſſumptum cum iſtis verbis.

Hæc, quæ dicit Henricus de modo loquendi Antiquorum, ita ſunt vera, vt poſſem pro illorum confirmatione innumerabilia adducere teſtimonia; ſed ſat erit pro hic, & nunc, iuxtà ſubiectam Conceptionis materiam aliqua proponere exempla in genere, ſpecie, & indiuiduo. In genere ſit, quod myſterium illud ineffabile, quando Deus factus eſt homo, aliqui antiqui Doctores declarant ſub nomine: Conceptio Mariæ; alii dicunt: Conceptio Dominica, & alii: Incarnatio Verbi, quæ omnia licèt facta fuerint in vnico inſtanti, ſicut Sol, radius, & lux, ſunt tamen diuerſæ formalitates, quæ propriè, ac rigorosè ſignificant, & ſupponere debent pro diuerſis actionibus, ſcilicèt, Conceptio Mariæ pro adminiſtratione materiæ, Conceptio Domini pro vnione animæ ad corpus, & Incarnatio Verbi pro vnione hypoſtatica inter diuinitatem, & humanitatem. Sed magis ſpecifica exempla ſint, quòd Antiqui conſtituebant peccatum originale in concupiſcentia parentum, alii in eorũdem libidine, alii cum S. Thoma in ipſorum appetitu, alii in ordinata ratione, alii in procliuitate ad malum, alii in ſenſualitate, alii in fomite, vt Ioannes de Ianua in Catholicon, verbo: fomentum, fol. 144. col. 4. ad finem, dicens: *Item fomes dicitur radix ſecundum Papiam, vndè peccatum originale dicitur fomes.* Alii dicunt fomitem eſſe pronitatem ad malum, & difficultatem ad bonum, vt Pomerius fol. 107. Roſarii, num. 9. Ab aliis dicitur fomes languor naturæ, vt Ocham & Gabriel. Alii quòd fomes eſt concupiſcentia habitualis, vt S. Thomas in quæſt. de Malo. Alii denique dicunt quòd ſit rebellio carnis. Alii inordinata qualitas inclinans appetitum ſenſitiuum. Et ſic quot capita, tot ſententiæ. Et rariſsimus fuit, qui originale peccatum, vel fomitem conſtitueret in priuatione rectitudinis debitæ, ſiuè in nudatione iuſtitiæ originalis, vel formalitate, & macula reſultante ex relatis, quæ in rei veritate ſunt, ſicut in arbore radix, truncus, ſtipites, folia, flores, & fructus. In indiuiduo verò, B. Virginis Mariæ formationem in vtero aliqui, vt omnes Patres Græci, expreſſerunt ſub nomine: Annæ coceptio; alii frequẽter inter Latinos ſub titulo: Conceptio Mariæ, alii eãdem appellant formationem, alii ortum, alii natiuitatem in vtero, alii, licèt rariſsimi, animationem, & cum hæc omnia fuerint diſtinctiſsima, ſicut eſt aqua in fontè, in riuo, in flumine, & in mari, & ab Auctoribus antiquis fuerunt dicta genericè, & fere nunquam propriè, in indiuiduo; quia loquebantur largè, promiſcuè, in communi, & confusè. Omnia hæc antiquorum diſcrepantia inter ſe placita volunt Aduerſarii reducere, & verificare de inſtantanea animatione præcisè, ac originali peccato formaliſsimè ſumpto, cõiungentes, ac confundentes ſuprema, & infima, cauſas, & effectus, actiones, & paſsiones, diſpoſitiones, & formas, radicem, & fructum, & denique incarnari, vt ita loquar, cum animari; quia dicunt, & arguunt ex auctoritatibus antiquorum ſic: Maria ſola concepit Chriſtum ſine peccato: ergo Maria in ſua animatione contraxit peccatum: Ioachim, & Anna genuerunt cum concupiſcentia, libidine, &c. ergo Maria in ſua animatione contraxit originale: Maria fuit concepta cum fomite: ergo ipſa cõtraxit in ſua animatione originale: Maria habuit fomitem ligatum, & in Incarnatione Verbi penitùs extinctum: ergo contraxit peccatum originale. Patres mei, videte, quòd conſequentiæ iſtæ nec ſunt formales, nec ſecundùm mentem antiquorum, quam ſcientiam, ac modum loquendi deberet prius exquirere ſapiens.

Deindè ſic proſequitur Henricus: *Item ex naturaliter notis nullam apparentiam habet opinio Prædicatorum, ſed ſolùm ex auctoritatibus. Sed oppoſita opinio magnam apparentiam habet vtroque modo, & ſimiliter ex apparenti, & rationabili expoſitione omnium auctoritatũ: igitur videtur ſimpliciter apparentior. Item auctoritates eorum non ſufficiunt cauſare fidem de concluſione eorum, quia aliàs eſſet articulus fidei, & ipſi ſine formidine crederent. Item auctoritates illæ ſunt de propoſitionibus Scripturæ, & Doctorum, quæ poſſunt veriſimiliter ſecundùm plures ſenſus licitè exponi: igitur non ligant. Item Doctores tenent communiter, infantes pœna ſenſus non cruciari, & tamen auctoritas Auguſtini de fide ad Petrum, expreſsè dicit oppoſitũ; & ita etiam eſt in multis, quæ communiter tenentur, quibus tamen expreſsè obuiant auctoritates Auctorum, & Scripturæ, quæ etiam minus aptè quandoque exponuntur, quàm in propoſito: igitur apparentia auctoritatum non debet multum obſtare. Item iſta propoſitio: iſtæ auctoritates ſunt in tali ſenſu ſumendæ, non habet apparentiam ex auctoritatibus, ſed ſolùm ex rationibus, & coniecturationibus minoris credibilitatis longè quàm oppoſita opinio: igitur eorum opinio ſimpliciter eſt minus euidens. Item nulla eorum auctoritas eſt, quin ſine incurſu hæreſis poſſet licitè ad ſenſum alium exponi. Item partem iſtam tenuerunt diù boni, & deuoti, & mortui ſunt in ea, & videtur miraculis confirmata, vt apparet in legenda.* Omnia hic propoſita ab

Hen-

Henrico, ſunt certa, & veritatibus plena, ſicut eſt illud, quòd opinio oppoſita ſolùm nititur auctoritatibus, non autem rationibus, ſed noſtra habet vtrumque, & quòd auctoritates adductæ ab Aduerſariis ſolùm habent apparentiã, & quòd adhuc iſta apparentia non extat in ipſismet auctoritatibus Sanctorum, & Scripturæ, ſed in illationibus, & coniecturis factis ab ipſismet Aduerſariis, & ſic parùm, vel nihil probant. Quod totum conſtabit euidenter ex hoc libro, præcipuè numero 280. Et ſic ſolùm notet Lector verba vltima, ſcilicèt, quod noſtra opinio multis eſt confirmata miraculis, vt apparet in Legenda. Ergo iam ad annum 1330. erat Legenda de miraculis Conceptionis? Igitur miracula adducta à Bernardino de Buſtis non fuerunt ab ipſo ficta, vt dixiſtis in Trituratione num. xxvij. ad finem.

Item, proſequitur Henricus, *arguitur argumento Gamalielis, in actibus Apoſtolorum dicẽtis: Sinite, ſi ex Deo eſt, non poteſtis reſiſtere; ſin autem per ſe peribit, quia nullum violentum diù durat. Sed modò iſta opinio continuè inualeſcit, & fortificatur, & continuè plures adhærent ei, & firmiùs radicatur in Chriſtianis: igitur à Deo videtur negotium eſſe.* Ecce quare exorta fuerunt tot diſsidia, quia ſcilicèt videbant Aduerſarii, quòd noſtra ſententia continuò inualeſcebat, & confortabatur indies; ſua verò opinio decreſcebat. Si quæ hic dicit Henricus, ſint vera, nec ne; vos ipſi Patres iudicate. Et ſignate, quæ congregatio eſt vobiſcum in paleſtra, & ſi non congregationem, numerate ſaltem ſex ſingulares perſonas, quæ ab illo tempore veſtram ſequantur opinionem?

Item communis vſus legis Chriſtianorum habet perſonas egregias eximere à lege communi, propter excellentiam earum. Et ergo quia Virgo Mater Domini excellentiſsima exprimitur in Scripturis: igitur excellentiſsimè præuilegiata intelligitur. Item incomparabiliter inferiores ea leguntur ſanctificati in vtero, eo modo, quo oppoſita opinio dicit eam ſanctificatam: igitur nobiliori modo credenda eſt ipſa ſanctificata eſſe in vtero. Dicunt; oſtendatur priuilegium: reſpondetur, quòd multa facta ſunt circa Chriſtum, Apoſtolos, & Matrem eius, quæ non ſunt ſcripta in libro hoc, vt dicit Scriptura. Item dicere eã omnium excellentiſsimam, eſt dicere eam priuilegiatiſsimam; imò propter nimiam excellentiam Virginis, Scriptura ſupponit talia ſibi debere, propter hoc etiam non eſt certiſiãdum ex Scripturis de eius corpore, an aſſumptum ſit in cœlũ, quia propter excellentiam perſonæ, & ſtatus maternitatis Dei non poteſt fideli benè conſideranti circa hoc eſſe dubium, & ita eſt in propoſito. Et ita etiam eſt in multis alijs præcellentijs, quas attribuimus Virgini, ad quas nõ habemus magnam apparentiam ex Scripturis. Item poſterioribus Doctoribus multæ veritates reſeruatæ ſunt, quas non attigerunt determinatiuè priores, ſicut fuerunt Sanctis Doctoribus reſpectu Apoſtolorum. Nec ſiſtit in iſtis Henricus, nam infrà cap. 10. adducit auctoritates Sanctorum pro noſtra ſententia, ſcilicèt Auguſtini, de Natura, & Gratia, Diui Thomæ ſuper 1. Sententiarum S. Anſelmi in ſpeciali libro de hac materia edito, Richardi de S. Victore, in Serm. de Conceptione, Alexandri Neckam in expoſitione illius: Tota pulchra, &c. Hieronymi in Sermon. Aſſumpt. S. Ildephonſi prout adducitur à Vincentio Hiſtoriali, lib. 7. cap. 65. Deindè cap. 12. proponit Henricus, quòd feſtum Conceptionis debet ſolemniter celebrari, ſiuè fuerit concepta ſine peccato originali, vel cum illo, quod latè probat.

Hæc ſunt præcipuà, quæ adducit Henricus de Haſsia in illo ſuo libello, quæ propoſui latè, vt videant litterati, qualis fuerit mens antiquorum in hac materia. Ex his nota, quo fundamẽto dixerunt Aduerſarii in Trituratione ſignati, quòd noſtra ſententia non habebat pro ſe nec Scripturam, nec Sanctos, &c. Nec poterant ignorare ſupra poſita de Henrico de Haſsia, quia Vitalis, & Alanus ipſum ſæpè citant, vt ſuprà dixi. Imò & ipſemet Turrecremata part. 9. cap. 28. fol. 194. ſic inquit: *Dicat ille noſtris temporibus in tota Alemania vir celebris memoriæ Magiſter Henricus de Haſsia in Sermone ſuo eleganti de Aſſumptione eiuſdem B. Virginis, &c.* Prætermiſit Turrecremata ſupra poſitum Opuſculum, & citat Sermonem de Aſſumptione, vbi nihil dicit Henricus, niſi loquendo de plenitudine gratiæ Chriſti hoc: *Virgo Maria ne dum attigit plenitudinem gratiæ filij ſui in modo, ſed nec in gradu, neque in omnium gratiarum ſpecie, quæ in Chriſto fuerunt:* & nihil ampliùs. Et cap. 2. part. 3. fol. 264. citat pro noſtra ſententia Henricum de Haſsia nouum Doctorem in natione Germanica: *in tractatu, quem intitulat de Macula Bernardi:* Ergo hic Auctor notus erat?

Reſtat nunc ſaltem breuiter aliqua verba, quæ extant in operibus B. Bernardi in medium adducere, vt ex illis etiam verificentur omnia ſuperius dicta, quæ grammaticaliter, & ad litteram expreſsè, ac formaliter pro noſtra videtur eſſe ſententia, prætermittendo alia, quæ ex illatione, ac coniecturis rationabilibus ſaltem fauent, de quibus latè tractauimus in noſtra Militia Seraphica Immaculatæ Conceptionis, verbo: Bernardus ergo Serm. 13. in Cœna Domini circa principium, colum. 1358. littera B. inquit: *Non eſt in filijs hominum, magnus, vel paruus, tanta præditus ſanctitate, nec tantæ religionis priuilegiatus honore, qui non in peccatis fuerit conceptus, præter Matrem Immaculati peccatum non facientis, ſed peccata mundi tollen-*

tollentis, de qua, cum de peccatis agitur, nullam prorſus volo habere quæſtionem, &c. Et ſerm. de B. Maria, qui incipit: *Aue Maria gratia plena*, col. 1691. ad finē, inquit: *De lignis verò Sethim condita eſt arca, in qua thuribulum, manna, & virga ſunt recondita: quia licèt Maria de parentum natura, per peccatum vitiata duceret originem, præelecta tamen per Spiritū Sanctum, & præſeruata ad purū, Deum nobis obtulit, & hominem, &c.* & ſerm. 4. ſuper Salue, qui incipit: *Omninò neceſſariè*, col. 1747. litt. I. inquit: *Libani mons, qui dicitur dealbatio, altam præ omnibus ſignat innocētiam tuam. Innocens fuiſti ab originalibus, & actualibus peccatis. Nemo ita præter te. Vndè auctoritas Auguſtini cùm de peccatis agitur, nullam de B. Maria volumus fieri mentionem, &c.* Iſtæ ſunt auctoritates claræ, expreſſæ, loquentes de B. Maria, ac Conceptione eius nominatim, & indiuiduo, & ſtillantes ex ſe myrrham primā, & non ſupra poſitæ, expreſſæ ſolùm, quia in torculari &c.

BERNARDVS De Caramonte, Ordinis Prædicatorum in impugnationibus Magiſtri Hērici de Gandauo, quodlib. 15. quæſt. 13. *Turrecr. par. 6. cap. 29. fol. 119. Anonym. Auct. 63. Bandel. cap. 23. Deza fol. 42. Petr. de Vincent.*

VERITAS 45.

EXISTIMAT hunc Auctorem fuiſſe in rerum natura, quia illum adducunt Nomenclatores Ordinis Prædicatorum, licèt nullus alius de ipſo mentionem faciat, niſi Poſſeuinus fol. 216: De quo dicitur, quod vixerit ad ann. 1292. & ſcripſerit defenſionem ſtrenuam S. Thomæ contra Henricum à Gandauo, & Gotifredum de Fontibus; & contra Iacobum Viterbienſem, Leand. Albert. lib. 3. ipſum facit Epiſcopum Claramonteſem, quod nullus Aduerſariorum dicit, & ſic Claramonte non fuit cognomen, ſed titulus Epiſcopatus; ſed quidquid ſit, nō dubitemus de Auctore. Sed multū de opere, & ratio eſt, quia eodem tempore, id eſt, ab ann. 1290. vſq; 1310 adducunt Nomenclatores Dominicani ſeptē Doctores Pariſienſes, ſcribentes contra Henricum de Gandauo, de quibus nos infrà n. 183. & nullus iſtorum eſt excuſſus, & Aduerſarii citant pro ſe Henricum de Gandauo, ſed quidquid ſit de Auctore, & opere.

Auctoritatem ſic adducit Turrecremata: Item ad idem eſt eiuſdē Ordinis Pater, & Magiſter Bernardus de Claramonte, Magiſter Pariſienſis, multū famoſus, qui in impugnationibus Henrici de Gandauo in quodlib. 15. quæſt. 13. dicit ſic: *Certum eſt, quod B. Virgo contraxit originale peccatum, tum quia de maſſa corrupta proceſſit, ſicut & alij; tum quia ipſa ad vniuerſalem redemptionem facta per filium eius pertinebat, ſicut & alij: Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei, Roman. 3. & ad Epheſ. 2. eramus natura filij iræ. Vndè nec ipſa excluditur, & ideò tenendum eſt, quòd contraxerit originale peccatum. Hæc ille.* Auctoritas hæc expreſſa eſt, ſed exiſtimo, quòd ſit falſa, quia nullus alius niſi Turrecremata illam adducit. Bandellus enim qui tot, & tantas finxit auctoritates, hanc adeò claram non prætermitteret, & eo magis cùm adduxiſſet Auctorem dicens: *Idem tenet Magiſter Bernardus de Claramonte, Doctor Pariſienſis, in quodlibeto decimoquinto, quæſtione decimatertia.* Et quando Bandellus propter aliquam cauſam, illam ſub ſilentio pretermiſit, quid dicendum erit de Petro de Vincentia, & aliis? Vndè eſſe fictam, vel multiplicatam, cum aliquo ex multis quodlibetariis adductis ab Aduerſariis, & infrà examinandis firmiter credimus: vel fortè ipſam non adduxerunt Bandellus, & alii, quia non erat in originali antiquo Turrecrematæ, ſed illam addit Spina.

Sed quidquid ſit etiam de hoc, opera iſtius Bernardi de Claramonte nullus vidit, nec fuerunt typis mādata, nec aliquis Auctor antiquus, vel modernus Theologus, aut ſcribens de Conceptione, de tali ſcriptore, vel opere mentionē facit: cùm ergo non compareat in iudicio, ad ſuæ declarationis verificationem, ad huius cauſæ ſubſtantiam erit, quaſi non fuiſſet. Deindè ſcripſit pro S. Thoma, & iurauit in verbo Magiſtri, vndè ſi laudandus, vt fidelis diſcipulus, nō admittendus, vt fidelis teſtis, quia eſt ex ipſiſmet delatoribus, imò & loquela ſua illum manifeſtum facit dicens: *Certum eſt, quòd B. Virgo cōtraxit originale peccatum; quia de maſſa corrupta proceſſit.* Sed magis certum eſſe dicerem, quod hæc verba proceſſerunt etiam ex maſſa corrupta, ſcilicèt Spina.

BERNARDVS Oliueri, vel Cliueri, Ordinis S. Auguſtini, Epiſcopus Darencenſis, vel Tartucenſis in ſuo quodlibeto 6. quæſtione penultima. *Turrecrem. par. 6. cap. 33. fol. 124. Anonym. Auctore 131. Bandel. cap. 25. Deza fol. 49. Vincentia, & Paul. Gryſald.*

VERITAS 46.

BERNARDVS Ollier, Olliuerius, vel melius Olliueri; non Cliuerius, vt malè Bandellus, ac Vincentia, fuit patria Valentinus, & floruit ad annum 1336. prius Epiſcopus Oſcenſis, deindè Barchinonenſis, ac tandèm Dertucēſis, vbi è vita migra-

uit anno 1348. Hic ſcripſit aliqua, ſcilicèt: Excitatorium mentis in Deum, ad R. D. Raymundum Epiſcopum Valentinum, in Bibliot. Regia Eſcorialis manuſcript. iv. E. 26. & de inquiſitione Antechriſti 11. F. 19. Atque etiam queſtiones quodlibeticas ſecundum Poſſeuinu fol. 217. Gratianum fol. 52. & Geſnerum fol. 116. ſed quidquid dicant Nomenclatores iſti, qui ſcribentes omnes poſt Turrecrematam, & Bādellum, abſque vllo examine, ſed bona fide, ab illis narrata narrarunt. Veritas ergo eſt, quod Bernardus Oliuerius non ſcripſit quodlibeta, ſed librum quodlibetorum ſui Magiſtri Ægidii Romani recognouit, emendauit, atq; perfecit, & hoc leui fundamento moti Aduerſarii, Auctorē Italum fecerunt etiam Hiſpanum; vt ſic ab Oriente, & Occidente multiplicarent teſtes contra immaculatam Virginis Conceptionē, neque hoc ipſemet celare potuit Turrecremata, qui ſic hunc adducit: *Item ad idem eſt eiuſdē Ordinis Bernardus Oliueri, Magiſter Pariſienſis, Epiſcopus Tartuſen. qui in ſuo 6. quodlibeto quæſtione penultima, quā de Conceptione B. Virginis formauit, eiuſdem eſt ſententiæ cum Ægidio.* Et nihil ampliùs: in quibus verbis Turrecremata callidè, ſed prudenter ſe habuit: callidè, quia cùm ſupra citaſſet Ægidium in quodlib. 6. Argum. 20. hic citat Bernardum eodem quodlib. 6. queſtione penultima; prudenter vero, quia nō adduxit auctoritatem, nè ex ipſa, & verbis conſtarer intenta fraus, ſcilicèt, non eſſe Auctores diuerſos, ſed vnum: atque ex vnica quodlibetorum lorica duos induiſſe milites Ægidium, & armigerum eius Bernardum. Nam in Ægidio quæſtio de Conceptione extat quodl. 6. q. 20. quę eſt circa penultimam.

Sed iam vlteriùs progrediendo, videamus, quid Bandellus, & Vincentia ſcribentes poſt Turrecrematam dicant de hoc Bernardo; ſic ergo vnus, & alter ad litteram: *Idē tenet D. Bernardus Oliueri, eiuſdē Ordinis Doctor Pariſienſis, & Epiſcopus Tartuſen. in 6. quodl. quæſt. penultima ſic dicens: B. Virgo Maria contraxit in ſui Conceptione originale peccatum, ſed ab eodē fuit poſt infuſionem animæ, antè Natiuitatē per ſanctificationem mundata. Hæc ille.* O breuis, & compendioſa auctoritas! & pro veſtra opinione omnibus numeris abſoluta! Compone hoc, ò Lector! Turrecremata affirmat, quod Bernardus dixit eadem verba quæ Ægidius; concluſio Ægidii ſic ſe habet: *Patet ergo, quid dicēdum ſit de quæſtione: Dicimus enim, quod B. Virgo fuit in originali concepta, & per aliquam morulā, ſiuè per aliquod tempus, licèt valdè breue, ſtetit in huiuſmodi originali.* Si ergo hęc ſunt verba Bernardi ſecundùm Turrecrematā; quid dicemus de Bandello, & aliis? Niſi quòd adulterarunt plura in Magiſtro Ægidio, vt vidimus ſup. n. 4. hic verò in Bernardo diſcipulo omnia finxerūt, vt ſic in ſua ſchola non eſſet etiam diſcipulus ſupra Magiſtrum, ſed ſicut Magiſter eius?

Sed etiā reſtat alter ſcrupulus, ſiuè palea diſcutienda noua Vētilatione, ſcilicèt, quod Conradus Geſnerus fol. 118. & poſt ipſum alii quàm plures Poſſeuinus, Taxander, Leon, Marraccius, & Pittoia affirmant, fuiſſe quendā Bernardum Oleriū, Hiſpanū, qui ad ann. 1330. ſcripſit tractatum pro Coceptione Virginis Mariæ, licèt ipſum faciant Carmelitanum: cùm ergo conueniant in nomine, Patria, & tēpore, exiſtimo tantū fuiſſe vnum, & eundē Auctorē (nam variare religionē, frequētiſsimum eſt apud Nomenclatores) ſi ergo ſolus fuit vnus Bernardus Olierius, videte quem Auctorem adducatis pro veſtra opinione; fictum quoad auctoritatē, multiplicatum quoad verba, ſuppoſitū quoad Auctorem, falſum quoad concluſionē. Adduxiſtis denique Auctorē, qui integrum librum ſcripſit pro nobis contra vos. Hoc ergo modo coacerbarunt ſibi Magiſtros, &c.

BERNARDVS Papienſis, Canoniſta, Gloſſator Decreti in cap. Pronuntiandū, ſiuè Prouidēdum, diſt. 3. *Ita Anonym. Auct. 181. Band. cap. 19. Dezafol. 29. Vincent. Gryſ.*

VERITAS 47.

DE hoc Auctore magnam, aut paruam notitiam inuenire potui in Nomenclatoribus antiquis, vel modernis, Italis, vel Iuriſtis: exiſtimo enim me omnes vidiſſe, ac legiſſe; ſolùm in Conrado Geſnero fol. 11. col. 1. reperio hæc verba: *Bernardus Parmenſis Gloſſator in iure,* & nihil ampliùs; ſed cùm præallegatus non ſit Parmenſis, ſed Papienſis, videtur fuiſſe diſtinctum; vndè ſi Auctor iſte non eſt fictus, ſaltem fuit aliquis cōtemporaneus Bandelli, qui in illis Lombardiæ partibus nullius nominis, opinionis, vel famæ ſcriptor extitit; ſed ego ſemper dicerem, ac crederem (ſalua omni temeritate) fuiſſe Auctorem fantaſticum, ac ſuppoſitum à Bandello, ad multiplicandum Cathalogum Canoniſtarū, & hoc ſi non euidenter, & mathematicè, vt in aliis, rationabiliter ſatiscōprobatur: tum ex citatione, quia in Anonymo dicitur: *in cap. Prouidendū,* in aliis verò *cap. Pronuntiandum:* tum ex auctoritate, quam ſic adducunt: Idem tenet Dominus Bernardus Papienſis ſuper cap. Pronuntiandum, ſic dicens: *Conceptio Beatæ Virginis non eſt celebranda, quia in peccato originali concepta fuit, ſicut cæteri, excepta vnica perſona Chriſti.* Si ergo cum hac vnica, & indiuiſibili auctoritate, quæ extat in corpore iuris, & eſt cuiuſdam antiqui Doctoris Ioannis de Gallicis, ſeu Theutonici, de quo infrà n. 173. & n. 192. & inſuper eſt vitiata, vt ibidèm demonſtrabimus,

mus, finxerunt ſupra Bartholomæum Brixienſem, vt videre eſt num. 36. adducendo eum in eodem capite Pronũtiandum, & cum illis alios duodecim diuerſos Auctores: erit ne ab omni temeritate alienum, atque ſatis credibile, quod etiam finxerunt Bernardum Papiẽſem? Quandò alias pro maiori confirmatione, nec nomen talis Scriptoris inuenîtur in tota litteratura Eccleſiaſtica? Si ergo diſcurſus non eſt temerarius poſito fundamento, ſcilicèt, quòd cum his Decreti auctoritatibus finxerũt quatuordecim Auctores, vt infrà euidenter demonſtratur, n. 124, & 171. & 191. quare omnes duodecim Auctores infrà referendi vt ficti, cum hoc Bernardo Papienſi, & Bartholomæo Brixienſi vnũ ſunt; ſed vt videat Lector, quòd in omnibus his ſolũ veritati attendimus: tranſcribo hic, quæ reperio in Elucidario Epiſcopi Azernenſis fol. 169. col. 4. vbi ſic inquit: *Ad auctoritatẽ quam adducunt de Conſec. diſt. 3. cap. Pronuntiandum ſecundum Gloſſam, quòd Virgo contraxit. Notandum pro declaratione huius, quòd cùm Bernardus Decretalium Gloſſator ſuper illud de Pœnit. & Remiſ. vtriuſque ſexus mouerit tale dubiũ, ſcilicèt: Ecce Fratres Prædicatores, & Minores, & alij religioſi non habentes populum, habent priuilegiũ, quòd poſſint recipere Parochianos ad pœnitẽtiã, & reſponderit dicens, quòd non ſufficit ſine licẽtia proprij Sacerdotis; felicis recordationis, D. Clementis Papæ V. in priuilegio quodã Prædicatoribus, & Minoribus cõceſſo, quòd incipit: Quidam temerè ſciẽtes, & ad ſobrietatem ſapere neſcientes, Gloſſatorem illum, & ſimiles, acriter arguit, dicens, quòd imprudẽter loquutus fuit. Cũ verò temerarius quidam nomine Magiſter Ioannes de Poliaco, Doctor Pariſienſis, id non modò defenſare vellet, ſed inſuper adderet, quòd nec Papa, nec Deus facere poterat, &c.* Ecce habemus ex Azernenſi Gloſſatorem Decreti vocatum Bernardum, ſed non conſtat, an fuerit Papienſis, aut ediderit illam Gloſſam, quæ reperitur in Decreto, & ſic manet dubitatio in ſuo robore circa Auctorem fuerit ergo; vel non fuerit Bernardus, cùm Gloſſa ſit vna, vnus fuit illius Auctor, non autem quatuordecim.

BINDVS, Ordinis Minorum, in Serm. de Cœna Domini, &c. *Ita Anonym. Auct. 111, Band. cap. 24. Dezafol. 48. Petr. de Vinc.*

VERITAS 48.

HVNC Auctorem eſſe fictum, atque phantaſticum ſequentibus coniecturis ſuaderi poteſt. Primò, ex incertitudine nominis, quia ipſum ſolùm appellant Bindum abſque alio cognomine, vel ſigno; neque in eo omnes cõueniunt; nam ſi ab vno vocatur Bindus, ab alio dicitur Buidus, & ab alio Bridus; & hæc varietas ſuſpicionẽ generat. Secundò, ex notitia, quia nullus Nomenclator de tali Bindo mentionẽ facit, nam ſi aliqui moderni ipſum adducunt, vt Vvadingus, hic notitiam ſumpſit à Poſſeuino, Poſſeuinus, & Vvilotus à Toſsigniano, & Gonzaga, inquit enim Poſſeuinus, fol. 240. *Bridus, Ordinis Minorũ edidit Sermones de Cœna Domini*, & citat Vvilotum, & Toſsignianũ. Ecce Bindus, factus eſt Bridus, & ex vno Sermone Annuntiationis facto in Cœna Domini, vel è contra, ex vna cõcione Cœnæ D. in die Annũtiationis, facti ſunt multi Sermones de Cœna Domini. Toſsignianus autem, & Gonzaga tranſcripſerunt à Bandello, & ſic noſtra dubitatio in eodẽ ſtatu permanet, quia Bandellus alios quàm plures finxit ex omnibus Religionibus, gente, populo, & nationibus, vt paſsim in hac Ventilatione videbimus: ergo etiam hic Bindus, vt talis reputari debet. Tertiò, quia nullus ex Aduerſariis de tali Bindo adducit auctoritatã, ſolùm enim dicunt: *Item tenet Magiſter Buidus Ordinis Minorũ, in Sermone Cœnæ Domini, quæ fuit in die Annuntiationis illo anno.* Et nihil amplius; cùm ergo experientia iam diſcamus, & repetitis exemplis infra demonſtrabitur, quòd vbicumque Aduerſarii adducto nomine Auctoris tacent auctoritatem, aliqua ſemper latet falſitas, vel in Auctore, vel in auctoritate, aut verbis; ab hac vniuerſali, & indeflectibili regula, quis affirmabit exẽptum fuiſſe Bindũ? Quarto, ego ſumma diligentia reuoluere curaui omnes Sermonarios antiquos, typis mandatos, & talem Auctorem Bindum, aut Sermonẽ de Cœna in die Annuntiationis, reperire non potui; ſi ergo opus hoc manuſcriptum, tinea, & puluere opertum manet ſepultus in aliqua mundi Bibliotheca, & Auctor Bindus, Buidus, aut Bridus nunquam viſus, auditus, vel nominatus fuit inter Scriptores; quomodo hic in re tam graui teſtis eſſe poteſt? vel oſtendant ipſum, aliàs, &c.

BONAVENTVRA, Ordinis Minorum, Magiſter Illuminatiſsimus S.R.E. Cardinalis in 3. Sent. diſt. 3. q. 1. art. 2. *Turrecrem. par. 6. cap. 30. fol. 121. Anonym. via 3. rat. 9. Auct. 99. Bandel. cap. 24. Dezafol. 43. Spira part. 6. cap. 3. Petr. de Vincent. Gryſald. Capreol. Soncin. Brixianus, S. Antonin. Melch. Canus, Iuſtin. Miechouien.*

VERITAS 49.

AVTOR, & opera notiſsima ſunt, ſiquidèm ille eſt Sanctiſsimus Eccleſiæ Doctor, & illa fuerunt ſeorſim pluribus locis excuſſa anno 1500. apud Anton. Roberg. coniunctim verò & correcta Romæ anno 1589. & Maguntiæ 1609. cuius

auctoritatem sic adducunt Aduersarii: Idem tenet Dominus, & Beatus Bonauentura Cardinalis, Doctor singularissimus in 3. Sent. distinct. 3. quæst. 1. art. 2. sic dicens: *Si B. Virgo non fuisset concepta in peccato originali, tunc caruisset merito mortis, & sic vel iniustè mortua fuisset, vel dispensatiuè pro salute humani generis. Primũ facit ad cõtumeliam Dei, secundum derogat Christo. Item si peccatum non habuisset, tunc si ante Christi Passionem mortua fuisset, regnum cœlorum fuisset consecuta; hoc autem est inconueniens: igitur. Item si peccatum non habuisset, Christi morte redempta nõ fuisset, quod est impium, & nefarium dicere. Et ideò est dicendum, quòd B. Virgo fuit concepta in peccato originali, & quòd eius sanctificatio subsecuta est originalis peccati contractionem. Hic autem dicendi modus est communior, rationabilior, & securior: cõmunior, inquam, quia ferè omnes id tenent, cum id appareat ex multiplici eius pœnalitate, & morte, quã nõ est dicere eam passam fuisse iniustè, nec propter aliorum redemptionem, sed propter peccati contractionẽ. Rationabilior etiam est, quia esse naturæ præcedit esse gratiæ, vel tẽpore, vel natura; & propterea dicit Augustinus, quòd prius est nasci, quã renasci, sicut prius est esse, quàm benè esse: igitur prius est animã viri carni, quàm gratiam ei infundi. Si ergo caro illa infecta fuit, ex sui infectione nata erat inficere animam, quæ ei vniebatur culpa originali: & ita necesse est ponere, quòd antè fuerit in ea originalis peccati infectio, quàm gratiæ infusio, vel sanctificatio. Securior etiã est, quia magis cõsonat fidei pietati, & sanctorũ auctoritati; sanctorum auctoritati magis cõcordat, pro eo quòd Sancti cõmuniter, cùm de hac materia loquuntur, solum Christum excipiunt ab illa generalitate, qua dicitur: Omnes in Adam peccauerunt. Nullus autem inuenitur dixisse de his, quos vidimus, & audiuimus auribus nostris, B. Virginẽ fuisse ab originali peccato immunem in sui Conceptione. Pietati fidei etiã magis concordat, pro eo quòd si Mater habenda sit in reuerentia, & magna erga eam sit habenda deuotio, multò tamen maior est habenda ad filium, ex quo est ei omnis honor, & gloria. Et ideò quia hoc expectat ad excellẽtem dignitatem Christi, quòd ipse solus est omnium Saluator, & Redemptor, & quòd omnibus aperuit ianuam paradisi, & quòd ipse pro omnibus mortuus est, nullatenùs ab hac generalitate Virgo Maria est excludenda: nẽ dũ matris excellentia ampliatur, filij gloria minuatur, & sic mater prouocetur, quæ vult magis filiũ suum extolli, & honorari, quàm se ipsam, vtpotè creatorem, quàm creaturam. Huic ergo positioni adhærentes, propter honorem D. N. Iesu Christi, qui in nullo præiudicat honori matris, cùm filius incomparabiliter matrem antecellat, teneamus secundùm quod communis opinio tenet, Virginis sanctificationem fuisse post originalis peccati contractionem: vnde rationes hoc probantes concedendæ sunt, quia verum cõcludunt. Hæc ille.* Ad marginem huius auctoritatis in originali Manuscripto extat hæc nota: *Attende, Frater Minor, qualia de thesauro suæ profundæ scientiæ, & rectissimæ conscientiæ sanctissimus, & clarissimus Doctor tuus Bonauẽtura proferat in dedecũs tuæ obstinatæ præsumptionis, & lege quæ secuntur,* & adducit supra positam auctoritatem. En S. Bonauenturæ auctoritas, prout adducitur ab Aduersariis, quæ collata cum vera, & propria, existente in originalibus Bonauenturæ, (quam non transcribo breuitatis gratia, & quia huiusmodi opus super Sententias passim inuenitur) habet sequentia vitia, & adulterationes capitales.

Primo falsò dicunt, quòd hæc verba extent quæst. 1. artic. 2. sed viceversa extant quæst. 2. art. 1. nec hoc vitium, licèt parui momenti, potuit esse in ipsis error Typographiæ, quia sic extat in vtroque originali Bandelli, ac Dezæ; sed factum fuit propter rationẽ infra assignandam. Secundò, tota prima clausula posita ab Aduersariis, est ficta, & supposita, hæc scilicèt: *Si B. Virgo non fuisset concepta in peccato originali, tũc caruisset merito mortis, & sic vel iniustè mortua fuisset, vel dispensatiuè pro salute humani generis. Primũ facit ad contumeliam Dei, secundũ derogat Christo. Item si peccatum nõ habuisset, tunc si ante Christi Passionem mortua fuisset, regnum cœlorum fuisset consecuta: hoc autem est inconueniens: igitur. Item si peccatũ non habuisset, Christi morte redempta non fuisset, quod est impium, & nefariũ dicere, & ideò est dicẽdum, quòd B. Virgo fuit concepta in peccato originali, & quòd eius sanctificatio subsecuta est originalis peccati contractionem.* Hucusque finxerunt ex proprio cerebro, & addiderunt ad textum S. Bonauenturæ, in quo nec solùm vnum verbũ ex prædictis extat; nec possunt dicere, quòd hoc maleficium fecerit vnius tantum, quia præallegatam clausulã integrã, nullo dempto, vel addito verbo, adducit Bandellus in primo originali, & eãdem Deza in secundo à se correcto, & similiter Petrus de Vincẽtia, &c. à quibus solùm excipio Turrecrematã, qui legaliter transcripsit Bonauenturam. Si ergo aliquis nouitius scientia, vel religione legit in suis libris hanc suppositam, & fictam clausulam Bonauenturę, quid dicet? Sed prætermittendo hoc, ad alia properemus. Tertiò, prætermiserunt, nescio quo fine, illa Bonauenturæ verba: *Quòd B. Virgo habuerit originale.* Quartò, vbi Bonauentura: *ex multiplici eius pœnalitate,* addiderunt, pœnalitate, *& morte,* vt sic mortẽ Virginis reducerent ad pœnã peccati originalis. Quintò, vbi Bonauẽtura: *Quã etiam non est dicere per assumptionem habuisse, sed per contractionem;* ipsi sic adulterarunt: *Quam non est dicere, eam passam fuisse iniustè, nec propter aliorum redemptionem, sed propter peccati con-*

tra-

tractionem, addentes illud, *iniustè*, vt nouam vim rationi tribuerent: & illud, *peccati*, vt sic expressiorem redderent S. Bonauenturæ rationem. Sexto, vbi Bonauentura: *Si ergo caro illa infecta fuit ex sua infectione, nata erat animam culpa originali inficere*; ipsi sic, *nata erat inficere animã, quæ ei vniebatur culpa originali*, addentes illud, *quæ ei vniebatur*, vt videretur loqui de originali post vnionem, non verò de infectione carnis ante vnionem, de qua expressè loquitur Bonauentura, & propositionem de debito determinarent ad actualem contractionem. Septimo, vbi Bonauentura: *Necessarium ergo est ponere, quòd ante fuerit originalis culpæ infectio*; Aduersarii sic: *Et ita necessè est ponere, quod antè fuerit in ea originalis peccati infectio.* In hac clausula solùm nota illud additum, *in ea*, quia cùm Bonauentura loqueretur absolutè, quod necessarium erat ponere aliquã culpæ infectionem, non signando subiectum; ipsi determinarunt Virginem, interponẽtes illud, *in ea*, & posteà signantes, quod *in ea* erat *originalis peccati infectio*, ideo & sit Octauum, vbi Bonauentura, *quam sanctificatio*; ipsi sic: *quam gratiæ infusio, vel sanctificatio*: videntes enim, quod sanctificatio etiam diceretur de rebus inanimatis, ad excludendam hanc communem, & receptam significationem ex Scriptura, & Patribus addiderunt illud, *gratiæ infusio*, quæ solùm potest esse in anima rationali. Nono, vbi Bonauentura: *de his quos audiuimus auribus nostris*; ipsi non contenti ex auditu sic dixerunt: *de his quos vidimus, & audiuimus*, addentes illud, *vidimus*; & hoc satis cauillosè addiderunt, vt destruerent principium conclusionis S. Bonauenturæ sic dicentis: *Ad prædictorum intelligentiam est notãdum, quòd quidã dicere volunt in anima gloriosæ Virginis gratiam sanctificationis præueniſſe maculã peccati originalis, rationem autem huius aſſignant, &c.* Et latissimè adducit sententiã de præseruatione Virginis à peccato originali cum omnibus suis fundamentis; quomodo ergo cum illo, *dicere volunt*, & illo: *rationẽ huius aſſignant*: quomodo, inquam, poterat dicere; quòd nullum vidit tenentem præseruationem Virginis, quando ipse de plurali, ac de præsenti affirmat, *quidam volunt*, & illud, *aſſignant*; poterat autem dicere illud, *audiuimus*, solùm ad denotandũ, quòd in antiquis Patribus nunquã fuerat quæstio ista in propriis terminis exagitata, sed non illud, *de his quos vidimus*; imò ex his verbis constare videtur, quod ante tempora S. Bonauẽturæ de propria, ac formali controuersia, vtrum, scilicèt, Virgo Maria in anima contraxerit originalẽ maculam, nulla fuerat excitata dubitatio, sed hæc exorta fuit suo tempore. Decimo, vbi S. Bonauentura, *Virginem Mariã à peccato originali fuiſſe immunẽ*; ipsi absq; vllo timore addiderunt, *immunẽ in sui Conceptione*, addentes illud, *in sui Conceptione*. Vndecimò, vbi Bonauentura; *quòd ipſe est omniũ Redemptor, & Saluator*; ipsi sic, *quod ipſe solus est omnium Saluator*, addentes illud, *solus*, quia licèt sit verissimum, quòd ipse solus est Saluator, hic additũ fuit à consilio, sicut in aliis multis locis. Duodecimo, addiderunt verbũ illud, *paradisi*. Decimotertio, vbi Bonauentura, *& sic in illo mater prouocetur*; ipsi abstulerunt illud, *in illo*, dicentes solùm, *vt sic mater prouocetur*, vt sic probatio appellaret non determinatè supra redemptionem, sed supra omnia superiùs dicta. Decimoquarto, vbi Bonauẽtura, *vnde rationes hoc probantes concedendæ sunt*; ipsi addiderunt illud, *quia verum concludunt*. En, ò Lector! in sola vna auctoritate Bonauenturæ quatuor decim adulterationes capitales, & vnaquæque in suo genere prima; & si verbatim essent enumerandæ, considera quot, quantæque essent?

Sed restat inquirere præcipuũ, ac principale, an scilicèt verba relata sint S. Bonauẽturę, quia in rei veritate non sunt, quod sic euidenter demonstratur; nam ad deducendam suam resolutionem ponit primam opinionẽ de sanctificatione Virginis ante peccati contractionem sic: *Quidã dicere volunt, in anima gloriosæ Virginis gratiam sanctificationis præueniſſe maculam peccati originalis. Rationem autem huius aſsignant, &c.* Et consequẽter adducit omnia argumẽta, quę pro præseruatione innenerant Scriptores sui temporis. Deindè infrà introducit secũdam opinionẽ huic contrariam sic: *Aliorum positio est, quòd sanctificatio Virginis subsecuta est originalis peccati contractionẽ, &c.* & hic introducit omnia supra adducta ab Aduersariis sub nomine S. Bonauenturę, cum in rei veritate non sint sua; nisi relatiuè, sicut etiã sunt alia adducta pro prima sententia, quod patet euidenter, nam ad finẽ sic concludit: *Huic ergo positioni adhærentes propter honorẽ Iesu Christi, qui in nullo præiudicat honori matris, dum filius matrem incompatibiliter excellit, teneamus secundùm quòd communis opinio tenet, Virginis sanctificationem fuiſſe post originalis peccati contractionem vndè rationes hoc probantes concedendæ sunt.* Constat ergo, quòd supra posita non sunt verba S. Bonauenturæ.

Secundam auctoritatem (si secunda vocari potest) adducunt Aduersarii sic: *Idem dicit articulo primo, floruit anno 1259.* In his verbis indicant Aduersarii, quòd S. Bonauentura in primo articulo huius 3. distinct. dixerit eadem met verba, quæ supra adduxerant; & quòd illa non transcripserunt, quia cùm idem diceret in illo primo articulo, esset actum agere, & bis repetere rem, signantes sic; quòd S. Bonauentura non solùm in vno loco, sed in duplici distincto eadem dixerat. At vt videat Lector, qua verite hoc dixerint, & qualis fuerit mens antiquo-

rum Patrum in hac Conceptionis materia, ventilandus est hic ab Aduersariis citatus articulus primus pro antecedenti, & hac auctoritate. Sãctus ergo Bonauẽtura in illo arti. 1. quæst. 1. inquirit: *An caro Virginis sanctificata fuerit ante animationẽ?* Cuius conclusio sic se habet: *Gloriosæ Virginis caro ante animationem non fuit sanctificata, cum sanctificatio per aliquod superadditum donum fieri debeat, quod non in carne, sed in anima reperitur.* Considera, ò Lector! amore Dei, quam quæstionem citant Aduersarii pro sua opinione? Sed progrediamur vltra, fortè inueniemus illud: *idem dicit:* Bonauentura autem in resolutione propositi quæstionis, sic inquit: *Dicendum ergo, quòd caro B. Virginis ante animationem non fuit sanctificata, non quia Deus non potuerit carnem Virginis purificare, antequam animare: sed quia sanctificatio habet esse per aliquod donum gratuitum superadditum, quod quidem non habet esse in carne, sed in anima: ideò si caro Virginis dicitur sanctificari, aut hoc intelligitur mediante gratia existente in eius anima, vel mediante gratia existẽte in animabus parentũ: constat, quòd non mediante gratia existente in eius anima: quia tunc esset oppositio in adiecto, videlicèt, quòd caro sanctificatur ante animæ creationem, & tamen sanctificaretur per virtutẽ gratiæ illius animæ: sequitur enim quod idem sit prius, & posterius in vno, & eodem. Si autem intelligitur hoc fieri per gratiam, quæ collata fuit animabus parentum, hoc non potest esse triplici ratione. Prima quia ratio sanctificationis non habet transfundi à parente in prolẽ, pro eo quòd proles non est in parente secundùm animam, ideò nec in parente habet sanctificationis gratiã, & hoc est quod dicit Bernardus ad Lugdunenses: ante Conceptionem minimè sanctificari potuit, quia non erat, exponendum est secundùm animã; erat enim in eis secundùm carnem causaliter, sed illud esse non sufficiebat ad sanctificationis gratiam, quæ respicit animam. Secunda ratio est, quia si hoc esset possibile, quòd sanctificatio deriuaretur à parente in prolem, sicut originalis iustitia, nunquam tamen deriuatur mediante coitu libidinoso: quia tunc duo opposita essent simul, & semel in eodẽ, & ideò dicit Bernardus: Fortè inter amplexus maritales sanctitas ipsi Conceptioni se immiscuit, vt simul sanctificata fuerit, & cõcepta; sed hoc ratio non admittit. Quomodo namque sanctitas absque Spiritu sanctificante, aut Spiritus Sancti societas cum peccato fuit, aut quomodo peccatũ non fuit, vbi libido non defuit? Tertia ratio est: quia esto quòd sanctificatio adesset, & libido defuerit virtute diuina; non tamen decuit, vt deesset propter hoc, quòd est solius B. Virginis prærogatiua; sola enim ipsa, vt Sancti dicũt, sine peccato concepit, & sine dolore peperit; & ideò hoc parentibus cõcedi nõ potuit B. Virginis, sed soli Virgini reseruari; & ideò Bernardus: Dico, Virginem gloriosam de Spiritu Sancto concepisse, non autẽ conceptam fuisse; dico peperisse Virginem, non tamẽ partam à Virgine, alioquin vbi erit prærogatiua matris, de qua singulariter creditur exultare, & munere prolis, & carnis integritate: si eam dederis matri, non est Virginem honorare, sed eius honori detrahere. Et ideò simpliciter concedendum, quòd caro eius ante animationem nõ fuit sanctificata.* Hucusque S. Bonauentura. Ex quibus verbis quatuor deducimus irrefragabiles, atq; euidentes conclusiones. Prima, quod S. Bonauentura in hoc articulo, seu prima quæstione, agit de carnis sanctificatione ante animationẽ, seu de prima conceptione feminis. Secundam, S. Bernardum in Epistola ad Lugdunenses nihil aliud tractasse secundùm intelligentiã S. Bonauenturę, quàm de carnali generatione parentũ, seu de sanctificatione ante animationem, qua Bonauenturæ expositione confirmata manent omnia illa, quæ circa hoc diximus suprà n. 44. Tertiam, quòd Bernardus, ac Bonauẽtura constituunt differentiã generationis Christi, & Mariæ in eo quòd Christus fuit conceptus ex Virgine absque viro, libidine, amplexibus maritalibus, &c. & hęc fuit prerogatiua singularis Deiparæ, quàm non habuit, nec fuit decens quòd haberet S. Anna in sua conceptione carnali, & feminis conceptione. Quartam, quòd S. Bonauentura affirmat, quòd Deus potuit purificare carnẽ Virginis antequam animaretur, licèt nõ potuerit ipsam sanctificare rigorosa sanctificatione, quia sanctitas supponit animam, stante ergo quòd potuit purificare carnem, à quo purificaret ipsam, non à peccato, quia in carne nullum est: ergo à contagio fomitis in illa existente, & sic animata non contraheret maculam originalem. Cum ergo loquatur S. Doctor de purificatione, ac sanctificatione carnis, sequitur, quòd Aduersarii sine vllo fundamento, & veritate dixerunt illud: *Idem dicit articulo primo, &c.* cùm S. Bonauentura hucusque nec verbum habeat circa punctum animationis; sed videamus, an in subsequentibus aliquid dicat circa hoc.

Prosequitur ergo Seraphicus Doctor sic: *Dico ergo, quòd in Conceptione solius filij Dei, qui est Sanctus Sanctorum, non solùm operatus est vt Spiritus; sed vt Spiritus Sanctus. In conceptione verò, qua Ioannes est conceptus, siue Beata Virgo, operatus est vt Spiritus tantum. Ideò sola Virgo Maria dicitur concepisse de Spiritu Sancto. Præterea nullius Conceptionis solemnitatem celebrat Ecclesia, nisi solius filij Dei in Annuntiatione B. Virginis Mariæ; sunt tamen aliqui, qui ex speciali deuotione celebrant Cõceptionẽ B. Virginis, quos nec omninò laudare, nec simpliciter audeo reprehendere. Non omninò approbare audeo, pro eo quòd Sãcti Patres,*

qui

qui alias ſolemnitates Virginis, Spiritu Sancto docente, ſtatuerunt, qui etiam magni amatores, & veneratores B. Virginis fuerunt, Conceptionem Virginis ſolemnizare non docuerunt: B. etiam Bernardus præcipuus Virginis amator, & honoris eius zelator, illos reprehendit, qui Conceptionem Virginis celebrant. Statuta enim vniuerſalis Eccleſiæ de Sanctorum celebritatibus omnia fundata ſunt ſuper ſanctitatem, vt nullo die pro aliquo ſancto ſolemnizet, in quo, vel pro quo perſona ſacra nõ fuerit, cui honor ille defertur. Si ergo ſanctitas non fuit in Virgine ante animæ infuſione, non videtur vſquequaque ſecurum Conceptionis illius etiam ſolemnitatem celebrare. Non etiam audeo omninò reprehendere, quia vt quidam dicunt, hæc ſolemnitas celebrari nõ cæpit humana inuentione, ſed diuina reuelatione, quod ſi verum eſt ſine dubio bonum eſt ſolemnizare in eius Conceptione, ſed quia hoc authenticum non eſt, non compellimur credere; quia etiam contrà fidem recta nõ eſt, non compellimur negare. Poteſt enim eſſe, quod illa ſolemnitas potiùs refertur ad diem ſanctificationis, quàm Conceptionis; & quoniam dies Cõceptionis fuit certa, & dies ſanctificationis incerta, vt patebit infrà: ideò non irrationabiliter ſolemnitas diei ſanctificationis ſtatui potuit in die Conceptionis. Nec immeritò, quia quamuis Conceptionis diem non opporteat celebrari, pro eo, quòd non fuit ſanctitas in concepto, poſſunt tamen irreprehenſibiliter gaudere anima ſanctæ pro eo, quòd tunc inchoatum eſt. Iſta ſunt omnia Bonauenturæ verba; ex quibus ſatis clarè, atque euidenter conſtat, quomodo omnes antiqui Sancti Doctores, ac Patres generationem primam, cõgreſſum maris, & fœminæ, ſiuè ipſum carnalem coitum parentum, abſolutè & communiter vocabant conceptionem. Aduerſarii verò ex hoc modo loquendi antiquorum occaſionem ſumentes, quidquid Auctores antiqui dicebant de illa prima Conceptione carnis, transferunt, & adducunt contra propriam Cõceptionem in animæ infuſione, & ſic facta eſt confuſio magna in hac materia. Secundo, etiã clarè, & euidenter conſtat ex illis Bonauenturæ verbis: *Si ergo ſanctitas non fuit in Virgine ante animæ infuſionem, non videtur vſquequaque ſecurum, Conceptionem illius etiam vſquequaque celebrare, &c.* quod tam Seraphicus Doctor Bonauentura, quàm mellifluus Bernardus, vt ſupra latè dixi, & alii quàm plures infrà adducendi, ſolùm laborabant, vt auellerent à cordibus fidelium illam communem æquiuocationem, & radicatam ignorantiam de Conceptione Virginis Mariæ facta die 8. Decembris, & ſic dicebant, & optimè clamabant, Conceptionem illam inter amplexus maritales factam non eſſe celebrandam, quia tunc ibi nec erat Virgo Maria, nec ſanctitas aliqua celebratione digna; quin potius fuerunt ibi concupiſcentia, libido, ſordes, & forte etiam peccatum: large verò poterat celebrari, vel quia tunc ædificium virginale inchoatum eſt; vel per ordinem ad ſecundam Conceptionem in animæ infuſione, ſeu ſanctificatione, quia tunc iam erat Maria, & ſanctitas. Ex his etiã conſtat, quòd hæc propoſitio: Ola Conceptio Chriſti Domini eſt celebranda, quia ipſa ſola fuit ſancta, pura, ſine ſordè, & peccato, &c. Non autem Virginis Mariæ, quia non fuit conceptio ſancta, pura, ſine ſordè, &c. iuxta modum loquendi Bernardi, ac Bonauenturæ, nihil dicit contra Immaculatam Conceptionem Mariæ; at nunc propoſitiones iſtæ exprimerent, ac ſignificarent pluſquam ipſi Aduerſarii dicere, vel deſiderare poſſent.

Denique notet Lector illa Bonauenturæ verba: *In Conceptione verò, quà Ioannes eſt conceptus, ſiuè B. Virgo, operatus eſt vt ſpiritus tantùm: Ideo ſola Virgo Maria dicitur concepiſſe de Spiritu Sancto. Præterea nullius Conceptionis ſolemnitatem celebrat Eccleſia, niſi ſolius Filij Dei in Annuntiatione B. Virginis Mariæ, &c.* Indicat ergo Bonauentura in his verbis catholicè ac doctè, quod eſt conceptio duplex, vna actiua, qua mater concepit, & alia paſſiua, qua filius eſt conceptus, & cùm iſtæ duæ Conceptiones ex Maria concipiẽtur, & Chriſto concepto fuerint ſimul, & ſemel, non ſolùm in eodem die, ſed etiam in eodem inſtanti, & ambæ tàm actiua Matris, quàm paſſiua Filii, fuerint ſanctæ, puræ, ac immaculatæ, ambæ celebrãtur ab Eccleſia eodẽ die, ſcilicet, die 25. Martii; actiua Matris, ſub titulo Annuntiationis Mariæ, alia verò ſub titulo Incarnationis Filii Dei, vel Conceptionis Verbi Domini. Prima, id eſt, Conceptio actiua Mariæ concipientis, vt mater ex gratia, & priuilegio ſuperuenientis Spiritus Sancti, fuit pura, ſancta, ac immaculata. Secũda, Conceptio Filii Dei, non ex priuilegio, ſed ex ipſa natura, & eſſentia concepit, fuit puriſſima, ac ſanctiſſima. Has duas Conceptiones confundunt Aduerſarii, cùm inter ſe diſtent, ſicut actio, & paſſio, Mater concipiens, & Filius conceptus, & illa patrata die 25. Martii, ſicut creatura concipiens, & creator conceptus, puritas ex gratia, vel puritas ex natura, fit illa vtraque ſancta, & ſic vtraque celebratur ab Eccleſia, ſub vno nomine Annuntiationis, Incarnationis, vel Conceptionis Chriſti: At Ioannis conceptio, tam actiua matris, quã paſſiua ipſius Ioannis, vtraque fuit maculata, & infecta; attamen Conceptio Mariæ inter iſtas duas medium tenuit, quia actiua matris fuit maculata, iuxta hic dicta à Bonauentura, & Bernardo; de ſecunda paſſiua nihil hic exprimit Bonauentura, ſed quæſt. ſecunda, vt ſupra notauimus; Aduerſarii autem omnia, quæ ſancti dixerunt de prima Conceptione Matris, transferunt ad ſecundam conceptionẽ,

ſeu

ſeu animatione filiæ, vt ſuprà latè diximus & infrà dicemus.

Reducendo ergo omnia ſuprà dicta ad compendium, quod ex Bernardo, ac Bonauentura hucuſque dicta ſunt, & ex ipſis, & aliis Doctoribus infra in hac Ventilatione adducendis colligitur clarè & expreſsè ſecundùm rei veritatem eſt: quòd à tempore Bernardi per tria integra ſæcula, id eſt, ab anno 1130. vſque ad annum 1430. non ſolùm vulgares, imperiti, & ignorãtes, ſed etiam aliqui docti, & periti, vidētes quòd Lugdunenſes & aliquæ aliæ Eccleſiæ celebrabant ſicut diem Conceptionis Chriſti, ita & diem Conceptionis Mariæ; id eſt, Chriſti ante eius Natiuitatem, per integros nouem menſes, Mariæ per alios integros nouem menſes; Chriſti ſub nomine Conceptionis, vel Annuntiationis; Mariæ verò ſub eodem nomine Conceptionis, vnam vt ſanctam, alteram etiam vt ſanctam: ex his & aliis paritatibus, ac ſimilibus circunſtantiis iudicabant, & ſentiebant prædictas Eccleſias celebrare in die Conceptionis Mariæ 8. ſcilicèt Decembris, illud quod Eccleſia Romana ab Spiritu Sancto edocta, celebrabat die 25. Martii, in Conceptione Chriſti, & Verbi Incarnatione, videlicet adminiſtrationem materiæ. Cùm ergo vidiſſent Patres, hãc eſſe eraſſam, & ineptam ingnorantiã, inſurgebant contra illam, dicentes, & affirmantes catholicè, verè, & doctè Annuntiationem, Incarnationem, ſeu Conceptionem Dominicam eſſe diſtinctiſsimam, ac longè præſtantiſsimam à Conceptione Mariana, quia vna fuit diuina, altera purè humana, vna creatoris, altera creaturæ, Chriſti generatio, & Cõceptio, ſiuè adminiſtratio materiæ, & animatio, fuerunt in eodem indiuiſibili inſtanti, puncto, ac momento, atque in ipſomet generationis, ſeu Conceptionis puncto fuit ibi Chriſtus ſanctus, & Verbum caro factum: non ſic in Maria, quia à generatione parentum, & adminiſtratione materiæ, ſiuè à prima Conceptione carnis, vſque ad ſecundam animationis fluxerunt octoginta dies, vel ad minus quadraginta, & ſic die 8. Decembris non erat ibi Maria, neque aliquid ſanctũ. Illa generatio Chriſti, adminiſtratio materiæ, ſiuè illa conceptio, quæ prioritate naturæ præceſsit ſecundam animationis, fuit patrata vIrtute Spiritu Sancti, abſque viro, ex Virgine, ſine ſenſualitate, concupiſcentia, libidine, vel aliqua minima delectatione carnis, vel ſorde & ſic totũ fuit ibi ſanctum, purum, & immaculatum, prima & ſecũda; carnis, & animæ, actiua Matris, & paſsiua Filii: At Conceptio illa Mariæ, quæ preceſsit eius animationem, nihil horum habuit: nam non fuit patrata virtute Spiritus Sancti, ſed exviri oparatione, ex fœmina corrupta, cum ſenſualitate, concupiſcentia, libidine, ſordibus, carnis delectatione, imò fortè etiam fuit cum peccato: ergo Conceptio iſta Mariæ facta die octaua Decembris (dicebant antiqui, ſicut dicit cum Bernardo S. Bonauentura) non eſt feſtiuãda, nec celebranda, cùm ibi neque fuerit Maria, neque ſanctitas, gratia, aut ſanctificatio, nec potuerit eſſe; ſi verò diſpenſatiuè, vel permiſsiuè celebretur, propter bonam fidem, hoc fieri debet per ordinem, & reſpectum ad inſtans, & punctum illud, in quo Maria habuit eſſe, & fuit ſanctificata poſt animationem. Hoc modo diſcurrebat Bernardus, Bonauentura, Thomas & omnes alii, de quibus infrà; affirmantes, & dicentes, feſtiuitatem, vel diem Conceptionis nõ eſſe celebrandã, &c. Sed tales non ſolùm ſunt contra magis piam opinionem de Immaculata Conceptione Mariæ, quin potiùs ipſam corroborant, ac confirmant, niſi aliàs ex alio capite, quæſtione, aut verbis cõſtet aliquid amphùs, vbi ipſi dicant, vel affirment, in ipſa animatione, antè ſanctificationem contraxiſſe originale peccatum, ſicut hìc patet in ipſo Bonauentura, nam poſt quæſtionem ſuprà relatam, de carnis Conceptione facta die 8. Decembris, & poſt concluſionem & rationes probantes, quòd Cõceptio illa nullo modo debet celebrari, pergit vlteriùs, & in ſequenti quæſtione ſecunda inquirit: *An anima B. Virginis ſanctificata fuerit ante originalis peccati contractionem?* Iudicans, vt ſapiẽtiſsimus Eccleſiæ Pater, ac Doctor, eſſe diuerſiſsimas quæſtiones, inquirere de conceptione carnis, libidine, & concupiſcentia habita in die generationis, ac de fomite, morbidaque qualitate, relicta in ipſo ſemine, vel naturæ cõtagio, quod ipſi ferè ſemper vocant peccatum originale, culpa, delictum, & iniquitas: vel loqui de macula contracta à prole in ipſo animationis puncto, ſiuè conceptione propria; ſtante enim illa prima infectione, potuit remoueri hæc ſecunda per Dei potentiam. Aduerſarii verò omnia hæc confundunt, & vbicumque audiunt Cõceptionem, quamuis ſit corporis, illic congregantur vt aquilæ.

Nunc ſolùm reſtat inquirere, qualis fuerit mens S. Bonauenturę; ſiuè de eius ſententia in in hac materia Conceptionis? Et dico, quòd in 3. Sentent. quæſt. 2. tantùm ſe inclinat in Aduerſariorum opinionem, in illis verbis ſupra relatis. *Huic ergo poſitioni adhærentes, &c.* ſiuè hoc fuerit propter Decretum Mauritii Epiſcopi Pariſienſis, vel quia tunc ità ſenſerit. At quãdo fuit prouectioris ætatis, ac maioris litteraturæ, apertiſsimis, clariſsimiſque verbis contrariam docuit ſententiam, docens, & ſcribens, Virginem Mariam fuiſſe abſque originali peccato conceptam, vt videre eſt Serm. 2. de Beata, ſemperque Virgine Maria, exiſtente tom. 3. ſuorum operum fol. 354. Explicans illa verba: Aue Maria gratia plena, vbi hęc habet: *Dico primo, quòd Domina noſtra fuit plena gratia præ-*

præueniẽte in ſua ſanctificatione, gratia, ſcilicèt, præſeruatiua contra fœditatem originalis culpæ, quam contraxiſſet ex corruptione naturæ, niſi ſpecialigratia præuenta, præſeruataque fuiſſet; ſolùs enim Filius Virginis fuit ab originali culpa immunis, & ipſa mater eius Virgo. Credendum eſt enim, quòd nouo ſanctificationis genere in eius Conceptionis primordio eam à peccato originali (non quod infuit, ſed quod infuiſſet) redemit, atque ſingulari gratia præſeruauit: de hoc poteſt exponi illud: Gratia ſuper gratiam mulier ſancta, &c. Vide, quomodo Bonauentura ex ſanctificatione probat præſeruationẽ, & ex præſeruatione ſanctificationem: ergo falluntur qui in antiquis Patribus ex mero vocabulo ſanctificationis volunt colligere contractionem originalis maculæ. Sanctificata fuit enim Maria in ſua præſeruatione, ſed nouo ſanctificationis genere, nec poterat præſeruari, niſi ſanctificaretur. Tam clarus, euidens, & expreſſus textus eſt ſuprapoſitus, vt illum tergiuerſare Aduerſarii non ſint auſi, ſed ad marginem apposuerunt hæc verba, ſeu ſcholium: *Beatam Virginem in originali peccato fuiſſe conceptam, cùm B. Bernardo, cum S. Thomâ, & cum alijs B. Bonauentura in lib. 3. Sent. diſt. 3. articulo 1. quæſt. 1. & 2. omninò tuetur. Hinc Sermonem hunc B. Bonauenturæ non eſſe, omninò fatendum eſt, cùm ipſe multis alijs in locis opinionem in 3. Senten. affirmatiuam omninò, & conſtanter defendat.* Si ſcholium hoc fuerit appoſitum ab Angelo Rocca, Sacriſta ſacri Palatii, vel ab ipſiſmet Reuiſoribus Romanis, Magiſtro, vel ſocio ſacri Palatii; ipſi videãt, ego exiſtimo, quòd non fuerit ab Angelo Rocca poſitum, ſicut nec illa proteſtatio, quæ extat in principio eiuſdem tom. 3. poſt dedicatoriam ad Clementẽ VIII. magnis characteribus in folio expanſo, ſub hoc titulo: Frater Angelus Rocca à Camerino Auguſtinianus, Apoſtolici Palatii Sacriſta, Lectori. (Ibi taliter extat inſignis illa proteſtatio:) *Quãuis in Epiſtola nuncupatoria, de Sermonum ſelectione ſatis dictum ſit; hoc tamen loco Lectorem admonitum velim, Sermonem de B. Maria ſemper Virgine in ordine ſecundum, qui inter Sermones de Sanctis in communi extat, vel non eſſe legitimum partum huius Sancti Doctoris, vt in ſcholio noſtro in hanc rem ad marginem cõſcripto dictum eſt, vel in eo (quod ad eiuſdem B. Mariæ Conceptionem ſine peccato originali attinet) aliquid à quopiam recentiori additum fuiſſe, ſicut multis in libris frequenter euenire ſolet. Id quod in compendio Theologiæ olim impreſſo, & præſertim in cap. de ſanctificatione lib. 4. factum eſſe conſtat, vt ex multis exemplaribus manuſcriptis colligitur, à quibus compendium illud, quod ſub nomine S. Bonauenturæ circumferebatur, maiori ex parte videtur differre: additamento quodam appoſito aduerſus eiuſdem Doctoris opinionem, in eodem Compendij capite, & in libro Senten. 3. diſt. 3. artic. 1. quæſt. 1. & 2. Dictũ autem Sermonem, qui in hac tantum re, ad Cõceptionem B. Mariæ ſemper Virginis pertinente à doctrina S. Bonauenturæ eſt alienus, ab eo loco amouendum non cenſuimus, quippè qui Sermonem ipſum cæteris in rebus doctrinam, ac ſtylum eiuſdem S. Doctoris redolere inuenimus.* Hucuſque proteſtatio illa inſignis magnis characteribus, in fronte iuxta Pontificis dedicatoriam & in capite libri poſita contra opinionẽ, verba, vel ſententiam S. Bonauenturæ de Immaculata Virginis Conceptione. Ecce quanta diligentia, ac repetito ſtudio conati ſunt Aduerſarii excludere ab operibus Seraphici Doctoris, ac de medio tollere ex ſuis ſcriptis ſententiam piam, vt non vna ſola animaduerſione contẽta in Epiſtola nuncupatoria, ſed inſuper addiderunt ſcholium ſupra poſitum in margine, ac tandem hanc præliminarem proteſtationem, vt fieri ſolet de erroneis, vel hæreticalibus propoſitionibus; quòd autem totum hoc ſit fabricatum non ab Angelo Rocca, ſed ab aliquo ſocio, officiali Magiſtri ſacri Palatii, zelatore minus piæ opinionis: ex eo comprobatur, quia Angelus Rocca fuit alias peritus, ac doctus vt ipſius lucubrationes indicant, tàm impreſſæ, quàm manuſcriptæ exiſtentes Romæ in ipſius Bibliotheca, homoque adeò grauis, ac doctus, dicere, nec ſcribere poterat tot mendacia, & ignorantias, ſicut in prædicto ſcholio, & proteſtatione continentur; quas hìc ſignare incipio hoc modo.

Et primo falſum eſt, quòd S. Bonauentura, in 3. Sent. diſt. 3. quæſt. 1. aliquid dicat contra Immaculatam Conceptionem, vt ſupra vidimus, nam omnia quæ Aduerſarii adducunt, ſunt ex quæſt. 2. vbi loquitur S. Doctor de generatione, ſeu conceptione carnali, & illa quæ adducuntur de propria, ac genuina quæſtione, non ſunt verba S. Bonauenturæ, vt ſupra demonſtrabimus. Secundò etiam eſt falſum, quod dicitur in ſcholio, ſcilicet S. Bonauenturam in multis aliis locis opinionem Tertii Sententiarum affirmatiuam omninò, & conſtanter defendiſſe. Etenim ſolùm tom. 7. part. 3. de Eccleſiaſtica Hierarchia, part. 4. cap. 7. fol. 271. agit iterum de ſanctificatione Virginis, & in Compendio Theologiæ, de quo infrà: at in illo de Eccleſiaſtica Hierarchia neque omninò, neque conſtãter defendit affirmatiuam ſententiam, vt in noſtra Militia latè demonſtrabimus, ſed potiùs in negatiuam ſe inclinat. Vbi ergò ſunt illi multi loci? Tertiò, quod dicitur Sermonem 2. de B. Virgine, non eſſe S. Bonauenturæ, vel quòd illa clauſula de Immaculata Conceptione fuerit ab aliquo recentiori addita, gratis, & abſque fundamento dicitur; nam in quodam antiquo libro impreſſo ante cẽtum quinquaginta annos,

to-

totus Sermo, atque ſupra poſita verba extant, nulla dempta, vel mutata ſyllaba, & ad calcem prædicti libri dicitur: *Expliciũt Sermones de cõmuni Sanctorum generales, nec non de B. Virgine, de Angelis, & de triplici dedicatione S. Bonauenturæ Doctoris Seraphici, Cardinalis, Epiſcopi ex Ordine Minorum, à deuio erroris, quàm diligentiſsimè emendati, atque correcti, impenſis, & opere prouidi viri Magiſtri Iacobi Pfortzbemi, ciuis Baſiliẽſis, anno ſalutis MCCCCCII.* Et eſt liber in 4. Quis ergo potuit addere illam clauſulam de Conceptione Virginis Mariæ, an Magiſter ille Iacobus Typographus? Et quando hoc eſſet poſsibile; an hic ciuis Baſilienſis tranſcripſit eadem numero verba in originalibus manuſcriptis, exiſtentibus clauſis ſub cuſtodia, & clauibus in Bibliotheca Vaticana? Nonnè ridiculum eſſet, quòd hæc diceret Rocca? Quarto, etiam eſt contra veritatẽ dicere, quòd Compendiũ Theologiæ S. Bonauenturæ fuerit vitiatum; nam bis fuit hoc Compendium excuſſum, primò à Franciſco Vviliere Franciſcano Baſileæ anno 1501. in 4. in quo libro illo 4. prælegato à Proteſtatore cap. de ſanctificatione materna in ordine 3. nec vnum ſolùm verbum eſſentiale habet mutatum, vel alteratum in textu Bonauenturæ, ſed ſolùm ad finem totius capitis, vel rubricæ extat quædam nota, ſeu obſeruatio diſtinctis characteribus ab ipſo textu ſcripta, quæ ſic incipit: *Animaduertendum hoc loco, quòd Doctor iſte de Immaculata Virginis Conceptione hic ſicuti in 3. Sententiarum ſcripto, & infrà loquitur ſecundum opinionem antiquorum, &c.* Hoc autem non eſt adulterare, nec corrumpere textũ S. Bonauẽturæ, vt hic Proteſtator inſinuat, vt ex hac falſa eius impoſtura probet, etiam Sermonem illum ſecundũ de Virgine eſſe vitiatum. Deindè hoc ipſum Compendium S. Bonauenturæ fuit etiam typis mandatum à Ioanne de Combis, Ordinis itidem Minorum, Venetiis 1575. & 1560. & Lugduni 1563. & 1554. & denique 1613. Sed hoc in omnibus, & per omnia correſpondet cũ Romano impreſſo ab eodem Angelo Rocca in operibus S. Bonauenturæ tom. 7. fol. 687. ita vt nec in minimo verbo ſit vitiatum. Nam poſito cap. 4. de ſanctificatione materna ad litteram, ſolùm ad marginem appoſuit Combis ex propriis hoc ſcholium: *Hæc opinio non tenetur; nam Virgo fuit à peccato originali præuenta*, & nihil amplius: hoc autem non eſt vitiare textum Compẽdii, vt Aduerſarii abſque vllo fundamẽto, & veritate nituntur ſtabilire, vt ſic ſaltem ab exemplo deducant hoc argumentum: Compendium S. Bonauenturæ circa hanc materiam Conceptionis fuit vitiatum: ergo etiam hic Sermo ſecundus de B. Virgine; & verba, quæ ibi continentur, circa Immaculatam Conceptionem, fuerunt addita, & adulterata? O Patres! conſequẽtia eſſet rationabilis, ſi antecedens nõ fuiſſet falſum, clarum, atque apertum, &c. quia Compẽdium illud, neque in prima impreſsione antiqua, neque in aliis modernioribus, nec in minimo verbo eſſentiali reperitur vitiatum.

Sed etiam eodem modo argumentor ego à ſimili, & primò ad hominem ſic: Compendiũ S. Bonauenturæ, nec alius liber ipſius, aut verba, neque in materia Conceptionis, neque in alia reperiuntur vitiata, nec fuerunt addita, nec diminuta in vno ſolo verbo: Ergo nec Sermo iſte fuit vitiatus. Nota, Lector, non fuit vitiata quæſtio illa ſecunda tertii Sẽtentiarũ, quia ibi eſt pro Aduerſariorũ opinione, & Sermo ſecũdus de B. Virgine, quia eſt pro nobis, fuit vitiatus? Qui vitiauit Sermonem, etiam vitiaret quæſtionẽ? Item argumentor à ſimili ex verbis veſtris, dicitis enim: *Dictũ Sermonem in hac tantũ re ad Cõceptionem B. Mariæ, pertinẽte à doctrina B. Bonauẽturæ eſt alienus, cæteris in rebus doctrinam ac ſtyllũ eiuſdem S. Doctoris redolere inuenimus.* Totus Sermo redolet doctrinam, ac ſtyllum S. Bonauenturæ, & ſolùm illa quatuor verba, in quibus Seraphicus Doctor affirmat, Virginem Mariam fuiſſe cõceptam abſque originali peccato, vobis non redolent, ſed ſi vobis no redolent, mihi & omnibus redolent, quaſi Cinnamomũ & Balſamum aromatizans, quaſi Myrrha electa, quaſi Storax, & Galbanus non inciſus, & quaſi Balſamum non mixtum. Patres, ſi totus Sermo redolet ſtylum, & doctrinam S. Bonauenturæ, ego exiſtimo, quòd in veſtra ſententia totũ non diſtinguitur à partibus, & quòd pars ſequitur conditionem totius: ſi ergo totus Sermo redolet: ergo & hæc pars debet redolere, niſi fortè in hac parte habeatis obturatas nares. Item argumentor iterum à ſimili ſic: S. Auguſtinus primus, ac maximus Eccleſiæ Doctor ſcripſit decem tomos, in quibus inuenitur integer liber retractationum, nec hoc malè olet, nec redundat in dedecus, ſed potiùs in ſummũ Auguſtini honorem, & gloriam, nec hoc notauit Angelus Rocca Auguſtini filius. Quare ergo tot, ac tantas erigitis turres, vt defendatis Bonauẽturam ab vnica ſola retractatione, qui nec eſtis ipſius filii, nec Fratres. Et ſi, vt dicit Capreolus in 3. diſt. 3. quæſt. vnica ad finem, pro ſuo Angelico Doctore S. Thomã, quòd opinionẽ piam, quam docuerat primo Sent. retractauit in 3. part. quarè à ſimili non potuit Seraphicus noſter Doctor S. Bonauentura retractare in Sermone opinionem minus piam, quam ſuſtinuerat in tertio Sententiarũ? S. Bonauentura ſcripſit nouem tomos magnos; quid mirum quòd retractauerit vnam opinionem, quam docuerat Pariſiis, cum eſſet, iuuenis, & inſtabat quoddam decretũ Mauritii illius ciuitatis Epiſcopi? Denique quid immoramur in hac materia, Cõpen-

pendium illud Theologiæ multos habuit Patres, & Auctores, nam primo Trithemius, & Gratianus illud attribuunt Ægidio Romano, & Vvading. in Cathal. Script. Ordin. Minor. fol. 81. latè examinat Auctorem huius Compendii, & concludit, non esse Alberti Magni, nec S. Thomæ: *Etsi cui præter Bonauenturam adscribendum erit, Ægidio debetur, &c.* Vos secundo illud attribuitis D. Thomæ Aquinati. Tertiò, vos etiam illud attribuitis B. Alberto Magno, & sic etiam est excussum in nouissimis operibus Alberti tom. 13. Quartò, Fratres Minores, & Angelus Rocca ipsum adscribunt S. Bonauenturæ, & sic est excussum in eius operibus. Itē Quintò, vos hoc ipsum Compendium adscribitis Hugoni de Argentina, vt infrà videbimus. Sexto, vos ipsi illum etiam adscribitis Ioanni Ricardo Episcopo Draconensi, vt videbitur infrà. Septimò, vos ipsi illud etiam adscribitis Ioanni Rigaldo Ordinis Minorum, de quo etiam infrà. Octauo, vos etiam tribuitis hoc opus Compendii Thomæ de Suetonia, de quo etiam infrà. Item. Nono, hoc opus tribuitis similiter Vlrico de Argentina, vt videbimus infrà. Decimo, hic etiam videtur esse, quem infrà adducitis sub nomine Reginaldi Rothomagensis. Vndecimo, & duodecimo adscribitur Petro de Tarantasia, & Hugoni de S. Caro. En ex hoc vnico Compedio transcribitis auctoritatem contra Immaculatam Virginis Conceptionem, pro tot, tantisque testibus. O Compēdium sine compēdio! ò Patres generantes vnicū filiū, quid vobis deest nisi illud: Crescite, & multiplicamini, atq; replete terrā? De proprio Auctore Cōpendii vidè num. 185 & 299.

Concludimus ergo afirmando, quod festiuitas Conceptionis fuit introducta, ac recepta in Seraphica Religione ab vno S. Bonauentura sic. Anno 1263. die 20. Maii, infesto Petecostes, fuerunt habita comitia generalia in ciuitate Pisarū præsidente Ministro Generali S. Bonauentura, in quibus aliqua fuerunt condita statuta pro Fratribus Minoribus, in quibus vnum fuit, vt referunt, Vvading. tom. 2. in Vrbano IV. anno 2. fol. 262. num. 16. & Michael Angelus in Chronologia in 12. Capitulo Generali fol. 17. *Tunc ordinatum, & vt hac strophe: Gloria tibi Domine, qui natus es de Virgine, &c. clauderētur Hymni omnes à Natiuitate Domini vsque ad Epiphaniam, & similiter ad primā diceretur: Qui natus es de Maria Virgine. Iussum item, vt nouæ hæc festiuitates admitterentur in Ordine, videlicèt, Conceptionis B. V. Mariæ, Visitationis eiusdem, B. Annæ illius Genitricis, & Marthæ Virginis, &c.* Hoc præcepit, iussit, & ordinauit S. Bonauentura. Vndè sicut dixit Alensis, videri sibi Adamum in Bonauentura non peccasse; videtur mihi Mariam in Bonauentura non peccasse in Adam.

BOMBOLOGIMVS Bononiensis, Doctor Parisiensis, Ordinis Prædicatorum in 3. Sent. dist. 3. quæst. 1. artic. 2. *Ita Bandell. cap. 23. Deza fol. 41. Petr. de Vincent. Gryfaldus.*

VERITAS 50.

HVIVS Auctoris sic Aduersarii adducunt auctoritatē: Idem tenet Magister Bombologimus (Vincentia dicit Bōbologninus Bononiensis) Doctor Parisiensis, qui fuit tēpore S. Thomæ in 3. Senten. dist. 3. quæst. 1. artic. 2. sic dicēs: *Beata Virgo non fuit sanctificata ante animationem, nec in instanti animationis, sed post animationem: quia si non contraxisset originale peccatum, non indiguisset vniuersali satisfactione, & redemptione Christi. Non enim decuit, honorem soli Christo debitum alicui puræ creaturæ communicare: esse autem sine omni peccato, est honor soli Christo debitus. Hæc ille.* Existimo Auctorem istum nunquam extitisse in rerum natura: nec apparuit, quamuis ipsum compellent ad præconis vocem, vsque ad vltimam in valle Iosaphat: & auctoritatem esse fictam, & suppositam ab vnico Bādello; quod sic probo. Primò, quia adhuc inter ipsos Aduersarios non constat de nomine huius Auctoris; nam quē Bandellus vocat Bōbologimus, alii appellant Bombologninus à Gauiano, vel Bomboliginus; alii vero Borabolognius. Secundò, quia licèt de illo mentionem faciant Leander Albertus, & Alphonsus Fernandez Placentinus fol. 341. & Antonius Senensis fol. 57. Michael Pius part. 2. lib. 2. col. 152. isti sunt Nomenclatores Dominicani, & scripserunt post Bandellum. Nam nullus Nomenclator antiquus de tali Bombologimo mentionem facit, scilicèt, Trithemius, Gesnerus, Bellarminus, Myræus, &c. Tertiò, & efficacius, quia Ioannes Antonius Bumaldus laborauit Bibliothecam omnium Auctorum Bononiensium, vbi enumerat, & adducit omnes Fratres ex Ordine Prædicatorum, Scriptores, & eorum opera, & de hoc Bombologimo Bononiensi nullam facit mentionem. Quartò, quia hic, vt dicunt ipsi Aduersarii, vixit & scripsit tēpore S. Thomæ, at secundùm Nomenclatores, scripsit ad annum 1320. hæc autē minimè cohærēt, quia S. Thomas floruit ad annum 1252. Quintò, quia Turrecremata, S. Antoninus, Capreolus, & Anonymus, qui scripserunt ante Bādellum, nullam de tali Bombologimo mentionem faciunt. Sexto, quia nullus Theologus, vel aliquis alius Scriptor Parisiensis, vel Dominicanus, antiquus, vel modernus, talem Auctorem saltem incidenter nominat. Septimò, quia ipsamet auctoritas, & illius artificium, declaran-

rant Auctorem illius fuiſſe Bandellum, cuius ſtylum ex aliis à ſe fictis pluſquam probabiliter deprehendimus; antiqui enim Doctores non loquebantur illis circunſtãtiis, ac reduplicationibus. Si ergo iſtæ coniecturæ nihil probant; oſtendite veſtrum inſignem Scriptorem Bombologimum, appareant opera illa Bombologimi; de quibus hoc vnũm affirmo: quòd nunquam fuerunt typis mandata; nec aliquis adhuc ex veſtris illa vidit manuſcripta; & ſi vnanimiter affirmant, quòd ſcripſerit ſuper Sententias tantummodò, eſt quia Bandellus eum adducit ſuper 3. Sententiarum, & ſi eum citaſſet in aliquo Sermone, ſimiliter ipſi dicerent, quòd ſcripſerat Sermones de Sanctis, ac de tempore, quia hoc ipſum in aliis obſeruant. Ecce iudex ante ianuam aſtitit in Auctore ſequenti, in ipſo exemplum accipite Patres, exitus mali laboris.

BONIFACIVS De Cremona, Ordinis Prædicatorum, in Sermone Purificationis, Annuntiationis, & Natiuitatis. B. Virginis. *Bandell. cap. 23. Deza fol. 42. Vincent. Gryſaldus.*

VERITAS 51.

IIDEM Ipſi Aduerſarii, qui ſupra adduxerunt Bombologimum, idem ipſi nunc adducunt Bonifacium de Cremona, & eiſdem ipſis rationibus, ſeu coniecturis, quibus illum oſtendimus fuiſſe fantaſticum, & fictum, eiſdem ipſis intelligimus, hũc etiam eſſe ſuppoſitum & chymericum, & ſi Michael Pius, Sixtus Senenſis fol. 57. & Alphonſus Fernandez fol. 340. de ipſo mentionem faciant, & dicant, quòd ſcripſerit Sermones de Sanctis, ac de tempore, hoc affirmant, quia Bandellus eũ citat in Sermonibus Purificationis, Annuntiationis, ac Natiuitatis B. Virginis, ſi enim eum adduxiſſet ſuper 3. Sent. diſt. 3. ſimiliter ſupra enumerati tres Nomenclatores affirmarent, ac dicerent, Bonifacium de Cremona ſcripſiſſe ſuper quatuor libros Sententiarum, &c. vt dicũt in antecedenti, Vndè exiſtimo, quòd talis Auctor non fuerit in rerum natura. Et confirmatur, quia ex tot Sermonibus ab Aduerſariis in in medium adductis, nullam tranſcripſerunt auctoritatem, & hoc quia Bandellus nullam adduxerat, qui motor extitit huius probaticæ Piſcinæ. Solùm enim inquit. *Idem tenet Magiſter Bonifacius de Cremona, in Sermone Purificationis, Annuntiationis, & Natiuitatis.* Sed fortè curiosè inquires, quare Bandellus non finxerit hic auctoritatem aliquam, ſicut fecerat in antecedenti Bombologimo, & in multis aliis? Ad quod reſpondeo: quod non erat ei ita facile fingere auctoritates, ex Sermonibus, ſicut ex Sententiariis, quia in Sententiariis procedit modo reſolutiuo in concluſionibus, & ſic Bandellus fabricabat concluſionem, ſeu reſolutionem ad libitum, at in Sermonibus hoc non poterat efficere, quia vnuſquiſque diſcurrit pro ſuo libito, per totã Scripturam, ſub themate diuerſo, conceptibus, diſpoſitione, ac verbis, & ſic Bandellus ſuper Sententias fabricabat ferè ſemper auctoritates, non vero ſic in Sermonibus, & ex iſtis citabat illos, in quibus frequenter de puritate Mariæ agitur, vt ſunt Natiuitatis, Annuntiationis, & Purificationis, vt eius fallacia veriſimilior euaderet, & quando fingit auctoritates ex Sermonibus, etiam ſunt more ſcholaſtico, vt infrà videbimus.

Sed etiam ſingulari notatione dignum eſt, ò Lector! quod Bandellus in omnibus ſuis libris, Auctores ſuos facit Lombardos, ſcilicèt Medionalenſes, & Bononiẽſes, Parmenſes, Veronenſes, Brixienſes, Cremonẽſes, Papienſes, &c. Et ratio eſt: quia in illis tumultibus exortis, in partibus Lombardiæ, de quibus latè Sixtus IV. in ſuis Extrauagantibus: *Graue nimis, &c.* non paruam mentionem facit, quia plures Patres Prædicatores erant ſocii Bandelli, comenſales, & coadiutores illius, & hi indifferenter exeuntes per vicos, & plateas, prædicabant Virginem Mariam fuiſſe conceptam in peccato originali, & hoc eſſe de fide; contrarium verò hæreticum; quos poſtea Bandellus in ſuis libris, in pretium, ac præmium tanti laboris, laureauit, & appellauit clariſsimos, atque famoſiſsimos Doctores. Et hinc eſt, quòd nullus Nomẽclator ex antiquis, adhuc ex ſuis, vt Turrecremata, Guillelmus de Gannaco, Capreolus, vel S. Antoninus de ipſis mentionem faciunt, niſi ſoli qui ſcripſerunt poſt Bandellum, vt Antonius Senenſis, Leander Albertus, Pius, & Fernandez. Vnus ex his eſt Bonafacius de Cremona, cuius nomen inter litteratos nunquam fuit auditum, Sermones eius nunquam viſi, opera à Typographo nunquam tacta, cuius auctoritatem guſtare non poſſumus, quia non adducitur, & ſolùm odoro, quòd ſit fictus & ſuppoſitis; in quo verificatur illud Philoſophi, non entis nullæ ſunt qualitates.

BONIFACIVS Primus in Concilio Melleuitano, vt habetur de Conſecratione diſt. 4. cap. Placuit. *Ita Bandell. cap. 18. Deza fol. 27. Petr. de Vincent. Gryſaldus.*

VERITAS 52.

PRO Maiori claritate incipio ab auctoritate Summi Eccleſiæ Pontificis, quam ſic adducunt Aduerſarii: Idem tenet Bonifacius primus in Concilio Milleuitano eius

au-

auctoritate celebrato, cui interfuit Auguſtinus, & quidam Anſelmus Eccleſiæ Legatus, vt habetur de Cõſecratione, diſt. 4. cap. 5. *Placuit.* Vbi ſic dicitur. *Placuit omnibus Epiſcopis, qui fuerunt in hac ſancta Synodo, conſtituere ea, quæ in præſenti Concilio definita ſunt: Primũ eſt vt quicũque dixerit, primũ hominẽ Adã, ita mortalem creatum, vt ſiuè peccaret, ſiuè non peccaret moreretur, hoc eſt, de corpore exiret, non meritò peccati, ſed neceſſitate naturæ, anathema ſit. Mortem enim dicimus pœnam fuiſſe peccati, Placuit etiam vt quicumque dicit, paruulos nihil ab Adam trahere originalis peccati, anathema ſit. Quoniam non aliter intelligendum eſt quod ait Apoſtolus: Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes pertranſit, in quo omnes peccauerunt: niſi quemadmodum Eccleſia vbique diffuſa ſemper intellexit. Per hanc enim regulam fidei etiam paruuli, qui nihil peccatorum in ſemetipſis adhuc committere potuerunt; ideo in remiſſionem peccatorum baptizantur, vt in eis regeneratione mundetur, quod carnali generatione traxerunt. Quiſquis enim ex concupiſcentia generatur, regenerari ſpiritualiter habet opus, vt non ſolùm ad regnum Dei perducatur, ſed vt etiam à peccati damnatione mundetur, ac liberetur. Hæc ille.* Verba autem Decreti vt extant in omnibus originalibus ſub hoc titulo: Item in Concilio Milleuitano, cui interfuit Auguſtinus, & Anſelmus Romanæ Eccleſiæ Legatus contra Pelagianos capit. 1. Deinde ſub alio titulo, ſeu capite, qui eſt in ordine 152. videlicèt: Non naturæ neceſsitate, ſed merito peccati Adam mortuus erat. Decretum habet hæc verba: *Placuit igitur omnibus Epiſcopis, qui fuerunt in hac ſancta Synodo conſtituere hæc, quæ in præſenti Concilio definita ſunt: vt quicumque dicit, Adam primum hominem mortalem factum, ita vt, ſiuè peccaret, ſiuè non peccaret, moreretur in corpore, hoc eſt, de corpore exiret non peccati merito, ſed neceſſitate naturæ, anathema ſit.* Deinde in ſequenti capitulo, qui eſt in ordine 153. ſub hoc titulo: Paruuli non ſolùm pœnam, ſed etiam culpam à parentibus trahunt, ſic proſequitur Decretum: *Placuit vt quicumque paruulos recentes ab vteris matrum baptizandos negat, aut dicit in remiſſionem quidem peccatorum eos baptizari, ſed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod lauacro regenerationis expietur (vndè fit conſequens, vt in eis forma baptiſmatis in remiſſionem peccatorum non vera, ſed falſa intelligatur) anathema ſit. Quoniam non aliter intelligendum eſt, quod ait Apoſtolus: per vnũ hominem peccatũ intrauit in mundũ, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertranſiit, in quo omnes peccauerunt. Niſi quemadmodum Eccleſia Catholica vbique diffuſa ſemper intellexit: propter hanc fidei regulam, etiam paruuli, qui nihil peccatorum in ſemetipſis adhuc committere potuerunt, ideo in peccatorum remiſſionem veraciter baptizantur, vt in eis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt.* Deindè adducit Decretum tria alia capita, ſed minimè ſpectantia ad hanc materiam, quibus finitur illa diſtinctio 4. Decreti, & hæc de textu Decreti.

Concilium verò Milleuitanum, extat tomo 1. Conciliorum part. 1. fol. 740. ſub hoc titulo: *Concilium Milleuitanum ſecundum contra Pelagium, & Celeſtium ſexaginta, Epiſcoporum, Theod. VII. & Paladio Conſulibus celebratum ſub Innocentio Papa Primo, ad annum Chriſti 416.* Deindè capite primo adducit Concilium verba ſuprà relata à Decreto, ſine mutatione alicuius verbi; imò neque alteratione minimæ ſyllabæ; his ergò à veritate ſic conſtitutis, pergamus ad ventilandum Auctorem, atque auctoritatem.

De Auctore ergo dico: falſum eſſe, & ab omni veritate alienum, quòd Aduerſarii affirmant, ſcilicèt, Concilium Milleuitanum fuiſſe celebratum auctoritate Bonifacii Primi, quia fuit ſub Innocentio Primo, vt conſtat ex ipſo Concilio, & ex omnibus actis Summorum Pontificum, & hoc ipſum fatentur infra Aduerſarii, in Innocentio ab ipſis adducto. Vide numero 146. & conſtat euidenter: nam Innocentius primus fuit creatus anno 405. & anno 416 fuit celebratum Concilium Milleuitanum. Anno verò 420. fuit electus Zozimus Papa, & an. 421. ad Sedem aſſumptus fuit Bonifacius Primus: ergo Concilium Milleuitanum per quinque annos fuerat celebratum ante creationem Bonifacii? Fuit ergo ſine fundamento, ac veritate quod dicunt de Bonifacio; excogitatum ſolùm, vt ſub pallio huius maleficii adducerent pro ſua ſententia Summum Eccleſiæ Pontificẽ Bonifacium. Vide etiam Synoda num. 291. vbi alia maiora nos expectant, quia eandem auctoritatem iterum adducunt, cum aliis circunſtantiis.

De auctoritate verò dico. Primò, quòd ex diuerſis capitulis Decreti vnam continuam, ac ſucceſſiuam fecerunt orationem. Secundò, quòd in prima clauſula pauca vitiarunt, quia ad propoſitum intentum de Virginis Conceptione parum, vel nihil illa verba conducebant. Tertiò, quòd in ſequenti addiderunt omne illud: *Mortem enim dicimus eſſe pœnam peccati*; quæ verba neque in Concilio, nec in Decreto extant, vt inde deducerent conſequentiam: quòd ſi Deipara mortua fuit in pœnam peccati non actualis: ergo originalis. Quartò addiderunt illud, *placuit etiam*, vt ſic Aduerbio illo connecterent primum capitulum cum ſecundo, vt exiſtimarent legen-

tes totam esse vnam, integram ac indiuisibilem orationem. Quintò, abstulerunt illud: *baptizandos negat*, & loco illius apposuerunt illud: *Nihil ab Adam trahere originalis peccati*, qua pessima adulteratione totum sensum, ac textum tàm Decreti, quàm Concilii penitus vitiarunt: quia loquuntur contra hæreticos Pelagianos, asserentes paruulos non esse baptizandos, aut solum baptizari debere in remissionem peccatorum ad exemplum, non verò quia ab Adam aliquam culpam contraxissent, vel maculam hæreditassent. Aduersarii totum hoc peruerterunt. Sextò, illam clausulam Concilii, ac Decreti: *Placuit vt quicumque paruulos recentes ab vtero matrum, baptizandos negat, aut dicit, in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod lauacro regenerationis expietur (vndefit consequens, vt in eis forma baptismatis in remissionem peccatorum non vera, sed falsa intelligatur) anathema sit.* Sic ipsi Aduersarii: *Placuit etiam vt quicumque dicit, paruulos nihil ab Adã trahere originalis peccati, anathema sit.* Vide, & considera, quanta, ac qualis differentia intersit in vtraque auctoritate! & obserua Lector, perpende, ac considerà bis ac millies, nõ est Auctoris, quòd hæc, sed Decreti, ac Concilii, & sub Rubrica Canonica: anathema sit. Septimò, vbi Decretum, & Concilium: *quod generatione traxerunt*, ipsi addiderunt, quòd *carnali* generatione, vt quasi commentarent Concilii, ac Decreti verba, vel ad efficatiorem formam reducerent, vel emendarent. Octauò absque vllo timore, & humana saltem verecundia addiderunt totam illam vltimam clausulam. *Quisquis enim ex concupiscentia generatur, regenerari spiritualiter habet opus, vt non solum ad regnum Dei perducatur, sed vt etiam à peccati damnatione mundetur, ac liberetur.* Cuius non dico clausulam integram, sed neque vnum verbum, ex his est in Decreto, neque in Concilio Milleuitano, sed totam integram finxerunt, vt sub hoc Decreto, & Canone comprehenderent Virginem Mariam, & sic apposuerunt illam vniuersalem distributiuam, *quisquis*, & illud, *enim*, emphaticum, & illud: *ex concupiscentia* generatur; vt solum excluderent Christum Dominum, qui absque concupiscentia fuit genitus. Nonò, quòd hanc auctoritatem conantur etiam adscribere Gratiano, vt videre est num. 93. & etiam Concilio Melliuitano, vt dicemus verbo, Synoda, num. 291. & si auctoritas ista est triplicata, & insuper tota vitiata capitalibus adulterationibus, vt vix ad numerũ reduci possint illius vitia, iudicat Lector, quid sentiendum sit de illa.

BONIFACIVS Tertius, vel Nonus in priuilegio Visitationis B. Virginis. *Ita Anonym. via 3. Rat. 9. Auctore 9. Bandell. cap. 18 Deza fol. 28. à tergo, Vincent. & Gryfald.*

VERITAS. 53.

PRIMÒ Suppono, quòd Bonifacius Nonus creatus anno 1390. sui Pontificatus anno primo edidit rescriptum, priuilegium, seu Bullam de celebratione festiuitatis Visitationis Beatissimæ Virginis Mariæ, vt habetur in Bullario Romano tom. 1. fol. 223 Petro Matheo fol. 70. & in Compendio nostri Bullarii Seraphici part. 1. fol. 289. & in aliis. Secundò nota, quòd Bandellus tam in corpore libri, quàm in margine citat Bonifacium Tertium, & hoc in vtroque originali, Vincentia etiam semel, & iterum vocat eum Bonifacium Tertium, & Gryfaldus similiter, solus Anonymus, qui ante ipsos scripsit, appellat Bonifacium Nonum. Hæc autem tanta Tertii repetitio contra veritatem, vel fuit error Typographiæ, vel lapsus Aduersariorum: non primum; quia sunt quatuor diuersæ impressiones in diuersis ciuitatibus, diuersis temporibus factæ, atque à distinctis Autoribus: ergo non videtur, quòd tàm repetitus error potuerit esse Impressorum: Nec secũdum: quomodò enim poterant ignorare Bandellus, Deza, Vincentia, & Gryfaldus, quòd Bonifacius Tertius fuit inauguratus anno Christi 606. quando nec memoria erat illius festiuitatis, quoad celebrationem, & quando idemmet Bandellus affirmat, suum adductum Bonifacium floruisse ad annũ 1383. (quod licèt sit falsum, nam creatus fuit, vt supra dixi anno 1390.) ex hoc saltem poterant cognoscere, quoad ad annũ 1383. non poterat esse Bonifacius Tertius: igitur hoc videtur factum ex malitia, vt pro suâ opinione multiplicarent Auctores, & Sũmos Pontifices, & sic vnus scribebat, pro nobis est Bonifacius Nonus; alii verò, dicebant pro nobis, est etiã Bonifacius Tertius; alii verò, vt in numero antecedẽti vidimus adducebant Bonifacium Primum, & sic omnes Bonifaciebant sed non benefaciebant.

Auctoritatem verò sic adducunt Aduersarii: Idem tenet Bonifacius Tertius in priuilegio Visitationis Beatæ Virginis, vbi sic dicit: *Benignitas conditoris humanam creaturam collapsam fore primi parentis lapsu considerans, vt eam à mortis nexibus liberaret, voluit Verbum suum carnem nostræ mortalitatis assumere, vt tandem mortem nostram moriendo destrueret, & damnationis sententiam simul, & maculam, quam per reatum primi hominis vniuersa generis humani posteritas incurrisse noscebatur, clementi bonitate aboleret. Quapropter de stirpe Dauid elegit Virginem, in cuius*

vte-

vtero myſtico ſpiramine, Verbum ipſum carnem ſuſciperet, locumque ad ſui Conceptionem elegit in Nazareth, in quo ſumpſimus noſtræ Redemptionis exordia, ibique primus dies noſtræ ſanctificationis illuxit, qui nobis de ſalute ſpem intulit. Hæc ille. Verba verò in Bulla Bonifacii IX. ſic ſe habent: *Superni benignitas conditoris humanam naturam ad ſimilitudinem ſuam creatam, miſericordi pietate reſpiciens, etiam collapſam fore primi parentis lapſu conſiderans, illam miro decreuit conſilio releuandam, vt ſcilicèt Verbum ſupernum, quod erat in principio, eam à mortis nexibus liberaret. Igitur pij Patris, qua nos dilexit charitas, temporis veniente plenitudine, Verbum ipſum æternum ſub forma ſerui carnem noſtræ mortalitatis aſſumere, vt eandem mortem noſtram moriendo deſtrueret, ac damnationis ſententiam, ſimul & maculam, quam per reatum primi hominis generis humani poſteritas incurriſſe noſcebatur, clemens Verbi æterni bonitas aboleret; qua propter de clara ſtirpe Regia Dauidica paælegit Virginem in cuius vtero myſtico ſpiramine Verbum ipſum carnem ſuſciperet, vt egrederetur, iuxta verbum Propheticum virga de radice Ieſsè, & flos de radice eius aſcenderet, & requieſceret Spiritus Domini ſuper eum, perfectam Reginam, inclytam matrem eligens, quæ tanto Regi digna fuit ſui corporis thalamum præparare, de quo tanquã ſponſus præ filiis hominũ procederet ſpecioſus; locum in Nazareth, quæ flos, ſiuè ſanctitas dicitur, ad ſuam Conceptionem elegit, in quo per Angelicæ ſalutationis eloquia ipſius incarnati Verbi myſteria, miraque fuerunt ſolemnia celebrata. Ibi enim ſumpſimus noſtræ redemptionis exordia, ibique primum dies ſanctificationis illuxit, qui nobis de ſalute ſpem intulit, & de æternitate lætitiam. In hoc etenim tantæ fœcũditatis loco Virgo Regia venuſtiſsima à Domino conſeruata, flos ſanctitatis, vas cœleſtis gratiæ mundiſsimum, omnium virtutum floribus redimita, cuius pulchritudinem Sol, & Luna mirantur, Redemptorem gentium Virgo concepit, datura lucem gentibus ſub mortis caligine conſtitutis.* Hæc ſunt verba Bonifacii in præallegata Bulla, & cùm ſit vnica, quia nullã aliam adducunt Aduerſarii pro ſua ſententia, ipſam verbatim examinabimus, vt videat ſummus Eccleſiæ Pater, ac Pontifex, qua fidelitate apud ſuos miniſtros tractãtur ipſius oracula, & quomodo ad litteram obſeruantur litteræ Apoſtolicæ omni reuerentia dignæ!

Primò ergo prætermiſerũt illud: *Superni*, Secundò, Bonifacius in aliquibus originalibus habet, *creatoris*, & in aliis, *cõditoris*. Tertio, vbi Pontifex, *naturam*; ipſi, *creaturam*. Quartò, prætermiſerunt totam illam clauſulam: *Ad ſimilitudinem ſuam creatam miſericordi pietate reſpiciens*. Quintò, tacuerunt illud aduerbium coniunctiuum, *etiam*. Sextò, dereliquerunt ſimiliter ſequentem orationem: *Illam miro decreuit conſilio releuandam, vt ſcilicèt Verbum ſupernũ, quod erat in principio*. Septimò, etiam prætermiſerunt illa verba, *Igitur pij Patris, qua nos dilexit charitas, temporis veniente plenitudine*: Octauò, vbi Bonifacius, *Verbum ipſum æternum ſub forma ſerui carnem noſtræ mortalitatis aſſumere*; ipſi præciſè ſic, *Verbum ſuum carnem noſtræ mortalitatis aſsũmere*. Nono, vbi Pontifex; *vt eandem mortem*; ipſi ita; *vt tandem mortem*. Decimò; vbi Bonifacius, *generis humani poſteritas*; ipſi ſic; *vniuerſa generis humani poſteritas*. Vt addita voce, *vniuerſa*, hac vniuerſali comprehẽderetur etiam Virgo Maria. Decimoprimò, vbi Bonifacius, *clemens Verbi æterni bonitas aboleret*, ipſi, *clementi bonitate aboleret*. Decimoſecundo, prætermiſerunt illud; *de clara*, vt ab ſtirpe Mariæ demerent claritatem. Decimotercio, eadem intentione abſtulerunt illud; *Regia*. Decimoquarto, vbi Bonifacius, *præelegit Virginem*; ipſi ſolùm appoſuerunt, *elegit Virginem*; quia illud, *præ*, ſonabat plus quàm ipſi vellent; aliud enim eſt, eligere; aliud, verò præeligere. Decimoquintò, dereliquerunt omnia illa: *Vt egrederetur, iuxta verbum propheticum virga de radice Ieſsè, & flos de radice eius aſcenderet, & requieſceret Spiritus Domini ſuper eum, perfectam Reginã, inclytam matrem eligens, quæ tanto Regi digna fuit ſui corporis thalamum præparare, de quo tanquam ſponſus præ filijs hominum procederet ſpecioſus*; quia vbi de puritate virginea agebatur, nolebant, quòd Summus Pontifex vocaret ipſam perfectam, Reginam, inclytam matrem, quæ tanto Regi digna fuit: Decimoſextò, vbi Bonifacius: *Locum in Nazareth, quæ flos, ſiuè ſanctitas dicitur, ad ſuam Conceptionem elegit*; ipſi ſic, nudè, *locumque ad ſui Conceptionem elegit in Nazareth*: noluerunt enim videre florem, & ſanctitatem iuxta Conceptionem. Decimoſeptimo, prætermiſerunt totam illam clauſulam: *In quo per Angelicæ ſalutationis eloquia ipſius incarnati Verbi myſteria, miraque fuerunt ſolemnia celebrata*. Decimo octauo, vbi Pontifex, *ibi enim*, ipſi; *in quo*. Decimo nono, vbi Pontifex, *primùm*, aduerbialiter; ipſi dixerunt, *primus*. Vigeſimo, addiderunt illud, *noſtræ*. Vigeſimoprimo, prætermiſerunt totum illud; *& de æternitate lætitiam, &c.* Vſque ad finẽ auctoritatis, quia ibi ſingularia Virginis elogia continebantur, & eius puritatem miris encomiis Sanctiſsimus Pontifex celebrabat, vocando eam venuſtiſsimam, à Domino conſeruatam, florem ſanctitatis, vas cœleſtis gratiæ mundiſsimum, omnium virtutum floribus redimitam, cuius pulchritudinem Sol, & Luna mirantur. Si hoc fecerunt

ex ſincero corde, ac magna ſimplicitate, Deus ſcit, & alius iudicet. Quod vero ego pro certa, ac infallibili veritate affirmo, eſt, quod vidi hāc Bullam in vndecim libris diſtinctis, & in omnibus extat integra, perfecta, nullo variato, vel mutato verbo: circa ſenſum, & finem intentum ab Aduerſariis in hac auctoritate neſcio quid dicam, quia in tota illa non inuenio, ex qua clauſula, aut verbo poſſet deduci conſequentia ab illis intenta, ſcilicèt: Virgo Maria contraxit peccatum originale, ipſi illam non aſsignant, ego illam non inuenio, hoc non dicit Bonifacius, nec aliquid ſimile: ergo illam gratis adduxerunt; ſolùm ad multiplicationem Auctorum, & auctoritatum Summorum Pontificum, vt ſugillarent illud: Graue nimis, &c.

BROCARDVS, Ordinis Minorum, & Epiſcopus in Summa libro 20. cap. 11. *Ita Paulus Gryſald. fol. 245. à tergo.*

VERITAS. 54.

POSTQVAM Bonus ille vir Paulus Gryſaldus in ſuo Alphabeto 3. de Doctoribus Theologis neotericis, Auctore 2. poſuiſſet Brucardum Epiſcopum in Summa lib. 20. capit. 11. & adduxiſſet eius auctoritatem ſic: *In prævaricatione Adæ omnes homines innocentiam perdidiſſe*, & nihil ampliùs. Poſteà in Alphabeto 6. de Doctoribus Theologis Minoritis, littera B. Auctore vltimo, poſt. S. Bonauenturam iterùm adducit Brucardum Epiſcopum in Summa libro 20. capit. 11. ſed nullam adducit auctoritatem. Ex quibus patet, quòd Gryſaldus ad libitum multiplicabat Auctores pro ſua opinione, vt vidimus ſupra num. 1. multiplicatum Ales & num. 18. Angelum Bononia. & num. 24. multiplicatum Anſelmum Conturbienſem, & infrà videbimus alios nō paucos, præcipuè num. 286. & num. 306. & potiſsimè num. 310. Quòd autem Brucardus iſte Ordinis Minorum, & Epiſcopus, quòd ſcripſerit Summam, vel aliquid aliud, nunquam fuerit in rerum natura, eſt per ſe notum; quia aliquis huius nominis Epiſcopus, vel ſcriptor non reperitur in Annalibus, Hiſtoriis, vel Nomenclaturis Seraphicæ Religionis, ſolùm enim Brucardus Lorillà qui adhuc viuit, Germanus ſcripſit relationem ſuæ Prouintiæ Auſtriæ, quā manuſc. habemus. Deindè quia ex ipſo nomine, Epiſcopatu, Summa, libro, capitulo, conſtat, quòd hic Brucardus nō eſt diſtinctus à Brucardo Epiſcopo Vvormaciēſi, qui obit anno 1025. qui ſcripſit Sūmā, de quo numero ſequenti. Quare cū omni ſinceritate cordis, ac amore fraternitatis pro quocūque Scriptore ego dicerē illud ſapientis: Oppro brium nequam in homine, mendacium.

BVCHARDVS, Guormatienſis Epiſcopus, ſiuè Bruchardus in Summa ſua libro 20. capit. 11. *Ita Bandell. cap. 20. Dezafol. 32. Gryſaldus Alphab. 3.*

VERITAS 55.

HVNC, Quem Bandellus vocat Buchardū, Gryſaldus appellat Brucardum, ſicut antecedentem, alii verò eum dicunt Bulchardū, & alii Bruchardū; ſed res eſt parui momēti hęc nominum variatio. Hic fuit Epiſcopus Vangionum, in Vvormatia; vndè communiter dicitur Vvormatienſis; fuit Monachus, & florebat anno 1008. ſcripſit librum dictum: Loci communes congeſti cum ex Decretorum libris, atque etiā diuerſarum nationum Synodis, in quibus totum Eccleſiaſticum munus, & veteres Eccleſiarum obſeruationes breuiter, & dilucidè comprehēduntur, liber eſt impreſſus Coloniæ 1560 in fol. & 1548. atque Pariſiis 1549. & ſic conſtat de Auctore, & opere.

Auctoritatem iſtius ſic adducunt Aduerſarii: Idem tenet Dominus Buchardus, Epiſcopus Guormatienſis, in ſumma ſua lib. 20. cap. 11. ſic dicens: *In prævaricatione Adæ omnes homines naturaliter innocentiam perdidiſſe; & neminem de profundo illius ruinæ poſſe conſurgere, niſi eum gratia miſerantis Redemptoris erexerit, Beatæ memoriæ Innocentius Papa in Epiſtola ad Carthaginenſe Concilium apertè pronūtiat. Hæc ille.* Auctoritas verò Bulchardi prælegato lib. 20. qui eſt de contemplatione Decretorum citato, cap. 11. cuius titulus eſt: *Quòd omnes homines in prævaricatione Adæ naturalem poſsibilitatem perdidiſſent*, fol. 221. à tergo ſic inquit: *In prævaricatione Adæ omnes homines naturalem poſsibilitatem, & innocentiam perdidiſſe, & neminem de profundo illius ruinæ per liberum arbitrium poſſe conſurgere, niſi eum gratia Dei miſerantis erexerit, pronuntiante Beatæ memoriæ Papa Innocentio, atque dicente in Epiſtola ſua ad Carthaginenſe Concilium, liberum enim arbitrium ille perpeſſus, dum ſuis in conſultius vtitur bonis, cadens in prævaricationis profundo demerſus eſt, & nihil quemadmodum exindè ſurgere poſsit, inuenit, ſuaque in æternum libertate deceptus, huius ruinæ latuiſſet oppreſsus, niſi eum poſt, Chriſti pro ſua gratia releuaſſet aduentus, qui per nouæ regenerationis purificationem omne præteriti vitium ſui Baptiſmatis lauacro purgauit.* Et hic finem facit caput illud vndecimum, ex quibus clarè iam videtur, Aduerſarios totam vitiaſſe auctoritatem & ſenſum illius. Nam primò, vbi Bulchardus; *Naturalem poſsibilitatem perdidiſſe*; ipſe

ad

ad ſuum intentum ſic, *naturaliter innocentiam perdidiſſe*, quæ inter ſe diſtant, tanquam cœlum à terra, ſicut veritas à mendacio. Secundò, vbi Bulchardus *per liberum arbitrium*; ipſi tacuerunt hæc verba, & ſimul totam ſententiam præuaricarunt. Tertiò, in confirmationem prioris orationis adduxerunt Innocentium, auferentes illius auctoritatem, & verba; nam ſi illa poſita eſſet, neceſſariò cognoſceretur, tàm Bulchardum, quàm Innocentium locutos fuiſſe de libero arbitrio, quod in præuaricatione Adæ, vires, & poſsibilitatem perdidit, ita vt homo non poſsit conſurgere ad bonum, niſi ex gratia Dei miſerantis: & hoc etiam euidenter colligitur ex Epigraphe, ſeu inſcriptione capituli, ſuprà poſita. Quartò, dato, & gratis conceſſo, quòd tota auctoritas eſſet in Bulchardo, vt vos eam finxiſtis, ex qua clauſula, vel verbo deducitis veſtram illationem, & conſequentiam? Ergo Maria contraxit peccatum originale? Condemnet te os tuum, & non ego, & labia tua reſpondebunt tibi.

CASIODORVS, Senator, & Monachus in tractatulo de origine animæ, & ſuper Pſalmum: Domine probaſtime. *Turrecrem. part 6. cap. 25. fol. 116. Anonymus Auctore 32. Bandell. cap. 15. Deza fol. 24. Gryſald. Capreol. Soncin. Barelete.*

VERITAS 56.

QVAMVIS Hic notiſsimus Doctor vocatus fuerit, ac proprium eius nomen ſit Aurelius Caſiodorus, & ſic pertineret ad litteram A. tamen quia ab omnibus Aduerſariis ſemper adducitur ſub nomine Caſiodori; ideò de ipſo agimus hìc, cuius primam auctoritatem ſic adducunt: Item ſecundo ad idem videtur eſſe Caſiodorus, qui in Tractatulo de origine animæ, poſtquam dixerat, quod ſancta confitetur Eccleſia, traductione originalis peccati, reas effici animas, generaliter ita loquitur: *Sed quoniam in hunc locum tenor vos diſputationis adduxit, vt animas reas per traducem peccati generaliter eſſe diceremus, conuenit animam D. N. Ieſu Chriſti in mediũ deducere, ne quis calumnioſa intentione peruerſus, ſimili eam putet conditione conſtructam. Audiamus ergo originem eius, Sanctæ Mariæ ſemper Virgini digno præcone fuiſſe prophetatã. Ait enim Angelus ad eam: Spiritus Sanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi; propterea quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei. Quis ergo in hac Maieſtate naſcendi, aut originalis peccati credit eſſe culpam, aut profanam aliquam carnis ſuſpicetur offenſam. Abſque peccato ſine dubio venit, qui erat omnium peccata ſoluturus, conceptus myſtico ſpiramine, natus ex Virgine. Nihil de Adam traxit, qui, vt malum Adæ vinceretur, aduenit, filius ille longiſsimus, quo nos ligabamur, abruptus eſt. Torrens, qui nos rapiebat, ibi ſiccatus eſt. Iura ſua mors perdidit, dum conditio noſtra vitam Redemptoris accepit. Hæc ille.* Hæc verba ad litteram extant in Caſiodoro, ſolùm vno, vel altero verbo parui momenti mutato, videlicèt, vbi, *vos*; lege, *nos*, vbi, *conſtructam*, lege, *conflictam*, vbi *credidit*, lege *credat*, & vbi *vinceretur*, lege, *vinceret*; ac vbi *filius*, lege, *funus*: ſic enim extant in prælegato tractatu de origine animæ, capit. 14. impreſsionis Pariſien. anno 1588. fol. 117. & in altera anni 1637. fol. 425. & in altera Pariſien. 1579. & 1600. & Baſileæ 1451. & Aureliæ Allobrogum 1609. in 8. & Auguſtæ Vendilicorum 1533. in 4. Regali, licèt in aliquibus manuſcriptis ſit cap 9. Et hæc de littera.

Quantum ad ſenſum de ſe patet clarè, & euidenter, quòd hæc auctoritas nihil habet contra Immaculatam Virginis Conceptionem; nam in ipſa ſolùm agit Caſiodorus de immunitate Chriſti Domini à peccato originali, abſoluere autem filium, non eſt condemnare Matrem: Deindè Caſiodorus hìc non loquitur de peccato originali proprio, quod cõtrahitur in infuſione animæ, ſed vocat peccatum originale, more omnium antiquorum, concupiſcentiam, libidinem, & carnis delectationem, ſine quibus Virgo Maria ſuperueniente Spiritu Sancto genuit Chriſtum. Hoc benè præuiderunt ipſi Aduerſarii, & ideò dixerunt. *Ad idem videtur eſſe Caſiodorus, &c.* Videtur eſſe, ſed non eſt; videtur vobis, ſed non veritati. Videtur, quia cum Caſiodorus excipiat Chriſtum ab illa vniuerſali regula peccati originalis, non excipit Mariam? Mira res: ergo ſubiicitis Mariam legi, non ex verbis Caſiodori, ſed ex eius ſilentio? Ergo iam Caſiodorus non expreſsè, & nominatim, ac in ſingulari dicit, vel affirmat, Mariam fuiſſe conceptam in originali peccato, quod eſt aſſumptum à vobis propoſitum? Et ſic hæc auctoritas non eſſet adducenda. Deindè, quomodo hìc poterat Caſiodorus excipere Mariam, ſi ipſe agit non de priuilegio gratiæ, ſed ex iure naturæ, & ex vi generationis, qua fuit genitus per virtutem Spiritus Sancti, & non operatione viri, & ſic non fuit reus ex traduce; cùm ergo Virgo Maria non fuiſſet genita virtute Spiritus Sancti, ſed operatione viri, non ex Virgine, ſed ex corrupta, ac per conſequens rea ex traduce, ſiuè ex debito, quomodo illam poterat excipere? Denique ſi loquebatur

de peccato originali, prout dicit, & importat concupiſcentiam, libidinem, & delectationem carnis, quomodo poterat excipere Mariam, quæ cum iſtis genita fuit à ſuis parentibus? Vis tandem ſcire, Lector, quomodo Caſiodorus in hac auctoritate, nec eſt pro opinione cõtraria, nec videtur eſſe? Attende: hanc auctoritatem adduxit Turrecremata, quam viderunt Bandellus, & omnes alii ſcribentes poſt illum, ſed nullus ipſorum illam in medium adducere voluit, iudicantes eſſe friuolam ad probandum propoſitum aſſumptum, & quaſi verecundati, quòd illam adduxiſſet Turrecremata, aſpernati ſunt eam. Et ideò decreuerunt aliam quærere quare.

Secundam auctoritatem ſic adducunt. Idem tenet Beatus Caſiodorus Senator, & poſteà Monachus, ſcientia, & ſanctitate præclarus ſuper Pſal. Domine probaſti me. *Et vide*, inquit, *ſi via iniquitatis in me eſt. Iſtud nullus alter poteſt de ſe dicere, niſi ille qui & illud ait: Ecce enim venit Princeps mũdi huius, & in me nihil inuenit, ſolus enim Chriſtus abſque peccato eſſe dignoſcitur, qui etiam tulliſſe peccata hominum comprobatur. Hæc illæ.* Verba autem hæc Pſalmi 138. in originali impreſſo Venetiis recognito ab Amadeo Scoto anno 1517. fol. 211. & excuſſo Pariſiis anno 1519. fol. 213. colum. 3. ſic ſe habent: *Proba me Deus, & ſcito cor meũ, interroga me, & cognoſce ſemitas meas; & vide ſi via iniquitatis in me eſt, & deduc me in via æterna. Iſtud nullus poteſt alter de ſe dicere, niſi qui illud ait: Ecce venit Princeps mundi huius, & in me non inueniet quidquam; ſolus enim abſque peccato eſſe dignoſcitur, qui etiam tulliſſe peccata hominum comprobatur.* Vitiata eſt ergo hæc auctoritas Caſiodori, quia addiderunt illa duo nomina, *ille*, ſcilicet, &, *Chriſtus*. Item vbi Caſiodorus, *quidquam*; illi, *nihil*, quod eſt non ſolùm contra Caſiodorum, ſed etiam contra vulgatam. Tandem vbi Caſiodorus, *non inueniet* quidquam de futuro; ipſi, *inuenit* de præſenti. Sed relictis his quæ parui momenti videntur, potuerant Aduerſarii notare illud Caſiodori, *de ſe*, nam *de ſe*, ſiuè ex *ſe*, nullus eſt ſine peccato, vel iniquitate, niſi ſolus Chriſtus, quod nullus negat, aut negare poteſt; eſſet enim impium dicere, Virginem Mariam *de ſe*, vel *ex ſe*, fuiſſe ſine peccato, vel iniquitate. Item poterant, notare illud: *Si via iniquitatis in me eſt*; nam aliud eſt habere iniquitatem; aliud vero habere viam iniquitatis; Chriſtus ergo nec iniquitatem, nec viam iniquitatis habuit. At Virgo Maria licèt non habuerit iniquitatem, habuit tamen viam iniquitatis in ſua generatione, quia fuit genita ex viro, & fœmina ordine naturali, atque concubitu, niſi etiam dicamus, quod etiam ex libidine, & concupiſcentia parentum; hæc autem via erat iniquitatis, & peccati originalis; Chriſtus autem ſanauit leproſum, & in ciuitate, & in via. Denique tota vis Aduerſariorũ eſt in illo verbo *ſolus*. Sed videte, ò Patres, quod etiã dicit non Caſiodorus, ſed tota Eccleſia: Tu *ſolus* Sanctus, tu *ſolus* Dominus, tu *ſolus* altiſsimus Ieſu Chriſte, & tamen ipſamet ore pleno vocat Mariam, Sanctam, Dominam, & Altiſsimam. Item non Caſiodorus, ſed ipſemet Spiritus Diuinus dicit: Remanſit autem *ſolus* Noe, & remanſerunt cum illo octo animæ, quæ erant cum eo in arca. De Beniamin dicit Scriptura: & ipſum *ſolum* habet mater ſua, & habebat etiam Ioſephum. Et ipſamet inquit: *ſola* Rahab meretrix viuat, & etiam vixit tota eius domus. Et Elias dixit: Ego remanſi Propheta Domini *ſolus*, & conſtat ex eodem capit. quod remanſerunt centum Prophetæ. Et de Ionatha dicitur: Tu *ſolus* reſiſtis nobis, & tamẽ erant cum Ionatha alii quam plures. De Adam dicit Sapientia, quod *ſolus* eſſet creatus, & fuit etiam creata Eua. Denique vt alia quàmplura omittamus exempla, in Apocalypſi dicit Ioannes: Quis non timebit te Domine? quia *ſolus* pius es, & tamen de Maria canit Eccleſia: *O pia*, ò dulcis Virgo Maria: dignare me laudare te Virgo ſacrata: da mihi virtutem contra hoſtes tuos.

CÆSARIVS, Arelatenſis Epiſcopus, Beatus in quodam Sermone. *Ita Vinc. Bandell. cap. 16. Deza fol. 25. Petr. de Vincentia & Gryſald.*

VERITAS. 57.

DE Beato Cæſario, qui ex Abbate Lirinenſi factus eſt. Epiſcopus Arelatenſis, plura dicunt Scriptores, inter alia edidit quadraginta ſex Homilias, ſeu Sermones, qui extant tom. 5. Bibliot. VV. PP. editionis Colonienſis part. 3. à fol. 745. vſque 791. & ſeorſim fuerunt etiam excuſſæ Calari anno 1577. in 8. Et ſic de Auctore, ac opere nulla eſt dubitatio.

Auctoritatem ſic adducunt: Idem tenet B. Cæſarius Arelatenſis, in quodam Sermone ſic dicens: *Illud ſcire, & intelligere debemus, quòd ante aduentum Saluatoris noſtri diabolus regnabat in mundum, & omnes populi, peccatores, & iuſti exeuntes de corpore in infernum deſcendebant propter originale peccatum, quod omnes de Adam trahimus. Sed quia vidit Deus, quòd totus mundus perierat, miſertus eſt generi humano, & miſit filium ſuum natum ex muliere, factum ſub lege, vt eos, qui ſub lege erant, redimeret, & immaculato ſanguine ſuo nos à peccato liberaret. Floruit anno Domini* 224. Auctoritas verò Cæſarii Homilia 38. cuius titu-

titulus eſt: De lapſu Adæ, & Dei verbo Incarnato, baptizato, opprobriis dato, flagellato, vexato, & ſuſpenſo. Itē de iudicio futuro fol. 204. impreſsionis Calaritanæ (nam in Bibliothec. PP. non extat) ſic inquit: *Fratres chariſſimi, ad memoriam reuocemus, quæ per ſacras paginas, in veſtris codicibus audiuntur, illud tamen ſcire, & intelligere debemus, quòd ante aduentum Domini Saluatoris diabolus regnabat in mundo, & omnes populi, peccatores, & iuſti exeuntes de corpore, in infernum deſcendebant propter originalia peccata, quæ de Adam traximus. Pro eo, quod primus homo Adam in paradiſo tranſgreſſus fuit mãdatum Dei; ſed quia vidit Deus, quod totus mundus perierat, miſeratus eſt humano generi, miſit filium ſuum natum ex muliere, factum ſub lege, vt eos qui ſub lege erant, redimeret. Et deſcendere dignatus eſt filius Dei de ſede Patris, hoc eſt, verbum in vtero S. Mariæ ſemper Virginis, &c.* Ex vna, & altera auctoritate colliguntur ſequētia. Primò, quòd non eſt ita conſtans, & certum, verba illa eſſe Cæſarii, nam in operibus exiſtentibus in Bibliotheca VV. PP. hæc Homilia non extat, ac per conſequens nec relata verba, & ex hac parte remanent ſuſpecta; ſed cū ſint in altero originali, excuſo ſeorſim anno 1577. ipſam admittimus tanquam propriam Cæſarii. Secundo vbi Cæſarius, *propter originalia peccata*, in plurali; ipſi peſsimè tranſtulerunt in ſingulari, *propter originale peccatū*, vt ſic illa, quæ Cæſarius dicit de omnibus peccatis, prout ab illo Adami originē habuerunt, ipſi adſtrinxerunt ad ſolùm peccatum originale, non attendentes, quòd ſic alia Cæſarii verba non poterant verificari in ſenſu catholico: nam *ſi omnes populi peccatores, & iuſti exeuntes de corpore in infernum deſcendebant, propter originale peccatum*; quid hic intelligunt per infernū? Si ſinum Abrahæ, quo modo ad illud deſcendere poterant propter originale peccatum, niſi ſolùm paruuli non verò omnes populi, ac peccatores? Si per infernū intelligunt locum damnatorum, quomodo ad illud propter originale peccatum poterant deſcendere paruuli, omnes populi, & omnes iuſti? Et ſic fuit hæc peſsima adulteratio verborum Cæſarii, quæ vt extant in ipſo, catholicum habent ſenſum. Tertio, conſequenter ad vitium antecedens ſubticuerunt illa verba: *Pro eo quòd primus homo Adam in paradiſo tranſgreſſus fuit mandatum Dei.* Et hìc nota, Lector, quòd antiqui Doctores omnia peccata, ſiuè mortalia, ſiuè venialia, vel ipſum originale, comparata ad primum parentem, & prout à ſua tranſgreſsione fuerant originata, & quæ illis inordinatè, & contra rationē rectam conſequebantur in homine, vocabant peccata originalia. Quarto, etiam addiderunt illam clauſulam: *Et immaculato ſanguine nos à peccato liberaret*, quæ in Cæſario non extat, vt ſic tota auctoritas ad peccatum originale diceret relationem, & quod ſolus ſanguis Chriſti fuit immaculatus, & non Mariæ. Quinto, addiderunt illam vniuerſalem, *omnis*, quæ non extat in Cæſario, quæ vox eſt totus ſuæ intentionis finis, vt ſub illa comprehenderet Virginem. Sexto, quia cum Cæſarius deceſſerit è vita ann. 567. quomodo floruit ad ann. 224? Effundimus vinum, & oleum, ſed vbi eſt quod Maria contraxit originale?

CLEMENS Quintus, in Concilio Viennenſi, vt habetur in Clementinis de Summa Trinitate cap. Fidei. *Bandel. cap. 18. Deza fol. 48. Petrus de Vincentia, & Gryſaldus.*

VERITAS 58.

BELTRANDVS Gothus, Burdegalenſis Epiſcopus, natione Vaſco anno 1305. fuit ad Summum Eccleſiæ apicem aſſumptus, & vocatus Clemens V. qui anno 1313. in Concilio Viennenſi edidit quaſdam Conſtitutiones, ſiuè ſeptimum Decretalium librum, quē poſteà ſucceſſor eius Ioannes XXII. euulgauit, & excuſſę prodierunt Pariſiis anno 1541. & deindè anno 1617. & ſępè alibi, & hæc de Auctore.

Auctoritatem verò illius ſic adducunt Aduerſarij: Idem tenet Clemens V. in Concilio Viennenſi, vt habetur in Clem. de Sum. Trinit. & Fide Cathol. cap. fidei, vbi dicitur: *Quòd Dei verbum pro omnium operanda ſalute in humanitate aſſumpta, non ſolùm cruci affigi, ſed etiam mori voluit. Hæc ille.* Hanc auctoritatem his verbis illuſtrant: *Ergo pro ſalute B. Virginis mori voluit, & per conſequens habuit aliquod peccatum*; *floruit anno Domini* 1290. Auctoritas verò Clementis V. ad litteram ſic ſe habet, poſt alia: *Et quod in hac aſſumpta natura ipſum Dei verbum pro omnium operanda ſalute non ſolùm affigi cruci, & in ea mori voluit, ſed etiam emiſſo iam ſpiritu, perforari lancea ſuſtinuit latus ſuũ, vt exindè profluentibus vndis aquæ, & ſanguinis, formaretur vnica, & immaculata, ac Virgo, Sancta Mater Eccleſia coniux Chriſti, &c.* Ex veritas pura, clara, & ſincera, & quæ nunquam marceſſet. Ex his diſcurrendo per ſingula dico.

Primò, quòd non intelligo illud: floruit anno 1290. nam vel loquuntur de Beltrando Gotho, vel de Clemente V. de illo verum dicunt; de hoc non ſic; quia, vt dixi, fuit electus anno 1305. & ſuas Conſtitutiones edidit circa annū 1315. Secundo dico, quòd non adduxerunt auctoritatem huius Conſtitutionis ad litteram, vt in aliis ſemper faciunt, vt fugerent ab illis ti-

tulis;

tulis; *vnica, & immaculata, ac Virgo sãcta mater*; nunquam enim videre voluerunt, nec in Ecclesia, illud quod in Maria negabant, vel impugnabant, & sic in suis libris semper, & vbiq; prætermiserunt similia encomia, vt suis locis videbitur. Tertio, ex hoc antecedenti: Christus pro omnium operanda salute affixus est cruci, deducunt hanc consequentiam: Ergo Maria aliquod contraxit peccatum: si hæc est friuola, irrationabilis, inanis, ac vacua consequentia, tu, Lector, considera, & iudica! Quarto, supponamus esse legitimam, ac necessariam illationem: propter hoc, quid opus erat recurrere ad Clementinas de Summa Trinitate, & fide Catholica? &c. Quid ad Clementem V.? Nonne hoc ipsum continetur in Apostolorum symbolo? Quare non adduxistis omnes Apostolos? Nonne hoc etiam extat expressiùs in articulis fidei? Quare non adduxistis totam Ecclesiam? Nonne hoc extat passim in Pauli Epistolis, & in omnibus Sanctis, ac non paucis orationibus Ecclesiasticis? Qua ergo intentione, & fine in medium adduxistis Clementem V. nisi, vt augeretis per fas, vel nefas numerum Summorum Pontificum, & impinguaretis ipsorum classem, ac si diceretis in Romana Curia, vt dicitis (me teste) habemus Pontificem magnum, & Pontifices; teneamus confessionem, non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris.

CLEMENS Sextus, vir eruditissimus in Sermone: Erunt signa in Sole, &c. *Ita Anonym. Auctore 8. & auctoritate 36. Bandel. cap. 18. Dezafol. 28. Vincent. Gryfald. & Castellanus, Iauellus, & Arpalleg. fol. 29.*

VERITAS 59.

CLEMENS VI. anteà Petrus Rogerius dictus, Aquitanus, patria, Molimontis, Diœcesis Lemouicensis, Benedictinus, creatus fuit Auinione anno 1342. edidit collationes plures, Epistolas, ac Sermones varios, quorum solus vnus in die Cinerum habitus, extat manuscriptus Cantabrigiæ in Bibliotheca aulæ Pembrochianæ, vt refert Ludouicus Iacob à S. Carolo in Bibliotheca Pontificia fol. 25. Huius auctoritatem sic adducunt: Idem tenet Beatus Clemens Papa VI. vir eruditissimus in Sermone: Erunt signa in Sole, &c. vbi sic dicit: *Videtur mihi, quòd de Conceptione B. Virginis non debeat fieri festum. Primò, auctoritate Bernardi, qui in Epistola ad Lugdunenses grauiter reprehendit eos, qui hoc festum celebrant. Secundò, quia festi celebratio non est nisi in reuerentia sanctitatis eius, de quo celebratur; Cõceptio autem Virginis non fuit sancta, quia fuit in originali peccato concepta, vt patet per multas auctoritates Sanctorum; ideò non est subfestiuitate celebranda. Dico enim, hoc vnũ verum esse, & clarum, quòd B. Virgo contraxit in sui Conceptione originale peccatum. Causa autem, & ratio est, quia fuit ex libidine per concubitum viri, & mulieris concepta: & ideò peccatum originale in sui Conceptione contraxit, quod non habuit filius, qui non ex virili semine, sed mystico spiramine conceptus est. Et ideò non habere peccatum, est solius Christi singulare priuilegium. Beata igitur Virgo fuit sub peccato originali per modicam morulam, & statim posteà fuit sanctificata. Hæc ille. Floruit anno 1334.* Hucusque Aduersarii, & vt ipsorum terminis vtar, videtur mihi hoc vnum verum esse, & clarum, quòd hæc auctoritas à primo verbo vsque ad vltimũ sit ficta, & composita à cerebro Bandelliano, à quo illam transcripsit Iauellus sic: *Dico vnum esse clarum, quòd Beata Virgo secundùm sententiam Sanctorum Doctorum fuit in peccato originali concepta: & ratio huius, quia fuit ex libidine, & ex concubitu viri, & mulieris concepta, ideò peccatum originale in sui Conceptione traxit. Hæc ille.* Bandellus autem Clementem VI. & hanc chimericam auctoritatem adduxit solùm, vt posset redarguere Sixtum IV. vt passim redarguit, quòd in hac materia Conceptionis agebat contra communem consensum, & sententiam, iam receptam, & aprobatam claris, & expressis verbis à suis prædecessoribus. Sicque tantum inquirebat Summos Pontifices, de quibus dictum fuisset, quòd aliqua scripserint in minoribus constituti, & statim illos inaugurabat, & coronabat, & cum Tiara in capite apponebat calamum in manu, & atramentum Scriptoris ad renes eius, & ipse eis dictabat verba contra immaculatam Virginis Conceptionem, vt fecit hic: in qua breui auctoritate septies expressit suam conclusionem ex Clemente, sine vlla clementia.

Probo ergo, quòd supra posita auctoritas sit ficta. Primo, quia talis Sermo, nec opus Sermonum sub expresso nomine Petri Rogeri, siuè Clementis Sexti, nec extat in Vaticana, neque in aliqua alia Europæ Bibliotheca, nec vllus Nomenclator antiquus, vel modernus talia opera vidit. Secundò, quia ego post diligentem inquisitionem in Bibliotheca S. Ecclesiæ Toletanæ inueni quoddam manuscriptum Anonymum, antiquis caracteribus exaratum in pergameno, & folio cuius initium est, vt ab Aduersariis dicitur: *Erunt signa in Sole, & Luna*, sub quo themate habet tres Sermones, & vltimus incipit sic: *Exponend allegoricè, seu spiritualiter, de aduentu ipsius in Virginis vterum, & in mundum, &c.* Totusque Sermo est de B. Maria, & Incarnatione Verbi, sed pro præsenti materia Conceptionis solùm sunt hæc verba: *Quantũ*

verò

verò ad tertium, primò venit pro captiuorum liberatione, ibi, his autem fieri incipiẽtibus, &c. Nam captiui eramus per peccatum parentum, Isaiæ 5. captiuus ductus est populus meus; quia non habuit scientiam, sed redempti sumus per Christum. Psalm. Redemptionem misit Dominus populo suo: & nihil amplius. Si ergo opus Petri Rogeri, & Sermo est iste, iam vides, Lector, auctoritatem supra adductam ab Aduersariis esse fictam, & falsam à primo vsque ad vltimum apicem; si verò opus, & Sermo non est iste, sed alius, ipsum ostendant, quòd non facient. Tertio, Turrecremata ex Decreto Concilii Basilien sis missis litteris per totum terrarum Orbẽ, recollegit omnia, quæ pro Conceptionis materia, & sua opinione scripta fuerant, indèque confecit suum Cathalogum Auctorum: Si ergo Clemens VI. vel Petrus Rogerus protulisset tàm clara, atque expressa verba, vt Bandellus adducit, illa non prætermitteret, quando alias plures adduxit parui, & nullius momẽti. Quarto, vbi Bandellus scribens profugus in Lombardia, potuit reperire opus compositum in Aquitania, vel Auinione? Et quòd nullus alius saltem videre potuit. Quintò, quid immoramur, nam ipsamet compositio auctoritatis, & verborum structura indicant illius Auctorẽ esse Bandellum: nullus enim ex Auctoribus antiquis loquebatur cum tali efficacia terminorum, materiæ comprehensione, & conclusionis resolutione, imò nec ipsimet Patres Dominicani: Percurre omnes auctoritates adductas, & adducẽdas (excipiendo illas quas Bandellus finxit, quia omnes sunt eiusdem stili, ac farinæ) & inuenies, quòd pro opinione affirmatiua nunquam sic locutus est homo.

Sed gratis admisso, quòd Bandellus habuerit illud Sermonum opus; ego certè capere non possum, quâ occasione, vel motiuo in Sermone: Erunt signa in Sole, & Luna, &c. Dominica prima Aduentus, quando solùm agitur de tremendo, ac formidabili Dei iudicio, iudicii homo ageret tam ex professò de peccato originali cõtracto à Virgine Maria? Denique Sermones isti non fuerunt elaborati à Clemente VI. Romano Pontifice; sed à Petro Rogero, Doctore Gallico: quo ergo fundamento, ac veritate Aduersarii citant pro se Supremum Ecclesiæ Caput Clementem VI. Si quando scripsit Sermonẽ illum (si scripsit) erat iuuenis, quædam priuata persona, particularis Doctor; non verò Caput Ecclesiæ, nec Clemens, nec Pius: Hic ad litteram possumus dicere illud: Non vos decipiat Bandellus, nec vana persuasione deludat, neque credatis ei, sicut ego non credo, & si omnia hæc te non conuincunt, lege alios Pontifices à Bandello adductos, & à simili indica de hoc.

COLLECTARIVS Canonista, extra de Feriis, capite Conquestus. *Ita Anonymus via 3. ration. 9. Auctore 197.*

VERITAS 60.

COLLECTARIVS Non est Auctoris nomen, sed libri, vel operis, vt patet ex ipsamet auctoritate, adducta ab Anonymo, quæ sic se habet. Idem tenet Auctor libri, qui dicitur Collectarius, extra de Feriis, cap. Conquestus: *Festum*, inquit, *Conceptionis Virginis Mariæ nõ debet celebrari, quia ipsa in peccato originali concepta est, sicut dixi superiùs capite firmissimè, extra de Summa Trinitate. Hæc ille.* Hæc est auctoritas ad litteram, vt adducitur ab Anonymo, & nota, antequam ad vlteriora progrediamur, quòd solus Anonymus, qui scripsit post Turrecrematam, adducit, seu citat hunc Auctorem; quare autem Bandellus, & Deza, ac omnes alii scribentes post Anonymum de hoc Collectario (cuius auctoritas videtur expressa) nullam fecerint mentionem; meo iudicio ratio talis est. Anonymus penitùs ignorauit nomen Auctoris huius libri, Collectarii communiter dicti, ideò sub titulo libri adduxit auctoritatem illius, quãtum ad hoc fideliter, quia cũ ignorasset Auctorem, rectè citauit librum. At Bandellus alia via tenderis, noluit adducere nomen libri Collectarii, sed cũ ibi essent duæ citationes diuersæ, scilicèt, vna in capite Conquestus, extra de Feriis in Decretalibus; altera verò Decreti in capite Firmissimè, extra de Summa Trinitate, finxit duos Auctores Canonistas diuersos: pro prima, Galuaneum Bononiensem sic dicens: Idem tenet Dominus Galuaneus, Doctor Bononiensis super cap. Conquestus extra de Feriis: *Festum*, inquit, *Conceptionis Beatæ Virginis non est celebrandum: & hoc ideò, quia fuit in originali peccato concepta. Hæc ille.* Si ergo conferas hanc auctoritatem Galuanei adductam à Bandello cum auctoritate Collectarii relata ab Anonymo, inuenies esse vnam, & eandem, & cum adducta pro Innocentio Papa, de quo num. 145. Sicque Collectarius est triplicatus, quia Galuaneus non fuit in rerum natura, vt videbimus num. 82. Pro secunda ex cap. Firmissimè, finxit alium Ioannem Canonistam, de quo vide infrà num. 192. & sic Collectarius iam est quadriplicatus.

Redeundo ergo ad librum Collectarium, dico Auctorem illius fuisse Ioannem Gaufredum Canonistam, Canonicum de Corona, vt constat tum ex Nomenclatoribus; tum præcipuè ex ipsomet libro, impresso Lugduni ann. 1514. in fol. magno, cuius titulus est: *Domini Ioannis Gau-*

Gaufredi, in quinque libros Decretalium lectura incipit, quam Collectarium denominauit. Et in principio totius operis: *Collectarius Iuris nunc primo impressus.* Deindè sic: *Prima pars aureæ, & subtilis lecturæ, quam passim Doctores Collectarium vocant; super 1. & 2. libro Decretalium. Quamque vltra Celsus Hugo dissutus, Cauillonensis Burgundus, iuris vtriusque Doctor suis Postillis modernorum Doctorum conformibus sententijs, & numeris emendauit, & illustrauit, &c.* En habemus Auctorem libri Collectarii, scilicèt, Ioannem Gaufredum.

Auctoritas verò Collectarii lib. 2. citato tit. de Feriis, cap. Conquestus, fol. 109. sic se habet: *Sed nũquid inducitur in præmissis ferijs B. Mariæ festum Cõceptionis, non, secundùm Ioan. Andreæ, quia concepta fuit in peccato. De hoc dixi supra titulo 1. Firmiter. Cõclusit enim Deus omnia sub peccato, vt omnibus misereretur, ad Roman. 11. &c.* Ecce habemus etiam auctoritatem Collectarii, quam si conferas cum supra posita, & adducta ab Anonymo, inuenies ferè in omnibus verbis esse vitiatam. Deindè illam esse absolutam, affirmatiuam: hanc autem solùm esse relatiuam sententiæ Ioannis Andreæ; nam sententia propria Collectarii desumenda est ex illo capite: Firmiter, ad quod se ipsum remittit; Anonymus verò, non adducit verba ex hoc capite Decreti, vel quia ipsa non vidit, vel quia prudenter præuidit, quod talis Gaufredi auctoritas declarabat expressis verbis mentem omnium Iurisconsultorum, & à fundamentis euertebat turrim ab ipsis ædificatam, & suæ sententiæ destruebat murum, & antemurale.

Attende, Lector, nam Gaufredus, siuè Collectarius, in præallegato cap. Firmiter, de Summa Trinitate, & fide Catholica, fol. 7. num. 38. sic inquit: *Sed nunquid Beata Maria ante infusionem animæ sanctificari potuit? Theologi tenent, quòd non, communiter, quia caro, sicut anima non est susceptiua gratiæ, nec anima sine charitate, vt legitur in dicto capite, Adam. Pro ista opinione facit satis clarè secund. Augustin. de Consecratione dist. 4. Firmissimè, vbi dicitur, quòd Dei filius carnem peccati susscepit, & no. de consecrat. dist. 4. in princ. Et per Ioannem Andream in cap. finali, de Pœnitent. & Remission. in rubr. circa finem 3. colum. Sed nunquid potuit Deus semen sanctificare, & purgare à peccato originali? Dicendum, quòd non decuit, quia hoc potiùs esset ad detractionem Virginis, & honoris eius, cuius prærogatiua est, quia sine peccato concepit, & sine dolore peperit; & ideò hoc eius parentibus non est concessum, quia nobis subtrahitur, quod alteri plusquam ratio exigit, præbetur 19. dist. Ecce item hoc esset detrahere Redemptori, scilicèt, quòd principale membrum Ecclesiæ, scilicèt B. Virgo non pertineret ad eius redemptionem, quod est dicere absurdum, quod benè probatur in dictis iuribus. Vndè dicendum est, quòd solus Christus nasci voluit de carne illa infesta, pro cuius redemptione se exinaniuit: sed & voluit de adulterinis amplexibus nasci, ad significandum quod pro salute omnium venit, &c.* Hęc sunt Collectarii verba; in quibus attente nota, ò Lector! illas quatuor clausulas, quæ sicut sunt cardines, & fundamenta totius huius auctoritatis, erunt similiter solutiones omnium difficultatum, ac confusionum antiquorum Iuristarum. Prima est illa: *Sed nunquid B. Maria ante infusionem animæ sanctificari potuit?* Ad hanc respondit Collectarius cum Theologis, & optimè, quòd non, quia ante infusionem animæ nec erat Maria, nec caro illa erat subiectum capax gratiæ, & hanc dicit etiam esse communẽ opinionem Theologorum, & quod hoc etiam sensit Augustinus, Decretum, & Ioannes Andræas: ergo omnes isti Theologi, Augustinus, Decretum, & Andræas, in præallegatis locis, solùm inquirebant, & loquebantur de sanctificatione Mariæ antè infusionem animæ; & sic Aduersarii omnes, qui istos Auctores, & auctoritates volunt explicare (& de facto explicant) de sanctificatione post infusionem animæ, absolutè errant, deuiantes apertè à Theologis, Augustino, Decreto, Ioanne Andræa, ac Collectario.

Secunda clausula est illa: *Sed nunquid potuit Deus semen sanctificare, & purgare à peccato originali?* Et ad hanc respondit etiam, quòd non decuit, in quo insinuat, quòd Deus quidèm potuit, sed affirmat, quòd non decuit, quia hoc non esset honorare Mariã, sed eius honori detrahere; & quare esset eius honori detrahere? Quia eius vnica, & singularis *prærogatiua est, quia sine peccato concepit.* Vnde clarè, & euidẽter colligitur, quòd antiqui ponebant peccatũ originale in semine, quod peccatum originale seminis antè effusionem, vel in ipsa effusione, vel post effusionẽ poterat à Deo sanctificari, & purgari ante vnionem animæ; sed non decuit, quòd hoc concederet Deus *parẽtibus* Virginis; aliàs nõ esset singularis, ac propria prærogatiua Mariæ, quòd semen eius esset sanctificatum, & purgatũ ante effusionẽ, in effusione, & post effusionẽ, & quòd ipsa sola sine hoc peccato conceperit. Vndè Anna cõcepit cum hoc peccato originali; quia eius semen non fuit sanctificatũ, nec purgatum: igitur Antiqui vocabant Conceptionem generationem matris, siuè effusionem seminis, & appellabant peccatum originale fomitem, siuè pruritum, infectionem (voca vt volueris) illud relictum in semine ex concupiscentia, ac libidine parentum. Vndè istæ propositiones: Anna concepit cum peccato originali, vel hæc: semen in propria Conceptione Mariæ non fuit purgatum, nec sanctificatum

tum, &c. iuxta hunc modum loquendi Collectarii nihil dicunt contra immaculatam Conceptionem Mariæ, nec per consequens hæc: Conceptio Mariæ non est celebranda; quia fuit in originali peccato concepta: sumebant enim Conceptionē pro generatione, constituebant peccatum originale in semine, & festiuitatem ex Conceptione seminis, quæ facta est in vtero Annæ die 8. Decembris. Omnia hæc clarè, & euidenter constāt ex verbis Collectarii: Aduersarii ergo ex his, & aliis auctoritatibus antiquorum, volunt sumere Conceptionem non pro generatione, sed pro vera Conceptione, id est, infusione animæ; & peccatum originale, non pro illo causatiuè existente in semine, sed pro illa macula formali animæ; denique festiuitatē, non pro effusione seminis facta die 8. Decembris, sed pro infusione animæ, & sic laborabant in æquiuocum, & contra mentem Patrum antiquorum.

Deindè tertia clausula sic se habet: *Item hoc esset detrahere Redemptori, scilicèt, quòd principale membrum Ecclesiæ, scilicèt, B. Virgo, nō pertineret ad eius redemptionem; quod est dicere absurdum, quod benè probatur in dictis iuribus.* Collectarii mens est: potuit Deus sanctificare, & purgare semen illud Ioachimi, & Annæ à peccato originali, sed non decuit, quia hoc esset detrahere Virgini, & Redemptori: Virgini, quia sola illa in Conceptione seminis nullū habuit peccatum originale, id est, libidinem, vel concupiscentiam, &c. Redemptori verò detraheretur, quia si Virgo Maria non habuisset illud peccatum originale seminis, ex nullo capite poterat dici redempta, quia neque in se, neque in semine, neque in animatione, nec ante animationē habuit maculam, à qua redempta dici posset, & hoc benè probant iura. En quomodo Collectarius ad redemptionem solùm prærequirit peccatum originale in semine, quod nunc Theologi vocant debitum proximum. Et hoc modo intelligit, & explicat iura, Theologos, Augustinum, & Andræam, & poterat exprimere Thomam, Bonauēturam, Albertum, Alensem, & alios. Ergo quando antiqui dicebant: Si Virgo Maria non habuisset peccatum originale, non fuisset redempta, secundùm Collectarium loquebantur de peccato originali existente in semine; vndè hæc propositio: Virgo Maria fuit redempta, quia habuit peccatum originale in sua Conceptione, ex modo loquendi Collectarii, & aliorum nihil diceret in rei veritate.

Vltima clausula est illa: *Vnde dicendum est, quòd solus Christus nasci voluit de carne illa infesta, pro cuius redemptione se exinaniuit; sed & voluit de adulterinis amplexibus nasci;* res est per se nota, quod hic, nasci, sumit Collectarius pro concipi, conceptus fuit igitur Christus ex carne infesta, vel infecta: & quare vocat illam carnem in qua natus fuit Christus in vtero, carnem infectam, vel infestam? Respōdit, quia nata fuit ex amplexibus adulterinis, id est, no sanctis, ac puris, quia facti fuerunt ad alterum: & cuius, vel qualis fuit illa caro infesta, vel infecta, in qua natus fuit Christus, vel conceptus? Mariæ, non Christi, absit; quia caro illa in Verbi Conceptione, nec fuit infesta, nec inter amplexus adulterinos, seu maritales nata; & sic totum hoc debet verificari de carne Mariç in Conceptione sua passiua, quam Gaufredus ore pleno vocat Christi carnem, quia vel in illa numero facta fuit hypostatica vnio, vel ex illa. Nota hoc Lector, pro singularissima excellentia carnis conceptæ ex Ioachimo, & Anna. Et quorum fuerunt in hac Conceptione carnis Christi amplexus illi inhonesti? Ioachimi, & Annæ. Et quando contigit totum hoc, quod amplexus essent impuri, & caro infecta? In generatione carnali, seu effusione seminis ad generandam Mariam: igitur semper loquitur Collectarius de generatione carnali, & quod supra vocauit peccatum originale seminis, hic vocat infectionem carnis, vel infestationem ex amplexibus impuris Ioachimi, & Annç, & cùm hoc totum contigerit die 8. Decembris, dicebant Collectarius, & alii Canonistæ, ac Theologi: festiuitas Conceptionis non est celebranda, quia in originali peccato fuit concepta, nisi per ordinē ad sanctificationem, & in hoc sensu claro, & expresso in ipsorum verbis, doctè, rectè, & secundùm veritatem loquebantur. Sed in his nihil est contra mysterium Conceptionis, & eius festiuitatem, quam celebrat Ecclesia. Cùm ergo Aduersarii adducant hanc, & alias auctoritates siccas, nudas, & in puris naturalibus, relinquendo antecedentia, & consequentia, confundunt antiquorum doctrinam, & præsentiū intelligentiam. Adducunt, inquam, ex libris, & auctoritatibus antiquorum solùm ossa arida, derelinquentes carnem, & neruos, & sic est necesse vaticinare de ossibus istis, & dicere eis: Ossa arida audite Verbum Domini, ecce ego intromittam in vos spiritum, & viuetis.

COMPILATOR Speculi iuris, quod dicitur Summa Summarum in titul. de Feriis quæst. 8. *Turrecrem. cap. 36. fol. 126. & Anonym. via 3. rat. 9. Auct. 192.*

VERITAS 61.

VT Videas, qua intrepida auiditate desiderabant Aduersarii multiplicare Auctores pro sua opinione, hic Compilator sit tibi primum exemplum: nam Anonymus ille Pater Dominicanus in

classi

claſsi de Doctoribus Canoniſtis, poſtquam Auctore in illa claſsi vndecimo dixerat. *Idem tenet D. Guillielmus, in Speculo Iudiciali, in titulo de Feriis*, Auctore decimoquinto eiuſdem claſſis, inquit: *Idem tenet D. Guillielmus Epiſcopus Metenſis in Apparatu ſuper Summam Raymundi, titulo de Feriis*; Et immediatè infra Auctore decimoſexto inquit: *Idem tenet D minus Compilator Speculi Iuris, quod dicitur Summa Summarum in titulo de Feriis quæſtione* 8. Et infrà immediatè Auctore decimoſeptimo, ſic inquit: *Idem tenet Dominus Vvilliermus in Summa ſua in titulo de Feriis.* En in ſola vna Canoniſtarum claſſe conſequentervnum poſt alium, ſcilicèt numero 11. & 15. & 16. & 17. exvno indiuiſibili Doctore fecit Anonymus quatuor diſtinctos. Nec mireris, quia hic idem Auctor eſt ſepties multiplicatus, vt videbimus infrà num. 106. Turrecremata verò ſic inquit: Item ad idem eſt, quòd in Speculo Iuris, quod dicitur Summa Summarum, habetur in titulo de Feriis in 8. quæſt. vbi ſic dicitur: *An feſtum Conceptionis ſit celebrandum? Dicendum, quòd non, ſicut in multis regionibus, & maximè in Anglia, de Conſecrat. diſt. 3. cap. in Gloſſa.* Veritas ergo eſt, quod Guillielmus Durādus, Epiſcopus Metenſis, ex Ordine Prædicatorum, compoſuit librum, cuius communis titulus eſt: Speculum Iudiciale, aut Speculum iuris, ſiuè Summa Summarum, quem Aduerſarii modò adducunt ſub proprio nomine Guillielmi Durandi, modo ſub nomine Epiſcopi Metenſis, modo ſub nomine Guillielmi Canoniſtæ, modo ſub nomine Vvilliermi, modò ſub nomine Speculatoris, modo ſub nomine Auctoris Summæ Summarum, ac denique hic ſub nomine *Compilatoris Speculi Iuris, quod dicitur Summa Summarum, titulo de Feriis, quæſt.* 8. Et hæc de repetito nomine Auctoris.

Auctoritatem pro ſuo Compilatore nullam adducit Anonymus, fortè timens, nè ex verbis deprehenderētur ipſius multiplicationē. Turrecremata verò illam adducit pro ſuo Speculo, ſeu Speculatore, ſed in multis vitiatam, vt demonſtrabimus infrà num. 288. Pro nunc ſolùm dico; quòd vnus, & alter errarunt, citando Cōpilatorem, & Speculum, titulo de Feriis, quæſt. 8. quia liber ille non procedit per quæſtiones. Relinquimus ergo hunc Auctorem, quia infrà littera G. Veniet tempus meſsis, & colligemus faſciculos eius, ad &c.

CONRADVS Saxo, vel de Saxonia, Taxus, Holgingarius, Ordinis Minorum, in Serm. 2. de Natiuitate B. Mariæ Virginis, & in lib. ſuper Salutationem Angelicam. *Turrecrem. p. 6. cap. 32 fol. 123. à tergo, Anonym. Auct. 121. Band. cap. 24. Dexa fol. 46. à tergo, Spina p. 6. cap. 4. Gryſald. & Brixienſis.*

VERITAS 62.

HIC Auctor notus eſt apud Nomenclatores Minoritas, atque exteros, quia plura ſcripſit, cuius opera nunquam fuerunt typis mandata, ſed manuſcripta in aliquibus extant Bibliothecis Summa de tempore, quæ incipit: Hora eſt iam nos à ſomno ſurgere, &c. ac Summa de Sanctis à feſto S. Andreæ, & incipit: Extendam palmas meas, &c. habet etiam commune de Sanctis, & continet totum opus 506. folia. Huius ergo primam auctoritatem ſic adducunt Aduerſarii: Item ad idem eſt, eiuſdem Ordinis Frater Conradus Saxo, cognomento Holgingarius, in opere ſuo ſolemni de tempore, & de Sanctis, quod habetur in Libraria Conuentus eiuſdem Ordinis Baſileæ, Serm. 2. in Natiuitate Beatiſſimæ Virginis, qui incipit: Aufer rubiginem de argento; ita dicens: *Vas purißimum fuit Beata Virgo Maria, quæ rubigine peccati originalis ablata, per ſanctificationem in vtero ſancta, & purißima hodiè egreſſa eſt de vtero. Benè proculdubio mater Domini ante ſancta, quam nata.* Auctoritas verò Conradi Saxonis, vt extat in manuſcripto in 8. antiquis caracteribus in Bibliotheca Regali S. Laurentii Scorialis, Pluteo VI. littera E. num. 2. præallegato Serm. 2. de Natiuitate Virginis, qui incipit: Vt dicunt Aduerſarii. Aufer rubiginem de argento, ſic inquit: *Aufer rubiginem de argento, & egredietur vas purißimum. Prouer. 26. Vas fuit purißimum B. Virgo Maria, quæ rubigine ablata per ſanctificationem in vtero ſancta, & puriſsima hodiè egreſſa eſt de vtero. Bernardus: Fuit proculdubio mater Domini, anteà ſancta, quam nata, &c.* Ex quibus patet, quòd falsò addiderunt illud, *peccati originalis*, quo tota vitiarūt, & adulterarūt, ſententiam; nam Conradus loquitur de rubigine ſeminis, ex concupiſcentia, fomite, ac libidine parentum ibi exiſtente, qua rubigine ablata, egreſſa eſt Maria vas puriſsimum, in ſua animatione, ſeu Conceptione. Deindè vbi Conradus: *Bernardus* (ſub abbreuiatura tamen) *fuit proculdubio mater Domini antè ſancta, quam nata*; ipſi ſic: *Benè proculdubio, &c.* vel quia ignorarunt, quòd illa abbreuiatura *Be*; dicebat Bernardus, vel ex propoſito, vt illam clauſulam facerent confirmatoriam antecedētis adulterationis, de rubigine originalis peccati, dicendo: *benè proculdubio*, ac mutantes lucem in tenebras.

Secundam auctoritatem ex quodam Opuſculo notabili Conradi ſuper Salutationem Angelicam. De hoc Opuſculo mētionem faciunt Tritemius, Geſnerus, Vvilotus, Vvadingus, & alii: ego illud inuenire non potui, ſed nec eſt neceſ-

neceſſarium, quia ex ipſiſmet Aduerſariorum verbis habemus omnia, quæ in Conrado deſiderare poterat veritas: ait enim ſic Turrecremata: Præterea idem Doctor in Opuſculo notabili, & deuotiſsimo ſuper Salutatione Angelica, cuius principium eſt; Quoniam, vt ait Hieronymus, nulli dubium eſt, &c. dicit ſic: *Nox cui maledixit Iob, nox eſt, in qua conceptus eſt homo contrahens peccatum originale, in quo omnes concipimur, vnde Pſalmus: In peccatis concepit me mater mea, quia ferè omnes Sancti in peccatis naſcuntur. Ideò hìc benè dicitur, quòd ſtellæ per hanc noctem obtenebrantur, ſed quia Chriſtus nec conceptus, nec natus in peccato fuit, ideò benè hìc dicitur, quòd iſta lucem non vidit. Quia verò Beata Virgo in peccato concepta fuit, ſed ſine peccato nata, ſiuè orta, ideò non auroram, ſed ortum auroræ dicitur nox iſta non vidiſſe. Hæc eſt contra illos, qui eam ſine peccato conceptam dicunt, contra quos ante Beatus Bernardus arguens ait: Si antè conceptum Maria ſanctificari non potuit, quoniam non erat, ſed etiam neque in ipſo conceptu, propter peccatum quod inerat, reſtat, quòd poſt conceptum in vtero iam exiſtens ſanctificationem accepiſſe credatur, quæ excluſo peccato ſanctam fecerit Natiuitatem, non autem Conceptionem. Hæc ille.* Et hæc Turrecremata; ſed audiamus Bandellum, ſic dicentem: Idem tenet Magiſter Conradus de Saxonia in libro deuotiſsimo ſuper Salutatione Angelica ſic dicens: *Chriſtus enim non fuit in peccato conceptus, nec natus; Beata autem Virgo fuit quidèm in peccato originali concepta, ſed ſine peccato nata, quod eſt contra illos, qui eam non ſolùm ſine peccato natam, ſed etiam ſine peccato conceptam fuiſſe aſſerunt, cuius contrarium dicit Bernardus.* De hac Bandelli auctoritate non eſt curandum, quia eſt quædam peſsima abreuiatio præcedentis, nam ipſe vel vidit, vel non vidit originale Conradi de Saxonia: ſi vidit: ergo vel ipſe, vel Turrecremata vitiarunt textum, quia iſtæ duæ auctoritates multùm diſtant inter ſe: ſi non vidit, quod veriſimilius eſt, quia originale manuſcriptum erat Baſileæ, & ipſe ſcripſit in Lombardia: igitur peſsimè adulterauit Conradi auctoritatem, ſicut aliorum. Loquendo ergo iuxta auctoritatem adductam à Turrecremata, dico, quòd Conradus hìc loquitur more antiquorum, vocando Conceptionem ipſam generationem, vt denotant illa verba: *Nox, cui maledixit Iob. Nox eſt, in qua conceptus eſt homo*, id eſt, genitus à parentibus, quia tunc in iniquitatibus generat pater, & in peccatis concipit mater, atque vnus, & alter cum concupiſcentia, libidine, delectatione carnis, ac inordinata ſenſualitate, quæ omnia ab antiquis Scriptoribus, vocabantur vno verbo peccatum originale, quia filii habebant hanc ſuæ generationis, atque principii ignominioſam ſpurcitiam, dedecus, & turpitudinem non à ſe, ſed ab origine, à parentibus, & parentes ab alio origine, ſcilicèt, Adami peccato: ab hac nocte cõcupiſcentiæ, & libidinis, ab hoc peccato originali ſolus Chriſtus Dominus fuit exemptus, quia in ſua generatione totum fuit lux, & candor lucis æternæ, ſiquidèm myſtico ſpiramine, ſuperueniente Spiritus Sancti virtute, à corde, vel lumbis Sacratiſsimæ Virginis Mariæ deciſa fuit materia illa abſque vlla carnis delectatione, vel impudico motu, &c. At Maria non fuit ita genita, ſeu concepta in vtero matris ſuæ Annæ, ſed cum libidine, concupiſcentia, ac peccatis parentum ſecundùm antiquorum communem modum loquendi; ideò dicit conſtanter Conradus: *Nõ auroram, ſed ortum auroræ nox iſta non vidiſſe.* Si enim de peccato originali contracto poſt animationem loqueretur Conradus, non benè cohærerent ipſius verba, quia ſi tunc contraxit, nox non ſolùm vidit ortum, ſed etiam ipſam Auroram Mariam. Deindè Conradus loquitur ſecundùm ſententiam Bernardi, vt ipſemet fatetur, adducens auctoritatem ipſius ex Epiſtola ad Lugdunenſes, ſed illa Bernardi verba loquuntur de prima generatione, & peccato, ſeu peccatis à parentibus in illa commiſsis, vt ibi, vt exiſtimo, euidenter manet demonſtratum: ergo ex omni parte Conradus ex ſuis propriis verbis declaratur innocens, quia vt ſcriptum eſt: Os iſtorum liberauit eos.

Legi huius Auctoris ſemel, & iterum Sermones Purificationis Annũtiationis, Aſſumptionis, atque Natiuitatis, vt viderem, an ex aliquibus verbis poſſem colligere huius Auctoris expreſſam mentem, & ſolùm inuenio in Serm. 1. Annuntiationis, qui incipit: *Audi filia, & vide, &c.* Hæc verba: *Hæc eſt filia nobiliſsima ſanctificatione, &c. Canticor. 7. quam pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis, filia Principis, terreni eſt Maria per propagationem in mundo, filia verò Principis cœleſtis per ſanctificationem in vtero. Bernar. fuit proculdubio mater Domini antea ſancta, quàm nata, & quia ſanctiſsimè, ideò nobiliſsimè fuit nata, &c.* Cùm ergo alia verba non extent in præallegato opere, & hæc ſolùm dicant, Mariam fuiſſe ſanctificatam in vtero, non aſsignando quando nihil habent Aduerſarii.

CONSTANTINVS De Monte-Budello, Ordinis Prædicatorum, in Serm. Natiuitat. Virginis Mariæ. *Bandell. cap. 23. Dezafol. 42. Petr. de Vincent. Gryſald.*

VERITAS 63.

AVCTOR Hic ex multiplici capite manet excluſus ab hac controuerſia. Primo, quia nullam ipſius adducunt auctoritatem, & ſic æſtimari debet quantum miles abſque armis, ſcriptor ſine calamo, & atramento. Secundo, quia talis, ac tantus inſignis Doctor, atque famoſiſſimus Monte-Budellus non comparet in rerum natura, etenim de ipſo non faciunt mentionem Nomenclatores communes, & vniuerſales, ſed neque particulares ſuæ Religionis: ergo videtur fictus: aliàs ſoluite mihi hoc dubium. Antonius Senenſis in ſua Bibliotheca, Alphonſus Fernandez in ſua Concertatione, Michael Pius, & ſic alii, cæca fide tranſcripſerunt in ſuis Bibliothecis omnes, & ſingulos Doctores à Bandello adductos in ſuis libris de Conceptione, & ab hac vniuerſali regula excipitur ſolus hic Conſtantinus de Mõte-Budello; ergo vel iudicarunt hunc fuiſſe fictum à Bandello, vel fuiſſe Auctorem vel, vel, &c. Tertio, etiam probo eſſe Auctorem inuentum, aut fabricatum ex aliquo Monte-Budello Italico, quia in tota Religione Sancti Patris Noſtri Dominici tantummodo inueniuntur tres Scriptores Conſtantini, alter de Aſculis Marchianus, qui ſcripſit diuerſas quæſtiones Theologicas, alter Epiſcopus Vrbeuetanus, qui ſolùm ſcripſit vitam Sancti Dominici iuſſu Ioannis Dominici Generalis electus ad annum 1241. vt dicit Leand. Albert. libro 3. folio 121. Ac tandem fuit Conſtantinus Fabrienſis, qui elaborauit vitam S. Conradi, ſed Conſtantinus de Monte-Budello euanuit ab omnium oculis.

Sed ne tantorum virorum periclitetur fides, ſcilicèt, Bandelli, Dezæ, Vincentiæ, & Gryſaldi, exiſtimo, quòd hic Conſtantinus de Mõte Budello fuit aliquis ſocius, & amicus Bandelli, qui ſimul cum illo in partibus Lombardiæ ſeminabat opinionem de maculata Conceptione, & pro ea in quodam Sermone Natiuitatis Sacratiſsimæ Virginis Mariæ, dixit quidquid ſibi in buccam venit tanquam budellus, & ſic ad multiplicandum numerum, vel honoris cauſa, vel propter retributionem ſui laboris nominauit Montem-Budellum, inter clariſsimos, atque illuſtriſsimos Scriptores Ordinis Prædicatorum, ſic dicens: *Idem tenet Magiſter Conſtantinus de Monte-Budello, in Sermone Natiuitatis Beatæ Virginis,*

quia dignus eſt mercenarius
mercede ſua.

(·.·)

CYPRIANVS, Carthaginenſis Epiſcopus Sanctus, in Epiſtola de Paruulis baptiz. & in 3. libr. ad Cirinum, vt allegatur à Hieronymo, &c. *Ita Turrecrem. part. 6. cap. 14 fol. 107. Capreol. Bandel. cap. 13. Deza fol. 19. Gryſald. Vincent. S. Antoninus, Barelete.*

VERITAS 64.

COECILIVS Cyprianus, Epiſcopus, & Martyr Sanctiſsimus ſcripſit plura, quæ paſsim circumferuntur excuſſa Lugduni 1550. & 1554. Venetiis 1483. Baſileæ 1521. 1525. cum annotationibus Eraſmi Pariſiis 1564. & 1616. & 1633. Antuerpiæ 1568. 1589. & nouiſsimè 1632. & alibi cuius prima auctoritas ſic adducitur ab Aduerſariis. Item Cyprianus Epiſcopus Carthaginenſis in Epiſtola de paruulis baptizandis. *Omnis*, inquit, *paruulus ab Adam carnaliter propagatus, contagium mortis antiquæ primâ natiuitate contraxit.* Verba autem in originalibus Cypriani Epiſtol. in ordine 59. cuius inſcriptio eſt: *Cyprianus, & cæteri collegæ, qui in Concilio affuerunt numero 66. Fido fratri ſalutem*, & incipit: *Legimus litteras tuas*, folio 137. columna 2. in qua agit, an infantes antè octauum diem ſint baptizandi, ſic inquit: *Porrò autem ſi etiam grauiſsimis delictoribus, & in Deum multum ante peccantibus, cùm poſteà crediderint remiſſa peccatorum datur, &c. A Baptiſmo, atque à gratia nemo prohibetur; quantò magis prohiberi non debet infans, qui recens natus nihil peccauit, niſi quòd ſecundùm Adam carnaliter natus, contagium mortis antiquæ prima natiuitate contraxit, qui ad remiſſam peccatorum accipiendam hoc ipſo facilius accedit, quòd illi remittuntur non propria; ſed aliena peccata, &c.* In quibus verbis ſimplici intuitu conſtat, quod auctoritas Cypriani, quoad litteram vitiata ſit. Primò, quia addiderunt illam vniuerſalem, *omnis*. Secundò, vbi Cyprianus, *infans*; ipſi, *paruulus*. Tertiò, vbi Cyprianus, *carnaliter natus*; ipſi, *propagatus*. Vt fugerent à natiuitate carnali, quæ hic vel ſupponit pro prima generatione parentum, vel pro natiuitate ex vtero; ſed ne immoremur numerationibus vitiorum auctoritas adducta ab Aduerſariis habet 12. dictiones, & Sancti Cypriani 29. & ſic fuerunt 17. prætermiſſæ, & ex aliis aliquæ ſunt variatæ. Quoad ſenſum verò tota eſt vitiata, ex illis verbis, *omnis*, & *propagatus*; nam addiderunt *omnis*, vt comprehenderent Virginem Mariam, & *propa-*

gatus

gatus, vt ſic retorquerent verba ad propagationem, ſeu Conceptionem, quia à natiuitate exempta fuerat Maria à peccato, ſiquidèm ſanctificata fuerat ante ipſam natiuitatem. Deindè hæc auctoritas non eſt ad rem, quia ibi non intendit Cyprianus probare propagationem peccati originalis, ſed neceſsitatem baptiſmi, ad abluendum paruulum in regeneratione, iuxta illud: Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei. Tu es Magiſter in Iſrael, & hæc ignoras?

Secunda ſic adducitur: Item idem in 3. libro ad Cirinum, vt allegatur à Hieronymo in 1. & 3. libro contra Pelagium ſic dicente: *Beatus Cyprianus ad Cirinum ſcribens, neminem niſi ſolum Chriſtum eſſe ſine peccato, dixit. Hæc ille.* Verba autem Sancti Cypriani libro 3. ad Quirinum num. 54. folio mihi 383. colum. 1. ſic ſe habent: *Neminem ſine ſorde, & ſine peccato eſſe, apud Iob. Quis enim mundus à ſordibus? Nec vnus, etiamſi vnius diei ſit vita eius in terra. Item in Pſalm. 50. Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in delictis concepit me mater mea. Item in Epiſtola Ioannis: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipſos decipimus, & veritas in nobis non eſt.* Hæc ſunt Cypriani verba. Hieronymi autem tomo 2. libro 1. contra Pelagianos cap. 9. fol. mihi 232. littera C. ſic ſe habent: *Centeſimus titulus eſt, poſſe hominem ſine peccato eſſe, & Dei mandata facilè cuſtodire, ſi velit: de quo abundè dictum eſt. Cumque ſe imitatorem, imò expletorem operis Beati Martyris Cypriani ſcribentis ad Quirinum eſſe fateatur, non intelligit ſe in eodem opere dixiſſe contraria: ille enim in quinquageſimo quarto titulo tertij libri ponit, neminem ſine ſorde, & ſine peccato poſſe eſſe. Statimque iungit teſtimonia, in quibus ſcriptum eſt apud Iob: Quis enim mundus à ſordibus; nè ſi vnius etiam diei ſit vita eius in terra. Et in Pſalm. 50. Ecce in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea. Et in Epiſtola Ioannis: ſi dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipſos decipimus, & veritas in nobis non eſt. Tu è diuerſo aſſeris, poſſe hominem ſine peccato eſſe, & vt hoc verum dixiſſe videaris, ſtatim adiungis; & Dei mandata facilè cuſtodire, ſi velit, quæ aut rarus, aut nullus impleuit, &c.* En ante oculos habes Cypriani, & Hieronymi auctoritates: in quibus Hieronymi neque in apice diſcrepat à Cypriani auctoritate. Sed non ita ab Aduerſariis adducta, quia ab vtraque ſummè diſtat, propter illam additam clauſulam: *neminem niſi ſolùm Chriſtum.* Quæ neque in Cypriano, neque in Hieronymo extat, & in qua eſt tota vis ſententiæ, & illationis ab ipſis deductæ, id eſt: ſi nemo, niſi ſolus Ieſus, eſt ſine peccato: Ergo Maria habuit peccatum. Cùm ergo hoc fundamentum totius auctoritatis ſit falſum, & fictum, vt vidimus, tu de illatione iudica. Item quoad ſenſum eſt adulterata tota auctoritas; nam Cyprianus loquitur de peccatis actualibus: & quando in ipſo eſſet aliquà ambiguitas, hæc aufertur ex Hieronymi verbis. Dicebant enim hæretici: *Poſſe hominem ſine peccato eſſe, & Dei mandata facilè cuſtodire*, in hac vita. Dicebat Hieronymus cum Cypriano: *Neminem ſine ſorde, & ſine peccato eſſe*: Vbi eſt ergo hìc peccatum originale? Vbi Virgo Maria? Sed fortè dicetis (nam aliud non reſtat effugium) quòd veſtram conſequentiam deducitis ex illis verbis Iob, & Pſalmi Dauidis, & Ioannis in Epiſtola, optimè, Patres mei; concludamus ergo materiam iſtam abſque veſtro, & meo labore, & dicite: Maria contraxit peccatum originale, vt expreſsè, & nominatim dicit Sanctus Iob cap. 14. Sanctus Dauid Pſal. 50. & Sanctus Ioannes in ſua 1. Epiſtola, cap. 1. & relinquite obſecro Sanctum Cyprianum ad Quirinum, & Sanctum Hieronymum contra Pelagianos, & S. Baſilium, vt ſupra dixi numero 40. quia nihil dicunt, atque ſinite eos abire in pace.

Inſuper reſtat pro hac ſecunda auctoritate illud quod Aduerſarii dicunt: *Vt allegatur à Beato Hieronymo, in 1. & 3. libro contra Pelagium.* Quomodo autem Sanctus Hieronymus alleget Cyprianum in libro 1. contra Iulianum, iam vidimus, ſed quòd Hieronymus alleget Cyprianum in 3. libro, eſt falſum, quia Sanctus Hieronymus in ſuo 3. libro contra Pelagianos nec verbum adducit ex Epiſtola Cypriani ad Quirinum, ſed ſolùm tranſcribit auctoritatem Cypriani de Paruulis baptizandis, de qua nos ſupra auctoritate prima, vt videre eſt in Hieronymo, folio 249. colum. 1. littera B. Ex his colligitur, Aduerſarios non vidiſſe Cyprianum, immò neque Hieronymum, ſed ex aliquo manuſcripto vitiato tranſcripſiſſe auctoritates iſtas, & ſic omnia, & ſingula concluſerunt ſub peccato; & ſi viderunt, opera Cypriani, & Hieronymi, quòd nimis dubito, ex deſtinato animo loquutis ſunt in vtroque contra mentem, & veritatem.

CYRILVS Alexandrinus, Epiſcopus Sanctus, ſuper Euangel. Lucæ, & ſuper Leuiticum lib. 1. part. 1. *Ita Anonym. Auctore 34. Bandel. cap. 14. Deza fol. 22. Spina par. 6. cap. 2. Paul. Gryſald.*

VERITAS 65.

HVIVS Doctiſsimi, atque Sanctiſſimi Patris Eccleſiæ Græcæ opera prodierunt Pariſiis anno 1523. & 1603. & 1604. & 1605. & 1638. & alibi. Primam ergo illius auctoritatem ſic adducunt Aduerſarii: Idem tenet Beatus Cyrillus, Alexandrinus Epiſcopus, vita, & doctrina clariſsimus, ſuper Lucam: *Pax*, inquit, *in terra per Chriſtum facta eſt, quia hoſtilem culpam de medio auferens nos omnes Patri reconciliauit, & ideò benè vocatum eſt nomen eius Ieſus, id eſt, Saluator, quia ad totius humani generis ſalutem incaruatus eſt.* De hac auctoritate dico. Primò, quòd Sanctus Cyrillus nullam Expoſitionem, Commentarium, Tractatuum, vel ſaltem fragmentum habet ſuper Euangelium Lucæ. Secundò dico, quòd Sanctus Cyrillus ſolùm ſcripſit ſuper Ioannem: exiſtimans ergo quòd fortè eſſet error calami Aduerſariorum; reuolui totam Cyrilli Expoſitionem ſuper Ioannem, ſed nec talia verba, nec ipſis ſimilia inuenire potui, imò abſque vlla temeritate poſſum affirmare, quòd non extant. Tertio, cùm Aduerſarii adducant ſuprà Sanctum Athanaſium ſuper Lucam, & infrà Sanctum Gregorium Niſſenum ſuper Lucam, & hic Cyrillum etiam ſuper Lucam, quando tales Eccleſiæ Patres nullum Commentarium, aut Expoſitionem habent ſuper Lucæ Euangelium, exiſtimans aliquod hic latere magnum Embolyſmum, trituraui, non ſolùm opera ipſorum, ſed etiam omnes Gloſſas, Cathenas, atque libros Homiliarum Alcuini, Laurentij Surii, Laurentii Cundi, & Papiri Maſonis Cathenam Græcam, Balthaſ. Corderi, ſed neque Cyrillum ſuper Lucam, nec prælegatam auctoritatem reperire potui. Vndè exiſtimo, eſſe ſuppoſitam, & fictam, vel ſaltem ex aliquo alio libro tranſcriptam, adſcriptamque Cyrillo, vt tantus Eccleſiæ Pater non maneret extra ſua caſtra. Niſi fortè dicant, hanc auctoritatem extractam fuiſſe à Cathena Sancti Thomæ ſuper Lucam cap. 2. fol. 818. ad illud: Vocatum eſt nomen eius Ieſus, vbi Angelicus Doctor ſub nomine Cyrilli inquit: *Vocatum eſt, &c. quod interpretatur Saluator; editus enim fuit ad totius orbis ſalutem, quam ſua Circumciſione præfigurauit, &c.* Et infrà: *Sed Chriſtus aduenies, factus eſt lux tenebroſis, & erraticis, quos diabolica manus preſsit.* Et infrà: *Tamen reliquiæ ſaluæ factæ ſunt, & per Chriſtum peruenerunt ad gloriam.* Si ex his locis finxerunt ſuam auctoritatem, ex ſe clamat adulteratio; ſi autem ſunt ex alio, vel loco, vel Auctore, illam oſtendant. Sed gratis admiſſa auctoritate, vellem ſcire, vndè ex his verbis (cuiuſcumque illa ſint) colligant, vel deducere poſſunt Aduerſarii; Virginem Mariam contraxiſſe originale peccatum? Dicent, quòd ex illis vniuerſalibus: *Nos omnes Patri reconciliauit, quia ad totius humani generis ſalutem incarnatus eſt.* Sed ſi ex his deducitur efficax argumentum, vt quid finxiſtis chimericas auctoritates Cyrilli? Non enim hæc receptiſsima in fide veritas ex Scripturis, Conciliis, ac Sanctis Patribus indiget mendacio, vt pro illa loquamini dolos.

Secundam auctoritatem ſic adducunt: Item idem in eodem: *Quando*, inquit, *venit Saluator, nullus erat iuſtus ſuper terram, ſicut docet Apoſtolus dicens. Non enim eſt diſtinctio; omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei in Chriſto, qui ſolus fuit ſine peccato. Hæc ille.* Cùm hæc auctoritas ſit eiuſdem Cyrilli in eodem Commentario in Lucam, & talis Expoſitio non reperiatur; vide quid dicendum ſit de auctoritate. Sed nota, quòd ſimilem auctoritatem adducunt infrà num. 143. in Sancto Hylario, quæ etiam non reperitur, & ſic vtrobique videtur ficta: precor, vt videas ibi examinatam illam clauſulam: *Quando venit Saluator, nullus erat iuſtus ſuper terram.* Auctoritate 2. At dato, quòd eſſet Cyrilli ad illud: *quòd ſolus fuit ſine peccato:* dicimus eſſe veriſsimum ex ſe, per naturam, & ex vi ſuæ generationis, quia hæc propoſitio: Solus Chriſtus fuit ſine peccato, etiam eſt verà de peccatis actualibus; & tamen Eccleſia excipit Mariam, ex ſingulari Dei gratia, ac priuilegio; vadè ergo, & de peccato originali factu ſimiliter.

Tertiam auctoritatem adducit ſic Gryſaldus: Cyrillus in Leuiticum lib. 1. part. 1. *Maſculus verò eſt, qui peccatum, quòd à fœminæ fragilitate, ignorat, ſolus. Ergo ille maſculus, qui ſolus ſine macula eſt, qui peccatum non fecit:* Exiſtimo, quòd nullus erit latinus, qui huius auctoritatis poſsit componere grammaticam, nec ſenſum. Legitima verò Cyrilli auctoritas ex citato lib. 1. in principio, ſic ſe habet: *Idcircò non dicit vitulum, & ſiluit, vt videatur vitulus quicumque mundatus, ſed vitulum ex bobus, id eſt, ex Patriarcharum generatione venientem, eſt autem maſculus, ſine macula. Maſculus verò eſt, qui peccatum (quod eſt fœminæ fragilitatis) ignorat ſolus. Ergo ille maſculus, qui ſolus ſine macula eſt, qui peccatum nõ fecit, nec dolus inuentus eſt in ore eius, & qui acceptus coram Domino, offertur ad oſtium tabernaculi, non eſt intra oſtium, ſed extra oſtium. Extra oſtium enim fuit Ieſus, quia in ſua propria venit, & ſui eum non receperunt.* Ex his conſtat, quòd auctoritas adducta à Gryſaldo, eſt quædam incompoſita mixtura verborum, quæ nec facit ſenſum, nec ex ipſa poteſt deduci, nec propoſitio, aut aliquis conceptus.

Ex

Ex auctoritate ergo Cyrilli nihil aliud colligitur, niſi quòd Chriſtus D. fuit ſub allegoria, vitulus maſculus, ſolus ſine macula, qui peccatum non fecit. Ex illo ergo verbo, *ſolus*, vult Gryſaldus Cyrillum fuiſſe pro ſua opinione, quando ibi loquitur expreſsè de peccatis actualibus, vt indicant illa verba: quia ſolùs ſine macula eſt, *qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus eſt in ore eius*. Exiſtimo enim, quòd peccatum originale nec fit, nec inuenitur in ore! Vt ergo os eius grandi lapide claudas: notare debes, ò Lector! quòd libri, ſeu Homiliæ iſtæ in Leuiticum, non ſunt S. Cyrilli, ſed Origenis Adamantii, vt videre eſt in ipſo Origene tom. 1. à fol. 64. & ſic ferè omnes Scriptores Eccleſiaſtici ſentiunt, vndè ex omni capite manet excluſus Cyrillus ab Aduerſariorum area in primis duabus auctoritatibus, quia Cyrillus non ſcripſit in Lucam, nec talia verba reperiuntur in eius operibus, nec alicubi inueniuntur: feci enim omnia, ac reuolui pro hac indaganda veritate, quidquid excogitari poterant. Tertia hæc Leuitici in rei veritate non eſt Cyrilli, ſed Originis, & quando eſſet Cyrilli, nihil probat. Funiculus ergo iſte trium auctoritatum non eſt ille, de quo veritas dicit: Funiculus triplex difficilè rumpitur.

DOMINICVS De Cathalonia, Ordinis Prædicatorum, in quodam paruo tractatu de Conceptione Beatæ Mariæ Virginis. *Bandell. cap. 23. Deza fol. 42. Anonym. Auctore 93. Petrus de Vincent. & Gryſald.*

VERITAS 66.

BANDELLVS In claſsi Ordinis Prædicatorum, Auctore vltimo ſic inquit: *Idem tenet Doctiſsimus Pater Frater Dominicus de Cathalonia in tractatu de Conceptione Beatæ Mariæ Virginis.* Et nullam adducit auctoritatem: hæc verba deſumpſit ad litteram ex Anonymo, etiam Auctore vltimo. Sed nota, quòd hic Anonymus adduxerat prius alium quemdam Iacobum de Cathalonia, etiam Ordinis Prædicatorum in Tractatu etiam de Conceptione, & ex hac parte hic iam videtur multiplicatus. Bādellus autem hunc Iacobum de Cathalonia adductum ab Anonymo vocat Iacobum Ægidium de Barchinona, & ſic addiderunt confuſionem ad confuſionem, quia vidētur idem, & non idem. R. P. Frater Franciſcus Diagus in Hiſtoria Prouinciæ Aragoniæ, ac Cathaloniæ libro 1. capit. 28. folio 52. ſolùm adducit quemdam Iacobum Dominicum de Cathalonia, Inquiſitorem Maioricenſ. qui ſcripſit Chronicon ſui Ordinis, tractatum de Celebratione Capitulorum, & alterum de Ordine Iudiciali, ſed nihil dicit de magiſterio ſacri Palatii, nec de illo Tractatu Conceptionis, & ex hoc vno, vt credo, tota erecta fuit Bandelliana machina ſine veritate, nec fundamento. Sed ſint idem, vel diſtincti, nec Dominicus, nec Iacobus, nec Iacobus Ægidius, de Cathalonia, vel de Barchinona comparent in rerum natura, nec ipſorum glorioſiſsimi Tractatus de Conceptione. Vide infrà numero 131. in Iacobo Ægidio de Cathalonia, quia hic ſi non abſolutè fictus, ſaltem eſt multiplicatus. De hoc Auctore hæc habet Alphonſus Fernandez Placentinus, de Scriptoribus Ordinis Prædicatorum, folio 349. *Dominicus de Cathalonia in ſcholaſticis concertationibus eruditus, ſcripſit librum de Conceptione Beatæ Virginis circa annum* 1314. Et ad marginem citat Poſſeuinum. Antonius verò Poſſeuinus in Apparatu, folio 482. ſic dicit: *Dominicus Cathalonius, Ordinis Prædicatorum, Tractatum de Conceptione Beatiſsimæ ſcripſit. Citatur autem hic Auctor, & eius liber in Recollectorio auctoritatum de veritate Beatæ Mariæ Virginis, quod Bandellus Dominicani Ordinis euulgauit.* Hæc verba ad litteram tranſcripſit Poſſeuinus ex Antonio Senenſi, folio 69. dicens de hoc Auctore: *Scripſit librum, ſeu Tractatum de Conceptione Beatæ Virginis. Et citatur hic Auctor, & eius liber in Recollectorio illo auctoritatum de veritate Beatæ Virginis Mariæ, edito à Bandello noſtri Ordinis, vt creditur.* Ioann. Michael Pius part. 2. libr. 2. ad annum 1348. colum. 181. inquit ſic Italicè: *Frater Dominico Spagnuolo Cathalano di natione ſcriſe vn libro, ò vero trattato de la Concettione della Beata Vergine*, & citat Vincent. Bandellum, & Anton. Senenſem Luſitanum, & infrà lib. 3. colum. 86. ad annum 1500. inquit: *Frater Giacomo Spagnuolo, ignoto di patria è Cathalano di natione compoſe vn libro della Concettione, della Beata Vergine, che viene citato dal Generale Fra Vincentio Bandello, nel libro della ſanctificatione, che egli recolſe da multe ſentenze de Padri*: ſed hic ſunt non paruipendentia vitia, quia pro iſto etiam citat Anton. Senenſem; ſed eſt falſum. Item quomodo hic floruit ad annum 1500. ſi Anonymus, & Bandellus, qui ſcripſerunt ad annū 1471. & 1480. ipſum adduxit? Item Giacomo, non eſt Dominicus, ſed Iacobus, vel Didacus: ò confuſio! Ex quibus conſtat, quòd huius Auctoris nulla alia memoria, aut notitia extat in rerum natura, niſi illa vnica deſumpta à Bandello: vndè vehementer exiſtimo, hunc Auctorem eſſe penitùs fictum,

ctum, atque eius opus de Conceptione fa-ſticum, vel ſaltem, ſaltem multiplicatum, quod ſic probo.

Primo, quia nullus Auctor antiquus, vel Nomenclator de tali opere, imo nec de tali Scriptore Dominico de Cathalonia, mentionem vllam faciunt, neque ipſa Bibliotheca Hiſpanica, nec Valerius Andræas Taxander: ergo non fuit. Secundò, quia cum dicant, hunc vixiſſe ad annum 1314. vel 1348. & Ioannes de Turrecremata Hiſpanus ſcripſerit ſuum Cathalogum ad annum 1436. id eſt, poſt integrum ſeculum, poterat maiorē notitiam habere de hoc Dominico de Cathalonia ſuæ gentis, ac nationis, quam non Bandellus Italus, ſcribens in quodā angulo Lombardico, profugus à Romana Curia, vbi Sixtus IV. regnabat. Si ergo Turrecremata de illo mentionem non facit, cur crederemus Bandello? Tertio, quia idem Bandellus infrà adducit quendam Ioannem Dominicum de Florentia, Ordinis Prædicatorum, qui ſcripſit tractatum de Conceptione Virginis Marię, qui eſt triplicatus cum Iacobo Ægidio de Cathalonia, ſiuè Barchinona, vt mox incipiam detegere, quid mirum, poterat etiā ipſum quadruplicare, vocando Dominicum de Florentia, Dominicum de Cathalonia; nec hoc erit in ipſo aliquid nouum, vt paſsim demonſtrabimus in hac Ventilatione, & qui non ſolùm ſemel, nec decies, ſed centies fuit malus, ſemper talis debet præſumi in eodem genere mali. Vide infrà num. 169. & num. 131. & in Triturat. num. VI.

DOMINICVS De Dominicis, Decretorum Doctor, & Epiſcopus Brixienſis, ſuper Magnificat, & in aliis Tractatibus ſuis, & Sermonibus, *Anonym. via* 3. *Auctor.* 199. *Bandel. cap.* 21. *Deza fol.* 36. *Paul. Gryſald.*

VERITAS 67.

ATTENDE, Lector, nam magna hic latet confuſio, quia Auctor iſte fuit multiplicatus, vel falsò adductus. Et in primis fateor, quod fuit quidam Dominicus de Dominicis, Venetus, Torcellanus, Brixienſis Epiſcopus, qui ſcripſit Orationes diuerſas, ac multos tractatus, & claruit anno 1478. de quo omnes Nomenclatores Eccleſiaſtici honorificam faciunt mentionem, & Iacobus Bergomen. in Supplem. ad ann. 1471. ego aliqua huius Doctoris opera vidi typis mandata, vt de filiatione S. Ioannis Euangeliſtæ, &c. ſed hic non ſcripſit ſuper Magnificat, ſi credendum eſt Nomenclatoribus omnibus. Item quia nec Fabianus Iuſtinianus, nec Angelus Rocca, nec Poſſeuinus enumerant hunc Doctorem, inter Expoſitores Cantici Magnificat. Deindè cùm ego anno præterito ediderim Expoſitionem in Canticū Magnificat, & viderim omnes Expoſitores, hunc reperire non potui. Fuit etiam aliùs Dominicus de Florentia, Ordinis Prædicatorum, quem aliqui vocant Ioannem Dominicum, alii Dominicum Ioannem, alii Dominicum Dominici, qui fuit Epiſcopus, & Cardinalis S. Sixti, & hic ſcripſit ſuper Magnificat, vt dicunt Aduerſarii, & nos dicemus infrà num. 169. ergo iſte, vel eſt fictus, vel multiplicatus.

Sed quidquid ſit de Auctore, & eius opere ſuper Magnificat, ipſum ſic adducit Bandellus: *Idem tenet Dominus Dominicus de Dominicis, Epiſcopus Brixienſis, ſuper Magnificat, & in alys Tractatibus ſuis.* Et nihil ampliùs. Anonymus verò ſic: *Idem tenet Dominus Dominicus de Dominicis, Decretorum antiquus Doctor, ac S. Theologiæ ſolemniſſimus, ac famoſiſſimus Magiſter, Epiſcopus Brixienſis, & totius Curiæ Romanæ lumen, & iubar ſplendidiſſimum, in opere ſuo glorioſo ſuper Magnificat, & in multis alys Sermonibus ſuis.* Et nihil ampliùs. Compone ergo hoc, ò Lector! quia ego non intelligo has grammaticationes. Omnes Nomenclatores nullo dempto affirmāt, quod hic Dominicis de Dominicus, Epiſcopus Brixienſis, & Scriptor florebat anno 1478. Anonymus verò ſcripſit anteà, & typis mandauit ſuum librum ad annum 1475. quomodo ergo vocat eum antiquum Doctorem? Poteſt ne Scriptor anno 1475. laudare virum, qui floruit ad annum 1478. & inſuper ipſum vocare antiquum? Deindè ſi tam ſolemnis, ac famoſiſſimus Doctor fuit, quomodo ex tot, tantiſque diuerſis Tractatibus, ac Sermonibus ſaltem vnicam non adduxerunt auctoritatem? Nec poſſunt allegare, quòd eius opera non reperiebantur, quia hoc Romanæ Curiæ lumen erat Epiſcopus Brixienſis anno 1478. Et eodem tempore, imò eodemmet anno erant Anonymus, & Bandellus Brixiæ. Vndè exiſtimo, totum eſſe falſum, & fictum, quod dicunt de Dominico de Dominicis, Epiſcopo Brixienſi, vel ſub nomine Dominici de Dominicis loquuntur de Ioanne Dominico Florentino, Ordinis Prædicatorum, qui ſcripſit ſuper Magnificat, & fuit Epiſcopus, & Cardinalis, atque antiquior Anonymo, & Bandello. Et ſi hæc non conuincunt, ite in caſtellum, dico in Brixiam, ſoluite has difficultates, & adducite Auctorem mihi.



DOMI-

DOMINICVS De Soto, Ordinis Prædicatorum, lib. 1. de Natura, & Gratia cap. 9. *Ita Paul. Gryſald. Alphab. 5.*

VERITAS 68.

HVIVS Doctiſsimi, atque notiſsimi Doctoris Hiſpani, Segouienſis nullam adducit præallegatus Gryſaldus auctoritatem. Sed tantùm nudam citationem. Si fuit malitia, non diſcutio, ſolùm enim affirmo, quòd Dominicus de Soto in illo libro 1. cap. 9. fol. 29. colum. 2. agens, quomodo concupiſcientia parentum ſit peccatum originale, vel cauſa illius, ſic inquit: *Sed eſt argumẽtum, quod huic quiſque poſſet obmoliri ſententiæ; ſi qui ex nihilo crearentur nunc homines, maſculus, & fœmina (de quibus tertio capite proloquuti ſumus) in meris videlicèt naturalibus, ſinè culpa, & gratia, hi quidèm quantumcumque exardeſcerent libidine, & rebellione cõcupiſcentiæ, & vitiis deflagrarent, nunquam tamẽ in ſobolem, quam genuiſſent, traycerent originalem culpam: vt omnium eſt Theologorum conſenſus, eo quòd non eſſent tunc progenies Adæ. Si verò contrà duo naturali ſemine ab Adam deſcendentes, in primo inſtanti infuſionis animæ, infunderetur gratia præueniente peccatum (vt dicitur de Beatiſsimâ Virgine) & præſcinderetur illis, vel prorſus extingueretur cõcupiſcentia, ne magis poſſet aduerſus rationem inſultare, quam in ſtatu innocentiæ, nihilominus tranſmitterent peccatum originale in eos, quos genuiſſent liberos. Dico, &c.* Et in toto illo capite nulla alia verba habet Sotus, quod expreſsè, vel tacitè, directè, vel indirectè reſpiciant myſterium Conceptionis, ſed hæc non ſunt contra immunitatem Virginis à peccato originali, ſed potiùs militãt pro eius præſeruatione, ſi quidèm admittit Sotus gratiam præuenientem, quia in primo inſtanti nullum admitteret peccatum: ergo ſine fundamento adductus fuit Dominicus de Soto, & ex propoſito prætermiſſa eius auctoritas, quia in illa vocabat concupiſcentiam parentũ, peccatum originale more antiquorum. Sed ſi dixeris, quòd hæc non fuit ſententia Soti, ſed quoddam argumentum propoſitum contra ſuam doctrinam de peccato originali exiſtente in concupiſcentia parentum, tranſeat hoc; fateor, & profiteor, ita eſſe, ſed indè nihil contra me, vel noſtram opinionem, ſed totum redundat in Paulum Gryſaldum, qui ex quodam argumento ſui Soti voluit facere concluſionem & ex ſententia negatiua affirmatiuam; & non loquebatur rectè.

DVRANDELLVS, Ordinis Prædicatorum, Magiſter Pariſienſis, in 3. Sent. diſt. 5. *Bandel. cap. 23. Dezaſol. 41. Vincent. Gryſald. S. Antoninus*

VERITAS 69.

DE Hoc Auctore Durandello, ſiuè Durando Iuniore, conſtat: cuius proprium nomen fuit Nicolaus Melcenſis, & floruit anno 1350. Cùm autem eſſet conſobrinus Durandi de Sancto Portiano, ideo communiter fuit appellatus Durandellus, de ipſoque mẽtionem faciunt ferè omnes Nomenclatores, Geſnerus, Poſſeuinus, Senenſis, Plãcentinus: Quando enim Auctor non eſt fictus, ſtatim in foribus adeſt.

Auctoritatem eius ſic adducunt Aduerſarii: Idem tenet Magiſter Durandellus, Doctor Pariſienſis in 3. Sẽten. diſt. 3. ſic dicens: *Beata Virgo habuit peccatum originale. Tum quia fuit redempta; redemptio autem ſupponit obligationẽ culpæ, ſicut ſanatio ſupponit infirmitatem. Tum etiam quia Auguſtinus dicit, quòd de facto fuit culpæ obligata. Hæc ille.* Suppono eſſe poſsibile, & pluſquam probabile, Durandellum ſuſtinuiſſe opinionem de ſanctificatione Virginis Mariæ, poſt contractionem peccati originalis, quia cùm fuerit Dominicanus, & ſcripſerit pro Diuo Thoma, contra Patrem ſuum Durandũ, etiam exiſtimandum eſt rationabiliter in hac controuerſia de Conceptione iuraſſe in verbo Magiſtri. Hoc tamen non obſtante, dico, hanc auctoritatem adductam à Bandello, videri penitùs fictam, & fabricatam ab eius cerebro; nã in omnibus redolet eius ſtylum; auget hanc ſuſpicionem, videre, quòd Turrecremata non adducat Durandellum in ſuo Cathalogo, & adducit Durandum, vt videbimus numero ſequẽti: nec S. Antoninus de tam expreſſa auctoritate mentionem facit, licèt adducat Auctorem: & ſi Bandellus adulterauit totum Durandum, non erit iudicium temerariũ, exiſtimare, quòd idem fecerit cum Durandello, nam ego non capio, quomodo Bandellus iuuenis, & in Lõbardia, viderit opera Durandelli, Pariſiẽſis, quæ à nullo Nomenclatore hucuſque viſa fuere. Sed dato, quòd adducta auctoritas non ſit ficta, de qua iterum dubito, Durandellus fuit ex Ordine Prædicatorum, paruæ, vel nullius auctoritatis, nunquam enim citatur à Theologis, eius opera nunquam fuerunt typis mandata, neſcio quòd in aliqua Bibliotheca ſeruentur manuſcripta, & ſic, ò Bandelle! in folio quod vento rapitur oſtendiſti intentionem tuam.

DVRANDVS A Sancto Portiano, Ordinis Prædicatorum, Episcopus Meldensis, in 3. Sent. dist. 3. *Turrecrem. part. 6. cap. 29. Anonym. Auctore 51. Bandel. cap. 23. Deza fol. 39. à tergo, Vincentia, Gryſal. Capreolus, Soncin. S. Antoninus, Barelete.*

VERITAS 70.

SVPPOSITO, Quòd hic est notissimus Auctor, inter scholasticos grauis, & inter Theologos ex primis, cuius opus super Sententias est cõmunissimum impres. Lugduni 1587. & alibi sæpè, atque vixerit ad annum 1312. vel secundùm alios 1303. non est necesse amplius immorari in Auctore. Auctoritatem eius sic adducunt: Idem tenet Durãdus de Sancto Portiano, Episcopus Meldensis in 3. Sent. dist. 3. sic dicens: *Quamuis B. Virgo potuerit à peccato præseruari, non tamen fuit decens, vt à peccato præseruaretur, quia singularis Conceptio Christi debuit hoc singulari priuilegio dotari, vt ipsa sola esset sine peccato, quod non habuisset, si B. Virgo peccatum non contraxisset. Confirmatur hoc per illud Ioannis 3. quod natum est ex carne, caro est, & quod natum est ex spiritu, spiritus est. Quòd autem de facto non fuerit præseruata, patet per Apostolum ad Romanos 5. qui dicit, omnes in Adam peccasse, & neminem excipit, nisi Christum. Similiter Augustinus, Anselmus, & Bernardus expressè dicunt, illam fuisse conceptam in peccato originali. Hæc ille.* Auctoritas verò legitima Durandi in resolutione num. 10. sic se habet. *Quamuis autem B. Virgo potuerit à peccato præseruari, non decuit tamen quòd præseruaretur: cuius ratio est, quia singularis Conceptio habuit dotari singulari priuilegio, sed Filius Dei secundùm humanitatem habuit singularem Conceptionem, eo quòd est conceptus non de viro, sed de Spiritu Sancto: ergo debuit habere singulare priuilegium; non autem habuisset, nisi sola eius cõceptio fuisset absque originali peccato: ergo non decuit, quòd conceptio cuiuscũque alterius etiam matris, dotaretur hoc priuilegio. Et cõfirmatur: quia sicut dicitur Ioannis 3. quod natũ est ex carne, caro est, & quod ex spiriu spiritus est, & similia simili. Quod conceptum est ex carne, caro est, & quod conceptum est ex spiritu, spiritus est. Quum igitur solus Christus fuerit conceptus de Spiritu, Beata autem Virgo, & omnes cæteri fuerint concepti de carne, hoc est, secũdùm communem viam carnis, debuit, vt sola conceptio Christi nihil haberet contrarium spiritui: Beata autem Virgo, & omnes alij, sicut non fuerunt priuilegiati, vt conciperentur de Spiritu Sancto, sic habuerunt culpã originalem, quæ repugnat Spiritui, & per hoc patet responsio ad rationes aliorum, &c.* Ex his duabus auctoritatibus deducitur, Aduersarios adulterasse verba, seu litteram Durandi, & relictis illis minoris momenti.

Primò addiderunt illud, *à peccato præseruaretur*, vt illo verbo expressiorem redderent auctoritatem Durandi. Secundò, prætermiserunt illud, *cuius ratio est, &c.* vt sic continuarent textum per modum conclusionis. Tertiò, addiderunt illud, *hoc*, vt priuilegium determinaretur ad Conceptionem sine peccato. Quartò, prætermiserunt totam illam Durandi minorem: *Sed Filius Dei secundùm humanitatem habuit singularem Conceptionem, eo quòd est conceptus non de viro, sed de Spiritu Sancto*, vt sic fugerent ab illo, *non de viro*, quo videbatur Durandus loqui non de propria Conceptione animationis, sed de prima generatione. Quintò, vbi Durandus illatiuè, *ergo debuit habere singulare priuilegium; non autem habuisset, nisi sola eius Conceptio fuisset absque originali peccato: ergo nõ decuit, quòd conceptio cuiuscũque alterius, etiam Matris dotaretur hoc priuilegio*; ipsi sic resolutiuè, *ipsa sola esset sine peccato, quod non habuisset, si B. Virgo peccatum non cõtraxisset*: in qua vna adulteratione multa vitiarunt circa sensum. Sextò, vbi Durandus solùm dicit, *confirmatur*; ipsi addiderunt, *hoc*, quod habet emphasim. Septimò, tacuerunt totum illud, *& similia simili, quod conceptum est ex carne, caro est, & quod conceptum est ex spiritu, spiritus est, &c.* Quia ex illis colligebatur, Durandum loqui de conceptione carnis, siuè de prima generatione, præuidentes, quòd expositione horum verborũ tota eius machina ruebat; nam si non obstante, quòd Maria nata fuerat ex carne, fuit priuilegiata à peccato originali in sua Natiuitate, ita quamuis fuerit concepta in carne, fuit etiam priuilegiata in sua Conceptione, *& similia simili*, vt inquit Durandus. Octauo, nescio qua conscientia addiderunt Aduersarii totam illam clausulam: *Quod autẽ de facto non fuerit præseruata, patet per Apostolum ad Romanos 5. qui dicit, omnes in Adam peccasse, & neminem excipit, nisi Christum, similiter Augustinus, Anselmus, & Bernardus expressè dicunt illam fuisse conceptam in peccato originali.* Nisi dicant, quòd hæc verba desumpserunt ex sequentibus, scilicèt, num. 11. & 12. & 13. & 14. in quibus sparsim extant hæc verba. Quid tibi videtur, ò Lector! de hac adulteratione? Sed adhuc restat noua & maior, quia prætermiserunt totam illam clausulam: *Quum solus Christus, &c.* vsque ad finem, quia ex ipsa colligitur mens, & sententia Durandi. Videte ergo, quæ, & quanta in vna parua auctoritate addita, & diminuta fuerunt: an isti dicendi sunt Typographorum errores? An hæc parui momenti sunt pro hac materia? An denique

hoc

hoc factum eſt zelo Dei, & veritatis? Qui clamabat in Ægidio Zamoranſi, quia in quodam manuſcripto particula vna, *cùm*, mutata fuerat in, *ſine*, quomodo ex ſuo Durando tranſcripſit ſupra poſitam auctoritatē? S. Bernardinus inter Minoritas manſit integer, & illæſus, vt ipſemet fatetur; ſed non ſic Durandus inter Patres Dominicanos: Medice cura te ipſum.

Quantum verò ad ſenſum, libentiſsimè fatemur, Durandum opinionē ſuſtituiſſe contrariam, & ſic cum ſufficientiſsimo fundamento adductum fuiſſe ab Aduerſariis. Hoc tamē ſuppoſito, dico, quòd Durandus ad quæſtionis finem in noſtram ſe inclinat opinionem, inquit enim in vltima clauſula ſuæ reſolutionis: *Puto tamē, quòd ſi Beata Virgo peccatū originale nō contraxiſſet potuiſſet tamen verè dici redēpta à Deo, pro eo quòd in radice ſua, ex naturā ſuæ Conceptionis obligata erat ad incurrēdum peccatum, niſi fuiſſet à Deo præſeruata.* Deindè quæſtione ſequenti num. 14. accerrimè defendit, quòd Virgo Maria ſolùm fuit ſub peccato originali per ſolum vnicum inſtans; quod probat quam plurimis rationibus: ſi ergo veſter Durandus, ò Patres mei! nec parcus, nec durus cōceſsit, ac dedit Immaculatæ Conceptioni omnia, & ſingula quæ nos petimus; & deſiderare poſſumus, minus illud inſtans, vel momentum, quod denegauit gratiæ. Vos ergo quibus data eſt gratia à Deo Chriſto Ieſu, & in omnibus diuites facti eſtis in illo, in omni verbo, & in omni ſcientia, omnes enim vos filii lucis eſtis, & filii Dei, non verò noctis, neque tenebrarum, date Conceptioni Sacratiſsimæ Dei Matris vnū momentum gratiæ, vnicum inſtans ampliùs lucis, & vnicum diei punctum. Date ei, in quam de fructu manuum ſuarum, quia in vnico puncto, inſtanti, ac momento, facta eſt Mater Dei, in Chriſto Ieſu, vt laudent etiam eam in portis veſtris, Conceptionem, & opera eius.

ELVCIDARIVS Scripturæ libro primo: *Ita Vincent. Bandel. cap. 21. Didac. Deza fol. 36. Petr. de Vincentia claſſe 4.*

VERITAS. 71.

ELVCIDARIVS Iſte nomen libri, ſeu tractatus eſt, non Auctoris, vel Scriptoris, vt conſtat ex ipſorum Aduerſariorum verbis, dicentium. *Idem tenet Auctor libri, qui dicitur Elucidarius Scripturæ, &c.* Scias ergo, Lector, quòd Auctor iſtius libri Elucidarii Scripturæ fuit S. Anſelmus Cantuariēſis, vt videre eſt in eius operibus impreſsis Lugduni anno 1630. Et extat à fol. 391. vſque 416. & incipit: *Sæpius rogato à diſcipulis quæſdam quæſtiones enodare, &c.* In quo per modum dialogi inter Magiſtrum, ac Diſcipulum varias enuclear ſacræ Scripturæ difficultates (ſicut fecerat in libro, Cur Deus homo) & ideò eius auctor vocabit librū Elucidarium; liber autem iſte, & Auctor in ſuo originali erant Anonymi, quia in præfatione inquit: *Nomē autem meum, ideo voluiſſilentio contegi, ne inuidia tabeſcens, &c.* Sicque Aduerſarii in hac parte rectè citarunt libri titulum, ignorantes Auctorem; ſed cùm in rei veritate opus hoc ſit S. Anſelmi, iam Auctor iſte eſt non ſolùm duplicatus, ſed triplicatus; nam ſupra num. 23. adduxerunt S. Anſelmū Cantuarienſem, & num. 24. Anſelmum Conturbienſem, & hic Elucidarium Scripturæ, & hoc de opere iſto atque Auctore.

Primam ergo auctoritatem Elucidarii ſic adducūt: Idem tenet Auctor libri, qui dicitur Elucidarius Scripturæ in 1. libro: *Peccatum*, inquit, *Adæ omne genus humanum in mortem præcipitauit, Chriſtus autem ſolus ſine peccato mortem ſubiit; & omnibus prædeſtinatis cœlum aperuit.* Elucidarius verò poſtquam egit de peccato Adæ, & primorum parentum expulſione à paradiſo, de ſanctificatione neceſſaria, atque exhibenda pro iniuria, agens de Incarnatione Verbi, cap. 16. ſic inquit Magiſter: *Quia igitur Angelus redimere non deb uit, & homo per ſe ſatisfacere non potuit, Dei Filius, per quem facta ſunt omnia, vt & redemptio per illum fieret; aſſumpſit plenum hominem, & in duabus naturis factus eſt vna perſona. Et in illa natura, qua Deus erat, vicit diabolum, vt ipſe vicerat hominem, & omnibus prædeſtinatis cœlum aperuit, & Angelis cœquauit, quòd ſolus Deus potuit, &c.* En ex tota Auctoritate adducta ab Aduerſariis ſolùm reperiuntur in Elucidario illa quatuor verba, *omnibus, prædeſtinatis, cœlum, aperuit*, nam omnia alia fuerunt ficta ab ipſorum cerebro. Deindè nota, ex quibus verbis Elucidarii voluerunt Dei Matrem maculare? Veritas ergo cuſtodiuit Elucidarium, & à ſeductoribus tutauit illum, & verificatur illud ab ipſis fictum peccatum Adæ multos præcipitauit.

Secundam auctoritatem ſic adducunt. Item modicum infrà: *Quamuis*, inquit, *Chriſtus de maſſa peccatrice carnem aſſumpſit; ſine peccato tamen conceptus eſt, quia ſine cōcupiſcentia eam Virgo concepit. Hæc ille.* Modicum verò infrà, vt Aduerſarii dicunt, id eſt, cap. 18. hæc habet Elucidarius. Interrogat Diſcipulus de Chriſto ſic: *Quomodo potuit naſci ſine peccato de maſſa peccatrice?* Et reſpodit Magiſter: *Abinitio Deus quoſdam qui eum colerent familiariùs ſegregauit, de quibus Virgo quaſi de linea deducta pullulauit, quæ velut olim virga arida ſine humore*

fio-

florem, ita sine concupiscentia mundo edidit Saluatorem. Hæc sunt verba Elucidarii, confer illa cum verbis adductis ab Aduersariis, & vide, an conueniat verbum verbo, & simul interroga; an quando hæc ita vitiata transcribebant ab Elucidario, habebant in mente illud: Qui elucidant, me vitam æternam habebunt?

EPHÆM Syrus, Beatus, & Doctor Illustris in Sermone de Passione Domini. *Ita Bandel. cap.* 14. *Didacus Deza fol.* 42. *Paul. Gryfald.*

VERITAS. 72.

AVCTOR Notissimus est, cuius vitam post alios scripsit nouissimè Nicolaus Oyers Duaci 1640. & similiter opera quæ excussa fuerunt Romæ, Coloniæ 1603. & Antuerpiæ 1619. Brixiæ anno 1490. in 4. & alibi, ex vno ergo S. Ephræm Sermone qui incipit: *Eloqui pertimesco*, tres sequentes Aduersarii adducunt auctoritates.

Primam sic: Idem tenet Beatus Ephræm Syrus, Doctor illustris in Sermone de Passione Domini, sic dicens: *Saluator, atque Redemptor noster, qui solus sine peccato fuit, pro omnibus nobis impiè passus est, & pro nostris peccatis est crucifixus, qui solus sine peccato fuit. Hæc ille.* In originali verò sic se habet hæc auctoritas: *Propter nos quidèm passus est impassibilis Dominus, propter nos crucifixus est, qui solus sine peccato erat, &c.* Absque magno scrutinio apparèt hìc adulterationes. Nam primo addiderunt totam illam clausulam: *Saluator, atque Redemptor noster, qui solus sine peccato fuit*, & tota media pars auctoritatis. Secundo, ex reliqua parte vitiarunt totam clausulam, ita vt nullum verbum ab ipsis adductum sit in S. Ephræm, nisi solum illud: *crucifixus.* Tertiò, vbi Ephræm, qui solus sine peccato *erat*; ipsum mutarunt in præteritum *fuit*, vt ita comprehenderent Christi vitam à tempore Conceptionis suæ, & sic non solùm de præsenti, vt loquitur Ephræm, sed præcipuè de præterito tangeret sua auctoritas à fine vsque ad finem fortiter, & disponeret omnia ad illorum intentum suauiter.

Secundam sic adducunt: Item idem: *Venite*, inquit, *omnes filij Ecclesiæ, meditemur Christi Passionem, quia pretioso eius sanguine redempti sumus, qui solus sine peccato fuit, & pro nobis peccatoribus traditus est. Hæc ille.* Legitima verò auctoritas, sic se habet: *Venite huc cuncti Ecclesiæ Filij, qui pretioso, ac sanctissimo sanguine immaculati Domini redempti estis: venite, Passiones Domini cum lachrymis, atque singultibus meditemur, atque inter meditandum contremiscamus, & ad inuicem dicamus. Christus Saluator noster propter nos impios morti est traditus. Disce, atque perpende, Frater, quid sit hoc, quod audisti? Deus qui sine peccato est, Filius Dei Altissimi, propter te traditus est, &c.* Huius auctoritatis vitia de se patent; solùm noto duo. Primum, quòd de reliquerũt illud: *immacalati Domini*; si ex malitia, ipsi videant. Secundum, & principale, quòd vbi Ephræm, *qui sine peccato est*; ipsi sic, *qui solus sine peccato fuit*, addentes illud, *solus*, & transmutantes verbum præsens, *est*, in præteritum, *fuit*; quo fine hoc fecerint, iam sæpè diximus, sed semper fuit, & est finis sine honore.

Tertiam auctoritatem sic adducunt: Item in eodem: *Adoro*, inquit, *te Christe pie, & immaculate, qui solus sine peccato es. Hæc ille.* Legitima verò auctoritas sic se habet: *Adoro te, Domine, benedico te, pie, supplico tibi, sancte, procido tibi hominum amator Deus, & glorifico te, Christe, quòd tu, qui vnigena es, vniuersorum Dominus, solus absque peccato pro me indignissimo peccatore in mortem es traditus, mortem autem Crucis, vt scilicèt à peccatorum vinculis animam peccatoris liberares, &c.* Ex quibus paret, quòd etiam hic aliqua essentialia mutarunt, nam addiderunt illud, *immaculate*, licèt in hac parte excusationem habeant, vt mox dicam. Deindè, ex illa clausula: *in mortem es traditus*, abstulerunt illud, *es*, vt coniungerent cum illo, *qui solus sine peccato es*, vt sic in auctoritatibus Sancti Ephræm non de relinquerent lapidem super lapidem.

Sed quia fuerunt duę translationes ex textu Græco, altera Gerardi Bosii, de qua hucusque vsi sumus, adduco aliam Ambrosii Monachi, quæ in aliquibus differt à præcedenti, coniungendo in vnam tres suprapositas auctoritates. Inquit ergo S. Ephrẽm: *Cuius rei gratia est traditus Sanctus innocens, cœlestis Dominus, ac sine peccato. Qui nihil peccauerat, hodiè traditus est, &c. Trepidat cor meum, hæc omnia cogitans sed & seruus Domini stat, & qui plenus erat sceleribus contra insontem, atque ab omni peccati labe alienum, sentẽtiam dictat, &c. Nos autem peccatores etiam contemnimus semper, propter quod ille traditus est, qui solus sine peccato fuit, ridemus quotidiè audientes passiones, &c. Non tremit cor meum, non mens tua exhorresc it hæc audiens. Qui solus sine peccato est, propter te impiè traditur morti, &c. Meditemur assiduè pœnas ipsius, atque supplicia, propter nos enim passus est impassibilis Dominus, pro nobis crucifixus est, qui solus sine peccato fuit. Quid nos, fratres, ei reddere, &c. Tibi procido amator hominum Domine, te immaculate glorifico, quoniam tu vnigenitus Dominus omnium, qui solus sine peccato es, pro me indigno peccatore morti traditus es, &c.* Hæc est Ambrosii tra-

du-

ductio, ſecundum quam, ſi illa eſſent vſi Aduerſarii, aliqualem excuſationem haberent ex ſupra notatis vitiis; ſed cùm hæc prodierit anno 1490. atque Bandellus ſcripſerit anno 1451. nec hoc ipſis ſuffragari poteſt: ſed quidquid ſit de littera,

De ſenſu nulla poteſt eſſe controuerſia: nam primò hic loquitur Ephræm de illo iniquo iudicio, in quo Chriſtus eſt damnatus ad mortē, & quod paſſus eſt inſons, innocens, & ſine peccato, Deus, & homo. Secundò, vbi eſt hic Maria, vbi peccatum originale? Vbi illud clarè, expreſsè, nominatim, ac in indiuiduo, Virgo cōtraxit maculam? Si ergo nihil horum dixit Ephræm, quo fine ex vno Sermone, & penè ex vna auctoritate continua tot multiplicaſtis auctoritates? quæ nihil probant: & reduplicaſtis abſque vlla veritate illud ſolus, ſola, ſolum. Videte ergo, quomodo ſedet ſola ciuitas plena populo. Quæ expreſsè dicit S. Ephræm in oration. ad Sanctiſſ. Dei Genitricem, ſunt hæc: *Immaculata, & intemerata, incorrupta, & prorſus pudica, atque ab omni ſorde, ac labe peccati alieniſsima Virgo Dei ſponſa, ac Domina noſtra, &c.* Vide tom. 3. fol. 708. an ſit falſa, vel ficta hæc pro mea ſententia expreſſa auctoritas? Superſedeo ab aliis, quæ ſunt in orat. de Margarita pretioſa fol. 163.

ERARDVS, Siuè Bernardus, Moreſenæ Eccleſiæ Epiſcopus, ac Martyr, in Sermone de Natiuitat. Virginis. *Turrecrem. par. 6. cap. 7. fol. 90. à tergo Anonym. Auctore 39. Et auctorit. 31. Bandell. cap. 25. Dexa fol. 26. à tergo. Caietanus fol. 72. Gryſald. Canus.*

VERITAS 73.

HVNC Auctorem eſſe penitus fictū probatur ex multiplici capite. Et primo ex ipſa nominum varietate; nam alii vocant Erardum, alii Bernardū; alii Herardum. Tanta autem vnius cognominis variatio inſinuare videtur, quòd Aduerſarii neque ex nomine cognouerint prædictum Auctorem.

Secundò, ex Eccleſiæ Epiſcopatu, & Martyrio, quia in Prouinciale antiquo, quod extat in operibus Ioachimi Abbatis, qui floruit anno 1190. neque in moderniori impreſſo Lugduni anno 1546. in 8. neque in illo nouiſsimo Myræi, & alio inſerto in 3. tom. Theatri vitæ humanæ, nulla extat Cathedralis Eccleſia Moreſene, vel Morenenſis, aut Moreſenēſis; eſt enim vna quæ dicitur Moramenſis, altera Morauienſis; altera Morinenſis; ac denique in Regno Scotiæ vna quæ dicitur Murenenſis; vndè videtur ſedem illam Epiſcopalem fuiſſe fictam. Deindè, nullus Sanctus Martyr, & Epiſcopus inuenitur Bernardus, vel Erardus, in Kalendariis: ſolùm enim Philippus Ferrarius mentionem facit de quodam Bernardo Hiſpano, qui Compſæ cum duabus ſororibus martyrio coronatus fuit, ſed hic nec fuit Scriptor, nec Epiſcopus, ſed Monachus.

Tertiò, quia licèt fuerint plures Scriptores antiqui huius nominis Bernardi, nullus tamen inuenitur Epiſcopus, & Martyr, qui ſcripſerit Sermones; nam quidam Sanctus Epiſcopus, ac Martyr, ſcriptor Sermonum (de quo Baronius ad diem 24. Septembris inquit: *In Pannonia S. Gerardi Epiſcopi, & Martyris.* Surius tom. 5. fol. 391. adducit huius Gerardi vitam, & Trithemius de viris Illuſtribus Ordinis S. Benedicti lib. 3. cap. 239. ſed nihil dicunt de ſcriptis eius. Locuntur etiam de hoc Gerardo Codubenſis quæſt. 44. pag. 337. Ægidius à Præſentatione, Marratius, & alii) non vocabatur Bernardus, ſed Gerardus, nec fuit Epiſcopus Moreſenę, ſed Cadanienſis, vel Cenadienſis, ſuffraganeus Archiepiſcopi Colocenſis in Hungaria, & floruit ad annum 1047. de quo nullam habemus præmiſſam, quòd ediderit Sermones, vel in illis dixerit, Virginem Mariam fuiſſe in originali peccato conceptam. De Erardo verò dico, quòd fuerunt etiam aliqui Scriptores huius nominis, nam fuit Erardus Vvinhemin Carthuſianus, ſed hic eſt modernus, & ſcripſit ſolùm Deſignationem Eccleſiarum Colonienſium: fuit alius Erardus Monachus Benedictinus, qui ſcripſit in Pentatheucum, & Homilias: alius dictus EcKhardus: eiuſdem Ordinis & Abbas S. Laurētii Martyris in Vvaugia qui ſcripſit Sermones, de quibus Trithemius in Cath. Illuſ. vir. Germ. fol. 134. & 136. quorum vltimus floruit ad ann. 1130. & cum ſuum librum ſcripſerit Turrecremata in Germania, tempore Concilii Baſilienſis, fortè incidit in aliquo manuſcripto iſtorum, ſed nihil audeo affirmare: fuit etiam Erardus Faber, qui ſcripſit integrum tractatu pro Immaculata Virginis Conceptione, de quo Daniel Agricola in ſua Corona: fuit & Euerardus Billichius Carmelitanus, ſed hic floruit tempore Concili Tridentini, fuit EcKardus Decanus ad S. Gallum, ſed hic nec fuit Epiſcopus, nec Martyr, nec ſcripſit Sermones: fuit alius Euerardus Berlunenſis, ſiuè Ebrardus, Arteſius vulgo dictus qui tantum ſcripſit artem Gramaticæ, de quo Myreus part. 1. fol. 173. fuit etiam Ernaldus qui ſcripſit ſuper Euangelia, & citatur in Allegoriis Godofredi Tilmani, Carthuſiani.

Denique fuit quidam Heroardus, ad quem Philippus Eleemoſynarius ſcripſit duas Epiſtolas, quarum prima ſic incipit: *Dubitas quidèm, & quæris cum Chriſti caro in lumbis fuerit Ada. ſicut & noſtra, quomodo non indè & ipſa peccatum*

tum contraxit, &c. In qua latè agit Philippus, atque declarat Heroardo naturam originalis peccati. Hic autem non est; quia illa est Epistola, & non Sermo, nec Heroardi, sed Philippi, nec ibi extant verba allegata ab Aduersariis: O Bernarde, vel Erarde, vbi pascis, vbi cubas?

Quartò: Hunc Auctorem vel transcripserunt Bandellus, Anonymus, Caietanus, & Grysaldus, ex Turrecremata, vel non: si transcripserunt, quare adulterarunt nomen, & quem Turrecremata vocat Bernardum, ipsi appellarunt Erardum, vel Herardum, tacentes etiam illud, Moresenæ Ecclesiæ Episcopū? Nisi fortè, quia videntes Bernardum Moresenæ Ecclesiæ Episcopum esse fictum, voluerunt hūc alio cooperire pallio, & multiplicatione nominum totaliter sepelire veritatem, vt communiter faciunt malefactores, vt à iudice non inueniantur: Si non transcripserūt ex Turrecremata Erardum, sed videntes, atque legentes eius opera, inuenerunt, ac cognouerunt, non fuisse Bernardum, sic iam ad minus huius Auctoris fuerunt tria exemplaria; vnum in quo vocatur Bernardus, quod vidit Turrecremata; alterum vbi appellabatur Erardus, quod vidit Caietanus; & tertium quod vidit Anonymus, vbi dicebatur Herardus. Quomodo ergo ex tot exemplaribus nullus peruenit ad manus alicuius Nomenclatoris antiqui, vel neoterici; vel illorum, qui fecerunt Martyrologia, vt de ipso darent mundo aliquam notitiam pro Sancto, Martyre, vel saltem Scriptore? Instatur hoc amplius, quia quādo Bandellus adducit pro se aliquem Sanctum, vel Ecclesiæ Patrem, assignat tempus, & annū, quo floruit, vt videre est in suo libro: de hoc autem Erardo Sancto, Episcopo, & Martyre, neque assignat sæculum, in quo vixit, nec Imperatorem, aut Tyrannum sub quo passus est. Igitur Auctor iste pro ficto, & fantastico reputari debet, quousque Aduersarii se purgent, aut purificent secundùm legem.

Quintò, ex auctoritate, quam sic adducit Turrecremata: Item ad idem est S. Bernardus Moresenæ Ecclesiæ Episcopus, & Martyr, qui in quodā Sermone Natiuitatis B. Virginis ita inquit: *Licèt autē B. Virgo de massa peccati nascatur, verumtamen quia sanctissimè per se iugiter conuersatur, nec reminiscitur cuiuscumque delicti, quare libera prorsus extitit à cathena peccati, mundauit enim illa ā Deus ab omni delicto, à purissimo Natiuitatis exordio.* Et infrà: *O fœlix puella, quæ vagit in cunabulis, & ideò est electa in cœlis, quæ concepta de peccato, purificatur ab omni peccato, & concepit sine peccato de Spiritu Sancto, peperit Deum ineffabilissimū Verbum. Hæc ille.* Ex his duabus auctoritatibus Turrecremataæ alteram tertiam finxit Bandellus sic. Idem tenet Beatus Erardus Episcopus, & Martyr, in quodam Sermone Natiuitatis B. Virginis sic dicens: *O fœlix puella, quæ concepta in peccato, purificatur ab omni peccato, & postea filium cōcepit sine peccato.* Caietanus hanc transcripsit à Bandello, sicut omnes alias auctoritates à se adductas in tractatu illo de Conceptione Virginis, & sic istæ duæ parū inter se differunt, at regulatæ cum illa Turrecremataæ habēt vitia sequentia. Primo, verbum illud: *O fœlix puella*, desumpserunt ex secunda auctoritate prætermissa tota prima. Secundo, vbi Erardus, vel potiùs Turrecremata, *quæ vagit in cunabulis*, Aduersarii sic, *quæ concepta in peccato.* Nota si posset esse execrabilior adulteratio. Tertio, prætermiserunt illud: *& ideò est electa in cœlis.* Quartò, dato, quod illam clausulam; *quæ concepta in peccato*, transcripserint ab illa, *quæ concepta de peccato*, præpositionem *de* transmutarunt pro, *in*, & hoc est, & fuit Aduersariorum peccatum ab initio, quia omnes assertiones antiquorum loquentes, *de*, vitiarunt ad, *in*: nam hæc propositio: Maria cocepta est *de peccato*, est causalis, & hæc: Maria concepta est *in peccato*, formalis: prima appellat supra conceptionem carnalem, de qua non loquimur: secunda, de propria animationis. Quinto, vbi textus, *& concepit sine peccato*; Aduersari isic, *& filium concepit sine peccato*, addentes lv *filiū*, vt reducerent propositionem ad Conceptionem passiuam filii, quæ in auctoritate est pro actiua matris. Istæ sunt quinque adulterationes capitales quoad litteram.

Auctoritas verò quoad sensum, vt adducitur à Turrecremata, nihil habet contra immunitatem Virginis Mariæ à peccato originali, sed potiùs videtur ipsam probare; nam nos nō negamus, quòd Maria nata fuerit *de massa peccati*, vt omnes Catholici fatentur, imò de Christo Domino hoc ipsum dixerunt innumerabiles Sancti, ac Patres: quare non est consequentia: Maria fuit ex massa peccati: ergo contraxit peccatum (ad summum enim solùm inducit debitum, & obligationem) & multo minùs hìc quia verba Erardi faciunt hunc sensum: licèt B. Virgo de massa peccati nata fuerit, libera tamē *prorsus extitit à cathena peccati*: Igitur etiam originalis, aliàs non libera prorsus extitisset, si ab illo primo vinculo, seu catenæ annulo teneretur, nec etiam facit contra puritatem Cōceptionis illud: *mundauit illam Deus ab omni delicto, à purissimo Natiuitatis exordio*: etenim ibi Natiuitas non sumitur pro natiuitate ex vtero, quia falsa esset Erardi propositio; nam Virgo Maria in omnium sententia ante natiuitatis exordium, fuit sanctificata: cùm ergo ibi Natiuitas stet pro natiuitate in vtero, facit hunc sensum: Maria fuit prorsus libera, & mundata à catena peccati, quia Deus à delictis commissis in eius generatione, siuè à concupiscentia, libidine, ac morbida illa seminis infectione ipsam

ſam mundauit, vt puriſsimum eſſet eius exordiū in illa natiuitate Coceptionis, vel animationis, aliàs compone illud, *à puriſsimo exordio*. Cùm igitur exordium Mariæ fuerit eius animatio, & hoc fuerit puriſsimum ſecundùm Erardum, in exordio puriſsimo quomodo potuit eſſe impuritas originalis maculæ? Clauſula vero illa: *quæ cõcepta de peccato, purificatur ab omni peccato*, non ſolùm confirmat antecedentia, ſed etiam illa declarat: nã Virgo Maria in ſua animatione, ſeu Conceptione, quomodo potuit mundari *ob omni delicto*? quomodo purificari *ab omni peccato*? Nota illam collectiuã vniuerſalem, *ab omni*. Si ergo Maria in ſua prima Natiuitate in vtero fuit purgata, & purificata ab omni delicto, & peccato: ergo purgatio, ac purificatio appellat ſupra delicta, & peccata commiſſa in generatione, à quibus omnibus fuit illa materia purgata, ac purificata, & ſic anima non teneretur in ſui informatione ab illa catena peccati. Hæc enim peccati catena eſt à parentibus ad prolem protenſa, & ex diuerſis annulis compoſita, quia a carne parentũ naſcitur rebellio, ab illa appetitus, ab hoc ſenſualitas, à qua pendet concupiſcentia, ab hac oritur libido, à libidine delectatio, a delectatione infectio, & ab infectione originale peccatũ, & ab hac catena peccati libera prorſus fuit Maria, quia Deus purgauit, & purificauit ab omni huiuſmodi delicto, ac peccato ſuum puriſsimum exordium in vtero. Si ergo demas illud, *in*, artificioſè ſatis additum ab Aduerſariis, exiſtimo, quòd Erardus in præallegata auctoritate nec in minimo peccauit labiis ſuis contra Conceptionem, neque quidquam contra Dominam locutus eſt.

EVGENIVS Papa Quartus, in quodam Decreto Concilii Florentini, &c. *Ita Anonymus Auctore* 10. *& 3. via* 2. *par. Ration.* 10. *fol.* 95. *Bandel. cap.* 18. *& 38. Deza fol.* 28. *à tergo. Vincent. claſs.* 2. *Caſtellan. Arpaleg.*

VERITAS 74.

SVMMVS Hic Eccleſiæ Pontifex anteà Gabriel Condolmerius, natione Venetus, & Cardinalis S. Clementis, creatus: fuit Romæ 5. Nonas, & coronatus 5. idus Martii: conuocauit cõciliũ Baſilienſe eodẽ ſuæ aſſumptionis anno 1431. quod poſteà ob varias cauſas ab eodem ſupremo Eccleſiæ capite fuit diſſolutũ, & reciſſum, atque translatũ Ferrariæ anno 1437. ſed graſſante peſte, conuocatũ fuit Florentiæ anno 1439. & hoc Concilium Florentinum, & acta illius extant tom. 4. Conciliorum par. 1. à fol. 411. & etiam fuit ſeorſim excuſum in 4. nulla ergo dubitatio eſt, nec eſſe poteſt, nec de Cõcilio, nec de Eugenio IV. vero, ac indubitato Eccleſiæ Paſtore.

Auctoritatem ſic adducunt Aduerſarii (Primò Anonymus, & ab ipſo Band. illus nullo mutato verbo eſſentiali, neque in introductione, neque in ipſa auctoritate.) idem tenet Dominus Eugenius Papa IV. in Concilio Florentiæ celebrato, in quo ſedatũ eſt ſchiſma, quod annis octingẽtis duranerat, quo videlicèt tres generales nationes ab Eccleſia Romana præciſſę fuerant pluribus erroribus inuolutæ, videlicèt, Græcorum, Armenorum, & Iacobitarum, quibus ſingillatim per ſacrum Concilium data ſunt certa Decreta, quæ de neceſsitate ſalutis credere tenerẽtur. Inter Decreta autem quæ Iacobitis, qui ſub Patriarcha Alexãdrino degunt, per ipſum Papam ſacro approbante Concilio, tradita ſunt, iſtud tale habetur ſub hac forma: *Firmiter credit, profitetur, & docet Sacroſancta Romana Eccleſia, neminẽ vnquam ex viro, fœminaque conceptum, à diaboli dominatu fuiſſe liberatum, niſi per fidem mediatoris Dei, & hominum Ieſu Chriſti Domini noſtri, qui ſine peccato conceptus, natus, & mortuus, humani generis peccata delẽdo, ſolus ſua morte proſtrauit, & regni cæleſtis introitum, quod primus homo peccato proprio cum omni ſua ſucceſsione perdiderat, reſerauit. Hæc ille. Floruit anno Domini* 1424. Bandellus infrà cap. 38. fol. 73. à tergo, ſuperaddidit: *Similiter Eugenius IV. in Concilio Florentino determinauit, quòd omnes homines, excepto Chriſto, contraxerunt originale peccatum. Et decem alii Summi Pontifices idem tenuerunt, ſicut ſupra allegatum fuit.* Hæc ſunt omnia quæ adducunt Aduerſarii de Eugenio IV. ſed veritatis Sol omnia hæc patefaciet ſequentibus radiis.

Primò, tale Decretum Eugenii non extat in Concilio Florentino, licèt ibi extent alia tria eiuſdẽ Eugenii Decreta, primum incipit: *Magnæ profectò ſunt nobis*. datum Ferrariæ 9. Aprilis ann. 1438. & eſt pro translatione Concilii ad Florentiam. Secundùm incipit: *Conſentiente ad infraſcripta*, ſiuè: *Lætentur cæli, &c.* datum pridiè Nonas Iulii ann. 1439. & eſt concordia cum Græcis de proceſsione Spiritus Sancti à Patre, & Filio. Tertium incipit. *Exultate Deo, &c.* datum 10. Kalen. Decembris eodem ann. 1439. & agit de Sacramentis Eccleſiæ, & feſtiuitatibus obſeruandis ab Armeniis; ſed de Iacobitis nec verbum extat, nec Decretum hoc eſt in Regeſto Vaticano, vbi Bullarum huius Summi Pontificis ſunt 210. libri manuſcripti, quos omnes vidimus, & foliatim reuoluimus, nec denique extat in collectione Bullarum, & Decretorum primæ impreſsionis ann. 1579. nec ſecundæ, nec tertiæ Romanæ, ſed reperitur in vltimis tom. 1. conſtitut. 23. fol. 273. & incipit. *Cantate Domino, &c.* Et cõcludit ſic: *Datũ Florentiæ in publica Seſsione Synodali ſolemniter in Eccleſia domus S. Mariæ Nouellæ apud*

quam nunc reſidemus, celebrata anno Incarnationis Dominicæ 1441. *pridiè Nonas Februarij, Pontificatus noſtri anno* 11. In qua ſubſcriptione notare debet Lector, quod in illo Concilio nulla Seſsio fuit habita *in Eccleſia domus S. Mariæ Nouellæ*, quæ eſt Fratrum Prædicatorum, ſed omnes in Eccleſia Maiori, vt ex ipſis conſtat, item quod illa clauſula, *apud quam nunc reſidemus*, in nulla Bulla, ſeu Summi Pontificis Decreto à diebus S. Petri vſque ad præſens poſita fuit: deſiderabat enim Datarius, quod vniuerſus orbis ſciret reſidentiam Summi Pontificis Eugenii in domo Fratrum Prædicatorum, licèt eſſet contra ſtylum Curiæ. Tandem illud; *anno Incarnationis Dominicæ* 1441. *pridiè nonas Februarii Pontificatus noſtri anno vndecimo*, non cohærent: nam Eugenius fuit creatus anno 1431. quinto nonas Martii, nullo diſſentiente Chronologico, anno verò 1441. vſque ad 5. Martii fuit annus decimus Pontificatus Eugenii: quomodo ergo pridie nonas Februarii poterat eſſe annus vndecimus? Anno vndecimo fuerũt Bullæ expeditæ, anno 1441. à die 5. Martii ac deinceps: illæ verò expeditæ mẽſe Februario non erant anni vndecimi, ſed decimi: non ergo Datarius erat Curialis, nec arithmeticus. imo eritimo, quod talis Datarius non fuit præſens Concilio Florentino: & ratio eſt euidens, quia Concilium Florentinum fuit finitum anno 1439. pridie Nonas Iulii, vt ex eiuſdem actis conſtat: quomodo ergo anno 1441. poterat eſſe illa Seſsio Synodalis ſolemnis in S. Maria Nouella? Denique nota illud Aduerſariorum: *Floruit anno Domini* 1424. & ſic extat in vtroque originali Bandelli, vt non dicamus, fuiſſe errorem Typographiæ. Si loquerentur de Eugenio in minoribus conſtituto, vt erat Gabriel Condolmerius, Venetus, Cardinalis S. Clementis, tranſiret error, vel inaduertentia; ſed Summus Pontifex floret, quando aſſumitur ad talem dignitatem, vel veriùs, ac propriùs quando expediuit Decretum, de quo loquitur (ſicut Doctores, qui tunc dicuntur florere, quando ſcribunt, vel typis mandant libros ſuos) Eugenius creatus fuit anno 1431. & Decretum, de quo agimus, fuit factum anno 1441. quomodo ergo hic Summus Pontifex floruit anno 1424. & hæc dicta ſufficiant de illo Iacobitarum Decreto propriſsimè ſic dicto more Gallico, non Romano loquendo. Tene me, ſi potes.

Secundò, admiſſo decreto, auctoritas in ipſo §. 11. ſic extat. *Firmiter credit, profitetur, & docet, neminem vnquam ex viro, fœminaque conceptum, à diaboli dominatione fuiſſe liberatum, niſi per meritum mediatoris Dei, hominum, Ieſu Chriſti Domini noſtri, qui ſine peccato conceptus, natus, & mortuus, humani generis hoſtem peccata noſtra delendo, ſolus ſua morte proſtrauit, in regni cœleſtis introitum, quem primus homo peccato proprio cum omni ſucceſsione perdiderat, reſerauit, quem aliquando venturum omnia veteris teſtamenti ſacra, ſacrificia, ſacramenta, cæremoniæ præſignarunt.* Hæc eſt illius Decreti auctoritas integra, in qua Aduerſarii addiderunt illud, *Sacr ſanctæ Romanæ Eccleſiæ.* Item vbi Decretum, *dominatione*; ipſi, *dominatu*: Item vbi Decretum, *per meritum*, mediatoris; ipſi dixerunt, *per fidem*, ſine veritate, & fide, quia eſt in ipſa execrabilis error: Deindè vbi Decretum, *humani generis hoſtem, peccata, &c.* ipſi abſtulerunt ly, *hoſtem*, & ſic tota oratio manſit imperfecta, & ſenſus penitus corruptus. Denique addiderunt ly, *ſua*, & dereliquerunt vltima verba auctoritatis. Sed hæc omnia ipſis condonamus, vt tantummodo do oſtendant, vbi eſt in his verbis illa Eugenii determinatio: *quod omnes homines excepto Chriſto contraxerunt originale peccatum*, & ſi non totam hanc determinationem, ſaltem ſignate nobis in auctoritate Eugenii vnicum illius verbum: eſſent ne hæc credibilia? Determinatio principalis Eugenii eſt: quod Regni cœleſtis introitum primus homo Adã peccato proprio cum omni ſua ſucceſsione perdidit, quem introitum ſolus Chriſtus proſtrando hoſtem ſua morte reſerauit: Sed hæc Eugenii determinatio non eſt pro veſtra opinione, ſed pro noſtra ſententia, quia ipſa proſtratur illud veſtrum argumẽtum: ſi Virgo Maria mortua eſſet ante Filii paſsionem, non ingrederetur regnum cœlorum: ergo habuit originale. Ad quod dicimus ex determinatione Eugenii, quod regnum cœlorum fuit clauſum per proprium peccatum Adæ vnde licèt Virgo Maria fuiſſet præſeruata, vt fuit, & cum ipſa tota ſucceſsio Adami à peccato originali, nullus tamen huiuſmodi Adæ filius ingrederetur regnum cœlorum, quouſque reſeraretur per Mediatoris paſsionem, & mortem, quia oſtium fuit clauſum per Adæ peccatum, prout in ipſo fuit proprium, & mortale, & ſic quod filii eius poſtea haberent, vel non haberent peccatum originale, vel originalem iuſtitiam, præſeruarentur, vel non præſeruarentur, ſemper haberent clauſam ianuam; vno verbo: Peccatum Adæ, prout in ipſo, fuit mortale, & clauſit hoſtium paradiſi, ſi Adam non haberet ſucceſsionem, nõ eſſet originale. Per illud proprium peccatum Adæ ante ſucceſsionem clauſum fuit regnum cœlorum, & mors introducta in mundum; quòd ergo haberet, vel no haberet ſucceſsionem, clauſa erat ianua, quòd filii morerentur, vel non ex priuilegio, clauſa remanebat ianua, & quòd filii haberent, vel non originalem maculã, clauſam inuenirent ianuã, & de hoc ſatis, quia hæc Eugenii auctoritas iterum adducitur ab Aduerſariis pro Concilio Florentino, vt videbimus infra, verbo Synodalis.

num.

num. 291. auctorit. 6. ad finem, vide ibi aliqua ſcitu digna, quæ hic deſunt.

EVSEBIVS Emiſſenus, Epiſcopus, Sanctus in Sermon. 2. Natalis Domini, qui incipit: Noſtris Chariſsimi. *Turrecrem. part. 6. cap. 1. fol. 96. à tergo. Anonym. Auctore 30. Bandel. cap. 14. & in Offic. Lec. 7. Deza fol. 20. à tergo. Caietan. cap. 3. Spina part. 6. cap. 2. Vincentia. Gryſald. Caſtellan. Canus. & Arpalleg.*

VERITAS. 75.

PRIMO Quoad Auctorē dicit fuiſſe in rerū natura: ſed male vocant Emiſſenū, ſed Emeſſenū, nā Emiſſa Epiſcopalis ciuitas, ſeu ſedes opinor, quo nulla fuerit. De indè neſcio, quo fundamento omnes Aduerſarii vocant hunc Sanctū, quia neque in Kalendario Græco, neque in aliqua Hiſtoria tali decoratur titulo, imò ferè omnes antiqui Scriptores ipſum appellant Arianum, & ab Emeſſenis eiectū à ſede, quia Aſtronomiæ Iudiciariæ doctor, ac profeſſor erat, quaſi diceres, Magum, vel quid ſimile: huic, & aliis in hoc Ventilabro ſignandis tribuunt ſanctitatē, quam à Mariæ Conceptione relegare nituntur, quare non eſſet absre dicere: non licèt illam mittere in corbonam; quia pretium ſanguinis eſt.

Secundò, de opere Homiliarum dico, non ſolùm eſſe ſub lite, ſed penè, vt euidens receptū, Homilas illas in Euangelia totius anni non eſſe Euſebii Emeſſeni, quod latè probant Bellarminus, & Myræus fol. 28. & alii. Vide Bibliothecam VV. PP. tom. 5. part. 1. & fol. 607. impreſſionis Colonienſis, cuius Auctorem dicunt, ſecundùm probabiliorem ſententiam, fuiſſe Eucherium Lugdunenſem, ſeu Gallicanum, licèt aliqui prædictas Homilias tribuant Bedæ, & aliqui Rabano Mauro, ac tandem aliqui Cæſario Arelatenſi, & ex hac parte etiam fabricarunt Aduerſarii ſuper arenam.

Tertiò, de Sermone ab ipſis adducto eſt alia controuerſia nondum deciſa, nam licèt talis Sermo ſit inter Homilias Euſebii Emiſſeni in editione Pariſienſi, facta anno 1547. editam per Ioannē Gagneium, & in Bibliotheca VV. PP. tom. 5. part. 1. fol. 545. tamen in editionibus Antuerpienſibus factis anno 1555. & 1568. talis Sermo, ſeu Homilia non extat, nam ibi tantùm ſunt tres Sermones de Natiuitate Domini, quorum primus incipit: *Quod mundus.* Secundus: *Paſtores inquit.* Tertius verò: *Narrant alii Euangeliſtæ.* Sicque Sermo ille qui incipit: *Noſtis chariſsimi,* à quibus Aduerſarii ſuā tranſcribunt auctoritatem, non extat, & ex hac parte etiam poſſumus dicere illud Tobiæ: vana facta eſt ſpes tua.

Quartò, circa auctoritatem dicimus, quòd ſic adducitur ab Aduerſariis: In primis Sanctus Euſebius Emiſſenus Epiſcopus, Doctor elegantis ingenii, qui ſub Conſtantino Principe floruit, in 2. Sermone Natiuitatis Domini, qui ſic incipit: *Noſtis chariſsimi,* ſic dicit loquens ad Virginem: *Initiator omnium rerum abs te initiatur, & ſanguinem pro mundi vita fundendum de corpore tuo accepit, ac de te aſſūpſit, vndè etiam pro te ſoluat. A peccati enim originalis nexu nullus immunis extitit, nec etiam ipſa Genitrix Redemptoris. Solus enim Chriſtus, licèt de debitrice naſcatur, legis veteris debito non tenetur. Hæc ille.* Auctoritas verò (cuiuſcumque illa ſit) Sermone 2. de Natiuitate Domini, qui incipit: *Benè noſtis Fratres chariſsimi,* ſic ad litteram ſe habet: *Exulta mater ſalutis humanæ: Ecce Domini mei vniuerſo mundo per tanta retrò ſæcula promiſſum prima ſuſcipere mereris aduentum: habitaculum immenſæ Maieſtatis efficeris: Spem terrarum, decus ſeculorum, commune omnium gaudium, peculiari munere nouem menſibus ſola poſſides. Initiator omnium rerum abs te initiatur, & profundendum pro mundi vita ſanguinem de corpore tuo accepit: ac de te ſumpſit, quod etiam pro te ſoluat. A peccati etenim veteris nexu per ſe non eſt immunis, nec ipſa Genitrix Redemptoris. Solus ille licèt ex debito naſcatur, lege tamen veteris debiti non tenetur: parum tamen tibi cum cæteris commune matribus eſt: Medicum enim noſtrorum dolorum ſine dolore paris ſanatorem deprauati ſæculi, atque corrupti, ſine vlla pudoris corruptione progeneras, &c.* En ſecundùm omnia originalia huius Auctoris noua, & vtera.

Ventilando ergo vtrāque auctoritatem, inuenio adulterationes, ac vitia ſequentia. Primò vbi Euſebius, *à peccati etenim veteris nexu;* ipſi ſic, *à peccati enim originalis nexu,* ponentes loco, *veteris,* illud, *originalis.* Si verò hoc fuit ex ſimplici ſimplicitate factum, vel ex intentione, tu conſidera: nam peccatum vetus latiùs patet, quam peccatum originale; peccatum enim vetus, ſeu nexus veteris peccati, cōprehēdit omnia, quæ à veteri Adami culpa dimanarunt, ſcilicèt libidinem, concupiſcentiam, delectationē mortē, originale, &c. At peccatum originale, ſeu nexus originalis indiuiduat materiam pro ſolo originali contracto à prole. Inſuper veteris peccati nexus ſolùm indicat obligationē, vel debitū: At nexus originalis ipſam actualē contractionē. Secundò, vbi Euſebius, *per ſe non eſt immunis;* ipſi ſic, *nullus immunis extitit:* in quibus ſolùm tribus verbis tres peſſimas adulterationes commiſerunt, nam dereliquerunt illud, *per ſe,* quod eſt totius auctoritatis cardo, ac ſententiæ vnicus ſcopus: deindè addiderunt illud, *nullus;* ac tandèm illud, *extitit.* Propoſi-

tio igitur Eusebij verissima est, nam *per se* à veteri lege nullus fuit immunis, nec ipsa Genitrix Redemptoris, nisi solus Iesus. Licet enim Virgo Maria fuerit libera à nexu veteri, quia sine concupiscientia, & libidine genuit, & sine originali fuit genita, hoc non fuit *per se*, nec à se, sed ex priuilegio, & à Deo. Tertio, addentes vitium vitiis, clausulam illam Eusebii: *Solus ille licèt ex debito nascatur, &c.* Ipsi contra veritatem, & Virginis honorem sic transcripserunt; *solus enim Christus, licèt de debitrice nascatur*; & sic illud *debito*, absolutè, ac indeterminatè prolatum, quod respicit naturam humanam, secundùm omnem suam latitudinem, à qua carnem Christus sumpsit, adulteratione illa pessima scilicèt, *debetrici*, determinarũt ad Sacratissimam Virginem Mariam. Quarto, vbi Eusebius: *Legis tamẽ veteris debiti no tenetur*, ipsi sic vitiantes dixerunt, *legis veteris debiti nõ tenetur*, sensus enim, & legitima cõstructio verborum Eusebij est: Christus non tenebatur lege veteris debiti, quia ab illa lege exemptus erat per naturam; ipsi verò, vt celarent, quod Eusebius loqueretur de debito, illud, *lege*, fecerunt genitiuum, *legis*, & genitiuum, *debiti*, posuerũt in ablatiuo, *debito*. Vt sic tota domus rueret à quatuor angulis: nam posita, *debitrice*, si relinquerent, *lege*, in suo casu, necesse erat construere vtrumque, dicẽtes sic: licèt Christus, processerit, *ex debitrice lege*, tamen illo debito non tenebatur; ad hanc ergo constructionem euitandam, & quod ibi *debitrice*, supponeret pro Virginem Maria, loco, *lege*, apposuerun *legis*. Quinto, eadem intentione prætermiserunt illa immediata, ac sequentia verba, relinquentes orationem truncatam, & absque fine, nã oratio integra in Eusebio peruenit vsque ad illud: *parum tamen tibi cũ cæteris cõmune matribus est &c.* quę verba quasi quedã conclusio est omnium antecedentium, nam ex toto illo discursu concludit Eusebius, quòd Virgo Maria parũ habuit commune cum alijs matribus; nõ enim esset parum, si cõtraxisset originale! Hæc enim, est communis, & communissima omniũ matrum infirmitas, concipi, & concipere in originali peccato. Concipere sine peccato, non habuit ex matre, sed ex filij Diuinitate. Concludimus ergo, quòd in Eusebio secundùm Aduersarios, à planta pedis vsque ad verticem capitis non est in eius auctoritate sanitas.

FACINVS De Ast, Ordinis S. Augustini in 3. Sent. dist. 3. *Ita Anonym. Auctore* 128. *Bãdel. cap.* 25. *Deza fol.* 49. *à tergo, & Grysaldus.*

VERITAS 76.

HIC Auctor Facinus, cognomento Astensis, vel de Ast, natione Lombardus, scripsit super Magistrum Sẽtentiarum, ante annum 1400. Cùm ergo ipsum non adducat Turrecremata, qui scripsit ad annum 1437. sed solùm Bandellus, & ex ipso alij, hinc non solùm pro suspecto, sed pro absolutè falso habendus, ac reputandus est, non solùm quia de hoc Auctore nullam adducunt auctoritatem, vbicumque enim Aduersarij adducto Auctore silent auctoritatem, signũ euidens est, quod verba illius Doctoris non erãt recta oculis ipsorum, nec illis portabãt bonum nuntium, vt in hoc, & sequenti, ac in alijs quam plurimis demonstrabimus, præcipuè quãdo habebant ad manus manuscripta illius Auctoris; nã vt affirmat Thomas Gratianus in Anastasii Augustin. fol. 67. & Thom. de Herrera in Alphab. fol. 248. asseruantur in Bibliotheca S. Marci Mediolanensis, in cuius territorio Anonymus, ac Bandellus scripserunt; sapientiam autẽ non vincit malitia. Sed præcipuè quia antiqui Scritores, vt Ioannes Vitalis Hispanus Ordinis Minorum, contẽporaneus ipsius Facini Astensis, in suo Defensorio lib. 4. Ancilla 7. Auctore vltimo, & idem dicit Ioannes Alanus Parisiensis, qui vnanimiter affirmant, Facinum de Ast sustinuisse, Virginem Mariam fuisse conceptam absque originali peccato, quorũ hæc sunt verba: *Item Facinus Astensis, Ordinis Eremitarum, qui 3. Sent. quæstione 6. isti pię declarationi assentit, &c.* Cui ergo magis credendum est, an Vincentio Bandello, Ordinis Prædicatorum Italo, qui in hac materia semper reprobauit bonum, & elegit malum; an Ioanni Vitali, Ordinis Minorum, Hispano, & Alano Parisiensi, Gallo, qui in omnibus suis scriptis veracissimi extiterunt? Tu, Lector, in hoc reproba malum, & elige bonum, & ad calcem nota, quòd Leand. Albert. lib. 4. fol. 139. à tergo adducit hunc Facinum Astensem pro Scriptore Ordinis Prædicatorum. Compone omnia ista amore Dei?

FRANCISCVS De Ast, Ordinis Minorum in Serm. 3. Dominicæ post Trinitat. *Anonym. Auctore* 110. *Bandell. cap.* 24. *Deza fol.* 48. *Petr. de Vincent.*

VERITAS. 77.

PRIMO, Supponit pro infallibili principio, & vero huius nominis Francisci de Ast nullum fuisse classicum Scriptorẽ in tota Seraphica Religione. Secundò, similiter supponit, in Religione Minorum fuisse

ſe quendam Auctorem celebrem appellatum Attexiatum de Aſt, qui ad annum 1317. compoſuit Summam communiter dictam Aſteſana nexuſtum anno 1478. in fol. & Lugduni 1519. in 4. Hic etiam compoſuit librum diſtinctionum ſatis eruditum, qui extat manuſcriptus in Bibliotheca S. Ioannis Regum Toletan. littera Z. n. 65. & de hoc libro extraxerant Aduerſarii auctoritatem quandam pro Arnaldo Salernitano, vt vidimus num. 311. Tertium principiū ſit, quod Conradus Geſnerus in ſua Bibliotheca fol. 85. & in alia impreſsione 71. habet hæc verba: *Aſtenſis ſcripſit Sermones ſuper Euangelia à Paſcha vſque ad Aduentum.* Et immediatè poſt agit latè de Aſtenſi Auctore Summæ. Si iſti Aſtenſes ſunt diſtincti, nec ne, ex Geſnero non conſtat. Vvadingus in ſuo Cathalogo folio 43. hos Sermones tribuit cuidam Aſtenſi Franciſcano, diſtincto ab Auctore Summæ; non tamen aſsignat proprium nomen. Cùm ergo Aduerſarii dicant ipſum fuiſſe appellatum Franciſcum, credamus eis, quia ſalutem ex inimicis noſtris. Denique pro exacta notitia ſcire debes, quod antiquitùs fuit quidam Bruno Aſtenſis, qui ſcripſit Sermones ſuper Euangelia Dominicalia, à Paſcha vſque ad Aduentum, & fol. 88. tom. 2. adducit Sermonem Dom. 3. poſt Penteecoſten, & ad illud de centum ouibus inquit: *Ex his autem vna errauit, quoniam primus homo peccauit: vndè Pſalmiſta: Errauiſicut ouis, quæ periit, &c.* Si Auctor adductus ab Aduerſariis eſt iſte, veritatē dicūt in cognomine de Aſt, & de Serm. 3. Dom. poſt. Trinit. Sed deceſſerunt ab illa in nomine, quia non appellatur Franciſcus, ſed Brunus, & ſimiliter in Religione, quia non fuit Minorita, & præcipuè in auctoritate, nam dicere: primus homo peccauit, aut errauit, non eſt affirmare, Virginem contraxiſſe originale peccatū. Notet etiam Lector, quòd Aduerſarii infrà num. 282. adducunt S. Seuerianum in Homil. Dominic. poſt feſtum Trinit. cuius Euangelium eſt de Paſtore bono & oue perdita, & cui iſto videtur habere non ſolùm relationem, ſed identitatē, & ſermo ille non eſt Seueriani, ſed Chryſologi quem etiam adducunt ſub nomine Petri Rauenas num. 251. eſſetque mirabile, quòd Auctor iſte eſſet triplicatus, quando in rei veritate Frāciſcus de Aſt eſt pro noſtra ſententia, vt ſic demonſtro.

Aduerſarii de ſuo Franciſco de Aſt nullā adducunt auctoritatem, ex quo ſtatim iudicaui eſſe fictionem, propter illam regulam generalem toties in hac Ventilatione repetitam, quod vbicumque Aduerſarii adducto Auctore tacent auctoritatem, indicant, verba auctoris eſſe contra ipſos, vel ſaltem non eſſe pro ipſis, hanc coniecturam in præſenti Franciſco de Aſt fecit euidentiam quoddam manuſcriptum repertum in Bibliotheca S. Eccleſiæ Toletanæ antiquis caracteribus in 4. Fratris Franciſci de Aſt, vel Vaſt (eſt enim intelligibiliter ſcriptum cognomen) in hoc manuſcripto extant Sermones de Tempore, ac de Sanctis: at Sermonem prælegatum ab Aduerſariis Dominicæ 3. poſt Trinitatem nullo modo inuenire potui, nec exiſtimo, quod ſit; reuolui librum, vt ſaltem ex alio colligerem huius Auctoris ſententia; & in Sermone Natiuitatis, & Sanctificationis Virginis, qui incipit: *Fac tibi arcam, &c.* habet hæc verba: *Artifex Altiſsimus, ac nobiliſsimus artifex; eſt ipſe Deus æternus, & vnus, à quo proceſsit iſta Natiuitas gloriоſa, quia generaliter tàm conceptio, quàm natiuitas omnium mulierum eſt in crimine, & eſt ab homine, è contra, tàm Conceptio, quàm Natiuitas Matris Chriſti fuit in lumine puritatis, & fuit à numine Trinitatis, indiuiſa enim ſunt Trinitatis opera.* En clarè, & expresè affirmat Frater Franciſcus de Aſt, quòd Conceptio, & Natiuitas Matris Chriſti fuerint in lumine puritatis; & ſi Natiuitas fuit in lumine puritatis, quia in gratia, & abſque originali peccato: ergo & Conceptio. Inſuper hoc euidenter confirmatur, quia Turrecremata expresè adducit hunc Franciſcum de Aſt pro noſtra ſententia, par. enim 3. capit. 3. fol. 264. inter Auctores exceptis Religione, qui expresè tenent, Virginem fuiſſe conceptam ſine peccato originali, adduxit octo, & hunc Franciſcum. Aſtenſem in quinto loco: vide eius verba infra num. 202. Hic ſolùm poſſunt dicere Aduerſarii, quòd ab ipſis adductus non eſt iſte Franciſcus de Aſt, nec ille citatus à Turrecremata, ſed alius ternus, quod certè videretur ridiculū. Sed gratis dato, quòd hoc ſit poſsibile, & non impoſsibile, Patres, quærite veſtrum Franciſcum de Aſt, & Sermonē illum 3. Dominicæ poſt Trinitatē, ſi inueniri poteſt, quia nos iam habemus, & inuocamus noſtros, vel noſtrum Franciſcum de Aſt, & Sermonem Natiuitatis, quia propè eſt.

FRANCISCVS Ferrarienſis, Ordinis Prædicatorum lib. 3. contra Gentes cap. 50. *Ità Paul. Gryſaldus Alphab. 3.*

VERITAS 78.

DE Hoc inter Scholaſticos ſatis noto Auctore nullam adducit Gryſaldus auctoritatē. De quo dico, ipſum fuiſſe Generalē Magiſtrum Ordinis Prædicatorum, migraſſeque à vita anno 1528. & ſcripſiſſe Commentaria eruditiſsima ſuper Summam S. Thomæ contra Gentes, & non libro 3. vt malè Gryſaldus, ſed libro 4. capit. 5. ſub hoc titulo, quòd peccatum originale traducatur à primo parente in poſteros, fol. 480. poſt-

quamplura de peccato originali sic prosequitur *An autem absolutè loquendo possit Deus alicui seminaliter descendenti ab Adam concedere, quod sine peccato originali concipiatur, dicendum est, quòd sic, vt videtur esse de mente S. Thomæ dicentis 3. Sent. dist. 3. quæst. 1. artic. 1. ad 1. Quòd Deus potuit parentes B. Virginis sic in statu vitæ curare, vt prolem suam sine originali peccato concipere possent. Si autem arguatur. Potest Deus absolutè concedere alicui, vt absque originali peccato concipiatur: ergo non pertinet ad fidem, an quis sit in peccato conceptus, an absque peccato: negatur consequentia, quia licèt illud Deus possit facere, non tamen manifestum est nobis, quòd ipse faciat. Nam secundùm fidem tenetur, Christum per Passionem suam, & mortem esse omnium Saluatorem, & Redemptorem, vt patet in multis locis sacræ Scripturæ, in quantum pro peccatis omnium, quantum in se est satisfacit, quod vtique non esset verum, si quis sine peccato originali cõciperetur. Vndè sicut non valet ista consequentia: Deus absolutè potuit saluare genus humanum absque Filii Dei incarnatione: ergo non expectat ad fidem, quòd Filius Dei propter salutem generis humani incarnatus sit, nec nè: ita nec prædicta consequentia tenet. Vbi enim in sacra Scriptura aliquid traditur fieri pro communi regula, sicut traditur, quòd omnes peccauerunt in Adam, non potest oppositum sine errore teneri, nisi Deum aliter fecisse, in aliquo particulari præter communem regulam constat, aut, in quam, per sacram Scripturam, aut per Ecclesiæ determinationem. Per hoc autem non intendo, quòd hæretici sint, tenentes, B. Virginem etiam sine originali peccato cõceptam: nam nondum est per Ecclesiam determinatũ, quòd in hac re ad fidem pertineat, sed quòd S. Thomæ visum est ad fidem pertinere, quod omnes ab Adam seminaliter propagati peccatum originale contrahant, & quod necessitas moriendi sit peccati originalis pœna.* Hucusque Ferrariensis: in quibus verbis videtur, se in minus piam inclinasse opinionem, & sic cum fundamento, iuxta verborum corticem, citatur à Grysaldo; at seria consideratione ventilando eius verba, Ferrariensis cum S. Thoma in æquiuocum laborat, sicut omnes antiqui, de quibus suprà, & infrà etiam agemus; quod etiam hic euidenter meo iudicio probatur ex illis à se adductis verbis S. Thomæ dicentis: *Deus potuit parentes B. Virginis sic in statu vitæ curare, vt prolem suam sine originali peccato concipere possent.* Secundùm proprium modum loquẽdi, & nũc vsitatum in Scholis, & Neothericis scriptoribus huius controuersiæ: Conceptio prolis, seu Mariæ, fuit eius animatio, vnde in hac acceptione parentes non concipiunt prolem, sed generant: quòd pater non concipiat prolem, de se patet; mater concipit, sed illa est prima conceptio, seu carnis conceptio, quæ Medicis esset propria, vel Physicis in libris de generatione, & corruptione, sed Theologis, & Scripturariis est impropriissima, in hac Conceptionis controuersia. Ex his dico, quod hæc ratio S. Thomæ, & Ferrariensis nihil probat, vel in æquiuocum laborant, sumentes generationẽ, siuè coitum parentum pro cõceptione prolis, quod sic dẽmonstratiuè iuxta subiectam materiam declaratur. Quærimus, an Deus posit præseruare Mariã à peccato originali? Respondet D. Thomas, quod sic; quia *Deus potuit parentes B. Virginis sic in statu vitæ curare, vt prolem suam Mariam sine originali peccato concipere*, id est, generare, *possent*: ergo originale peccatum Mariæ consistebat in curatione parentum. Hæc autem curatio nulla alia potest esse, nisi auferre à parẽtibus libidinem, concupiscentiam, delectationem carnis, &c. in ipso actu generationis: ergo antè animationem Mariæ iam erat illud peccatum originale, de quo agunt S. Thomas, ac Ferrariensis: ergo confundunt Conceptionem propriam Mariæ cum conceptione actiua, seu generatione parentum. Si enim parentes Mariæ essent sani, & non infirmi, generatio, seu Cõceptio Mariæ sana esset, & non infirma. At in quæstione de Immaculata Conceptione Virginis non quærimus modò, an Ioachim in generatione, vel Anna in illa sua conceptione carnis habuerit infirmitatem naturæ ab Adamo contractã, libidinis scilicèt, cõcupiscentiæ, &c. Sed supposito, quòd illam habuerit, vel nõ fuerintque sani, aut infirmi, an Maria in sua animatione, & animæ infusione operata post quadraginta, vel octoginta dies, ab illa infirmitate Ioachimi, & Annæ, in quibus diebus (vt Hispanicè loquamur: *Aquella materia de que se formò Maria auia hecho la quarẽtena por la peste que auiã tenido sus padres, y el contagio que se le pegò, ò no se le pegò*) potuit præseruari, vel sanari ab illo contagio parentum, & sic absque cotagio originali proprio concipi. Reducendo ergo ad cõpendium sententiam Ferrariensis ex S. Thoma, secundum ipsos duplex est conceptio; actiua, & passiua; parentum, & prolis; & per consequens duplex infirmitas, & contagium, scilicèt peccatum originale in parentibus, & peccatum originale in prole. Tunc ergo conceptio passiua erit sana à peccato originali, quando cõceptio actiua parentum fuisset sana, & absque originali contagio. Hic est discursus S. Thomæ, ac Ferrariensis. Sed nunc vltra progredimur in nostra controuersia, & inquirimus; an stante illa prima conceptione parẽtum, seu generatione infirma, & cum contagio originalis peccati, potuerit Deus facere, quòd secunda Conceptio, seu animatio Mariæ, fuerit sana, & absque contagio originalis peccati. Vel illud, quod potuit Deus facere in materia illa, prout vnita

pa-

parentibus, potuerit etiam efficere in materia, iam deciſa, & ſeparata à parentibus in ipſa matrice, in inſtanti antecedente animationem, vel in ipſo animationis puncto? Si dicis, quod hoc non potuit Deus facere, blaſphemas, & falſiſsimum dicis; quia ſi potuit per re in parentibus purificare materiam, quare non Embryonem in vulua matris? Si dicis, quod ſic, vt catholicè debes profiteri, iterum interrogo, quomodo reſpondit ad hanc quæſtionem Ferrarienſis cum ſuo Angelico Doctore? Dices, & verum dices, quod de hac quæſtione non agit Ferrarienſis: ergo iam habemus intentum, ſcilicet, quod Ferrarienſis non agit de controuerſia propria, ac genuina, quæ nunc ventilatur in Scholis. Et ſic extra chorum ſaltauit, & aſcendit aliundè, in hac parte, & ſua citatione Gryſaldus. Vide quæ diximus de hoc Auctore in Triturationē num xxxvii.

FRANCISCVS Herculanus, Peruſinus, Ordinis Prædicatorum, in Lectionibus de Peccato originali. *Ita Paulus Gryſald. in Alphab. 5. Auctor. 21.*

VERITAS 79.

AVCTOR Hic ex multiplici capite debet ab hac Area excludi. Primo, quia nullus Nomenclator antiquus, vel modernus, nec etiam illi ex Prædicatorum Ordine de tali Fráciſco Herculano, vel minimam faciunt mentionem: ergo ſi non eſt fictus à Gryſaldo, fuit aliquis communis Lector, & ex illis, qui in verbo Magiſtri dicebant: Amen. Secundo, quia de tali Auctore nullam adducit auctoritatem; ſolùm enim dicit ſic: *Franciſcus Herculanus, Peruſinus Lect. præſtantiſsimus, Lectionibus de peccato originali.* Et nihil amplius; & ſic manet comprehenſus ſub illa regula generali toties verificata in hac Ventilatione: Quotieſcumque Aduerſarii adducto Auctore, tacent auctoritatem, aliqua latet fictio in Auctore, vel in auctoritate, & hic fortè in vtroque, quia Gryſaldus parū curauit de examinanda veritate, & ſic eius Cathalogus ſcatet falſitatibus, ac mendaciis, vt interim taceam de erroribus totius libri. Tertiò, repellēdus eſt ab Area Herculanus propter illa verba Gryſaldi: *Peruſinus Lector præſtantiſſimus, Lectionibus de peccato originali.* Si Lector? Ergo non fuit Eccleſiæ Pater, non Doctor claſsicus, non ſaltem Auctor, vel Scriptor, ſed Lector? Quare ergo, ò Gryſalde! non adduxiſti etiam omnes Lectores tuæ Religionis, quia omnes ſunt præſtantiſsimi, imo etiam Studentes præſtantes, quia omnes habent ſuas lectiones de peccato originali. Item nota illud, *Lectionibus ſuis*: ergo non in libro, non in Tractatu, non in Opuſculo, ſed in lectionibus, id eſt, quando erat in ſuggeſtu legens ſuis Studentibus, nili velit dicere; quod ſub hoc inſigni titulo: Lectiones de peccato originali, præſtantiſsimi Lectoris Franciſci Herculani, ex Ordine Prædicatorum, &c. extet aliquis liber excuſus; ſed hoc eſt falſum, quia talis liber non eſt in rerum natura. Quartò, quia videtur, hunc Franciſcum Herculanum Peruſinum eſſe duplicatum cum Vincentio Herculano Perufino, quem ſolus Gryſaldus adducit infra. Vide num. 308. Quintò, demus quòd Herculanus dixerit, vel ſcripſerit clarè, & expreſsè, Virginem Mariam fuiſſe conceptam in peccato originali, hic fuit ex Ordine Prædicatorum, & ex hac parte teſtis ſuſpectus, eius opera nunquam viderunt lucem, & ſic nocturnus Anthagonilta: nullā ipſius adducunt auctoritatem: quare pro vanā, & inani ſpica reputatur. Ac denique fortè hic Herculanus Peruſinus fuit Magiſter Gryſaldi etiam Peruſini, & diſcipulus gratitudinis cauſa, & honoris, nullo alio ſtante motiuo, ipſum adduxit in ſuo Cathalogo, vt etiam eſſet electus lapis in tāni magnifico ædificio, ſicque poſſumus dicere Herculano: Vnde venis, &c.

FVLBERTVS Carnotenſis Epiſcopus Sanctus, in Serm. de Natiuit. B. Virginis. *Ita Auctor ille incognitus in Serm. de Sanctificat. adducto ab Albert. Caſtellano, vt in Tritur. num. xxxiv.*

VERITAS 80.

HIVIS Notiſsimi Sancti Epiſcopi, Doctoris Galli, qui vixit ad annum 1107. cuius opera extant in Bibliotheca VV. PP. tom. 11. fol. 35. & ſeorſim per Carolum de Vvilliers anno 1608. in 8. Solus Auctor ille Opuſculi, vel Sermonis de Sanctificatione mentionem facit, ac de ipſo adducit auctoritates ſequentes: Sanctus Fulbertus Epiſcopus in Sermone de Natiuitate Beatæ Virginis: *Quid autem putas, qualis fuerit, vel ſit iſta perſona, quæ Sanctis omnibus ſpectanda proponitur, & imitanda?* Et infrà: *Hæc itaque Virgo, antequàm naſceretur, vt prædictum eſt, diuinis eſt oraculis enuntiata; & miraculis deſignata, tandèm verò nata ex progenie diuinitùs ordinata. Nata ſiquidèm eſt, vt legimus, Nazareno patre, Bethleemitica matre, deſcendit autem à radice illius, fide præclari Abrahæ, cui præmiſſa fuerat omnium benedictio gentium in ſemine ſuo. Deſcenditque à ſtirpe Dauid, quem Deus propter notam ſibi probitatem ſublimauit, dicens: Inueni hominem ſecundùm cor meum. De regali nempè tribu ſimul, & Sacerdotali du-*

xit originem, quæ ſummum erat paritura Regẽ, atque Pontificem. Et infrà: *De hac igitur Beatiſſima Virgine, fratres chariſſimi, confidenter aſſerimus, quia nullo virtutum genere vacabat, cui gratiæ plenitudinem ineſſe Dei Nuntius aſſerebat.* Et infrà: *Quis enim cum admiratione iucunda non ſpeculetur ipſius adoleſcentis naturæ fortitudinem, & prudentiam, ac fidem in Angelico colloquio, vbi tàm inſtanter eloquitur, tàm prudenter interrogat, tàm facilè credit? Quis non iuſtitiam eius miretur, qua ſic vniuerſa præcepta legis implere ſatagebat, vt nec ad ſe pertinentia quædam, velut purificationẽ legalem, inexpleta relinqueret? Ipſius quoque temperantia ſatis enituit, quæ Deo dignitatis lilium in humilitatis valle produxit. Depromebant itaque virtutes in cogitatione, & affectu cordis eius ineffabilem armoniam, quam ipſa creatrix, & inhabitatrix Dei ſapientia delectabatur audire. Coruſcabant quoque foris in ſuperficie ſermonis, & actus vnde poſſent homines glorificare Deum, & exempla ſalutis accipere.* Hæc ſunt omnia, quæ adducit Auctor ille de S. Fulberto deſumpta ex Sermone 1. de Natiuit. Beatiſſ. Mariæ, qui incipit: *Approbatæ conſuetudinis eſt, &c.* in quibus nec verbum vnum inuenies, quod directè, vel indirectè reſpiciat propoſitum aſſumptum de Virginis Conceptione, animatione, ſanctificatione, vel peccato originali, & ſic gratis fuit adductus Fulbertus, & ſine vllo prorſus fundamento.

Sed fortè dicent, quòd iſtæ non ſunt adductæ pro controuerſia præſenti, ſicut aliæ, ſed ſolùm pro gloria, & laude Virginis Mariæ? Optima equidèm laus! ſed admittamus excuſationem; & dicite mihi, qua intentione Auctor ille trũcando ſecundam auctoritatem, trãſiuit ad tertiam, auferendo præcipua, ac principalia verba totius illius Sermonis Fulberti, ad maiorem laudem Deiparæ? An quia illa erant expreſſa pro immunitate, ac omnimoda puritate Virginis Mariæ? Reſpondebit auctoritas ipſa, quæ integra ſic ſe habet: *De regali nempè tribu, ſimul, & Sacerdotali duxit originem, quæ ſummum Regem, atque Pontificem erat paritura. Non tamen hæc idcirco dixerimus, quòd Dominus, qui peccatores vocare venit, dedignatus ſit, matrem ſuam peccatores habere cognatos, inter quos ſpecioſa, velut inter ſpinas lilium appareret, &c. Hoc igitur in primis adſtruere fas eſt, quòd anima ipſius, & caro, quam elegit, habitaculum ſibi fecit Sapientia Dei Patris ab omni malitia, & immunditia puriſſima fuerunt, affirmante Scriptura: quoniam in maleuolam animã non introhibit ſapientia, neque habitabit in corpore ſubdito peccatis.* Et derelinquendo omnia verba hæc, tranſiuit Auctor iſte ad illa, quæ immediatè ſequuntur: *Item è contra confidenter, &c.* Si hæc proceſſerunt à parua, vel magna aduertentia, Lector iudicet: mihi enim ſolùm intereſt demonſtrare, quomodo S. Fulbertus pro nobis ſit, & non pro Aduerſariis. Alia minoris momenti vitia commiſſa in propoſitis auctoritatibus, conſulto prætermittimus, tranſcripterunt enim illas non ſolùm malè, ſed peſſimè, auferendo verba, & ſenſum, &c.

Reſtat nunc tranſcribere, ac ventilare auctoritatem, de qua ſupra in S. Bernardo, num. 44. auctor. 12. incogniti, vel Alberti Caſtellani, quæ in rei veritate eſt Sancti Fulberti, & non S. Bernardi, vt ex ipſa conſtabit, quæ ſic ſe habet ex Sermone illo cauillosè citato de Beata Virgine, incipiẽte: *Qui..... Præſenti igitur celebratione omnium prudentium Virginum Reginam ſedulis, fratres chariſſimi, expoſcite precibus, vt illa ſuo interuentu efficiat poſsibile, quo Sanctæ Eccleſiæ concentus, de eius congaudeat ſublimatione, & gloria. Iſta eſt enim præcipua feſtiuitas, in qua Angelorum omnis exultat militia; in qua Patriarcharum complentur vera dica, & abdita myſteria; in qua Prophetarum panduntur vaticinia; in qua, etiam, & Gentilium referantur prænuntia ſcripta, in qua ſanctificatur ſponſa, ſine exemplo Deo coniuncta; de cuius corporis materia oritur lumen in tenebris ad extinguendas veterum piaculorum tenebras. Hæc, inquam, dies eſt, in qua prælucida ſtella, imò lumen maris, hoc eſt, huius mundi cum decoris amænitate, ex mortali genitura, cunctis, qui ſaluandi ſunt, illuxit. Hæc eſt honoranda diei lætitia, in qua præparatur vas Virgineum, diuinis chariſmatibus, ac micantibus margaritis ineffabiliter ornatum, in quo ſublimitas Dei mixta homini compaginaretur carnaliter, non ſecundùm propaginem, ſed ſecundùm Spiritus Sancti operationem.* Hæc eſt auctoritas, vt adducitur ab Aduerſariis; quæ autem extat in Sancto Fulberto, Serm. 3. *In ortu almæ Virginis Mariæ inuiolatæ*, qui incipit: *Mutuæ dilectionis amore, &c.* vt videre eſt in eius operibus, & Biblioth. VV. PP. tomo 11. fol. 37. colum. 2. littera H. ſic ſe habet: *Qua propter præſenti celebratione omnium prudentium Virginum Reginam ſedulis expoſcite precibus, quæ principatum obtinet inter choros Sãctarum Virginum, ſuo interuentu efficiat poſsibile, quo Sanctæ Eccleſiæ concentus, cùm eam humili, qua valet operatione, percolit in terris, demũ in lætia perẽni de eius vtraque congaudeat ſublimatione, & gloria. Iſta eſt enim præcipua feſtiuitas, in qua omnis Angelorũ militia exultat, in qua Prophetarũ panduntur vaticinia, in qua, & iam Gentilium referantur prænuntia ſcripta, in qua oritur ſponſa ſine exemplo, Deo coniuncta, de cuius caſta corporis materia oritur lumen in tenebris, ad exturbandas veterum piaculorum nebulas. Hæc eſt, inquam, dies, in qua prælucida ſtella, imò lumen inſeparabile maris, hoc eſt, huius mundi,*

velut

velut Eous cum decoris amœnitate, ex mortali genitura cunctis, qui saluandi sunt, illuxit. Hæc est honoranda dies lætitiæ, in qua iuxta mundi qualitates præparatur vas Virgineum, diuinis charismatibus, vt margaritis ineffabiliter ornatum, in qua qualitas Dei mixta homini compaginaretur corporaliter, non secundùm propagationem, sed secundùm Spiritus Sancti operationem. Hæc sunt Fulberti verba, cum quibus regulata Aduersariorum auctoritas habet vitia magna, & parua solum sequentia.

Primò, incongruè posuerunt Sermonem sub titulo Bernardi, quia, vt vides, est Fulberti. Secundò, eadem intentione occultarunt initium Sermonis. Tertio, mutarunt Sermonis titulũ, dicendo esse absolutè de B. Virgine, cùm sit de ortu, seu eius Natiuitate, & totum hoc ita factum fuit, vt existimo, vt nunquam inueniretur Sermo ille, & deprehenderentur ipsorum vitia, & quæ extant in illo Sermone pro nostra sententia. Quartò, prætermiserunt illud, *qua propter*; quia hæc causalis concatenabat antecedentia, de quibus nos infra; ideò, quinto, vt initium sumeret perfectum sensum, addiderunt ly, *igitur*. Sextò, in Fulberto non sunt verba illa, *fratres charissimi*. Septimò, prætermiserunt illud, *quæ principatum obtinet inter choros Sanctarum Virginum*. Octauò, quia sensus non erat integer, addiderunt ly, *vt illa*. Nonò, vbi Fulbertus, *cum eam humili, qua valet, operatione, percolit in terris, demum in lætitia perenni, de eius vtraque congaudeat, sublimatione, & gloria*; Aduersarii tantum, *de eius gaudeat sublimatione, & gloria*. Decimò, addiderunt illud, *in qua Patriarcharum complentur veridica, & abdita mysteria*. Vndecimò, vbi Fulbertus, *in qua oritur sponsa*, Aduersarii pessimè, in qua *sanctificatur* sponsa, mutantes ly, *oritur*, in, *sanctificatur*, & in hoc solo verbo manifestarunt totam suam intentionem. Item nescio, qua veritate potuerunt dicere, quòd in Natiuitate, seu ortu fuerit sanctificata Maria? Duodecimò, prætermiserunt ly, *casta*. Decimotertiò, vbi Fulbertus, *ad exturbandas veterum piaculorũ nebulas*; ipsi sic, *ad extinguendas* veterum piaculorum *tenebras*, mutantes illas duas voces, *exturbandas*, &, *nebulas*. Decimoquartò, reliquerunt ly, *inseparabile*. Decimoquintò, dereliquerunt illud, *velut Eous* fortè nescientes, quid significaret vox illa, *Eous*. Decimosextò, etiam notare debes, Lector, quòd sequentem clausulam, quia existimabant esse pro ipsis, ita ad vnguem transcripserunt, quòd nec in apice illam variarunt. Sed illud, *ex mortali genitura*, facit relationem de hominibus ex mortali genitura productis, & quando respiceret Mariã, nos non negamus, nec negare possumus, quòd Virgo processerit ex mortali genitura; imò ideò fuit mortalis licèt non habuerit peccatum originale, quia ex mortali genitura fuit procreata. Decimoseptimò, prætermiserunt illud, *in quo iuxta mundi qualitates*. Quid autem sit præpari vas Virgineum diuinis charismatibus, satis constat; sed quid voluerit dicere Fulbertus in superadditis verbis, *iuxta mundi qualitates*, non ita liquet. Decimooctauò, vbi Fulbertus, *non secundùm propagationem*; Aduersarii vitiarunt dicentes, *propaginem*, quæ valdè diuersa sunt: nam Christus Dominus non est conceptus in vtero Virginis secundùm propagationem, id est, carnalem ex viro, & fœmina: quid autem fuerint Aduersarii machinati cum sua *progine*, ipsi explicent. Et hæc de octodecim vitiis circa litteram.

Quæ autem prætermiserunt Aduersarii concernentia immunitatem Virginis Mariæ, sunt sequentia; circa principium inquit Fulbertus: *Felix talis artus, & ortus, de cuius substantia assumpta est talis Virgo, quæ tolleret veternas parentum offensas, & releuaret concussum orbẽ, qui sub sæuo duri erat hostis dominio. Cuius itaque partus, vt censemus, ad nihil extitit, nisi vt fieret eius sancta pudicitia domus, & susceptio filij Altissimi. Ad quid enim aliud? Ergo nè huius castitas, aut ante partum, vel post dignum pignus genitum fœdata est aliquo contagio? Hanc enim nulla grauitas, aut effœta successio filiorum fregit, vt solet eis contingere, quæ humanam sobolem maternis egerunt visceribus. Felix enim culpa, sed sancta coniugalis societas, quæ tale, ac tantum, specialeque, vel singulare decus profudit in orbe, de concesso nuptiali contubernio. Denique in huius Conceptione necessaria haud dubium est, quin vtrumque parentem viuificus, & ardens spiritus singulari munere repleuerit, quodque ab eis Sanctorum Angelorũ custodia, seu visitatio nunquam abfuerit, &c.* In his expressè fatetur Fulbertus, quòd Maria ante suum ortum, seu Natiuitatem nullo fuerit fœdata contagio; quo autem contagio poterat in vtero matris fœdari, nisi originali? Ergo ab hoc fuit immunis secundùm Fulbertum. Item si in Conceptione Mariæ viuificus, & ardens spiritus singulari munere repleuerat eius parentes: ergo sine concupiscentia, ac libidine fuit genita. Et hoc stante etiam sine originali, vt ipsimet Aduersarii fatentur: nam loquendo de possibili, dicunt, & affirmat, quòd si Virgo Maria fuisset genita sine concupiscentia, etiam esset sine peccato originali. Item infrà inquit Fulbertus: *Verè Beata, & omni veneratione habendâ, & quodam priuilegio sacro prædicanda mater huius sanctæ, quæ omnium antecessit matres in concipiendo, & generando eam, quæ summum, & omnium generáret creatorem, &c.* Nota illud, quòd *in concipiendo, & generando* omnium antecessit matres: quomodo autem hæc verificari poterant, si Anna generasset cum libidi-

bidine, & concupiſcentia, & concepiſſet Mariam cum peccato originali? Alia habet Fulbertus, quæ breuitatis cauſa omittimus, quia ex his ſatis conſtare poteſt, quàm friuolè, ac ſine fundamẽto fuerit adductus. Et nota, quòd Sermonem iſtum attribuit, Bernar. de Buttis Serm. 8. de Concept. part. 2. fol. 91. col. 1. cuidam Gilberto Epiſcopo, ſed parua eſt differentia inter Gilbertum, & Fulbertum.

FVLGENTIVS Africanus, Epiſcopus, Sanctus, in Sermone de Natiuitate Domini ad Donatum de Myſterio Mediatoris, in Epiſtola ad Theodorum, & in Epiſtola contra Fauſtum, & lib. de Gratia Chriſti cap. 6. *Anonym. Auctore 28. Bandel. cap. 15. Deza fol. 22. à tergo, Gryſald. Brixienſis, Arpalleg. diſp. 2. art. 1.*

VERITAS 81.

SANCTVS Fulgentius, Ruſpenſis Eccleſiæ Epiſcopus, & S. Auguſtini ſectator, ac diſcipulus, plura ſcripſit, vt videre eſt in operibus eius impreſsis Franco. fordiæ 1620. & Agenau 1520. cum operibus Magentii Coloniæ 1526. Antuerpiæ 1574. in 8. regali, & Baſileæ 1587. ac nouiſsimè Lugduni 1633. cum aliis, & in Biblioth. VV. PP. Primam ergo citationem adducit Anonymus dicens: *Idem tenet B. Fulgentius in Sermone Natiuitatis Domini*, ſed nullam adducit auctoritatem: S. enim Fulgentius edidit librum ad Monimum, explicans illud: Et Verbum erat apud Deum, & incipit: *Quotiens dilectiſsimè*, ſed in hoc nec verbum extat notatione dignum pro hac materia. Scripſit etiam Sermonem de duplici Natiuitate Chriſti, qui incipit: *Sapientes aliquid*: ſed ibi nihil reperire potui niſi ſequentia verba, loquens de Chriſto: *Simul hominis & animam ſuſcepit, & carnem: ſuſcepit vtramque veram, vtramque ſanctam, vtramque mundam, accepit animam noſtram ſine iniquitate, &c.* Et infrà: *Natura enim, quæ in primo homine mundum peccato polluit, ipſa in ſecundo homine mundum à peccato mundauit, &c.* Et infrà: *Quoniam igitur miſerabiliter pro peccato damnatus eſt homo, ideò ſine peccato mirabiliter natus eſt Deus homo. Per primi hominis culpam cæpit diabolus homini dominari, per ſecundi hominis gratiam cæpit ab homine ſuperari. Primus Adam nobis auctor extitit culpæ, nouiſsimus Adam nobis auctor extitit gratiæ, &c.* Hæc, & alia huiuſmodi habet ibi Fulgentius per antitheſim, inter Chriſtum, & Adamum; ſi ergo hoc eſt dicere, Virginem Mariã contraxiſſe peccatum originale, expreſsè, nominatim, & in ſingulari, benè Aduerſarii citant Fulgentium in Sermone Natiuitatis; ſin aut. m; tu ſcis Domine, qui abſconditorum es cognitor, qui noſti omnia antequam fiant, quod falſum teſtimonium tulerunt contra Fulgentium.

Secundam auctoritatem adducunt ſic: Idem tenet Beatus Fulgentius in libro ad Donatum de myſterio Mediatoris: *Solus*, inquit, *Mediator noſter ſine peccato fuit, & vt omnes fideles à peccato liberaret, mortẽ ſuſtinuit. Hæc ille.* Nota, Lector, hanc confuſionem, S. Fulgentius ſcripſit duos libros, vnum ad Donatum, ſed nõ eſt de fide Mediatoris, ſed de fide Orthodoxa, & diuerſis erroribus Hæreticorum, incipit: *Domino eximio*, & habet capita 20. ſed in hoc libro ad Donatum nec minimum extat verbum ex allegatis ab Aduerſariis, & ſic ex hac parte iam falſa, & ficta eſt auctoritas; ſcripſit etiam alterum librum ad Traſimundum, Regem Vandalorum in Africa, de myſterio Mediatoris Chriſti, duas naturas in vna perſona retinentis; ſed neque in hoc libro extant verba adducta ab Aduerſariis, niſi velint dicere, quòd illa extraxerunt à capite 11. primi libri vbi Fulgentius hæc habet: *Quia diuinitas eius immunis eſſe potuit à labe peccati: cùm Dei ſit proprium non ſolùm non peccare, ſed etiam à peccato ſaluare: qui propterea ſolus poteſt donare indulgentiam, quia ſolus admittere non poteſt culpam, ideò ſolus eſt vulneratorum medicus, &c.* Si ergo ex his Aduerſarii non tranſcripſerunt ſua verba, alia non extant in toto illo libro. Dicant ergo ipſi quidquid voluerint; nam ego iuxta rei veritatem dico, & affirmo ſequẽtia. Primo, quòd liber ab ipſis citatus ad Donatum, non eſt de Myſterio Mediatoris, nec in tali libro extant verba ab ipſis adducta, nec illis ſimilia. Secundo, quòd in libro ad Traſimundum, qui eſt de fide Mediatoris, non extant alia verba, quæ aliqualem habeant ſimilitudinem cum illis, niſi hæc à nobis adducta. Tertio, dico, quòd illa clauſula, *ſolus Mediator noſter ſine peccato fuit*, eſt falſa, & ficta. Quarto, quòd illa verba Fulgentii, *ſolus poteſt donare indulgentiam, quia ſolus non poteſt admittere culpam*, ſolùm probant, vt conſtat ex antecedentibus, ac conſequentibus, Chriſtum eſſe verum Deum, & ſic quòd ſolus ipſe non poteſt admittere culpam. Quæ veriſsima, ac catholica propoſitio eſt, quia omnes alii, imò & ipſa Virgo Maria, *admittere potuerunt culpam*, nam in hoc, ſecundùm Fulgentium, diſtinguitur humanitas illa Deifica ab omnibus aliis, quia ipſa ſola admittere non potuit culpam. Ideò Aduerſarii videtes, quòd hæc Fulgentii verba nihil probabant pro ſua concluſione, ex tota Fulgentii auctoritate finxerunt illam clauſulam: *Solus Mediator noſter ſine peccato fuit*, ſumentes occaſionem ex illa vnica voce Fulgentii, *ſolus*, ò ſolus

benè

benè poteſt dicere illud : Et ego relictus ſum ſolus.

Alias verò auctoritates ſic adducunt Aduerſarii : *Item idem dicit in Epiſtola ad Theodorum Senatorem, quaſi de verbo ad verbum. Item in Epiſtola contra Fauſtum, defenſorem Pelagij: Floruit anno Domini* 466. *tempore Zenonis Imperatoris*. Hæc affirmant Aduerſarii de S. Fulgentio, ſed ſi alios Sanctos Doctores partim falſificarunt, hunc abſolutè, ſimpliciter, ac totaliter. Nam in Epiſtola ad Theodorum Senatorem, vbi agit de conuerſione à ſæculo, & incipit : *Domino illuſtri, &c.* nullatenùs tractat de Maria, nec de peccato originali, imò nec de immunitate Chriſti Domini, & quod plus eſt, nec habet vocem illam ſolus Chriſtus, nec aliquam huic ſimilem. Secunda vero Epiſtola ab ipſis citata contra Fauſtum defenſorem Pelagii, in operibus Fulgentij non inuenitur, nec inter opera eius vnquá ſtetit, quia ipſe non ſcripſit contra Fauſtum, ſed S. Auguſtinus, vt videre eſt in ſuis operibus tom. 6. nouiſſ. impreſſ. à fol. 89. neque eſt Epiſtola, vt ipſi dicunt, ſed liber magnus diuiſus in 33. libros, cuius initium eſt: *Contra Fauſtum Manichæum blaſphemantem.* Ex quibus patet, quomodo in hoc etiam Aduerſarii meditati ſunt inania, & locuti ſunt falſa.

Sed cum citent Epiſtolam, ſeu librum illum contra Fauſtum, licet ſit Auguſtini, pertinet ad noſtrum aſſumptum examinare veritatem. Dico ergo, quòd legi totum librum, & in ipſo nihil inueni, quod directè, vel indirectè poſsit reſpicere Conceptionē Virginis Mariæ, nec Conceptionem Chriſti, nec denique illam auctoritatem ſupra adductam ab Aduerſariis : *Solus Mediator noſter ſine peccato fuit, & vt omnes fideles à peccato, liberaret mortem ſuſtinuit*, niſi velint dicere, quod illud, *ſolus*, ſumpſerunt ex libro 12. cap. 11. vbi Auguſtinus loquens de veteri teſtamento, inquit: *Quia in ſolo Chriſto euacuatur.* Verbum autem, *Mediator*, ex libro 19. cap. 14. vbi Auguſtinus: *In ipſo Mediatore Dei, & hominum, homine Chriſto*; illud verò, *ſine peccato fuit*, ex libro 16. cap. 15. vbi Auguſtinus: *Chriſtus in quantum ſine peccato, & propria poteſtate mortuus eſt*, vel ex libro 22. cap. 22. vbi Auguſtinus : *Deus enim omninò peccare non poteſt ſicut negare ſeipſum non poteſt*; illud verò, *& vt omnes fideles*, vel ſumpſerunt à libro 19. cap. 22. vel à libro 21. cap. 22. & ſic de aliis verbis deſumpta fuiſſe ex aliis diuerſis capitibus; nam integra affirmo, quòd non extant in prædictis triginta tribus libris contra Fauſtum Manichæum. Nota etiam, ò Lector! malitiam, quia Fauſtus non fuit Pelagianus, ſed Manichæus, & tamen dicunt Aduerſari, *contra Fauſtum defenſorem Pelagij*, quod quidèm falſum eſt, quia Fauſtus non fuit defenſor Pelagii, ſed hoc fecerunt, quia Pelagius egit latiſsimè de peccato originali, non autem Manichęus. Fuerunt enim ſectæ, ac ſectarii diſtinctiſsimi, Aduerſarii verò in bonis ex penuria, & in malis ex abundantia cordis loquebantur.

Concludamus, quòd nec in illis verbis : *Floruit anno Domini* 466. *tempore Zenonis Imperatoris*, veritatem dixerunt : quia floruit tempore Anaſtaſii Imperatoris, & non anno 466. vt ipſi dicunt : quod patet; nam Fulgentius vixit annos 65. vt dicitur in eius vita adducta à Surio ad diem 1. Ianuarii fol. 42. & mortuus eſt anno Domini 529. vt affirmant Myræus folio 84. & Poſſeuinus fol. 604. & alii. Igitur fuit natus anno 464. quomodo ergo Fulgentius floruit anno 466. quando ſolùm habebat duos annos. O flores libri, & opera parum honoris, & honeſtatis adduxiſtis veſtris cultoribus, in quibus nec Fulgentius fulget quaſi in arundineto.

Sed vt veritas vndequaque fulgeat in Fulgẽtio, cum ſupra num. 34. in Auguſtino auct. 3. & 4. adduxiſſent Aduerſarii, ex libro : Quando, cur, & quomodo Deus homo, verba quæ non reperiuntur in illo, ſed in Leonardo de Vtino Dominicano, vt ibi diximus, & hìc alia quæ in Fulgentio non extant, & opera illius aliquando attribuuntur iſti, & è contra, decreui hìc tranſcribere quidquid Fulgentius habet, & ad hanc materiam concernere poſſunt. Scias ergo, quòd D. Petrus Diaconus, & alii qui in cauſa fidei à Græcis ex oriente Romam miſsi fuerant, ſcripſerunt de Incarnatione, & gratia D. N. Ieſu Chriſti ad Fulgentium, & alios Epiſcopos Africanos librum vnum, cuius principium eſt: *Dominis ſanctiſsimis, & cum omni veneratione, &c.* & cap. 60. loquendo de gratia, & libero arbitrio, atque de Adami creatione, ac præuaricatione, inquiunt: *Itaque ſerpentis aſtutia deprauatus ſponte diuinæ legis præuaricator effectus eſt, & ideò ſecundùm id quod ei prædictum fuerat, iuſto iudicio Dei, mortis pœna damnatur, totus, id eſt, ſecundùm corpus, & ſecundùm animam in deterius cõmutatus, amiſſa libertate propria, ſub peccati ſeruitio mancipatur. Ex hoc nullus eſt hominum, qui non huius peccati vinculo naſcatur adſtrictus, præter eum, qui ad hoc vinculum peccati ſoluendum nouo generationis modo natus eſt Mediator Dei, & hominum, homo Chriſtus Ieſus. Quid enim aliud potuit, aut poteſt naſci ex ſeruo, niſi ſeruus? Neque enim cùm eſſet liber Adam, filios procreauit, ſed poſtquam ſeruus peccati factus eſt. Ideò ſicut omnis ab illo eſt, ita & omnis homo ſeruus peccati per ipſum eſt. Hinc & Apoſtolus : Ex vno, inquit, in omnes homines in condemnationem, & rurſus : Per vnum hominem peccatum intrauit in hunc mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo*

omnes

omnes peccauerunt: falluntur ergo omnimodò, qui dicunt mortem ſolam, non & peccatum trāſiiſſe in genus humanum, cum Apoſtolus, & peccatum, & mortem mundo per eum teſtetur illatum. Ab hac igitur damnatione, & morte nullus omninò liberatur, niſi gratia Redemptoris, &c. Si hanc auctoritatem adduxiſſent pro ſua ſententia, cum aliquo fundamento viderentur loqui, propter illam vniuerſalem, à qua ſolùm excipitur Chriſtus Dominus, ſed quod hic loquatur de iure naturæ, ſeu lege communi, conſtat euidenter ex diſcurſu totius auctoritatis, præcipuè ex vltimis verbis: *Ab hac nullus omninò liberatur niſi gratia Redemptoris*: ergo gratia poteſt ab illo vinculo peccati, & Adami introducta ſeruitute liberare? Et ſic multos liberat gratia in Baptiſmo, aliquos gratia ſanctificationis liberauit in vtero exiſtentes. Cur ergo ſaltem vnam, atque vnicam, & ſolam Mariam, non potuit liberare gratia præſeruationis? Potuit, inquis: ergo liberata fuit.

Sed progrediamur vltra: ad librum ſuprà dictum confirmando, vel explicando, quod dixerant in antecedenti, quidèm breui (nam ſolùm habet octo capitula) reſponderunt Epiſcopi Africani latiſsimè, ſiuè pro ipſis S. Fulgentius, in libro incipiēte: *Dilectiſsimis, & in Chriſti fide, &c.* vt videre eſt in operibus eius, folio 232. & in alio fol. 179. capite ergo 3. ſic inquit: *Beata igitur Maria Deum Verbum, ſecundùm quòd caro factum eſt, & concepit, & peperit: cuius vtero Verbum Deus non carnem, in qua conciperetur, intulit, nec ex ea materiam conceptæ, ſiuè formatæ carnis, non ipſe Deus concipiendus: ſed tantùm naſciturus aſſumpſit, ſed ex ea, & in eadem Virgine humanæ carnis naturam, ſecundum quam temporaliter Deus ſempiternus conciperetur, & naſceretur, accepit. Ipſa quippè acceptio carnis fuit conceptio Virginalis, neque enim in vtero ſanctæ illius, & Matris, & Virginis, illa ſpiritualis, & ex Deo Patre ſine initio genita Verbi Dei natura poterat abſque carne temporaliter concipi, ſicut nec caro ſine Verbi Dei vnitione potuit aliquatenùs nullius viri coitu ſeminata in intimo vuluæ Virginalis innaſci. Hanc ergo carnem tunc ex ſe natura Virginis cōcipientis exhibuit, cùm in eam Deus concipiendus aduenit. Non eſt igitur aliquod interuallum temporis æſtimandum inter conceptæ carnis initium, & concipiendæ Maieſtatis aduentum. Vna quippè fuit in vtero Mariæ Virginis conceptio diuinitatis, & carnis, & vnus eſt Chriſtus Dei Filius, in vtraque natura conceptus, vt maculā vitiatæ propaginis indè inciperet abolere, vndè in vnoquoque naſcentium videbatur exiſtere.* Antequàm ad alia verba, quæ immediatè poſt iſta ſequuntur, ingrediamur; notet Lector, vim ſententiæ Fulgentii, quæ talis eſt: Beata Virgo concepit Verbum, & peperit ipſum, quæ res diſtinctiſsimè ſunt, & vna præceſsit aliam per nouem menſes, & licèt in fecunda, id eſt, in Natiuitate, fuerit ſimilis aliis, non tamen fuit aliis ſimilis in Conceptione; nam caro illa non fuit viri coitu ſeminata, & totum fuit ſimul, & ſemel, ita vt ſola vna, & in vnico inſtanti fuerit illa conceptio, quia in eodem inſtanti fuit concepta caro, id eſt, adminiſtrata materia, & in eodem inſtanti diſpoſita, & organizata, & in in eodem vnita animæ, & diuinitati: *Ipſa quippè acceptio carnis fuit cōceptio Virginalis, &c. Nō eſt igitur aliquod interuallum temporis æſtimandum inter concepta carnis initium, & concipiendæ Maieſtatis aduentum. Vna quippè fuit in vtero Mariæ Virginis Conceptio diuinitatis, & carnis.* Et quare illa fuit vna? Ratio eſt, quia cum in aliis hominibus ſint diſtinctè: nam prius tempore fit coitus viri, deindè conceptio carnis, ac tandèm animatio, vnio: & macula vitiatæ propaginis Adæ, incipiat à viri coitu Conceptione carnis, & compleatur in vnione animæ, illo diuino Conceptionis miraculo, voluit Chriſtus abolere à ſuo principio, & radice omnem naſcentium maculam.

Proſequitur igitur ſic immediatè Fulgētius, cap. ſequenti: *Nam quia omnes homines ex coitu maris, fœminæque naſcentes, ipſius conceptionis exordium originalis peccati habent contagione reſperſum, quia peccatum, quod primus homo, cùm eſſet natura bonus, diabolica malignitate ſeductus admiſit, in poſteros quoque cum pœna, ac cum morte tranſiuit. Quod in veritate S. Dauid enuntiat dicens: Ecce enim in iniquitatibus cōceptus ſum, & in delictis peperit me mater mea. Neceſſarium vtique ad modum fuit, vt miſericors Dominus, & iuſtus iniquitatis humanæ veſtigia deleturus, in ipſo conceptu ſibi humanam naturam dignaretur immaculatam immaculatus vnire, vbi eam conſueuerat per infligi ctam peccati originalis maculam ſuæ parti, dominioque diabolus vindicare.* Cùm ergo ex coitu maris, & fœminæ, ſit in carnis conceptione originalis peccati contagium reſperſum, quia tunc patres in coitu nihil aliud videntur agere, quàm contagium peccati originalis, à primo homine Adamo ab ipſis hæreditatum, in poſteros ſuos trāſmittere, ac ſeminare: Ideò Chriſtus abſque coitu voluit recipere carnem, & ſic illam habuit abſque contagione peccati originalis; *vt maculā vitiatæ propaginis inciperet abolere, vndè in vnoquoque naſcentium videbatur exiſtere.* Hæc eſt clara, & aperta mens Sancti Fulgentii, & iuxta hanc doctrinam omnes homines, & inter eos etiam Beatiſsima Virgo Maria habuerunt in ſua Conceptione contagium peccati originalis reſperſum. Neque ex hoc tamen ſequitur, Virginem Mariam contraxiſſe originale peccatum: ſcrutemur ſcripturas Sanctorum; quia non in ſpiri-

tu

tu vehementi Dominus, ſed in ſibilo auræ tenuis.

Omnia ſuperiùs dicta quaſi præludia ſunt, pro ſequenti Fulgentii auctoritate. Inquit enim cap. 6. *Hoc itaque habuit Dei, hominiſque mirabilis quidèm, ſed verus ille ſecundùm carnem conceptus, & partus, quo Deum cœli Virgo ineffabiliter concepit, & peperit, & Virgo Genitrix inuiolata permanſit, illa ſcilicèt gratia plena, & Beata in mulieribus veraciter ab Angelo nuncupata, quod gratiæ præuenientis ope, atque opere, Spiritu Sancto ſuperueniente in ſe, & virtute Altiſſimi obumbrante ſibi, Deum Dei Filiũ conceptura, viri coitum nec pertulit omninò, nec voluit, &c. Hæc eſt gratia, qua factum eſt, vt Deus, qui venit peccata tollere, quia peccatum in eo non eſt, homo cõciperetur, atque naſceretur in ſimilitudine carnis peccati, de carne peccati. Caro quippè Mariæ, quæ in iniquitatibus fuerat humana ſolemnitate concepta, caro fuit vtique peccati, quæ Filium Dei genuit in ſimilitudinem carnis peccati; teſtatur enim Apoſtolus, &c. In ſimilitudine igitur carnis peccati, &c. In ſimilitudine igitur carnis peccati Dei Filius miſſus apparuit, quæ in eius vera humana carne nõ iniquitas hominis, ſed mortalitas fuit.* En vnica, & ſingularis auctoritas, quam non viderunt antiqui Aduerſarii, niſi vnus nouiſsimus Arpallegus, quam adducit inter expreſſas, vt præcipuam, fol. 30. colum. 2. & Pater Carmelitanus in ſuo curſu Salmanticenſ. quæſt. 81. dub. 4. §. 3. num. 137. fol. 611. quia Fulgentius expreſsis verbis vocat carnem Mariæ, carnem peccati; carnem verò Chriſti, carnem in ſimilitudinem ſolùm peccati. Quid igitur, an ex hoc deducitur, quòd Maria habuerit peccatum originale? Minimè, quia Fulgentius loquitur de conceptione carnis ex coitu viri, ac fœminæ ſeminata, & quæ cum contagio peccati originalis madefacta, & reſperſa, ab homine Ioachimo in vulua Annæ recepta fuit, hæc Mariæ caro peccati caro erat, quia *humana ſolemnitate concepta* fuerat: quod quidèm non habuit Chriſti caro, ſiquidem non humana ſolemnitate, id eſt, non coitu (hæc enim eſt humanæ generationis ſolemnitas) virili ſemine, concupiſcentia, libidine, &c. in vtero Mariæ deciſa, ſeu concepta extitit. Sed vt ex omnibus deducamus noſtram concluſionem, cap. 7. inquit Fulgẽtius: *Et quia in ipſa natiuitate carnis noſtræ mortis vinculo tenebamur obſtricti, à quo ſolius beneficio ſpiritualis natiuitatis poſſemus abſolui, &c.* Et cap. 8. *Idem ipſe Dei Filius in natura carnis per gratiam pro mortuis natus eſt ad mortem, vt nos poſt mortem primæ natiuitatis, quam habemus ex carne, in gratia ſpiritus renaſcemur ad vitam.* Dicant ergo nobis Aduerſarii, quæ, vel qualis eſt hæc prima noſtræ carnis natiuitas? An non generatio illius ex viro, & fœmina? Et cap. 19. *Hoc Apoſtolus euidenter inſinuat dicens: Cum enim ſerui eſſetis peccati, liberi fuiſtis iuſtitiæ. Seruire igitur iuſtitiæ non poteſt, qui iuſtitiæ liber eſt: quia quandiù eſt peccati ſeruus, non niſi ad ſeruiendum peccato reperitur idoneus. Ab iſta ſeruitute peccati nemo liber efficitur, niſi qui liberatoris Chriſti gratia liberatur, vt ſcilicèt liberatus à peccato, ſeruus fiat Deo. Hoc autem quemadmodum fiat, ipſe liberator noſter oſtendit. Si vos, inquiens, filius liberauit, verè liberi eritis. Ideò vas electionis beneficium nobis gratiæ liberatricis inſinuans, non ſolùm liberos, ſed etiam liberatos nos eſſe teſtatur, &c.* Sumus in Eccleſia omnes liberati, ſed ſola Maria libera. Cap. vero 13. inquit: *Vt ergo peccati originalis vinculo, quo per hominem primum tenebamur obſtricti, miſerantis Dei gratia ſolueremur, vnus extitit Mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Ieſus.* Ac tandem cap. 31. ſic concludit: *Reſtat ergo, vt non omnes omninò, quos in condemnationem ponit Apoſtolus, tranſire ad iuſtificationis gratiam ſentiamus, ſed quoſdam ex illis omnibus. Omnes iſtos itaque omnes per Adam in condemnationem eſſe filios iræ, & ex eis quoſdam per Chriſtum omnes eſſe filios gratiæ. Illos ergo eſſe omnes, quos per primum hominem propago peccatrix carnali generatione condemnat; omnes enim terreni ſunt, qui terreni hominis imaginem gerunt, & omnes cœleſtes, qui ad æternam vitam imaginem hominis cœleſtis accipiunt.* Hæc ſunt omnia, quæ habet S. Fulgentius in illo Tractatu, ſeu libro de Incarnatione; ex quibus deducimus ſequentia.

Primum, quòd S. Fulgentius carnalem generationem factam in viri, ac fœminæ coitu, vocat ſemper, & ſimpliciter conceptionẽ. Secundum, quod mediante hac carnis conceptione propagatur natura, & homo generat imaginẽ terreni Adami. Tertiũ, quod hæc carnalis conceptio, ac primum hominis geniti exordium, eſt cõtagio originalis peccati reſperſum, & propago peccatrix, & propter hoc dicebat Dauid: In peccatis cõcepit, aluit, ſeu peperit me mater mea. Quartum, quòd Aduerſarii hæc, & alia his ſimilia, quæ reperiuntur in Sanctis Patribus (vt videre eſt in tota hac Ventilatione) tranſferunt ad animationẽ, & adducunt contra immaculatam Virginis Conceptionẽ: quod quidèm eſt toto cœlo aberrare ab ſcopo cõtrouerſiæ: nam iuxta hìc dicta à Fulgentio, omnes iſtæ propoſitiones: Maria in ſua generatione, vel Conceptione peccati vinculo fuit obſtricta, vel habuit maculam vitiatæ propaginis, vel fuit originalis peccati contagione reſperſa, vel caro Mariæ fuit caro peccati, vel fuit humana ſolemnitate concepta, vel denique: Mariam propago peccatrix cõdemnat. Quia hæc omnia ſupponunt pro carne, non pro anima, pro prima Cõceptione, non pro ſecunda, & prout Cõcep-

tio Mariæ distinguitur à Conceptione Christi, absque viri consortio genitus, & nulla contagione respersus in radice, in causa, & seminatione carnis. Quæ quidèm omnia in Conceptione carnis Mariæ aliter euenerunt, quia non vna, id est, tota simul generatio, administratio materiæ, organizatio, & animatio, sed per diuersa temporũ interualla contingit, nec fuit absque viri consortio, sed contagione originalis peccati respersa; & sic caro peccati, vt inquit Fulgentius.

GALBANEVS Bononiensis, Canonista, super cap. Conquestus extra de Feriis. *Bandel. cap. 19. Deza fol. 30. Vincent. & Gryfaldus.*

VERITAS 82.

HIC Auctor quoad nomen est fictus, quoad auctoritatem verò multiplicatus. Primum patet, quia talis Galbanei nullus Nomenclator antiquus vel modernus, vniuersalis, nec particularis Iuris Pontificii mentionem facit, imò neque Bibliotheca ipsa Bononiensis edita ab Antonio Bumaldo. Neque ex nomine, aut ex cognomine: Consului denique D. Ioannem Calderon, Iurisconsultum, Bibliothecam viuam huius ætatis, qui affirmauit se nunquam talem Auctorem vidisse, nec audiuisse. Vnde existimo, quòd Bandellus videns in Anonymo citatum Auctorem libri, qui dicitur Collectarius, vt vidimus supra num. 60. ne tanta auctoritas maneret quasi exposita sine patre, excogitauit ei tradere hunc Galbaneum Bononiensem, & hoc vel quia nesciuit legitimum patrem, & Auctorem, vel quia sic voluit.

Quod fuerit multiplicatus, patet; tum ex auctoritate, quam sic adducunt. Idem tenet Dominus Galbaneus, Doctor Bononiensis, super cap. Conquestus, extra de Feriis: *Festum*, inquit, *Conceptionis Beatæ Virginis non est celebrandum, & hoc ideò quia fuit in originali peccato concepta. Hæc ille.* Hanc, quam Bandellus adducit sub nomine Galbanei, adducit Anonymus sub nomine Collectarii, vt suprà numero 60. notauimus; & quod sit vna, & eadem, patet, tum ex verbis, tum etiam quia Anonymus, qui adducit Collectarium, non adducit Galbaneum, & Bandellus, qui adducit Galbaneum, non adducit Collectarium: Anonymus, quia ignorauit nomen Collectarii, tacuit auctoritatem; Bandellus, quia ignorauit vtrumque, finxit, & sic ignorantia, & fictio obuiauerunt sibi.

Quantum verò ad auctoritatem, & sensum illius, dicendum, quod hæc eadem auctoritatis verba examinantur ex professo in aliis septem Doctoribus; non enim est solùm duplicata, sed septemplicata. Nam Primo illam adducunt hic sub nomine Galbanei. Secundo, sub Collectario, supra. Tertiò, sub nomine Ioannis Gallici, Glossatoris Decreti, de quo infrà num. 173. Quarto, sub nomine Bartholomæi Brixiensis, vt supra num. 36. Quinto, sub nomine Petri Mediolanensis, de quo infrà num. 243. Sexto, sub nomine Ioannis Theutonici Canonistæ, vt videbimus infrà num. 192. Septimo, sub nomine Hugonis, de quo etiam infrà num. 125. Et si ex hac Hydra velis amputare caput vnum, statim aliud consurget, v. g. quia Hugonem iterum citant, vt Hugutium, Ioannem Theutonicum Canonistam iterum adducunt, vt Ioannem Theutonicum, Ordinis Prædicatorum, & hunc multiplicant in alios vsque ad quatuordecim. Sicque vna indiuisibilis auctoritas, quæ est in corpore Iuris Canonici multiplicata est contra Immaculatam Virginis Conceptionem, sicut arena quæ est in littore maris. Ita vt in hoc, & in aliis dicere possit: Multiplicati sunt super capillos capitis, qui oderunt me gratis.

GABRIEL Barelete, vel Barletta, Ordinis Prædicatorum in Sermone Sanctificationis B. Virginis. *Ita Paul. Gryfald. Alphab. 5. Auctor. 1.*

VERITAS 83.

HIC, Quem Gryfaldus vocat Barletta in suis operibus, appellatur Barelete, fuit natione Apulus, & floruit ad annum 1471. de quo diximus in Trituratione Auctore xviii. scripsit Sermones de Tempore, ac de Sanctis, impress. Parisiis anno 1521. & Venetiis 1571. & 1573. in 8. qui etiam typis mandati fuerunt sub nomine Sancti Antonini Florentini, sed sine fundamento, & falsò, quia sæpè in ipsismet Sermonibus citatur Sanctus Antoninus, & fit mentio de Sixto IV. Summo Pontifice, qui post mortem Sancti Antonini fuit ad Sedem assumptus ferè per viginti quinque annos. Cùm ergo constet Sermones illos non esse Sancti Antonini, existimo, quòd nec sunt Barelete, nam in illo Sermone agit de Indulgentiis concessis à Sixto IV. quæ fuerunt expeditæ anno 1476. Si ergo Barelete claruit anno 1471. difficile videtur, quòd Sermo Conceptionis fuerit ipsius, nisi superuixerit, vsque ad annum 1484. Confirmatur hoc ex Ioann. Michaele Pio suæ Religionis Auctore, qui parte 2. lib. 3. co-

columna 65. ad annum 1475. inquit Italicè: *F. Gabriele Barletta Puglieſe, &c. ſcriſſe vn volumine di Sermoni Quadrageſimali dell Aduento, de Sancti, & della Beata Vergine, vengoſi ſparſe mente nell opere di queſto Padre alcune facetiæ è motti, ſecundo forſi, che quella æta comportaua; ma non mancano alcuni, che ſcribano che ſiano ſtare adulterate l' opere di ſimile ſoggeto, et che egli ſcriueſſe grauemente per tutò, &c.* Vis, Lector, tamquam in Speculo videre huius Auctoris grauitatem, & ſcientiam, atque etiam intentionem? audi ipſum loquentem in ſermone Sancti Dominici folio 194. columna 3. de ſua regula, ſeu conſtitutionibus: *Nec oportet dicere iſta Regula*, id eſt, Prædicatorum *non ponitur in iure, ſicut Franciſci, & Benedicti: cui reſpondeo, quòd & Pilatus ponitur in Symbolo, & Herodes in Euangelio: tamen ſunt damnati, &c.* Et de his habet ſparſa per totum librum innumerabilia. Ex quibus colligere potes, qualis fuerint huius Barlete ſcientia, & doctrina?

Hic ergo folio 223. habet Sermonem ſub hoc titulo: *In feſto Conceptionis Beatæ Virginis Mariæ, in quo Sermone exploditur, ac confutatur impia opinio quorumdam vulgarium ignorantium, & vera aſſeritur ſecundùm dicta omnium ſapientum, & maximè Sanctorum Doctorum Chriſtianæ Religionis.* Concluditur ex hoc titulo, quod Gryſaldus malè ipſum citauit in Sermone ſanctificationis, cùm conſtet eſſe Conceptionis, vt ſic relegaret a ſuo Barelete nomen Conceptionis, & introduceret ſuam ſanctificationem, quia in hoc, vt ſæpè notaui, ſemper errant corde, ſed coniunge titulum iſtius Sermonis, cum principio illius nuper citati S. Dominici, vbi ſic dicit Barlete: *Tertia*, id eſt, commendatio, *à ſanctitate, Dominicus Sanctus in vtero matris ſanctificatus: Magiſter Reginaldus dicit de eo: Iſte eſt, in quo Adam non peccauit, &c.* Sanctus Dominicus, ò Barelete! fuit ſanctificatus in vtero matris ſuæ, tranſeat, & non peccauit in Adam, & Sanctiſsima Domina peccauit in Adam? Illud dicere eſt pium, & ſanctum, & hoc affirmare, eſt impium, prophanum, blaſphemum, & ignorantia vulgaris, &c. At quid mirum, ſi Maria eſt in Symbolo, & Euangelio, & Sanctus Dominicus non, ſecundùm tuam regulam.

De Sermone verò dico, quòd in titulo, vt vidiſti, vocat opinionem immaculatæ Conceptionis impiam: deindè in prima ratione conatur oſtendere, quòd dicere, Mariam Virginem fuiſſe conceptam ſine peccato originali, eſt contradicere fidei, ac tale aſſertum eſſe ineptum, & crudele, omninò non tenendum, imò, & reſpuendum, quia eſt reſiſtere Spiritui Sancto. In ſecunda ratione, quòd in hac parte contradicere ſacræ Scripturæ, eſt erroneum, & impium. Et infrà, quòd attribuere Virgini, quod eſt ſolius Chriſti, eſt impium, & nefarium; quia ſic non eſt Virginem honorare, ſed potius contumeliam facere, & quòd aſſerere contrarium, eſt oppoſitum eius, quod ferè omnes famoſi Doctores tenuerunt, & iterum impium, & nefarium; & tandem ex quadam auctoritate Auguſtini palliatis verbis, ſic inquit: *Vos autem, dum aliquem excipitis, reſiſtitis fundatiſsimæ fidei: numquid hæc falſa ſunt? Quis audeat hoc dicere, niſi diuinorum eloquiorum apertiſsimus inimicus?* Denique ad argumentum de Indulgentiis conceſsis à Summo Pontifice Sixto IV. ſic reſpondit: *De ipſo ſolo legitur, quòd ſit iſtius opinionis, cùm alij ſanctiores fuerint opinionis contrariæ; vt patet de ſuis anteceſſoribus. Præterea, vt Vicarius Chriſti errare non poteſt, ſed benè talis homo, & perſona, &c.* Quid tibi videtur, ò Lector! de his Bareletatis? Hæc ſcripſit Barelete poſt Sixti IV. Extrauagantes, & hoc in Italia, & propè Romanam Curiam, & ferè eodemmet tempore, quando expeditæ fuerant Summi Pontificis Decretales: & ſi hæc dicebat Barelete, quid dicerent illi, qui erant pluſquàm Barelete? Et diſtabant a Romana Curia, verbi gratia, in Prouintia Carthaginen. F. Didacus de las Cucharetas, F. Thomas de Pedroche, quorum nos proceſſum habemus originale manuſcriptum, & incipit: *In Dei nomine amen: Sepan quantos eſte publico inſtrumento de proceſſo vieren, como en la muy noble ciudad de Toledo, à 17. dias del mes de Enero, año del Nacimiento de N. S. Ieſu-Chriſto de 1508. &c.* Sed pro noſtro aſſumpto nec Barlete, nec Cuchareta, nec Pedroche fuerunt Auctores alicuius momenti.

GARRICVS, Siuè Garicus, Doctor Pariſienſis, Sæcularis, Ciſtercienſis, vel Carthuſianus, ſuper Eccleſiaſticum, vel Eccleſiaſten, cap. 7. & in Poſtilla ſuper Epiſtolam ad Roman. cap. 5. & 7. *Turrecrem, part. 5. cap. 4. fol. 82. & part. 6. cap. 35. fol. 125. Anonym. Auctore 163. Bandel. cap. 21. Dezafol. 36. Vincent. & Gryſald.*

VERITAS 84.

VEHEMENTER Exiſtimo, hunc Auctorem eſſe fictum: primo quantum ad nomen, nam quem Turrecremata vocat Garricum, alii Garicum; Gryſaldus appellat Græcum, & ſic non conueniunt in nomine, & neſcimus, an Auctor iſte fuerit Græcus, an Latinus? Secundo, in ſtatu, nam Turrecremata eum collocat in claſſi Ciſtercienſium, & Carthuſianorum. Deindè dicit: *Item ad idem eſt Magiſter Garricus, cuius*

ſtatus fuerit, an Sæcularis, vel Regularis, cognoſcere non potui. Sed ſi non cognoueras ſtatum, & an fuiſſet Sæcularis, vel Regularis, quomodo ipſum collocaſti in claſſe Regularium, & quare magis in claſſe Ciſtercienſium, & Carthuſianorum, quàm in alia claſſe Prædicatorum, Eremitarum, vel Minoritarum? Sed hoc feciſti, quia claſsis illa erat pauperrima, paucoſque habebat Doctores, & vt multiplicatione Garrici impinguaretur, &c. Sed iam quid dicemus de Bandello, qui ipſum abſolutè, & ſimpliciter facit Doctorem famoſiſsimum Sæcularem, quid ſentiemus de Gryſaldo, qui intrepidè, & conſtanter aſſerit, eſſe Ciſtercienſem. Deindè Turrecremata eum citat in Eccleſiaſticum; alii omnes in Eccleſiaſten. Turrecremat. in Epiſtol. ad Roman. capit. 7. Anonym. verò cap. 5. intellexiſtis hæc omnia? quia ego non intelligo. Amen, amen dico, quod ex verbis iſtis neſcio Garricum.

Sed vltra progrediendo de accidentibus ad ſubſtantiam, videamus, an talis Garricus fuerit in rerum natura. Et in primis hic non fuit Guericus Tornacenſis, qui communiter dicitur Abbas Ignacienſis, cuius opera fuerunt impreſſa Pariſiis anno 1574. & Louanii anno 1555. ac denique Lugduni 1630. ſemper in 8. quia hic tantùm ſcripſit Sermones, non verò Poſtillas in Scripturæ libros, neque in eius operibus extant auctoritates adductæ ab Aduerſariis; nec fuit quidam Vverricus, de quo Godifridus Tilmanus in ſuis Allegoriis ſæpiſsime mentionem facit, tum quia nomen eſt diuerſum, tum quia in locis citatis ab Aduerſariis, ſcilicèt, ſuper Epiſtol. ad Roman. 5. & 7. atque in Eccleſiaſt. 7. nullum verbum adducit Tilmanus ex Vvarrico, ſolùm in Eccleſiaſticum cap. 24. ad illa verba: *Ego quaſi vitis fructificaui, &c.* inquit: *Benè autem non ait, flos, ſed flores: quia cum Virgo ſancta eſt, flos Virginitatis in ea multiformis eſt. In Maria tamen gratia ſingularis præ omnibus multipliciter floruit, quæ totâ pulchrâ intus, & foris, totâ vernabat quadam florentia, & venuſtate pudoris, &c.* Hæc, & non alia habet hic Vverricus. Inſuper nullus Nomenclator antiquus, vel modernus de tali Garrico mentionem facit, niſi Antonius Poſſeuinus, qui in ſuo Apparatu fol. 617. habet hæc verba: *Garricus, Pariſienſis Scholæ Doctor ſcripſit Eccleſiaſticã Poſtillam in Eccleſiaſtem, ex quâ Vincentius, Bandellus in libro de Conceptione teſtimonia producit.* Ex his Poſſeuini verbis colligitur, quòd ipſe non vidit Turrecrematam, qui etiam citat Garricum in Poſtilla ſuper Epiſtolã ad Romanos: ergo vnus, & vnicus Nomenclator modernus, qui de Garrico mentionem facit, fatetur, quod notitiam deſumpſit à Bandello; Bandellus verò à Turrecremata, & hic ſiſtit tota genealogia Garrici, quia de hoc Auctore nõ inuenitur aliud principium, nec erit alia generatio, quærentium faciem Garrici, &c.

Accedendo ergo ad auctoritates. Primam ſic adducit Turrecremata: Item ad idem eſt Magiſter Garricus, cuius ſtatus fuerit, an Sæcularis, vel Regularis, cognoſcere non potui, qui in Poſtilla ad Romanos, tractans illud Apoſtoli Rom. 7. Itaque lex, & mandatum ſanctum, ratione illius, quod dicit Gregorius in Oratione de Aſſumptione B. Mariæ Virginis: Nec tamen mortis nexibus deprimi potuit. Ita inquit: *Quæritur de Beata Virgine, cùm habuerit originale peccatum, quare non nexibus mortis deprimi potuerit,* & facta diſtinctione triplicis nexus, quorum primus *eſt deſolatio corporis*, ſecũdus eſt *incarnatio corporis* (ſic extat in originali Turrecrematæ, & fortè dicendum erat, incineratio corporis) tertius eſt *deſcenſus ad inferos*, proſequitur ſolutionem quæſtionis. Hucuſque Turrecremata: hanc autem auctoritatem eſſe fictam probo ſequentibus rationibus. Prima, quia verba Pauli ad Romanos 7. adducta, ſed non legaliter à Turrecremata, ſcilicèt: *Itaque lex quidèm ſancta, & mandatum ſanctum, & iuſtum, & bonum:* nullam connexionem habent cum morte Virginis Mariæ, vel eius Aſſumptione, nec vllam relationem cum peccato originali, & non ſolùm verba præallegata, ſed nec totum illud caput 7. ſi hoc diceret in 3. vel 5. cap. Epiſtolæ ad Romanos, tranſeat; ibi enim latè agit Paulus de morte, culpa, ac præuaricatione Adami, ſed in ſeptimo nullum inuenio fundamentum. Secunda, deſumitur ex illis verbis Turrecrematæ: *Ratione illius, quod dicit Gregorius in Oratione de Aſſumptione B. Mariæ Virginis, &c.* Quia Sanctus Gregorius nec ſcripſit Orationem de Aſſumptione Virginis, nec aliàm: ſolùm enim habet quadraginta Homilias ad Populum, quæ extant tom. 3. ſuorum operum in principio; nulla tamen eſt de Aſſumptione: ergo ex hac parte etiã videtur falſa, niſi fortè hoc dixerit de Oratione conſueta illius diei. Tertia deſumitur ex illis verbis: *Quæritur de B. Virgine cum habuerit originale peccatum, quare non nexibus mortis deprimi potuerit?* Nam hæc verba non habent inter ſe cohærentiam: omnes enim Doctores opinionem contrariam ſectantes, nituntur ſtabilire hanc propoſitionem: Mors fuit pœna peccati originalis: qua ſuppoſita ſic argumentantur: ſed Maria fuit mortua: ergo Maria habuit originale; at quod nexus mortis ſint effectus peccati originalis, nullus inquirit, nam & ipſi Aduerſarii, qui mordicus tenent Virginem Mariam contraxiſſe originale, vnanimes etiam fatentur, quòd non fuit detenta nexibus mortis. Aliàs de illis, qui in morte Chriſti ſurrexerunt, & ſecundùm communiſsimam opinionem, cum ipſo aſſumpti

fue-

fuerunt in cœlum, eſſet eadem quæſtio. Quarta, quia illa verba: *Facta diſtinctione triplicis nexus, quorum primus eſt deſolatio corporis; ſecundus eſt incarnatio corporis; tertius eſt deſcenſus ad inferos*, videntur dicta ab aliquo ignorantiſsimo, & penitùs idiota; nam qualis eſt nexus ille ſecundus, incarnatio corporis? Et quod talis incarnatio ſit nexus mortis? Dices, quod fuit error Typographiæ, quia debebat dicere *incineratio* corporis; quia Turrecremata fuit doctus, & non poterat dicere ſimile abſurdum. Fateor, ſed liber iſte non eſt Turrecrematæ, ſed Bartholomæi de Spina, & Alberti Daimi, vt ſuo loco latè dixi, ſupra in Trituratione, & latiùs dicam infrà num. 193. ſed admittamus tuam incinerationem, quia in ipſa magis vrgebit noſtra ratio; quia ſi peccatum originale fuit cauſa deſolationis corporis, prius incinerationis, & deſcenſionis ad inferos, & Maria nullum ex his tribus nexibus mortis habuit, potius eſſet deducenda conſequentia illa: ergo Maria non habuit peccatum originale, quàm contraria: non enim eſſet ridicula, imò abominabilis hæc illatio: Peccatum originale eſt cauſa deſolationis corporis, incinerationis, ac deſcenſus ad inferos: Mariæ corpus non fuit deſolatum, nec incineratum, nec deſcendit ad inferos: Ergo Maria contraxit peccatum originale? O Pater, pater! tu es Magiſter, & hæc ignoras?

Sed adhuc ſunt aliæ duæ rationes, & non minoris momenti ad probandum, hanc auctoritatem eſſe falſam, & fictam; vna eſt, quia hæc ſuppoſita Garrici verba, ſunt propoſitio dubii, non reſolutio quæſtionis; nam quærere, non eſt reſoluere: nec inquirere, eſt ſententiare: ſi ergo, vt dicis, *proſequitur ſolutionem quæſtionis* Garricus, quare non adduxiſti eius ſolutionem? Adduxiſti dubium, tacuiſti ſolutionem, & poſt tenebras nec voluiſti, nec ſparſiſti lucem. Altera verò ratio, & potiſsima eſt; quia Turrecremata in vno, eodemque loco ſimul, & ſemel de hoc Garrico duas adducit auctoritates, quarum prima eſt hæc ex Epiſtolâ ad Romanos, & cùm ipſa ſit adeò expreſſa, vt exprimunt illa verba: *Quæritur de Beata Virgine, cùm habuerit originale peccatum, quare, &c.* hanc non adducunt Bandellus, Deza, aut Vincentia, nec aliquis alius ſcribens poſt Turrecrematam, & quod plus eſt, quòd nec ipſam ſaltem citant: ergo ſignum eſt, quòd & ipſi Aduerſarii ſpreuerunt eam, vel quia nihil probabat, vel quia erat ficta.

Secundam verò auctoritatem ſic adducit Turrecremata: *Quid autem idem dicat ſuper Eccleſiaſticum ad hanc materiam pertinens, exponens illud in capit. 7. virum de mille vnum reperi, mulierem autem ex omnibus non inueni, ſuperiùs extitit allegatum.* Hæc Turrecremata in illa parte 6. capit. 35. folio 125. & nihil amplùs. Recurrimus igitur ad ſuperius allegata, & inuenimus parte 5. cap. 1. folio 82. à tergo, hæc verba: Item idem dicit Magiſter Garricus, profundus Theologus, Magiſter Pariſienſis, in Poſtilla ſua ſuper eundem paſſum, ita inquiens: *Mulierem ex omnibus non inueni, quia nulla fuit abſque peccato originali.* Hæc ſunt omnia, quæ ex Garrico adducit Turrecremata, à quo poſteà omnes alii citarunt Garricum, ſed videamus, qua fidelitate Bandellus, Vincentia, & Deza, ſic hanc auctoritatem tranſcripſerunt: Idem tenet Magiſter Garricus Pariſienſis ſuper Eccleſiaſten cap. 7. ſic dicens: *Beata Virgo, & omnes alij, excepto Chriſto, fuerunt in originali peccato concepti: ideò dicitur vnum ex millibus elegi, id eſt, Chriſtum; de mulieribus autem nullam, quia nulla ſine peccato fuit.* Sic Bandellus, & alii in claſſi de Doctoribus clariſsimis antiquis. At Gryſaldus Alphabeto 4. de Doctoribus Ordinis Ciſtercienſis habet hæc, Græcus Eccleſiaſt. 7. *Beata Virgo, & omnes alij (excepto Chriſto) ſunt in peccato originali concepti.* Videat ergo Lector, amore Dei, & conſideret, quantum diſtent iſtæ auctoritates inter ſe. In primis Turrecremata citat Eccleſiaſticum, alii Eccleſiaſten; ſed tranſeat, quia error iſte parui momenti eſt. Secundo, Bandellus, & omnes alii addiderunt ex proprio cerebro totum illud: *Beata Virgo, & omnes alij (excepto Chriſto) fuerunt in peccato originali concepti.* Ego taceo in hac parte, quia ipſa falſitas per ſe non loquitur, ſed clamat. Tertio, addiderunt illam cauſalem, *ideò dicitur, &c.* Quarto, vitiantes non ſolùm Garricum, ſed etiam ipſummet ſacrum Textum ab Spiritu Sancto dictatum, addiderunt illud, *vnum ex millibus elegi, id eſt, Chriſtum*, vt ſic omnem electionem ſpecialem relegarent à Sacratiſsima Virgine, & inſuper, quod execrabiliùs fuit, quia cum Textus ſacer dicat: *Non inueni*, ipſi ad euellendum è medio hoc, *inueni*, compoſuerunt ſic ſuam clauſulam: *Ideò dicitur, vnum ex millibus elegi, id eſt, Chriſtum de mulieribus autem nullam*, id eſt; *elegi*, vt ſic innuerent, quod Maria non fuit inuenta; hoc enim parum ipſis videbatur, ſed neque quod fuerit electa à Deo. Quinto, illud: *quia nulla fuit abſque peccato originali*; ipſi ſic, *de mulieribus autem nullam; quia nulla ſine peccato fuit*, quam clauſulam dupliciter vitiarunt: primò reduplicantes illud, *nullam, & nulla*, ſecundo auferentes illud, *originale*, quod totum ex deſtinato fine factum eſt. Sexto, quòd Gryſaldus ex tota auctoritate Garrici adducta à Turrecremata (ſit ficta, vel vera, de hoc nunc non curemus) nec minimum adduxit verbum, ſed ab illa Bandelli vitiata, & adulterata in omnibus.

Ex his dico, & affirmo, quòd fuit posſibile, fuiſſe in rerum natura aliquē Garricum Auctorem paruæ, vel nullius opinionis, qui ſcripſerit Poſtillam ſuper Epiſtolam ad Romanos, & ſuper Eccleſiaſten. De poſsibilitate Auctoris nihil affirmo, quia poſsibilitas res ampliſsima eſt; ſed quod affirmo, ac pro re infallibili ſtatuo, eſt, quòd Aduerſarii omnes eius auctoritates vitiarunt, & adulterarunt, vt demonſtratum eſt, & ex tot adulterationibus, ac vitiis euidenter colligere poſſumus, Garricum non fuiſſe pro ipſis, & in hac materia ſat ſit dicere, quod teſtimonia illorum inter ſe conuenientia non erant.

GERALDVS De Stenis, ſiuè de Senis, Ordinis S. Auguſtini, in quodam ſuo Quodlibeto. *Anonymus Auctor. 127. Bandel. cap. 25. Deza fol. 49. à tergo, Petr. de Vincent. & Gryſald.*

VERITAS 85.

AVCTOR Hic, vt adducitur ab Aduerſariis non fuit in rerum natura, quia omnes eum vocant Geraldum, excepto Petro de Vincentia, qui in Indice appellat Geraldum, ſed in opere Geraldium. Omnes etiam cognominant de Stenis, excepto Anonymo, qui illum compellat de Senis: in Religione enim S.P.N. Auguſtini, ſolùm reperitur quidam Gerardus Senenſis, vel de Senis, ſcriptor grauis, qui edidit inter alia lecturam ſuper quatuor libros Sentētiarum, quorum primus prodiit Patauii anno 1598. apud Petrum Paulum Tozzium. Et ſimiliter ſcripſit librum Quodlibetorum, & floruit ad ann. 1340. Si ergo hic Gerardus de Senis eſt ille, quem adducunt Aduerſarii, errarunt in nomine, & cognomine. Si autem eſt alius, abſolutè eſt fictus, quia talis Geraldus de Stenis, Ordinis Eremitarum nunquam fuit in rerum natura. Et hæc de Auctore.

Quantum ad auctoritatem nullam adducunt Aduerſarii. Solùm enim dicunt omnes: *Idem tenet Magiſter Geraldus de Stenis, Doctor clariſsimus eiuſdem Ordinis, in quodam Quodlibeto.* Cùm ergo nec Anonymus, nec Bandellus, nec Deza, nec Vincentia, nec Gryſaldus adducant aliquam auctoritatem huius Doctoris clariſsimi, vehementer exiſtimo nullum ipſorum vidiſſe Gerardum de Senis, vel ſi aliquis ex ſupra allegatis Patribus Dominicanis vidit Gerardum, nullum in ipſo inuenit verbum cōtra immaculatam Virginis Conceptionem, & ſic nullam adduxerunt auctoritatem, quare in hoc Auctore totum eſt nec, & nullum. Vtrumque ſic probo, ſcilicèt quòd non viderunt Gerardum, ſed ſolum locuti ſunt ex quadam coniectura leuiſsima: Omnes Nomenclatores, qui ſcribunt de Gerardo Senenſi, vno ore affirmant, fuiſſe diſcipulum Ægidii Romani, atque acerrimum ſuæ Doctrinæ defenſorem. Cùm autem Ægidius Romanus ſubſtinuerit opinionem minus piam in quodlibeto 6. quæſtione 20. vt ſupra vidimus numero 4. hic Aduerſarii abſque vllo alio fundamento adducunt Geraldum in quodam Quodlibeto. Confirmatur hoc, ſeu demonſtratur euidenter: nam Gerardus de Senis non ſcripſit Quodlibeta: ſed cùm omnia opera Ægidii Romani ſui Magiſtri ad Methodum reduxiſſet, vt dicit Thomas Gratianus in Anaſtaſi Auguſtiniana fol. 79. his verbis: *Gerardus de Senis Ægidij Romani doctrinam eſt ſecutus, eamque methodo tradidit, &c.* conſequenter etiam ad methodum reduxit Ægidii Romani Quodlibeta. Hinc eſt, quòd Conradus Geſnerus enumerans opera iſtius Gerardi de Senis folio 282. nullam facit mentionem de Quodlibetis, quia licèt Gerardus ipſa recognouerit, non tamen fuerunt ſua, ſed Ægidii. Imò nec R. P. Thomas de Herrera in ſuo Alphabeto, cùm de Gerardo Senenſi folio 308. honorificam faciat mentionem, ac eius ſcripta recenſeat, de opere Quodlibetorum vllam mentionem facit; quia, vt dixi, non fuerunt Gerardi, ſed Ægidii. Aduerſarii ergo audientes ex vna parte, quòd Gerardus fuerat inuictiſsimus defenſor doctrinæ Ægidianæ, & ex altera, quod Ægidii Quodlibeta methodo tradidiſſet, abſque vllo alio fundamento ſcripſerunt: *Idem tenet Geraldus, in quodam Quodlibeto.* Res enim mira eſt, quòd ex quinque Auctoribus adducentibus Geraldum, nullus aſsignet Quodlibetum, neque auctoritatem! vndè firmiter exiſtimo, hoc Quodlibetorum opus eſſe in hac Aduerſariorum Area triplicatum, ſcilicèt in Ægidio Romano, Bernardo Olierio, & Geraldo de Senis, vt ſic impinguarent illam claſſem Ordinis Sancti Auguſtini; nam excluſis his, & aliis multiplicatis, de quibus infrà, ſolùm poterant cum ſufficienti fundamento adducere quinque; ipſi verò huiuſmodi multiplicationibus adducunt quindecim. Sed ſi, non obſtantibus ſupra dictis, velint in ſua opinione perſiſtere, parati ſumus ad recipiendam omnem ſatisfactionem; quærant ſuum Geraldum de Stenis, vel de Senis, quærant illud Quodlibetorum, Opuſculum, quærant illam incognitam auctoritatem, quærant, inquam, totum hoc. Sed exiſtimo, quòd quæres locum eius, & non inuenies, ſed caue ne diligas vanitatem, & quæras mendacium.

(·.·)

☞)(☜

GERAR-

GERARDVS Odonis, Ordinis Minorum in libro de Figuris in cap. de Stella. *Turrecrem. part. 6. cap. 23. fol. 123. Anonym. Auctore 119. Bandel. cap. 24. Dezafol. 48. Vincent. & Barelete.*

VERITAS. 86.

DE Auctore non est dubitandum, nam Gerardus Odonis Ruthenēsis de Castro Rodulphi, natione Gallus, fuit decimus octauus Generalis Ordinis Minorum, qui floruit anno 1329. tempore Ioānis XXII. fuit Patriarcha Antiochenus, & Ecclesiæ Cathanensis in Sicilia perpetuus Administrator, & pariter communiter dictus Doctor Moralis, scripsit inter alia officium de stigmatibus S. P. N. Francisci, quod hodiè recitatur, super quatuor libros Sententiarum, Sermones, & librum de Figuris Bibliorum, qui secundùm aliquos asseruatur manuscriptus in Conuentu Mirapicēsi scripsit etiam Trac. *de suppositionibus*, cuius principium est: *Quoniam quia nominum veritas, &c.* Et extat in folio in Biblioth. S. Ioann. Reg. Toletan. & etiam in eadem Bibliotheca AA. 71. extat aliud M.S. cuius exordium est. *Prologus super Euangelia Magistri Odonis.* Et prologus incipit, *A quatuor ventis veni spiritus, &c.* Et incipit à prima Dominica in Aduentu Domini. Itemque Sermones extant etiam ibidem littera Z. num. 69. in fol. & ad finem extant hæc verba: Completum hoc opus anno ab Incarnatione D. 1219. pridie Kal. Ianuarii, ex quibus constat, quod Sermones isti non sunt Gerardi Odonis Minoritæ; sed alterius Magistri Odonis Cistercienſis, de quo num. 230. De hoc agunt omnes Nomenclatores, tàm Minoritæ, quàm exteri. Et sic constat de Auctore, & opere.

Auctoritatem huius sic adducit Turrecremata. Item ad idem est eiusdem Ordinis Pater Frater Gerardus Odonis, in libro suo de Figuris, qui vbi de Stella agitur, dicit: *Quod superuenit in eam Spiritus Sanctus, vt quæ in prima sanctificatione erat eodem Spiritu sanctificata in mente, in ipsa superuentione Spiritus, siue sanctificatione à fomite totaliter purgaretur.* Hæc, & nihil amplius adducit Turrecremata de Gerardo ex quibus verbis constat, quod hæc non est litteralis auctoritas Gerardi, sed solùm sensus ad epilogum redactus, & ita extra assumptum propositum de Virginis Conceptione, vt nec Bandellus, nec aliquis alius ex supra enumeratis Patribus Dominicanis, ausus fuerit ipsam transcribere, aut in medium adducere, fortè quia ipsimet ridiculam existimarunt, & ineptam ad probandum ex illa, Virginem contraxisse originale peccatum. Nam quis negat Virginem Mariam habuisse primam, & secundam sanctificationem, primam in mente, seu anima in die suæ Conceptionis, vel animationis; & secundam in Incarnatione Verbi Diuini. Ad illud verò, quod in secunda sanctificatione fuerit fomes à carne Mariæ totaliter extinctus, seu purgatus, Gerardus opinatus est cum omnibus Antiquis. Sed dato, quod hoc esset verum, quid contra primam sanctificationem a peccato originali; & primo suæ animationis instanti? Vide infrà num. 300 quomodo ipsemet Caietanus componit fomitem cum præseruatione à culpa originali.

Sed vltra progrediendo, ac ventilando prædicta dico, quod huius Gerardi Odonis opus de figuris Bibliorum, sub expresso nomine inuenire non potui. At in Bibliotheca S. Ioannis Regū Toletan. Pluteo 5. num. 80. extat quoddam manuscriptum antiquis caracteribus, & pulchris exaratum absque Auctoris nomine, & totum agit de Figuris, quæ in sacra Scriptura continentur, & incipit sic: *In Scriptura sacra aliquādo dicitur nuncupatiuè, &c.* Quod opus habet sexdecim partes, & parte 1. capitulo de Stella, quod incipit: *In Scriptura sacra cum stella, &c.* nullum habet verbum ex præallegatis ab Aduersariis. Et in Collegio S. Ildephonsi Complutensi extat aliud simile originale, & in nullo extant talia verba: ergo vel sunt ficta, vel ostendant illas Figuras Bibliorum Gerardi, alias palam, & apertè dicemus, quod hæc in figura solùm facta, in figuram contingebant illis.

Sed pro coronide huius Gerardi, & operis eius notet Lector tria. Primum, quòd quidam Antonius Rampegolis, Ordinis S. Augustini, edidit librum sub hoc titulo: *Figura Bibliorum.* Impressum Parisiis anno 1510. in 4. & posteà expurgatum Coloniæ 1609. in 12. & alibi. Sed in hoc opere nec extat verbum stellæ, nec verba adducta ab Aduersariis. Secundum notet, quòd Antonius Chucarus, Episcopus Azernensis, in suo insigni Elucidario pro Virginis Conceptione, scripto, & typis mandato ad annum 1506. fol. 63. colum. 2. ad finem, citat, & adducit hunc Gerardum Odonem pro opinione de Immaculata Virginis Conceptione. Item Ioannes Vitalis contemporaneus Gerardi, atque eiusdem Religionis, in suo Defensorio lib. 4. Ancilla 7. habet hæc verba: *Consequenter in tertia Decade, alios decem habuit, quorum primus erat Gerardus Ordinis, Patriarcha Antiochenus, qui in 3. dist. 3. ostendit, Sacram Virginem, fuisse, sine originali conceptam, &c.* Eadem verba habet Alanus Doctor Parisiensis, qui scripsit eodem sæculo, quo vixerat Gerardus, Daniel etiā Agricola, antiquus Auctor in sua Corona fol. 175. adducit pro nostra opinione Gerardum Odonem, sicut etiā Ludouicus à Turri fol. 57. col. 3.

non

non adduco in comprobatione Auctores modernos; possem enim enumerare plures. Iudicet ergo Lector, cui credendum sit? Vitalis adducit textum expressum ex 3. Senten. distint. 3. vbi ex professo tractatur hæc quæstio in propriis terminis. Turrecremata fugiens à libris Sententiarum, recurrit ad Figuras Bibliorum, & indè adducit quamdam auctoritatem Figuram, quã dicit esse in verbo, Stella, & in hoc videtur magnus Astrologus, quia ex figuris, & stelis, quasi per scientiam iudiciariam voluisset colligere, Virginem Dei Matrem astrum purissimum, & stellam antelucanam, fuisse in tenebris peccati originalis. O Figura sine figura! vbi stella stellarum non est munda in conspectu illius: Tertium notandum, quòd hic Aduersarii citant Gerardum Odonem de Castro Rodulphi, Ordinis Minorum in libro de Figuris, & infrà num. 226. adducunt Odonem de Castro Rodulphi, Ordinis Cistercienſis, Episcopum Tusculanum in Sermone Natiuitatis, & sic existimo, hìc esse aliquam multiplicationem, vel multiplicationes, si non personarum, operum, & auctoritatum, nam Minorita etiam scripsit Sermones, vide infra numerum citatum.

GILBERTVS Canonista, Doctor famosus Parisiensis in Prouer. Salomonis cap. 25. *Anonym. Auctore* 198. *Bandel. cap.* 21. *Dezafol.* 36. *à tergo.*

VERITAS 87.

AVCTOR Hic videtur fictus quoad nomen, multiplicatus quoad rem, ac mendaciter adductus quoad sententiam: totum sic demonstro. Primo, quia hunc Doctorem adducit Anonymus inter Canonistas, & nullam ipsius adducit auctoritatem. Bandellus verò inter Theologos clarissimos antiquos, sic dicens: *Idem tenet Magister Gilbertus in Postilla super Prouerbia Salomonis cap.* 25. *hic fuit Doctor Parisiensis.* Et nihil ampliùs. Nota, ò Lector! hanc vltimam clausulam dolosè additam: *Hic fuit Doctor Parisiensis*, vt sic relinqueret Auctorem sub tenebrarum voragine. Sicut Anonymus, qui ipsum facit Canonistã; vide, quando Canonista scripserit in Prouerbia Salomonis. Secundò, quia talis Gilbertus Canonista, vel Theologus scriptor super Prouerbia, nullus fuit in rerum natura: etenim nullus Nomenclator antiquus de ipso mẽtionem facit, solus enim Sixtus Senensis in sua Bibliotheca sancta lib. 4. fol. 251. sic inquit: *Gilbertus Parisiensis Sorbonæ Doctor aptauit in Prouerbia, Scholasticam Postillam, cuius mentionem facit Vincentius Bandellus in tractatu de Conceptione.* Eadem verba nulla mutata syllaba habet Antonius Posseuinus, in appartu fol. 643. igitur ab vno solo Bandello dimanat notitia huius Auctoris, & Scriptoris super Prouerbia. Cùm ergo hic Gilbertus non fuerit ille, quem Godefridus Tilmanus in suis Allegoriis vocat Gillebertum, quia in toto libro Prouerbiorum nullam adducit huius Auctoris auctoritatem, nec sit ille Gilbertus Magnus Cistercienſis, de quo Pitseus ad annum 1280. fol. 381. & etiam Chrisostomus Henriquez fol. 161. qui nec fuit Cãonista, nec dicitur expressè, quod scripserit super Prouerbia. O Bandelle! cum hoc Gilberto, quo ibimus à spiritu tuo? quare,

Dico tertio, & vltimo, quid in hac materia sentio, post adhibitũ omnem laborem, & studium, vt Lector iudicet secundùm veritatem. Anno 1515. apud insignem Typographum Iodocum Badium Ascensium, fuit impressus liber in Prouerbia Salomonis, in 4. communi, sub nomine Roberti HolKot, Doctoris Parisiensis, Ordinis Prædicatorum, vel Thomæ Vvallensis eiusdem Ordinis, de quo libro infra latè dicemus. Aduersarii ergo ad multiplicandum Auctores pro sua sentẽtia, nomen Roberti transmutarunt in nomine Gilberti, subtricendo cognomen, & quòd fuerit Ordinis Prædicatorum, & addendo illud: *Hic fuit Doctor Parisiensis*, atque collocando eum iam inter Canonistas, iam inter Doctores clarissimos antiquos, vt sic eius notitia penitùs occultaretur, & mutato nomine, & habitu, iterum ingrederetur palestram. Comprobatur ex ipsomet libro in Prouerbia Salomonis. Nam in cap. 25. prælegato ab Aduersariis ad illa verba: *Auser rubiginem de argento, & egredietur vas purissimum*, Lectione 164. fol. 200. inquit Robertus HolKot: *Quantum ad secundum dicit sapiens; Auser rubiginem de argento, &c. id est, peccatum originale inueteratũ, de argento, id est, de Virgine per sanctificationem, non per Conceptionem, secundùm Alexandrum super Psalmos: quia nõ potest auferri, nisi quod aliquando infuit (hoc secundùm opinionem impugnantium Immaculatum Virginis conceptum dictum est) & egredietur vas purissimum, & mundissimum ad Filij suceptionem.* Hucusque ad litteram in illo libro super Prouerbia Salomonis, Roberti HolKot secundùm rei veritatem: at secundùm Aduersarios Gilberti Canonistæ Doctoris Parisiensis, si igitur hic est auctor, liber, & auctoritas: Auctor est fictus, & etiam multiplicatus, quia Robertũ HolKot iterum adducunt, & etiam Thomam Vvallensem; liber verò falsificatus vt numero sequenti dicam, atque auctoritas mendaciter adducta, ideò omnes Aduersarii illã sub silentio prætermiserunt; nam illa verba: *Hoc secundùm opinionem impugnantium Immaculatum Virginis conceptum dictum est*, expressè indicant, quòd Auctor illius libri pro nostra erat sentẽtia:

Vi-

Videntes enim verbum illud, *Immaculatū conceptum*, excogitauit Bandellus illud: Qui non est mecum, contra me est.

GILBERTVS Magister in Sermone Natiuitatis. *Sic hunc citat Antonius Brixiensis in Sermone; de quo supra in Trituratione num. xxx.*

VERITAS. 88.

EN Redit alter Gilbertus; eandem, vel maiorem obscuritatem secum adferens, quàm præcedens; sed antequàm examinemus Auctorem, do auctoritatem, vt adducitur ab Antonio de Brixia, inquit enim sic: *Ad illud Prouerbiorum 25: Aufer rubiginem, &c. super qua sententia etiam Magister Gilbertus in sermone Natiuitatis dicit: Habuit siquidem B. Virgo rubiginem fomitis, quæ contrahitur de vetustate transgressionis Adæ, sed igne Spiritus Sancti purgata fuit, & purissimum vas permansit, quia nec lutum actualis peccati, nec puluerem venialis postmodum habuisse creditur.* Hucusque ad litteram Brixiensis. Quis autem fuerit hic Gilbertus Magister, qui scripsit sermonem Natiuitatis, minimè inuestigare potui ex certa scientia. Nam hic non fuit Gilbertus, qui scripsit super Cantica, & fuit continuator S. Bernardi, quia talis non scripsit sermonem de Natiuitate, nec talia verba reperiuntur in operibus eius. Nec fuit quidam Gilbertus Magister, qui fuit noui, ac veteris testamenti glossator, de quo Nicolaus Faber, & in notis ad Epistolas S. Bernardi, Epistol. 24. col. 2222. quia hic non scripsit Sermones. Nec fuit Gilbertus de Tornaco, Ordinis Minorū, cuius auctoritatē infrà dabimus in Roberto de Tornaco num. 273. nisi fortè sit quidam Gilbertus, de quo Gesnerus fol. 284. inquit: *Gilberti cuiusdam Sermones de Sanctis manuscripti extāt;* sed hæc meo iudicio scripsit Gesnerus, desumpta occasione à presenti cottatione Brixiensis; & sic redit difficultas ad suum principium; scilicèt, quod solus Brixiēsis fuit Colonus istius Gilberti Magistri, quem nullus alius adhuc ex ipsismet Aduersariis vidit. O Brixiensis! tu solus fuisti peregrinus in hoc Gilberto.

In re tam obscura, quia nec Brixiensis adducit cognomen, nec cuius status, vel Religionis fuerit, neque saltem signat, an Sermo ille fuerit de Natiuitate Christi, vel Virginis; dico, quòd sentio, Primò; quòd hic Gilbertus videtur coincidere cum antecedenti, & sic non solùm erit duplicatus, sed triplicatus, cum Roberto Holkot; nam quem Bandellus vocauit Doctorem Parisiensem, Brixiensis appellat Magistrum; ille citat in Postilla super Prouerbia Salomonis cap. 25. & hic sermonem Natiuitatis, sed adducens illud cap 25. Prouerbiorum, Bandellus nullam adduxit auctoritatem, Brixiensis vero, vel finxit illam ex proprio cerebro, vel illam transcripsit ex aliquo Auctore Dominicano, & videns hunc Gilbertum adductum fuisse à suæ Religionis Auctoribus, absque auctoritate, verbis suprapositis dixit: Gilbertus Magister his opus habet. Secundò, quod ex citatione, in sermone Natiuitatis, & ex proposito themate Aufer rubiginē, & ex verbis omnibus in auctoritate contētis coincidit hæc cum illa adducta à Turrecremata pro Martino Polono, de quo nos infrà num. 214. Vide ibi; quia fortè Brixiensis vidit originale Sermonum à nobis repertum sub nomine Gilberti: at cuiuscumque sit auctoritas ista est penitùs vitiata, vt ibidem demonstro. Et sufficit pro hic, & nunc, quòd nec Auctor, nec opus inueniantur.

GILBERTVS Porrectanus, Episcopus Pictauorum, super Boetium de duabus naturis, in vna persona Christi. *Turrecrem. part. 6. cap. 6 fol. 99. à tergo. Anonym. Auctore 194. & Via 3. auctoritate 30. Bandel. cap. 20. Deza fol. 34. à tergo. Vincentia.*

VERITAS 89.

GILBERTVS Porreta, vel Porrectanus, plura scripsit, sed à S. Bernardo Serm 8. in Cantica de hæresi notatus, & in Rhemensi Concilio per eundem melliflum Doctorem conuictus anno 1148. coram Eugenio III. abiuratis erroribus ad Episcopatum redire permissus est. Inter alia commentatus est libros Seuerini Boetii de Trinitate, ac de duabus naturis, in vna persona Christi: cuius opera excussa fuerunt Basileæ anno 1570. in fol. & alibi, & manuscripta extant in multis Bibliothecis: aliqui huic adscribunt Sermonem de Natiuitate Virginis editum sub nomine S. Fulberti Carnotensis; de quo diximus in Tritur. num. xxxiv. & in Ventilat. num. 80. Et hæc pauca sufficiant ad cognitionem Auctoris.

Auctoritatem sic adducit Turrecremata: Itē ad idem est Boetius Sanctus in libro de duabus naturis, &c. vbi Glossa ait: *Ingreditur profundissimam quæstionem; tamen vtilissimam, quomodo scilicèt Christus sine peccato esse potuit, cùm ex Maria Virgine corpus susceperit, quæ in primi parentis præuaricatione peccatrix fuit: sicut & omne genus humanū. Hæc Glossa.* Et hæc Turrecremata ex Glossatore Gilberto Porrectano. Anonymus eandem adducit sic loquendo de eodem Seuerino Boetio, auctoritate 30. Vbi Glossa dicit: *Ingreditur profundissimam;*

mam, & vtiliſsimam quæſtionẽ, videlicèt, quomodo Chriſtus ſine peccato eſſe potuit, cũ ex Maria Virgine corpus ſuſcepit, quæ in prima parẽtis prævaricatione peccatrix fuit, ſicut & genus humanum. Hæc Gloſſa eſt Gilberti Porrectani. Hæc Anonymus. Cùm ergo in Gloſſa Gilberti non ſint talia verba, ſequitur, quòd illa tranſcripſerit ex Turrecremata. In indice autem hunc adducit Anonymus inter Canoniſtas, existimans fortè, quòd Gloſſator non poterat eſſe niſi Canoniſta, qua autem veritate, fundamento, aut ſcientia id fecerit, ipſe videat, nam nobis ſat eſt ſcire, quòd Turrecremata, ac Bandellus finxerunt ex proprio cerebro propoſitas auctoritates: videns autem Bandellus, quod verba prælegata non erant in Boetio, neque in Gloſſa ipſius Gilberti, & quòd carebãt efficacia ad probandum ſuum intentum, excogitauit aliud inauditum falſitatis genus, finxit ſcilicèt, quòd Liconienſis, de quo nos infra num. 210. ſcripſerat ſuper Boetium de duabus naturis (quod quidèm eſt falſum, vt ibi demonſtrabimus) & hanc auctoritatem adductam à Turrecremata ipſi Liconienſi adſcripſit, & pro Gilberto finxit alteram tenoris ſequentis: Idem tenet Dominus Gilbertus Porrectanus, Pictauorũ Epiſcopus, litterarum ſcientia eruditus, ſuper Boetio de duabus naturis, & vna perſona Chriſti, ſic dicens: *Nullus vnquam per concupiſcentiam genitus ſine originali peccato eſſe potuit: quia verò Chriſtus ex Virgine ſine concupiſcientia genitus eſt, ideò nec originali reatu, nec patiẽdi neceſſitate tenebatur. Hæc ille.* Itẽ in eodẽ. *Corpus*, inquit, *Chriſti ex Maria ſumptũ eſt, quæ (ſicut cæteri omnes) ex primorum parentum prævaricatione peccato, & morte ſubiacebat. Hæc ille. Floruit anno Domini 1134.* Hucuſque ſunt verba Bandelli, atque Petri de Vincentia, & aliorum, nulla mutata ſylaba. Nam in hoc Auctore & auctoritate omnes conuenerunt in vnum Bandellum.

Sed iſtæ duæ auctoritates per modum vnius ſunt penitùs fictæ, & falſæ, quia nec verbum illius extat in Gilberto, nec ſaltem vnum ſimile prælegatis, legimus ſemel, & iterum Boetium, & Gloſſam Gilberti, non ſolùm in originalibus impreſsis, verum etiam manuſcriptis, & ſolùm in §. ſeu clauſula Commentarii, quæ incipit: *Verumtamen, &c. quaſi nunc quærendum eſt, &c. Verumtamen nunc etiam rationabiliter poſt illa, quæ dicta ſunt, eſt alia quæſtio, quæ ex his, quæ prædicta ſunt, poteſt inferri ab his, qui non credunt, &c.* (Quæ clauſula commẽtarii videtureſſe illa ab Aduerſariis citata) loquens de Chriſto Domino, habet Gilbertus hæc verba: *Sin verò talem hominẽ, hoc eſt, humanã naturã talem aſſumpſit, qualis Adam fuit ante peccatũ, quod vtique facere potuit. Quoniam & ſi de peccatoribus, & per peccatũ genitis, non tamen per peccatum, hoc eſt miniſtra, originali concupiſcentia corpus humanum aſſumpſit, &c.* Hæc ſola verba reperiuntur in Gilberto. Ex quibus Aduerſarii, Turrecremata, Anonymus, & Bandellus, vnuſquiſque pro ſuo arbitrio, ex iuxta ſuum genium finxerunt ſuas auctoritates. Sed quid mirum! adulterarunt turpiter Seuerinum Boetium, vt ſuo loco dicam, & ſic conſequẽter turpiſsimè vitiarunt ſuum Commentatorem Gilbertum Porrectanum, vt ordirentur telam, & adderent peccatum ſuper peccatum. Vide num. 283.

Quantum verò ad auctoritatem Gilberti, ex ſe patet, quòd nihil habeat contra Immaculatã Virginis Conceptionem, nam ibi ſolùm intendit probare, quod Chriſti Domini corpus fuit genitum abſque originali concupiſcentia, cum qua omnes alii deſcendentes ab Adam geniti ſunt; ſed hæc quid contra Mariæ Immaculatã Conceptionem? Imò ex his Gilberti verbis etiã euidenter colligitur, quòd ſæpè notaui ex modo loquendi antiquorum, ſcilicèt, quòd concupiſcentiam parentum in generatione vocabant originale peccatum, vndè adhuc hæc formalis propoſitio: Maria fuit genita, vel concepta à parentibus ſuis cum, vel in originali peccato, prolata à Doctoribus antiquis, debet examinari, quia ferè ſemper loquebantur de originali concupiſcentia, quæ erat miniſtra generationis, non animationis; hic enim eſt laqueus cõmunis, & Aduerſariorum vniuerſalis æquiuocatio, ſed in laqueo iſto, quem abſconderunt ſub nomine Gilberti Porrectani, comprehenſus eſt pes eorum.

GLOSSA Ordinaria ſuper illud, Lucæ 1. Quia fecit mihi magna & Prouer. 25. Anfer rubiginem, &c. *Ita Deza in Additionibus ad Bandellum cap. 27. fol. 51. Gryſaldus, & Brixienſis.*

VERITAS. 90.

IN Vltima Bandelli impreſsione excuſſa cum Additionibus ad probandum propoſitum intentum de Conceptione Virginis Mariæ cũ peccato originali, in quadam ſpeciali Additione continuator ille Hiſpanus, ſiuè Corrector operum Bandelli, ſic inquit: Item ſuper illud Lucæ 1. quia fecit mihi magna, dicit Gloſſa Ordinaria: *Magna quia in me carnem aſſumpſit, & me à peccatis mundauit, & dona Spiritus Sancti mihi contulit.* Hæc auctoritas fideliter eſt trãſcripta, ſed frinolè adducta; quia neſcio quomodo ex illa poſsit deduci, Virginẽ fuiſſe in originali peccato coceptam; agit enim de Cõceptione actiua, ſeu Verbi Diuini Incarnatione, nõ verò de Cõceptione paſsiua Ma-

rix

riæ, vt de se patet: sed fortè dicēt, quòd illud, *Et me à peccatis mundauit*, supponit in Virgine peccatū, no actuale: ergo originale. O pessima suppositio, & peior illatio! nam sic supponit etiam, quod tempore Incarnationis, quando Spiritus Sanctus superuenit in Mariam, vt illam à peccatis mundaret, habebat peccatum originale, & non solum originale, sed etiam aliquod actuale; non enim dicit Glossa: me à peccato mundauit, sed me *à peccatis* mundauit, & sic consequenter tenentur concedere; tempore Incarnationis fuisse Mariam mundatam à peccatis, in numero plurali: cum ergo peccatum originale esset vnum, assignandum est & pariter à vobis aliud, à quo fuerit mundata. Si dicitis, quòd à fomite, fomes non est peccatum, sed radix peccati, nisi recurratis ad illud, quod est modus loquendi antiquorum, quod radicem peccati communiter vocabant peccatum: ergo ex hac parte iam habemus intentum, scilicèt, quod antiqui radicem peccati originalis vocabant peccatum originale, v.g. libidinem, concupiscentiam, & fomitem. Explicate ergo sic vestros Doctores antiquos adductos in hac Ventilatione, & conclusa erit cōtrouersia. Alias hæc auctoritas æqualiter militat contra vos, & vestram sententiam; de sanctificatione: nam vos dicitis, quòd in secundo instanti, vel tertio, vel quarto post suam animationem fuit Maria mundata à peccato originali, ita quòd egressa est de vtero sancta, pura, munda, &c. tum sic, quomodo ergo in Incarnatione Verbi fuit mūdata *à peccatis*, vel à quibus peccatis? Si dicitis, quòd fuerit mundata à peccatis, quæ in esse poterant, optimè dicitis, quia mundatio ibi fuit & sumitur pro præseruatione, & ex hac parte etiam conuenimus in sententia: ergo in Maria nullum fuit peccatum, à quo mundari potuisset sed potuit inesse, & sic debet explicari Glossa tàm in nostra, quàm in vestra sententia. Deindè mundus, munda, mundum, à quo dicitur mundare, significat hæc tria, purum seruare, integrū custodire, & sine macula reddere, vt dicit vester Ioannes de Ianua in suo Catholicon fol. 210. à tergo, & mundare idem est, quòd amouere omnem maculam, quæ inest, vel inesse potest. Ergo hæc auctoritas Glossæ gratis adducta est, & nullum in ea inuenietis fructum, neque in hoc, neque sequenti anno.

Secundò citat etiam Glossam Antonius Brixiensis sic: Similiter & Salomon Prouerbiorū 25. Auferrubiginem de argento, & egredietur vas purissimum. Glossa: *Auferoriginale peccatum à B. Virgine, & nascetur sine peccato.* Et hāc Glossam sequuntur infrascripti Theologi, Dominus Hugo Cardinalis, Martinus Polonus, Iacobus de Beneuēto, Iacobus Lausanensis, Cōradus Saxo, Aluarus Hispanus, &c. Hucusque Brixiensis. Sed certè, quòd ego vellem scire, cuius fuerit hæc Glossa, non Strabonis Fuldensis, non Anselmi Laudanensis, non Nicolai de Lira, & per consequens no Glossæ Ordinariæ, Interlinealis, Marginalis, vel Moralis. Vbi est ergo hæc Glossa? Quia aliæ Glossæ, nec Glossatores reperiuntur in sacro Textu. Cū ergo, o Lector! audieris hanc Glossam, suppone pro firmissimo principio, quòd talis Glossa non fuit, nec est in Textu sacro, nec Auctor illius apparet in rerum natura. Vidimus enim quidquid in hac re excogitari potest pro indaganda veritate, & in nullo libro antiquo, vel moderno, neque in aliquo Sancto, aut Ecclesiæ Patre, vel saltem, saltem aliquo Doctore primæ classis, talis Glossa inuenitur. Primus enim, qui hæc verba; *Auferrubiginem de argento, &c.* applicuit, vel accomodauit sanctificationi Virginis, fuit Richardus à S. Laurentio libro 3. in principio colum. 174. & lib. 4. colum. 305. sed hic non fuit Glossator Scripturæ sacræ, nec eius expositio est Glossa. Deindè Richardus in prædictis locis loquitur de carne virginea, à qua fuit ablata rubigo libidinis, fomitis, concupiscentiæ, &c. quæ omnia ipse vocat peccatum originale more antiquorum. Vide quæ in hoc opere diximus supra num. 22. Denique intelligere, & explicare per rubiginem originale peccatum, per argentum Virginem Mariam iam animatam in vtero Annæ, nec est sensus litteralis, nec Mysticus, nec Allegoricus, sed quidam sensus accomodatitius, sine fundamento aliquo in re, nec in vocibus ipsis, improprius, imò impropriissimus, vt non dicam fantasticus, vt videbimus infra in sacra Scriptura, num. 280. Concludimus ergo, quòd si illa inepta expositio dicenda est Glossa, debet esse cum addito Glossa Dominicana, excogitata solùm modo ad maculandam Dei Matrem.

Tertiò in illo Sermone Castellani sic dicitur. Glossa: *Hanc Beatissimæ Virginis Mariæ sanctificationem egregius Propheta Isaias præuiderat, dum clamabat: Primo tempore alleuiata est terra Zabulon*, nota Glossæ dispositionem. *Hanc sanctificationem*, id est, in vtero matris factam post contractionem peccati originalis, *egregius*, quia suæ sanctificationis extit Propheta: *dum clamabat*, non erat res tam egregia propalanda sum missa voce, sed clamore valido, sed transeat hoc, & vbi est, Patres, hæc vestra celebris Glossa? Non est Ordinaria, Interlinealis, Marginalis, aut Moralis: vbi est ergo? forte dicetis, quòd in Sermone Petri Comestoris. Et vbi est Sermo ille? & Sermo est glossa? vel quando Petrus comestor fuit Glossator Bibliæ? Ficta ergo est Glossa hæc, & ex ficto Sermone fabricata vide infra num. 240.

GOTI-

GOTIFREDVS, Parisiensis Doctor, Quod libeto 8. quæst. 8. *Ita Bandell. cap. 21. Deza fol. 36. Petr. de Vincent. Capreolus. Gryfald.*

VERITAS 91.

HVNC, Quem aliqui vocant Godofredum, adducunt inter Doctores Theologos clarissimos, antiquos sæculares: sed quis fuerit Auctor iste, non est facile inuestigare; quia in primis hic non fuit Gofridus Candelarius, Theutonicus Aquisgranensis, quia hic non scripsit Quodlibeta, nec fuit Parisiensis Doctor, sed Carmelitani Ordinis, & insuper scripsit tractatum egregium pro Conceptione Virginis, temporibus eiusdem Bandelli, vt referunt Gesnerus fol 288. Possevinus fol. 644. & 647. & alii. Nec est Gofridus Abbas Vindocinensis, S. Priscæ Cadinalis; cuius opera fuerunt excusa Parisiis anno 1610. vbi extāt Sermones, & alia opuscula, sed nō Quodlibeta. Nec potest esse Gotfridus de Fontibus; dictus communiter Doctor venerandus, quia licēt scripserit Quodlibeta; fuit ex Ordine Minorum, vt videre est apud Vvillotum fol. 162. & Vvadingum fol. 143. Nec fuit Gotfridus Viterbiensis sæcularis, de quo Trithemius fol. 78. quia non scripsit Quodlibeta. Nec est Gottofredus, de quo Gabriel Sora in sua Bibliotheca fol. 83. quia fuit Iurista. Restat solū quidā Godofridus, vel Gotfridus Comubiensis, qui ad annū 1320. scripsit super Sētētias, & decē Quodlibeta, de quo Gesnerus fol. 288. Possevinus fol. 647. sed hic fuit ex sacro Carmelitarum Ordine, de quo latè Pitseus fol. 412. & sic Gotifredus, vel Godofredus, sæcularis, & Doctor Parisiensis, Quodlibetorum Scriptor, vel non fuit in rerum natura, vel fuit aliquis paruæ opinionis, cuius memoria ab omnium oculis euanuit.

Auctoritatem istius sic adducunt Aduersarii: Idem tenet Magister Gotifredus, Doctor Parisiensis in Quodlibeto 8. quæst. 8. sic dicens: *Beata Virgo non fuit sanctificata in eodem instanti, in quo contraxit originale peccatum, nec in tempore immediatè sequenti illud instans: sed, vt cōmunis opinio tenet, habuit originale per aliquod tempus modicum, & gratia præueniente in vltimo instanti illius temporis fuit sanctificata. Hæc ille.* Hæc auctoritas adducta primò à Bandello, deindè nullo mutato verbo à Vincētia, & aliis, absque vlla temeritatis specie dico, & affirmo, esse falsam, fictam, & suppositam; tum quia ex omnibus suis verbis redolet stylum Bandellianum, tum quia nullus antiquus Doctor reperitur, qui similibus loquatur distinctionibus, ac formalitatibus; tum quia tam claram, & expressam auctoritatem non prætermitterēt Turrecremata, nec Anonymus. Denique adhibita omni diligentia possibili pro cōquirēdis Quodlibetis huius Auctoris, fateor, quòd illa inuenire non potui; attamen in Bibliotheca S. Ildephōsi Vniuersitatis Cōplutensis inueni quoddā manuscriptum antiquis characteribus, cuius titulus extra est: *Summa Theologiæ Geodofredi*, intus vero: *Sūma Theologiæ Gefredi*, & incipit opus: *Triplex est visio, qua res videtur*, in qua extat titulus de Incarnatione Verbi, & incipit: *Relictæ sunt spicæ legentibus.* Vbi Auctor habet plura de peccato primorum parentum, de Incarnatione Verbi, ac Virgine Maria: sed auctoritatis adductæ ab Aduersariis nec minimū extat verbum, nec ali quod aliud quod agat de Conceptione, seu sanctificatione Virginis in vtero, nisi solùm sequentia: *Cùm enim primus Angelus recessit à suo creatore, homo cessit in partem eius, & ei consensit; Dominus autem iratus, & iure hominem tradidit dæmoni, non vt Domino, sed vt carcerario, id est, custodi carceris. Nullo ergo modo potuit præscribere contra Dominum. Item lex est, partus sequitur ventrem: sed B. Virgo erat de seruitute, sub qua erat humanum genus: ergo & filius eius debuit esse ex eadem seruitute. Respōdetur, quòd lex est, quòd si quis seruus donatus fuerit annulo Imperatoris, non solùm liber erit, sed etiam ingenuus efficitur: ipse autem Christus à summo Imperatore inunctus est in Regem, &c.* Et infrà iterum inquit Gofridus: *Omnes enim hæretici odio Virginem habent glorioſam. Antequam hoc, inquam, fiat, id est, antequā puer sciat per experientiam reprobare malum, &c. relinquetur terra, id est, B. Virgo à facie duorum Regum, id est, duorum regnantium in corpore humano: Primus enim parens per peccatum cecidit in ignorantiam, & concupiscentiam, quæ secundùm Hugonem sunt peccatū originale: ab istis liberata est Virgo Beata per Incarnationē; nec enim sensit etiā primos motus per Incarnationē, &c.* Hæc sunt omnia, quæ extant in Goffrido, & fortè Bandellus ex istis verbis, *sed Beata Virgo erat de seruitute, sub qua erat humanū genus, &c.* Sūpsit occasionem ad fabricandam suam auctoritatem; nam cum minori fundamento altiores erexit turres, vt in hac Ventilatione passim videbimus. Sed nota etiam, ò Lector! illa Goffridi verba: *Primus enim parens per peccātum cecidit in ignorantiam, & concupiscentiam, quæ secundùm Hugonem, sunt peccatum originale.* Nonne vides, Lector, quomodo apud antiquos concupiscentia vocabatur peccatum originale? Vnde hæc propositio: Christus conceptus est sine peccato originali: Maria concepta est cum peccato originali, secundùm modum loquendi Hugonis de S. Victore, de quo infrà, & præsentem Theologum Goffridum, nihil probat contra Immaculatam Conceptionem Vir-

Virginis Mariæ, quia illa propoſitio æquiualet huic: Chriſtus eſt conceptus ſine concupiſcentia: Maria concepta eſt cum concupiſcentia. Hæc ſunt omnia quæ de Gotifredo inuenire potui. Si ergo deſiderant Aduerſarii, quòd credamus ipſis, vt hic Auctor remaneat intra ſuam aream, oſtendant Gotifredum, quia nimis dubitatur de eius exiſtentia in rerum natura, ſaltem quoad opus Quodlibetorum, quia nunquam fuit typis mandatum: deindè demonſtrent auctoritatem, quia veritas exiſtimat eſſe fictam à primo vſque ad vltimum verbum. Et ſiluerunt, & non reſponderunt ei verbum.

GRÆCVS Epiſcopus, Doctor approbatus, ſuper Lucam, &c. *Ita Anonymus Auctore 24. Bandel. cap. 14. Deza fol. 21. à tergo. Paulus Gryſald.*

VERITAS. 92.

PRIMO Dicit, ac pro certo ſupponit, & affirmat, nullam eſſe notitiam huius Græci Auctoris apud Nomenclatores antiquos, vel modernos: Nec in Catena Græcorum Patrum edita à Paulo Comitolio Societatis Ieſu in Iob, in qua adducit nomina quam plurium Græcorum Patrum, ex Bibliothecis Antonii Carraffæ Cardinalis, Vaticana, & aliis, de tali Autore Græco nullam facit mentationem, & idem dico de Catena Gislerii ſuper Hieremiam. Balthaſar Corderius Societatis Ieſu nuperimè edidit Catenam in Lucam, omnium antiquorum Patrum Græcorum, ſed de iſto Græco Auctore, nec meminit in indice, nec aliquam adducit auctoritatem. Solus autem S. Thomas in ſua Catena aurea ſæpiſsimè hunc citat Auctorem; quando autem hic vixerit, vel cuius cõditionis, ſtatutus, vel qualitatis fuerit, hucuſque ignoratur: R. P. F. Petrus Vaſtelius Aloſtanus, Carmelita nititur probare iſtum Auctorem Græcum incognitum fuiſſe ſuum Ioannẽ Ieroſolymitanũ in duobus tomis impreſ. Bruſellis ann. 1643. quod parum nobis intereſt. Hoc ſuppoſito de tali vndequaque incognito ſeu dubio Auctore.

Secundò dicit veritas, quòd Paulus Gryſaldus Alphabeto 3. de Theologis Neothericis, citat quemdam Auctorem Græcum ſic: *Græcus ſuper Lucam. Solus Chriſtus ſine peccato conceptus.* Et nihil ampliùs. Alphab. verò 4. ex Auctoribus Ordinis Ciſtercienſis, citat etiam alterum Græcum ſic: *Græcus Eccleſ. 7. Beata Virgo, & omnes (excepto Chriſto) ſunt in peccato originali concepti.* Anonymus verò in claſſi de Doctoribus ſacris, inter S. Iſidorum, & S. Gregorium ſic inquit: *Idem tenet Beatus Græcus, Doctor approbatus ſuper Lucam, exponens illud: Benedictus fructus ventris tui.* Et nullam adducit auctoritatem. Bandellus verò, & Dezà illum adducũt ſic: Idem tenet Græcus Epiſcopus, Doctor clariſsimus ſuper Lucam: *Solus*, inquit, *Chriſtus rectè fructus Benedictus dicitur: quia ſolus ſine peccato concipitur.* Hæc ſunt omnia quę habent Aduerſarii ex iſto Doctore apud omnes verè Græco, ac de eius auctoritate etiam græca.

De Auctore noto ſequentia: primum, quòd hic Auctor Græcus ſecundùm Gryſaldum eſt multiplicatus & fictus, quia talis Auctor Græcus nunquam fuit in Religione Ciſtercienſium. Niſi velit dicere, quòd Græcus ſuper Lucam, eſt, de quo hic: alterum verò Græcum Ciſtercienſem ſuper Eccleſiaſt. cap. 7. eſſe Gallicum, fuiſſeque ſuum calami errorem, quod non admitto, quia iam eſſet duplicatus error. Secundò, neſcio, quo fundamento, ratione, aut veritate vocetur ab Aduerſariis hic Græcus Beatus: nã exiſtimo, quòd ex nulla Hiſtoria, Martyrologio, Auctore Eccleſiaſtico; vel lumine rationis poſſunt demonſtrare eius Beatitudinem, & quid ſi fuiſſet Ioannes Ieroſolymitanus? Tertiò, eadem incertitudine fecerunt ipſum Epiſcopum, quia nec ipſe Diuus Thomas vocat eum ſanctum, Beatum, vel Epiſcopum, ſed nudè Græcum. Quarto, neſcio, qua intentione dixerint illud: *Doctor approbatus*, nullum enim alium honorant hoc ſingulari, ac nouo titulo. O Patres! oſtendite mihi, à quo Concilio fuit approbatus Doctor iſte Græcus? Si dicitis, quòd eſt approbatus, quia Sanctus Thomas adducit eum in ſua Catena aurea, ſcitote quod nec S. Thomas approbat eum, nec ex eo quòd fuerit allegatus ab Angelico Doctore, manet doctrina & Auctor approbatus; citat enim in illa Catena aliquos non approbatos, vt Theophilactũ, Origenẽ, Euſebiũ, Emeſenum, &c. Et ſi eſſet Ioannes Ieroſolymitanus: quomodo, vel vnde eſt Auctor approbatus? quẽ acriter reprobat S. Hieronymus tom. 2. Epiſt. 51. & 52? Quintò, Anonymus adducit remiſſionem dicens: *Exponens illud: Benedictus fructus ventris tui*, ſed nullam adducit auctoritatem: Bandellus è contra adducit auctoritatem, & tacet locum, ſeu citationem, & totum hoc artificioſè eſt factum, vt ſic ad nullius notitiam deuenirent Auctor, Græcus nec auctoritas græca. Sextò, cùm Auctor, & auctoritas fuerint deſumpta à Catena S. Thomæ, omnes Aduerſarii hoc tacuerũt, quare autem hoc fecerint, ipſe Sol veritatis in Auctore demonſtrat in ſex enumeratis vitiis, & etiã in ipſa auctoritate in aliis ſex adulterationibus.

Auctoritas ergo apud Angelicum Doctorem, in Catena aurea ſuper Lucam, ad illud: *Benedictus fructus ventris tui*, col. 796.

nouiſsimæ impreſsionis ſic ſe habet: GRÆCVS. *Solus ergo hic fructus benedictus, quia abſque viro, & peccato producitur.* Attende igitur, ò Lector! quomodo auctoritatem approbatã à ſuo Angelico Doctore ipſi reprobarunt, adulterantes omnia ferè verba: nam primò addiderunt ex propriis illud, *Chriſtus*, & non abſque particulari intentione. Secundò, illud, *rectè*, quod habet emphaſim. Tertio, illud *dicitur*, vt determinarent propoſitionẽ. Quartò, abſque vllo Dei timore, addiderunt illud, *quia ſolus ipſe*, quibus verbis ſuam introduxerunt ſententiam. Quintò, abſtulerunt illud, *abſque viro*, vt ſic occultarent intentionem Auctoris, & auctoritatis ſenſum. Sextò, loco verbi, *producitur*, ſcripſerunt, *concipitur*, in qua ſola voce (quando aliæ non extarent quinque adulterationes) totum virus, & viſcera falſitatis effuſa ſunt.

Quantum verò ad ſenſum auctoritatis Græci, de ſe patet, quia loquitur de generatione, ſeu Conceptione Verbi in ſacratiſsimo Virginis vtero, quæ fuit abſque viro, & ſic abſque concupiſcentia, vel alicuius delectationis carnalis peccato in matre. Et ſic dicit Græcus: ſolùs Chriſtus fuit benedictus, quia fuit genitus, ſeu fructificatus abſque viro, atque aliqua pollutione, vel peccato matris, aut minima macula Virgineæ puritatis. Et ideò Græcus vſus eſt illo verbo, *producitur*: nam ſicut arbor producit fructum abſque aliqua corruptione, ita mater produxit filium: hoc prænidentes Aduerſarii, loco illius, *producitur*, quod ſe tenet ex parte arboris, & matris, appoſuerũt, *concipitur*, quod ſe tenet ex parte fructus, & filii. Hoc modo vitiarunt ſuum approbatum Auctorem Græcum, ac per conſequens in ipſo ſuum approbantem D. Thomam: & ſi in hoc voluerint cõtendere, exiſtimo, quòd non reſpondebunt vnum pro mille demõſtratis: ſed adhuc in hac auctoritate reſtat aliud, & non paruum ſcrupulum, nam P. Vvaſtelius tom. 1. fol. 230. adducit omnes auctoritates ſparſas in catena aurea S. Thomæ huius Græci Auctoris, vt illas adſcriberet ſuo Ioanni Ieroſolymitano, tamen hanc abſolutè prætermiſit, & hoc potuit prouenire ex duplici cauſa, vna procedens ex incuria Vvaſtelii, quia illam inaduertenter prætermiſit, ſed hæc nimis dura videtur, ex diligentia adhibita in aliis: Secunda potuit eſſe, quòd Vvaſtelius habuerit aliquã Catenam antiquam in qua talis auctoritas non erat, & ſic iam haberemus alteram fictionem capitaliſsimam.

GRATIANVS, Compillator Decreti diſtinct. 3. & 4. *Ita Anonymus Auctore* 176. *Ioann. Capreol. Paul. Soncinas, & Barelete.*

VERITAS. 93.

HIC Celeberrimus Doctor cognomẽto Cluſinus, natione Hetruſcus, Bononienſis Academiæ, Monachus Benedictinus, ad S. Proclum, Fœlicem, & Naborem, ad annum 1150. vel circa recollegit Decretorum volumen, ex variis libris Cõciliorum, Romanorum Pontificum Decretis, Sanctorum Patrum ſcriptis, ac veterum Orthodoxorum ſtatutis, & ſanctionibus, ſub titulo: Concordantia diſcordantium Canonum, opus ab Eugenio Papa III. approbatum, quod Baſileæ anno 1512. Lugduni 1605. & deindè alibi ſæpè fuit ſeorſim typis mandatum, & etiam extãt quam plura exemplaria manuſcripta in Bibliotheca Vaticana S. Eccleſiæ Toletanæ, S. Ioannis Regum, & deindè coniunctim cum Gloſsis Ioannis Theutonici, annotationibus Bartholomæi Brixienſis, diuiſionibus Archidiaconi, prodiit millies in Iure Canonico. Huius ergo Gratiani ſolùm eſt Textus Canonis purus, nam alia omnia ab aliis ſunt addita, vide Geſnerum fol. 290. & omnes Nomenclatores Iuris Canici, & alios.

Gratianum ergo adducunt Aduerſarii pro ſua ſententia in duplici loco Decreti ſic: *In primis Dominus Gratianus Compilator Decreti de conſecratione diſtinctione tertia, & quarta capite per totum*, atque nullam adducunt auctoritatem. Sed in primis iſte ridiculus modus citandi eſt Ius Canonicum; nam illa diſtinctio 3. habet capita triginta, & diſtinctio 4. capita centum quinquaginta ſex. Quomodo ergo, Patres mei, non aſsignatis, in quo capite ex his agit Gratianus de peccato originali contracto à Virgine Maria. Deinde non intelligo illud, *capite per totum*, quia neque in 3. vel 4. diſtinctione eſt aliquod caput, quod incipiat: *per totum* eſt enim caput *Per Baptiſmum*, in ordine 2. & caput *Per aquã*, in ordine 9. ſed caput, *per totum*, nullum eſt. Niſi fortè velitis dicere, quod eſt aliquod caput indiuiduum vagum, in quo Gratianus affirmat, Virginem Mariam fuiſſe conceptam in peccato originali, vel quod per totam illam diſtinctionem quartam, vel aliquo capite illius integro agit de hoc aſſumpto? Sed hoc certè eſſet aerem verberare, & loqui contra veritatem.

Si ergo in re tam confuſa diuinare licèt ex aliis Aduerſariorum citationibus, & ex rei veriveritate, in diſtinctione 3. ſolum eſt caput *Pronuntiandum*, quòd eſt in ordine 1. in quo Gratianus adducit feſtiuitates obſeruandas à fidelibus. Sed in hoc nihil inuenio contra Immaculatã Virginis Conceptionẽ, niſi velint cõficere hunc

hunc ſyllogiſmum: Gratianus in præallegato capite Pronuntiandum, enumerat feſtiuitates Natiuitatis Virginis Mariæ, Purificationis, & Aſſumptionis, & non Conceptionis: ergo hæc feſtiuitas non eſt celebranda. Sed ſi hoc argumentum aliquid valet, eodem modo poteſtis argumentare: Gratianus in prædicto capit. Pronuntiandum, non enumerat inter feſtiuitates, Annuntiationem Virginis Mariæ, ſeu Incarnationem Verbi, nec Præſentationem in Templo, nec Viſitationem: ergo iſtæ feſtiuitates non ſunt celebrandæ: has enim ſicut & Cõceptionis inſtituit poſtea Eccleſia ſancta, ac eius Caput, qui habet ſcientiam Sanctorum.

In diſtictione 4. ſolùm eſt caput, *Firmiſsimè*, quod eſt in ordine 3. in quo Gratianus recollegit ex S. Auguſtino tom. 3. lib. de fide ad Petrũ Diaconum capit. 26. fol. mihi 52. colum. 1. & ex S. Fulgentio hæc verba: *Firmiſsimè tenè, & nullatenus dubites, omnem hominem, qui per concubitum viri, & mulieris concipitur, cum peccato originali naſci, impietati ſubditum, mortique ſubiectum, & ob hoc naturæ iræ filium naſci, de qua dicit Apoſtolus: Eramus enim & nos filij iræ, ſicut & cæteri. A qua ira nullus liberatur, niſi per fidem Redemptoris Dei, & hominum hominis Ieſu Chriſti, &c.* Hæc ſunt verba, quæ in tota illa diſtinctione poſſunt Aduerſarii adducere pro ſua opinione; ſed ex ipſis ſatis apertè conſtat, quod loquuntur de naturali lege, ſeu ordinaria, vt notat illa repetita vox, *natura*, omnes enim Catholici fatentur hanc propoſitionem: naturâ omnes ſumus filii iræ, & cum peccato originali naſcimur, ſed ſtante illa lege communi, & vniuerſali, ex natura, omnes etiam fatentur, quòd ex gratia, & priuilegio Maria, Ioannes, & Hieremias nati ſunt ſine peccato originali: ſi ergo à natiuitate (de qua loquuntur Auguſtinus, Fulgentius, & Gratianus, vt denotat etiam illud repetitum verbum, *naſci*) priuilegiati ſunt ſaltem tres perſonæ: ergo auctoritas hæc nihil probat in ſe. Gloſſator verò Decreti Hugo, ſeu Hugutius, vel Ioannes Theutonicus, Ordinis Prædicatorum, vel fortè alius ex his voluit colligere, Virginem Mariam fuiſſe conceptam in originali peccato, de quibus infrà ſuis locis. At Marginator Gratiani, vt videre eſt in impreſsione Lugdunẽſi, habet hæc verba: *Virgo Beata fuit ſine originali concepta, quidquid dicat Gloſsator*, & in Decreto impr. Pariſ. ann. 1540. in 4. Regal. fol. 558. ad marginem dicitur: *Virgo B. fuit ſine originali concepta: quidquid dicat Gloſſ. & ſentientes cum Gloſs. ſunt hæretici: Textus eſt in Extrauaganti Sixti IV. quæ incipit. Graue nimis: de reliq. & vener. ſanct.* Ergo ex hac parte ſine fundamẽto, & veritate adducitur Gratianus pro opinione contraria. Denique ſupra allegata verba Decreti nõ ſunt Gratiani, ſed Auguſtini, quomodo ergo hic intrat Gratianus? Hunc Anonymi errorem, & Capreoli, benè præuiderunt Turrecremata, Bãdellus, Deza, ac Vincentia, & ideo in ſuis libris omnino prætermiſerũt Gratianũ. Imò ipſemet Anonymus, & Capreolus, non ſunt auſi adducere verba, ſed ſolùm nudam citationem, quia nullus ſtultus vult comprehendi in ſtultitia ſua. Item Anonymus infrà par. 2. rat. 5. fatetur, hæc verba eſſe Auguſtini, dicens: *Quinta auctoritas eſt eiuſdem Auguſtini in eodem lib. cap. 23 & habetur de conſecrat. diſt. 4. ſic dicit: Firmiſsimè tene, &c.* Si ergo Auguſtini, quomodo Gratiani? Eſt etiam in eadẽ diſtinctione 4. de conſecratione caput: *Placuit vt quicumque, &c.* Sed verba in hoc cap. contenta non ſunt Gratiani, ſed Cõcilii Mileuitani, & ſi propter hãc adduxerũt Gratianum, iam auctoritas illius cap. eſt triplicata contra Conceptionem B. Mariæ, videlicèt, ſupra num. 52. & infrà num. 291. & hìc.

GREGORIVS De Arimino, Ordinis S. Auguſtini in 2. Sẽtent. diſt. 31. ſecundũ alios 30. quæſt. 2. & in 3. Sentent. diſt. 3. quæſt. 2. *Turrecremat. par. 6. cap. 33. fol. 123. à tergo. Anonym. Auctore 130. Bandel. cap. 25. Deza fol. 48. à tergo. Vincent. Gryſald. Capreolus. Soncinas. Barelete. Arpaleg. fol. 30.*

VERITAS 94.

AD Exactè percipiendam mentem, atque ſententiam huius Doctoris, ſupponendum eſt, Gregorium Arimineníem fuiſſe, & eſſe Auctorem claſſicum inter Theologos, qui claruit ad annum 1344. cuius opus in 1. & ſecundum Senten. fuit typis mandatum Pariſiis anno 1482. & iterum ibidem apud Claudium Cheuallon, abſque anno impreſsionis, ac tandẽ Venetiis anno 1522. Huius auctoritatem ſic adducit Turrecremata: Item ad idem eſt eiuſdem Ordinis S. Auguſtini Pater Magiſter Gregorius de Arimino, natione Italus in 2. Senten. diſt. 31. ita dicit: *In hac parte illud mihi tenendum potiùs videtur, quod magis eſt conſonum ſacræ Scripturæ, & dictis Sanctorum, ideò abſque præiudicio melioris ſententiæ, & ſalua ſemper reuerentia Matris Dei, dicendum mihi videtur, eam fuiſſe in originali peccato conceptam. Et ad hoc mouẽor, quia Scriptura vbicumque loquitur vniuerſaliter de omnibus, ſine exceptione profert ſententiam, & ab omnibus Expoſitoribus, vniuerſaliter de omnibus naturali modo naſcentibus intelligitur. Ex quo videtur ſequi, quòd aliquem excipere, ſit ſacræ Scripturæ contrarium. Hæc ille.* Hæc auctoritas fideliter, & ad litteram tranſcripſit Turrecremata, nullo mutato verbo, aut ſyllaba.

Bandellus verò, Vincentia, & Deza ſic. Idē tenet Gregorius de Arimino, in 3. Sent. diſtin. 3. quæſt. 2. ſic dicēs: *Quia magis conſonū eſt ſacræ Scripturæ, & dictis Sanctorum, dico, B. Virginē fuiſſe conceptā in peccato originali. Primò, quia ſacra Scriptura vbicūque de hac materia loquitur, ſine omni exceptione, omnes naturali modò ex Adam deſcendentes ſub peccato originali concipi aſſerit: ex quo ſequitur, quòd aliquem excipere, ſecundùm omnes Expoſitores Scripturæ, ſit ſacræ Scripturæ contradicere. Secundò, quia Auguſtinus dicit in libro de Perfectione Iuſtitiæ: quòd omnibus, excepto Chriſto, fuit neceſſaria remiſsio peccatorum, & qui dicit oppoſitum, eſt contrarius Scripturæ; vbi Apoſtolus ait, omnes in Adam peccaſſe. Tertiò, quia dicit Ambroſius ſuper Lucam, quòd ſolus Chriſtus inter natos de fœmina fuit in Conceptione ſanctus. Quartò, quia dicit Ambroſius ſuper Iſaiam, quod ideò ſolus Chriſtus fuit ſine peccato conceptus, quia ex carnali commixtione non fuit generatus. Nemo autem, qui ex tali commixtione conceptus eſt, expers fuit delicti. Quintò, quia dicit Auguſtinus in 1. de Nuptiis, & concupiſcentia: quòd omnes homines, qui ex concubitu generantur, trahunt originale peccatum, & quòd ſolus Chriſtus, qui non ex concubitu conceptus eſt, non fuit carō peccati. Sextò, quia Auguſtinus in 5. contra Iulianum dicit, quòd ſola Chriſti caro fuit ſine peccato, omnes autem alij præter ipſum habuerūt peccatum, & quiſquis hæc negat, deteſtandus hæreticus inuenitur. Septimò, quia Auguſtinus expreſsè in 10. ſuper Geneſim ad litteram dicit, B. Virginem habuiſſe peccatum. Octauo, quia Auguſtinus de fide ad Petrum, in duobus locis dicit, quòd omnes homines, qui per concubitum, vel ex commixtione viri, & mulieris generantur, contrahunt in ſui Conceptione originale peccatum. Nono, quia Auguſtinus in ſexto contra Iulianum ex verbis Apoſtoli ſecundo ad Corinthios 5. probat diffusè, quòd omnes, pro quibus mortuus eſt Chriſtus, habuerunt aliquando in ſe ipſis peccatum, ſed mortuus eſt pro B. Virgine, quia pro omnibus mortuus eſt: ergo habuit aliquando peccatum. Decimò, quia omnes qui redempti ſunt per Chriſtum, habuerunt aliquādo peccatum. Vndecimò, quia Anſelmus dicit libro, Cur Deus homo: quòd B. Virgo in peccato originali concepta eſt. Duodecimò, quia Magiſter Sententiarum dicit, quod ſecundùm ſententias Sanctorum opportet credere, B. Virginem fuiſſe à peccato mundatam. Hæc ille.* Hanc auctoritatem adducit Bandellus, quā etiā nullo mutato verbo tranſcripſerūt Deza, & Petrus de Vincētia, & ſolū differunt in citatione, quā adducunt ſic: *In 2. Sent. diſt. 3. quæſt. 2.* Gryſaldus verò eū citat, *in 2 diſt. 2.* quæ citationes omnes ſunt falſæ: nā hanc quæſtionem tractat Ariminenſis in 2. Sēt. diſt. 30. quæſt. 2. impreſ. Pariſien. fol. 116 & Venetiānæ fol. 114. Quantū ad auctoritatē dico eſſe fictā, ac doloſè fabricatā à primo vſq; ad vltimū verbū; nam ex vna integra quæſtione Gregoriana, coagulata eſt vna auctoritas Bādelliana, & ex duabus rationibus Ariminēſis cōpoſuit Bandellus duodecim, prætermittendo clauſulas integras, & addēdo verba pro ſuo libito, ita, quòd ſi velis ſcire, Lector, breuiter, quot, quantæque ſint adulterationes huius auctoritatis, enumerā verba auctoritatis Bandellianæ, & tot eſſe vitia, abſque vllo ſcrupulo affirmare poteris, & nè hoc alicui videatur gratis dictū, tantùm primam rationem regulabimus cum ſuo originali, nam amplius tranſcribere, ſolùm eſſet labor, & dolor.

Gregorius ergo Ariminenſis in præallegato loco inquit: *Secūdo circa eandē materiā de peccato originali, quia cōmuniter tenetur, quod traducitur in omnes homines vtriuſq; ſexus parentū cōmixtione naſcentes; nec eſt dubiū apud Doctores de aliquo, an ab hac lege ſit exemptus, niſi de gloriōſa Virgine Matre Dei, ideò quæro, vtrū ipſa fuerit cōcepta cū peccato originali, & arguo quòd non, &c. in hac quæſtione tres ſunt Articuli. Primus, an ipſa Virgo B. fuit concepta cū originali peccato. Secūdus, an fuerit nata cum originali peccato. Tertiò, an vnquā in vita iſta fuerit extinctus totaliter in ea fomes originalis peccati. De primo, quia nō quæritur, an fuerit poſsibile eam concipi ſine tali peccato, ſed an de facto ſine illo concepta; cùm de hoc per humanā rationem certitudo haberi non poſsit, in hac parte id potiùs tenendum mihi videtur, quod magis conſonum eſt ſacræ Scripturæ, & dictis Sanctorum. Et ideò aſq; præiudicio melioris ſentētiæ, & ſalua ſemper reuerentia Matris Dei, dicendū mihi videtur, eam fuiſſe cum originali peccato conceptam. Ad hoc autem primò moueor, quia Scriptura vbicumque de hoc loquitur, vniuerſalem de omnibus ſine exceptione profert ſententiam, & ab omnibus Expoſitoribus vniuerſaliter de omnibus naturali modo naſcentibus intelligitur, ex quo ſequi videtur, quòd aliquē indè excipere, ſit ſacræ Scripturæ contradicere. Cōfirmatur per Auguſtinū, &c.* In primis ergo verbis, ſeu probatione vitiarunt Bandellus, Vincentia, ac Deza ſequentia. Primò, prætermiſerunt tatā illā clauſulā, *in hac parte id potiùs tenēdū mihi videtur*, quia erant verba opinātis cū formidine. Secūdò, illud, *quod magis*, cōcatenatū cū propoſitione antecedenti, tranſmutarunt in, *quia*, conſtituentes propoſitionē aſſertiuā, & abſolutè affirmatiuam. Tertiò, prætermiſerunt illud, *& ideò abſq; præiudicio melioris ſentētiæ & ſalua sēper reuerētia Matris Dei*, quia autē intētione prætermiſerint hæc omnia, de ſe patet. Quartò, illud, *dicēdum mihi videtur*, epilogarunt in hac abſoluta, & aſſertiua voce, *dico*. Quintò, vbi

Ari-

Ariminēnſis, *eam*, ipſi ad maiorem expreſsionem, *Beatam Virginem*. Sextò, vbi Arminenſis, *cum originali peccato conceptam*; ipſi ſic, *fuiſſe conceptam in originali peccato*, tranſmutantes præpoſitionem, *cum* in illam, *in*, quæ diuerſum efficit ſenſum; nā, *cum*, dicit concomitantiam. Septimò, addiderunt illud, *primo*, abſolutè, cùm Ariminenſis dicat, *ad hoc autem primo moueor*. Octauo, vbi Arimenſis, *de hoc*; ipſi, *de hac materia*. Nono, addiderunt illud, *ſine omni exceptione*, addendo illam vniuerſalem, *omni*. Decimò, neſcio qua intētione prætermiſerunt illud, *vniuerſalem de omnibus*. Vndecimò, addiderunt illam clauſulam, *omnes naturali modo ex Adam deſcendentes*, quæ non eſt ſic in Ariminēſi: Duodecimo, vbi Ariminenſis, *profert ſententiam*; ipſi falsò, *ſub peccato originali concipi aſſerit*. Decimotertiò, penitùs alterarunt illam clauſulam, *Et ab omnibus Expoſitoribus, vniuerſaliter de omnibus naturali modo naſcentibus intelligitur*. Decimoquartò, vbi Arimenſis rationabiliter, *ex quo ſequi videtur*; ipſi abſolutè, *ex quo ſequitur*. Decimoquinto, prætermiſerunt illud, *indè*, Decimoſexto, addiderunt illud, *ſecundùm omnes Expoſitores Scripturæ*. Si ergo in prima probatione ſunt ſexdecim adulterationes, conſidera, ò Lector! quantæ erunt in reliquis vndecim ſicque tota quæſtio Ariminenſis attrita eſt in adulteriis.

Ad ferendum ergo vltimum iudicium auctoritatis, & ſententiæ Greg. Ariminenſis ſciendū eſt, quòd ipſe concludit ſic ſuam quæſtionem, loquendo de Chriſto Domino, & de quadā auctoritate Auguſtini: *Profectò enim peccatū etiā maior feciſſet, ſi paruulus habuiſſet: nam propterea nullus eſt hominum, præter ipſum, qui peccatum non habuerit infantalis ætatis exortu. Ex his patet, quòd Auguſtinus de Chriſto infert, quòd ſi habuiſſet originale, etiam feciſſet actuale, & è contra vult ſequi: non fecit actuale; igitur non habuit originale. Et ideò, vt videtur ſecundum prædicta, cum, vt ſupra probatum eſt, & etiam ex ſecunda parte allegatæ auctoritatis idem ſequitur. B. Virgo ſecundùm atteſtationem Sāctorum habuit originale peccatum, conſequenter concedendum eſſe videtur, quòd aliquod etiam aliquando habuit actuale, licèt nullum mortale. Et ſic eſſet antecedens illud negandum. Hoc autem abſque aſſertione, & iniuria reuerentiæ ſuæ ſic dubitatiuè dixerim, &c.* Ex his vltimis Ariminēſis verbis, & ex modo loquendi in tota quæſtione, colligitur euidenter, quòd hic nihil dicit aſſertiuè, ſed ſolùm dubitatiuè, nam in tota q æſtione non inuenitur verbum aſſertiuum, ſeu reſolutiuum: ergo ex hac parte, vt dubius Auctor, & non cōſtans, ſegregādus eſt ab Area. Item ſi Ariminēſis pro infallibili, ac indubitato principio admittit hanc Auguſtini conſequentiam: habuit peccatum originale: ergo & actuale, & è contra: non habuit actuale: ergo nec originale. Cùm ſit determinatum iam per Eccleſiam, Mariam non habuiſſe actuale, conſequentiam ſcilicèt: ergo non habuit originale, non poſſet negare Ariminenſis iuxta ſuam ſententiam, ac vltimam reſolutionem. Tandem, quia Ariminēſis argumentatur ſic: habuit originale: ergo & actuale, vel ſic: habuit actuale: ergo originale: in prima illatione nos negamus antecedens, & vos conſequentiam: in ſecūda vos negatis antecedens, & nos conſequentiam: ergo Ariminēſis nec eſt veſter, nec noſter, nec calidus, nec frigidus. His tamen non obſtantibus, quaſi fuiſſet expreſſum pro veſtra opinione ipſum vobis concedimus.

GREGORIVS Magnus, Sanctus Eccleſiæ Doctor, ac Papa, ſuper Ezech. Hom. 8. & Hom. 20. & in Moral. lib. 11. cap. vltimo, & 9. Moralium ſuper illud Iob. Non eſt qui vtrumque, &c. item lib. 18. ſuper illud: Non adæquabitur, &c. item 24. item 25. Moraliū cap. 1. ſuper illud: Subitò morietur, &c. *Turrecrem. part. 6. cap. 6. fol. 90. Capreolus. Anonym. Ratione 11. Auctoritate 19. Bandel. cap 12. & in officio Lect. 7. Deza fol. 18. à tergo. Spina par. 6. cap. 2. Vincentia. Gryſal. Caſtel. Soncinas. Brixienſis. Barcleie. S. Antoninus.*

VERITAS 95.

SANCTISSIMA, Ac magni Gregorii opera notiſsima ſunt. Si quidē excuſſa Brixiæ anno 1492. in 4. Baſileæ 1564. & 1551. Pariſiis 1518. & 1586. & ſine loco impreſ. 1542. ac nouiſsimè ann. 1615 & ideo tranſeo ad ventilādas auctoritates propoſitas ab Aduerſariis, quarum primam ſic adducunt: Sanctus etiam Gregorius Papa, qui duplici Philoſophia floruit, hanc Saluatoris prærogatiuā ſingularem in pluribus locis ſuæ ſantiſsimæ doctrinæ teſtatur: nam in 11. Moraliū circa finem ſic dicit: *Solus enim Chriſtus in carne ſua mūdus à peccato extitit, qui huc per carnalem delectationem non venit. Hæc ille.* Turrecremata ſic adducit hanc auctoritatem, vndè in Moralibus lib. 11. cap. vltimo ſic inquit: *Beatus Iob Incarnationem Redemptoris intuitus, ſolùm vidit in mundo hominem de immundo ſemine non eſſe conceptum, qui ſic in mundum venit ex Virgine, vt nihil haberet de immunda cōceptione, neque enim ex viro, & fœmina, ſed ex Spiritu Sancto, & ex Maria Virgine proceſſit. Hæc ille.* Auctoritas verò Gregorii præallegato libro, & capite tom. 1. colum. 401. ſic ſe habet: *Poteſt verò hoc loco intelligi, quia Beatus Iob Incarnationem Redemptoris intuitus, ſolùm vi-*

dit in mundo hominem de immundo semine non esse conceptum: qui sic in mundum venit ex Virgine, vt nihil haberet de immunda conceptione. Neque enim ex viro, & fœmina, sed ex Spiritu Sancto, & ex Maria Virgine processit; solus ergo in carne sua verè mundus extit, qui delectatione carnis tangi non potuit, quia nec per carnalem huc delectationem venit. Ex his patet primo, quòd Turrecremata adduxit solùm dimidiam partem auctoritatis S. Gregorii, Bandellus verò, & alii, aliam dimidiam, & hoc fecerunt vnus, & alter cum secunda intētione, quia ex tota auctoritate Gregorii colligebatur mens eius apertè & clarè, & hc ad occultandam veritatem diuiserunt infantem. Turrecremata transcripsit fideliter, saluo quod illud *Redemptoris*, mutauit in *in redemptionis*, qui potuit esse error Typographiæ. Bandellus verò, & alii adulterarunt pessimè illud Gregorii, *verè mundus extitit*, addentes illud, *à peccato*, quia cum vidissent ibi agi de immunditia seminis in congressu viri, & fœminę, vt determinarent totam auctoritatem ad immunditiam moralem, & non naturalem, addiderunt vocem illam *à peccato*. Item eadem intentione prætermiserunt illud, *qui delectatione carnis tangi non potuit*, vt sic non intelligerent legentes, quòd loqueretur Gregorius de delectatione carnis in generatione prima carnali. Tandèm illam clausulā Gregorii, *quia nec per carnalem huc delectationem venit*, vitiarunt sic, *qui huc per carnalem delectationem non venit*, mutantes causalem, *quia*, in relatiuum, *qui*, & transmutantes totam orationem propter collocationem huius negationis, *nec*, & *non*, & sic hæc auctoritas vexatur vanis languoribus, & scatet lepra, &c.

Sensus verò auctoritatis clarus est, nam hic agit Gregorius de conceptione seminis, quæ in omnibus est immunda, quia ex viro, & fœmina: in solo verò Christo, quia ex Virgine, & Spiritu Sancto mundissima fuit; quare *solus* ipse *in carne sua* fuit *mundus*; quia in eius Conceptione nulla fuit delectatio *carnis* virgineæ, non enim venit *per carnalem delectationē*, sicut alii. Vndè si Gregorius in hoc loco expressis verbis diceret: Maria fuit concepta de immūdo semine, siuè de immunda Conceptione, vel eam tetigit in sua Conceptione carnalis delectatio, & immunda, nihil probaret contra Immaculatā Conceptionem. Nam Gregorius loquitur sicut antiqui, intelligentes per conceptionem mundam, vel immundam, primam conceptionem seminis, vel carnis, quam modo vocamus generationem, cocubitum, seu commixtionem illā seminum viri, & fœminæ: & in hac acceptione solus Christus, & millies solus ipse fuit mundus; non autem alius, nec ipsa Virgo Maria; quod apertè, & clarè exprimunt verba Gregorii antecedentia ad prælegatā auctoritatē, quæ fortè ab Aduersariis fuerunt ex destinato animo prætermissa. Inquit enim Gregorius explicans illa verba Iob: Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonnè tu qui solus es? &c. *Is qui per se solus est mundus, mundare prævalet immūda: Homo enim in corruptibili carne viuens habet tentationum immunditias impressas in se ipso, quia nimirùm eas traxit ab origine. Ipsa quippè propter delectationem carnis eius conceptio immunditia est; vnde & Psalmista ait: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea. Hinc est ergo, quòd plerumque tentatur, & nolens. Hinc est quòd immunda quædam in mente patitur, quamuis ex iudicio reluctetur: quia conceptus de immunditia, dum ad munditiam tendit, hoc conatur vincere, quod est. Quisquis autem occultæ tentationis motus, atque immunditiam cogitationis euicerit, nequaquam sibi suam munditiam tribuat; quia de immundo conceptum semine, nullus facere mundum potest, nisi is qui mundus per se ipsum solus est. Qui ergo iam ad locum munditiæ mente peruenit, conceptionis suæ viam respiciat, per quam venit, atque indè colligat, quia ex sua virtute non habet munditiam viuendi, cui de immunditia factum est initium subsistendi. Potest verò, &c.* Vt supra in auctoritate adducta ab Aduersariis. Ex quibus omnibus constat, quomodo in sentētia S. Gregorii, conceptio sumitur hìc non pro animatione prolis, sed pro generatione, & seminis effusione in coitu viri, ac fœminæ, & per consequens de illa immunditia actus carnalis: & de hac conceptione explicat illud, *in iniquitatibus conceptus sum, &c.* sic deprehenditur esse falsum, quòd dixit Pater Carmelitanus in Triturationē num. lx. in principio: Et hoc modo solus Christus fuit mundus, purus, absque iniquitate, & peccato, & sic est intelligendus, & explicandus Gregorius, in locis infra citandis. Adducere ergo hæc verba, & alia his similia contra Conceptionem Virginis, vana sunt opera, & risu digna inter homines sensatos.

Secundam auctoritatem adducunt sic: Item nono Moralium super illud Iob 9. Non est qui vtraque valeat arguere: *Dei*, inquit, *Filius per Incarnationem Redemptor humani generis factus solus iustus in hominibus apparuit, & ad pœnā culpæ solus sine culpa peruenit. Hæc ille.* Gregorii verò auctoritas lib. 9. cap. 21. col. 320 sic inquit: *Redēptor quippe humani generis mediator Dei, & hominis per carnem factus, qui iustus in hominibus solus apparuit, & tamē ad pœnam culpæ etiam sine culpa peruenit, & hominē redarguit, nè delinqueret, &c.* Vide ergo in quātis hæc parua auctoritas sit vitiata? Nam primo vbi Gregorius: *Mediator Dei, & hominis, per carnem factus*; ipsi, *Redemptor humani generis*

fa-

factus, quæ inter ſe maximè diſtãt pro preſenti materia. Secũdò, vbi Gregorius, *quia iuſtus*; ipſi ablata cauſali abſolutè appoſuerunt, *ſolus iuſtus in hominibus apparuit*. Quarto, vbi Gregorius, *& tamen ad pœnã culpæ, etiã ſine culpa*: ipſi penitùs adulterantes dixerunt, *& ad pœnam culpæ ſolus ſine culpa*, vt ſic indicarent, ſolùm Chriſtũ fuiſſe ſine culpa. Quinto, cauillosè abſtulerunt illud, *etiam*, quia exiſtimarunt, quod Gregorius in his verbis admittebat aliam perſonam, *etiam* ſine culpa. Sexto, totus ſenſus eſt mutatus; nam ibi loquitur Gregorius de Redemptione Chriſti, mediante morte ſua, vt indicant illa vltima verba, *& hominem redarguit, nè delinqueret*, quæ etiam aſtutè prætermiſerunt, mortuus eſt ſine culpa, vt ſic redarguat hominem peccantem; non enim poterat eſſe Mediator inter Deum, & homines, pro obligatione contracta ex primo parente Adamo, niſi ipſe eſſet immunis à debito, obligatione, & omni peccato, & hac ſua innocentia redarguit ex cruce hominem, quando peccat redarguit à lege tanquam tranſgreſſores, &c.

Tertiam auctoritatem adducunt ſic: Item idem in 18. lib. ſuper illud: Non adæquabitur ei Thopazion Iob 18. *Nos quippè, & ſi ſancti efficimur, non tamen ſancti naſcimur, quia naturæ corruptibilis conditione conſtringimur, vt cum Propheta dicamus: Eccè enim iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea, ille autem ſolus veraciter ſanctus eſt natus, qui, vt ipſam naturæ corruptibilis conditionẽ vinceret, ex cõmixtione carnalis copulæ, non eſt cõceptus.* Hæc verba quæ fideliter tranſlata ſunt ex præallegato lib. 18. Moralium cap. 27. poſt medium, colum. 626. nihil probant contra immaculatam Virginis Mariæ Cõceptionem, quia ibi Gregorius ſolùm comparat ſanctitatem Chriſti cum ſanctitate, & iuſtitia aliorum hominum, vt patet ex antecedentibus verbis. Inquit enim: *Sed nè acceptis quiſque virtutibus extollatur, à ſancto viro nunc dicitur: Non adæquabitur ei Thopazion de Æthyopia, ac ſi apertè dicat: Nullus Sanctorum quibuslibet virtutibus plenus, ex iſta tamen nigredine mũdi collectus æquari ei poteſt, de quo ſcriptum eſt: quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei. Nos quippè etſi Sancti &c.* vt ſupra. In hoc ergo ſtat differentia (inquit Gregorius) Chriſti, & noſtræ ſanctitatis, & iuſtitiæ, quia ipſe Sanctus eſt natus, id eſt, per naturam, & à ſe; nos verò non Sancti naſcimur, ſed efficimur, id eſt, non habemus à nobis, nec ex nobis ſanctitatem, & iuſtitiam, ſed miſericordia, & gratia ipſius, ſiquidèm ex vi noſtræ naturæ, ac generationis, Æthyopes, nigri, & peccatores ſumus, & ex vi generationis ſuæ etiam Virgo Maria talis efficeretur, niſi à gratia, & miſericordia fuiſſet præuenta. Vnde hæc auctoritas nihil probat, etiam ex ipſis Aduerſariis: nam in quadam additione inquiunt: *Hic autem accipit Gregorius naſci, pro concipi, aliàs enim falſum eſſet, cum Hieremias, & Ioannes Baptiſta, & Beatiſſima Virgo ſancti nati ſint.* Ecce quomodo ex ſententia Aduerſariorum hæc Gregorii verba ſecundùm totum ſuum rigorem non poſſunt ſubſiſtere, niſi accipiatur naſci, pro concipi. Ad quid ergo adduxiſtis hanc auctoritatem? Sed adhuc in hoc vitiaſtis Gregorium: nam ipſe propriſsimè loquitur, & ſecundùm totum rigorem ſunt eius verba intelligenda, & explicanda; quia non loquitur de natiuitate, ſed de innata ſanctitate, quaſi diceret Hiſpanicè: *A ſolo Chriſto le viene nacida la ſantidad, como à noſotros nos viene de caſta la mancha.* Et Maria de nigredine mundi fuit collecta, & ſi ex hac parte nigra, à Sole formoſa. Hanc etiam adducunt in Zacharia Chriſopolitano, num. 314. Hanc auctoritatem doctiſsimè explicat veſter Ambr. Catharinus in opere ad Patres ſui Ordinis in expug. 2. Aciei, fol. 24. dicens: *Quod & abundius declarans idem Sanctus Pontifex ſubdit: Aliud eſt enim natos homines gratiam adoptionis accipere, aliud vnum ſingulariter per diuinitatis potentiam Deum ex ipſo conceptu prodiiſſe. Nam Maria Virgo licèt ſancta fuerit in ipſo conceptu, non tamen ex ipſo conceptu, id eſt, ex vi, & conditione, ſeu natura ſui conceptus, &c.* Nota clariſsimam diſtinctionem inter propoſitiones *in*, & *ex*, & ideò dixit Angelus de Chriſto: quod enim ex te naſcetur Sanctum, vocabitur, &c. quod de Maria dici non potuit, quia non fuit ſanctum, quod natum fuit ex Anna, ſed tantum quod natum fuit in ea.

Quartam auctoritatem ſic adducunt: Item idem in 14. libro: *Nullus*, inquit, *hominũ fuit, qui coram Deo iuſtus appareret, ideò Dei filius pro hominibus ſe ipſum hominem fecit, & ſolus coram Deo iuſtus apparuit.* Legimus totum librum 14. Moralium, qui incipit: *Superiori huius, &c.* & habet capita 30. & tàlia verba, aut ipſis ſimilia inuenire non potuimus: ergo ſunt ficta, vel ex alio libro deſumpta. Niſi velint dicere, quòd hanc tranſcripſerunt ex S. Ioanne Chriſoſtomo Homilia 31. in Matth. tomo 2. fol. 119. colum. 1. littera B. vbi ad illud: Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores, inquit: *Quæ ironicè dicere videtur, ſicut illud: Ecce Adam factus eſt quaſi vnus ex nobis, & verum ſi eſuriero, non tibi dicam. Nam neminem in terris iuſtum fuiſſe aperuit Paulus, vbi dicit: Omnes enim peccauerunt, & egent gratia Dei, &c.* Sed ſi ex hoc loco Auctor eſt fictus, & tota auctoritas vitiata, & falſa, & quando eſſet vera, nihil ex illa colligi poteſt contra immaculatam Conceptionem Mariæ, ſuppoſito enim, quòd non fuit Gregorii, videant Aduerſarii, vbi fabricata extitit an in capite Bandelli?

Quin-

Quintam auctoritatem sic adducunt: Item idem super Ezechielem Homil. 8. *In solo*, inquit, *Redemptore nostro sibi Pater complacuit, quia in eo solùm culpam non inuenit. Hæc ille.* Hæc verba quæ extant in Sancto Gregorio tomo 2. lib. 1. in Ezechiel. cap. 8. colum. mihi 132. sic se habent: *Et quia Omnipotens Pater, sicut intelligi ab hominibus poterat, humano modo de peccatoribus locutus est, dicens: Pœnitet me fecisse hominem super terram, quasi sibimet ipsi displicuit in peccatoribus, quos creauit. In solo autem sibi vnigenito D. N. Iesu Christo complacuit, quia hunc inter homines hominem creasse eum non pœnituit omnimodo, in quo peccatum nullo modo inuenit, sicut de illo per Psalmistam dicitur: Iurauit Dominus, & non pœnitebit eũ, tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech. In solo ergo sibi Redemptore nostro complacuit Pater, qui in solo nõ inuenit culpam, in qua se reprehendat quasi per pœnitentiã.* In hac auctoritate addiderunt illud relatiuum, *in eo*, & abstulerunt illa vltima verba, *in qua se reprehendat quasi per pœnitentiam.* Deindè hanc eandem auctoritatem adduxerunt supra num. 41. in Venerabili Beda, auctoritate 4. & iterum in Rabano Fuldensi, vt videre est infrà numero 260. vndè videtur triplicata. Quantum verò ad sensum, illa propositio: *quia in solo non inuenit culpam*, dicimus, quòd loquitur Gregorius de culpa actuali, & si ab hoc fuit exempta Virgo, non obstante voce illa, *solo*: ergo eodem modo intelligenda est, si loquitur de omni culpa vniuersaliter, id est, per naturam, quia omnes alii in Adã peccauerunt, & sic in solo Christo non inuenit culpam, quam condonare posset; in Virgine autem Maria inuenit reatum, & obligationem, quia nisi Deus illam præseruasset, cecidisset. Tandèm hæc est quædam propositio vniuersalis, sicut illa: Omnes in Adam peccauerunt.

Sextam auctoritatem sic adduxit Turrecremata ex Hom. 18. super Ezechielem: *Quid enim lumborum nomine nisi propago mortis exprimitur. Propter quod, & de Leui dicitur, quòd adhuc in lumbis patris erat, cum Melchisedech occurreret Abrahæ; de lumbis verò Abrahæ Virgo Maria exijt, in cuius vtero vnigenitus patris per Spiritum Sanctum incarnari dignatus est.* Bandellus verò, & alii eam sic adducunt. Item in eodem: *Quid*, inquit, *lumborum nomine, nisi propago mortalitatis exprimitur? De lumbis enim Abrahæ Virgo Maria exijt, in cuius vtero vnigenitus Patris per Spiritum Sanctum incarnari est dignatus. Hæc ille.* Nota, quòd vnus dicit propago *mortis*, & alter, *mortalitatis*. Deindè addit Bandelli continuator: *Nota, quòd per propagationem mortalitatis intelligit Gregorius originale peccatum.* Hæc Gregorii auctoritas extat non Hom. 18. vt inquit Turrecremata, sed Homil. 8. & insuper nota, ò Lector! amore Dei, ex qua auctoritate volunt Aduersarii colligere, Virginem Mariam contraxisse originale peccatum? Nam hic Gregorius non agit de peccato originali, nec de morte animæ, sed de morte corporali, quæ ex peccato primi Parentis processit, vt in auctoritate sequẽti ex ipsomet Gregorio demonstrabitur, & sic arbitrarium, & fictum fuit dicere, quòd per propaginem mortalitatis intelligitur peccatum originale. Vt ergo videas in hac materia cæcitatem, perpende verba Gregorii: *Quid enim lumborum nomine nisi propago mortalitatis exprimitur:* Ergo lumbi sunt, qui exprimunt peccatum originale? De lumbis igitur Abrahæ exiit Virgo Maria: ergo de peccato originali. Hoc modo discurrere debent Aduersarii, aliàs inanis esset auctoritas, & friuolus suus discursus: igitur idem sunt in ipsorum schola: Maria exiit de lumbis Abrahæ, ac Maria contraxit originale peccatum, ò insignis Theologia! Adsunt lumbi, præparemus ergo lucernas ardentes.

Septimam auctoritatem sic adducunt: Vndè in 25. Moralium cap. 1. super illud Iob 34. Subitò morietur, &c. sic dicit: *Quia de mortalitatis propagine nascimur, radicis amaritudinem quasi in virgulto retinemus. Hæc ille.* Gregorius in libro 25. cap. 2. ad finem, non 1. vt dicunt Aduersarii, folio 826. sic inquit: *Primus verò homo ita conditus fuit, vt manente illo decederent tempora, nè cum temporibus ipse transiret. Stabat enim momentis decurrentibus: quia nequaquam ad vitæ terminum per dierum incrementa tendebat. Stabat tanto robustiùs, quanto semper stanti ardentiùs inhærebat. At vbi vetitum contigit, mox offenso creatore cæpit ire cum tempore, statu videlicet immortalitatis amisso, cursus eũ mortalitatis absorbuit, & dum iuuentute ad senium, senio traheretur ad mortem, transeundo didicit, stando quid fuit; cuius nos quia de propagine nascimur, radicis amaritudinem, quasi in virgulto retinemus, nam quia ex illo originem ducimus, eius cursum nascendo sortimur, vt eo ipso quotidiano momento quo viuimus, incessanter à vita transeamus, & viuendi nobis spatium, vnde crescere creditur, inde decrescat.* Adduxi integram auctoritatem, vt videat Lector, qua fallacia adducta fuerunt Gregorii verba; quia audita terrent, sed tacta est phantasma, quod nec carnem, nec os quidem habet: etenim hic loquitur Gregorius de propagatione mortis, non de propagatione peccati originalis: quomodo ergo videntes, & legentes hanc auctoritatem, ausi sunt dicere, in auctoritate antecedenti: *Nota, quòd per propagationem mortis intelligit Gregorius originale peccatum*, fortè meliùs dicerent: Nota, quod nos intẽdimus propagare originale peccatum,

quam-

quàmuis morte moriamur. Videte ergo, amore Dei, & notate, quid habent hæc verba commune cum peccato originali: *Descederent temporatẽporibus, transiret momentis decurrentibus, vitæ terminũ, dierum incrementa, cœpit ire cum tempore, iuuentute ad senium, senio trahitur ad mortem, transeundo, stando, quotidiano momento, à vita transeamus, viuendi spatium crescere, decrescere?* Componite ergo ex his vestrum peccatum originale?

Octauam auctoritatem adducunt sic: Item super Ezechielem Homil. 20. vbi inquit: *Per membrum quod circũciditur, mortalis propago generatur, vt descendentium, & succedentiũ numerus augeretur.* Et statim post subiungit: *Per hoc membrum Maria descendit, quæ Dominũ in vtero, sine virilis carnis admixtione concepit. Hæc Gregorius*, sic ad litteram Aduersarii integra autem auctoritas sic se habet, eadem Hom. 20. col. 280. *Vndè, & per legem quoque octauo die fieri circumcisio iubetur, nam per membrum quod circumciditur, mortalis propagatio generatur, descendentiũ quoque, & succedentiũ numerus augetur. Sed quia in resurrectione mortuorũ nec carnis iam propagatio agitur, & decessio, atque successio nulla erit: quia sicut scriptum est, neque nubent, neque nubẽtur, sed erunt sicut Angeli in cœlo: octaua die præcipitur præputiũ incidi; ibi enim locum iam carnis propagatio non tenet, vbi resurgens caro perseuerantiam æternitatis habet. Per hoc verbũ mater Virgo descendit, quæ Deũ in vtero sine virilis carnis admixtione concepit, qui primus nobis æternæ patriæ gloriã in sua resurrectione monstrauit, qui resurgens à mortuis iam non moritur, &c.* Quantum ad litteram siuè dicat *verbum*, vt extat in originalibus Gregorii, siuè, *membrum*, parum refert. Quantum ad sensum, sicut suprà in auctoritate antecedenti dixerat Gregorius de mortali propagatione hominum, & in auctorit. 6. quod in lumbis designabatur, nunc affirmat, quod hæc mortalis propagatio per membrum virile generatur, Aduersarii ergo ex lumbis, & ex membro volunt colligere, Virginem Mariam fuisse conceptam in originali peccato. Inquit enim Bãdellus quasi pro his omnibus auctoritatibus: *Ex quibus patet, quòd ratio, quare aliquis concipiatur in peccato originali, est, quia venit ex propagatione mortalitatis. Cùm igitur secundùm Gregorium Beata Virgo ex propagine mortalitatis venerit: ergo in peccato originali concepta fuit. Ex quibus quòd isti quatuor principales Ecclesiæ Doctores* (loquitur de Augustino, Ambrosio, Hieronymo, & Gregorio) *singularem prærogatiuam puritatis Conceptionis Saluatoris nostri in pluribus suæ doctrinæ libris testificantur, dicentes solùm Christum in Conceptione sanctum, & iustum, & innocentem, ac sine peccato fuisse: quæ vera non essent, si Beata Virgo sine peccato concepta fuisset.* Ex duobus principiis colligit Bandellus suam illationem. Primum, scilicèt, quia isti quatuor Doctores dicũt solùm Christum fuisse in Conceptione sanctũ. Secundum, quia Maria venit ex propagatione peccati. Primum, est falsum, quia ferè semper, vt notauimus ly *solus*, *sola*, *solum*, additur ab ipso in prædictis quatuor Doctoribus; & si aliquando reperitur in ipsis, facit diuersum sensum; nam aliud est dicere: Solus Christus conceptus est sine peccato, sic nudè; & aliud dicere, in Virgine, vel ex Maria: quia hæc denotat, nullum fuisse peccatũ in Conceptione actiuà Mariæ, siquidèm ad hoc supervenit in eam Spiritus Sanctus, & ex hoc nihil contra nos. Secundum principium Bandelli, scilicèt, quòd venire ex propagine mortalitatis, sit concipi in peccato originali, falsum est ex Gregorii doctrina, superiùs demonstrata. Sed hoc gratis admisso, non sequitur: Maria venit ex propagine mortalitatis, id est, ex propagine infecta peccato originali: ergo contraxit originale? Nam hoc est quod in dubium vertimus; si enim non veniret ex illa propagine, nulla esset quæstio; venit ex lumbis, ex membro, & venit ex propagine mortis, sed venit ad corpus incoinquinatũ; venit à Deo ex gratia, vt Mater Verbi, vt nulla alia creatura venit.

GREGORIVS Nazianzenus, Episcopus Sanctus, & vt Augustinus refert in 2. contra Iulianum. *Ita Anonymus Auctore 17. Bandell. cap. 14. Deza fol. 22. à tergo. Spina parte 6. capit. 2. Sanctus Antoninus, & Gryfald.*

VERITAS 96.

SANCTI Gregorii Nazianzeni, cognomẽto Theologi, notissima sunt opera excussa Parisiis 1583. & nouissimè 1641. & 1531. & 1612. & etiam Antuerpiæ 1573. & alibi; cuius primam auctoritatem sic adducit Bandellus: Item B. Gregorius Nazianzenus Episcopus, sapientia, & sanctitate illustris, qui floruit anno Domini 346. *Solus*, inquit, *Christus singulariter sanctus esse dicitur, quia in eo solo de semineitate culpæ nihil inuenitur. Hæcille.* Iam vides, ò Lector! quomodo Bandellus non affert locum, vel librum, vbi Nazianzenus prædicta habeat verba. Cùm ergo S. Gregorii opera sint in duobus ingentibus Tomis, ex se patet intentum Bandelli. Dico ergo, quòd in operibus Gregorii Naziãzeni talis nõ extat auctoritas, nec alia ipsi similis. Hãc autem extraxit Bandellus ex Carena S. Thomę super Lucã cap. 2. ad illa verba: Adaperiens vuluam Sanctum Domino vocabitur, nouissimè im-

impreſsionis fol. 819. ad finẽ, ſed attende, quomodo adducuntur hæc ab Angelico Doctore: GREG. NYSS. *Solus autem hic partus maſculinus ſpiritualiter eſſe conſpicitur, qui nihil de fœmineitate culpæ portauit; vndè reuera ſanctus vocatus eſt: vndè, & Gabriel, quaſi hoc decretum ad ipſum ſolùm pertinere memorans, dicebat: Quod ex te naſcetur ſanctum, vocabitur Filius Dei. Et in cæteris quidèm primogenitis Sanctos illos vocari Euangelica ſolertia ſtatuit, tanquam oblatione diuina ſortitos huiuſmodi nomen: at in totius Primogenito creaturæ, quod naſcitur ſanctum, pronũtiat Angelus quaſi propriè Sanctum exiſtens.* Hucuſque Sanctus Thomas in ſua Catena aurea, ex qua Bandellus ſuã finxit auctoritatem, & in qua omnia penitùs adulterauit: ita vt in Auctore, quod erat Sancti Gregorii Nyſſeni, attribuit Sancto Gregorio Nazianzeno, in auctoritate verò ſolùm illa tria verba: *ſolus*, & *Sanctus*, & *culpa*, reperiuntur in textu Angelici Doctoris, & hæc ſub alia diſpoſitione, quid plura? illud *fœmineitate*, malitiosè ſatis tranſtulit in *ſemineitate*. Ita etiam tranſcripſit Gryſaldus (vt nè exiſtimemus eſſe errorem Typographiæ) & ſic reduxerunt totam auctoritatem ad ſemen conceptionis: vt ergo hæc tam ingens falſitas falſitatum non deprehenderetur, ſubticuerunt locum, vndè extraxerant ſuam auctoritatem. Legitimam autem, & propriam S. Gregorii Nyſſeni, vide infrà Auctore, & numero ſequenti, nam in Catena aurea etiam eſt vitiata à ſuo originali. & nota qualiter hæc omnia confuſioni proxima ſunt.

Secundo, Anonymus citat Nazianzenum, ſecundùm Auguſtinum lib. 2. contra Iulianum, ſed nullam adducit auctoritatem. Vt ergo videat mundus, quo fundamento adducant Aduerſarii Gregorium Nazianzenum, tranſcribo hic omnes auctoritates adductas ab Auguſtino in 1. libro contra Iulianum, fol. 203. littera M. col. 4. (nã in 2. licèt adducat aliqua verba nullo modo directè, vel indirectè pertinent ad rem.) Inquit ergo Auguſtinus ex Sancto Gregorio: Sedeat ergo cum iſtis etiam Sanctus Gregorius, & cum eis tuæ criminationis inanem patiatur inuidiam, dum tamen cum eis, contra nouitiam peſtem veſtram medicinalem proferat, & ipſe ſentẽt iam, audi ergo quid dicat: *Imago*, inquit, *Dei tabem c rporeæ inundationis expurget, & coniunctam ſibi carnem Verbi Dei ſubleuet pennis: Et quamuis melius fuiſſet, nè egere quidèm huiuſcemodi expurgatione, ſed in illa prima dignitate permanſiſſe, ad quam & ire feſtinamus, poſt præſentem emendationem, & melius fuiſſet non excidere à ligno vitæ, guſtu amariſſimo peccati; tamen in ſecundo loco expedit emendari, & corrigi poſt lapſum, quam in nequitijs permanere.* Item idem ipſe: *Sicut in Adam omnes*, inquit, *mortui ſumus, ita & in Chriſto omnes viuificamur. Cum Chriſto ergo naſcamur, & cum Chriſto crucifigamur, & cõſepeliamur ei in mortem, vt cum ipſo etiam reſurgamus ad vitã. Neceſſe eſt enim nos perpeti vtilem hanc, & neceſſariam viciſſicitudinem, vt ſicut ex bonis ad triſtia deuoluti ſumus, ita ex triſtibus ad meliora reparemur. Vbi enim abundauit peccatũ, ſuperabundauit gratia, vt quos guſtus ligni vetiti condemnauit, Chriſti crux gratia largiori iuſtificet.* Item rurſus: *Venerare*, inquit, *Natiuitatem, per quam terrenæ natiuitatis vinculis liberatus es. Honora Bethleem puſillam, & minimam, per quam tibi regreſſus ad Paradiſum patefactus eſt.* Item alibi de Baptiſmo loquens: *Perſuadeat*, inquit, *tibi de hoc quoque ſermo Chriſti dicentis, neminem poſſe introire in regnum cœlorum, niſi renatus fuerit ex aquâ, & ſpiritu. Per hunc primæ natiuitatis maculæ purgantur, per quas in iniquitatibus concipimur, & in delictis genuerunt nos matres noſtræ.* Et infrà poſt decem columnas recapitulans omnia iſta inquit: S Gregorius dicit: *Melius fuiſſe non excidere à ligno vitæ guſtu amariſſimo peccati, ſed emendari nos debere poſt lapſum. Dicit nos ex bonis ad triſtia deuolutos, & vult à triſtibus ad meliora reparari, vt quos guſtus ligni vetitus condemnauit, Chriſti crux gratia largiore iuſtificet. Dicit venerandam eſſe natiuitatem, per quam terrenæ natiuitatis vinculis liberamur. Dicit regeneratione ex aqua, & ſpiritu purgari maculas primæ natiuitatis, per quas in iniquitatibus concipimur.* Hæc ſunt omnia, quæ ex Gregorio adducit Auguſtinus. Signate ergo in illis, vbi dicat Nazianzenus, Virginem Mariam contraxiſſe originale peccatum? vel ſaltem illud inſinuet? Videns ergo Anonymus, quòd hæc nihil probabant, citauit Nazianzenum apud Auguſtinum, ſed tacuit verba: Bandellus verò è contra, finxit auctoritatem, & tacuit locum. Inſuper nota, quòd in illo primo, & ſecundo libro contra Iulianum, ſolùm adducit Sanctus Auguſtinus vnum Gregorium: ex hoc vno indiuiſibili Gregorio, Aduerſarii duos faciunt diſtinctos, hìc Nazianzenum, & infrà Nyſſenum, vt iam videbimus. In Nazianzeno, cuius verè, & realiter ſunt verba prælegata, illa non adducunt, in Nyſſeno, cuius non ſunt illa verba, ipſa tranſcribunt. Auctoritatẽ, quam adducit Sanctus Thomas pro Nyſſeno, tribuunt Nazianzeno; auctoritatem verò, quam adducit Sanctus Auguſtinus pro Nazianzeno, attribuunt Nyſſeno. Quis intelliget hæc? Ad quem finem verba iactatis, intelligite prius, & ſic loquamur, quare reputati ſumus, vt iumenta? Aquas furtiuas, & panes abſconditos apponitis nobis? ſed fruſtrà, quia ſunt fruſtra.

GRE-

GREGORIVS Nyſſenus Epiſcopus. ac Sanctus, in libro contra Nouatianos, vt recitat Auguſtinus, & ſuper Lucam cap. 1, & 2. *Ita Anonymus Auctore 25. Bandel. cap. 13. Dexa folio 19. à tergo. Vincentia, & Gryſald.*

VERITAS 97.

GREGORIVS Nyſſenus Baſilii magni frater, ac opera eius notiſsima ſunt, excuſſa Pariſiis anno 1615. & 1605. in duobus tomis Græcolatinis, Coloniæ 1617. & 1625. & etiam anno 1551. & alibi; cuius auctoritatem primam ſic adducit Bandellus: Idem tenet Sanctus Gregorius Nyſſenus Epiſcopus, germanus Baſilii in libro contra Nouatianos, vt recitat Auguſtinus in 1. & 2. contra Iulianum: *Dei Verbum*, inquit, *carnem aſſumens, nos à labe peccati, quod ex guſtu primæ tranſgreſſionis cõtraximus, purgauit, atque mundauit: quia ſicut in Adam omnes mortui ſumus, ita & in Chriſto omnes viuificamur; veneremur igitur Natiuitatem Chriſti, per quã terrenæ natiuitatis vinculis liberamur, & à primæ natiuitatis macula purgamur; quia omnes in iniquitatibus concipimur, & in peccatis genuerunt nos matres noſtræ. Hæc ille.* Circa Auctorem, & auctoritatem notanda ſunt ſequentia. Primum, quod Auguſtinus ſolùm citat Gregorium, non exprimens Magnum, aut Nazianzenum, vel Nyſſenum: tantùm enim inquit cap. 5. primi libri contra Iulianum: *Sedeat ergo cum iſtis Patribus etiã Sanctus Gregorius, & cum eis tuæ criminationis, &c.* & adducit auctoritates, vt in numero antecedenti: legentes autẽ Aduerſarii nomen Gregorii nudum, Anonymus fecit eum Nazianzenum, vt reuera eſt. Bandellus verò, vt in omnibus erraret, ipſum appellauit Nyſſenum contra veritatem, & hæc non potuit eſſe ignorantia, nàm in eadem margine Auguſtini, impreſsionis Louanienſis, & nouiſsimæ Pariſienſis, exprimitur nomen Nazianzeni. Secundum, illud quod dicit Bandellus, *in libro contra Nouatianos, vt recitat Auguſtinus, &c.* eſt fictum, & falſum; nam neque Auguſtinus citat Gregorium contra Nouatianos, neque in rei veritate Nazianzenus, neque Nyſſenus ſcripſerunt contra Nouatianos, nec talis liber extat in operibus ipſorum. Præallegata enim verba extant in Sancto Gregorio Nazianzeno oratione 38. quæ eſt Panegyrica de Chriſti Natiuitate, in vltima impreſsione folio 291. & in alia folio 809. quæ ſic ſe habet: *Hoc feſtum noſtrum eſt, hoc hodierno die celebramus, Dei nimirum ad homines aduentum, vt ad Deũ excedamus, aut vt aptiori verbo vtar, reuertamur; ac depoſito veteri homine, nouũ induamus, & quemadmodum in veteri Adamo mortui ſumus, ita in Chriſto viuamus, dum nimirum cum Chriſto & naſcimur, & cruci affigimur, & ſepelimur, & reſurgimus. Pulchra enim in contrarium mutatio mihi ſubeunda eſt, vt quemadmodum ex ſecundis rebus moleſtæ venerunt, ſic etiã ex moleſtis lætæ, & iucundæ redeant. Vbi enim abundauit peccatũ, ſuperabundauit & gratia, & ſi guſtus condemnauit, quanto magis Chriſti paſsio, iuſtificauit; &c.* Et poſt duo integra folia ad Orationis finem proſequitur ſic: *Deſcriptionem reuerere, propter quam in cœlis ipſe deſcriberis, & Natiuitatem, ob quam natiuitatis vinculis ſolutus es: & paruam illam Bethleem honora, quæ te in Paradiſum reduxit, &c.* Hucuſque Nazianzenus. Si ergo hanc auctoritatem conferas cum auctoritate Auguſtini, parũ inter ſe differunt, & hoc ortum habuit ex diuerſa verſione, ſeu translatione textus Græci: ſed quid dicemus de tua auctoritate, Bandelle, qui non ex textu græco, ſed ex textu latino Sancti Auguſtini, vel ex ipſo Nazianzeni originali illam tranſcripſiſti, & ferè in omnibus à veritate diſtat? Ecce tuæ virtutes prodeunt in lucem, quia non cognoſcentur in tenebris mirabilia tua.

Præter vitia circa Auctorem, & auctoritatem ſupra enumerata. Primo, addidiſti totam illam clauſulam: *Dei Verbum carnem aſſumens nos à labe peccati, quod ex guſtu primæ tranſgreſsionis cõtraximus, purgauit, atque mundauit*, quæ in originali Nazianzeni non extant, neque in Sancto Auguſtino. Secundo, vbi Gregorius, *& quemadmodum in veteri Adamo mortui ſumus, ita in Chriſto viuamus*; tu ſic: *Quia ſicut in Adã omnes mortui ſumus, ità in Chriſto omnes viuificamur.* Nota illas repetitas vniuerſales, *omnes*, & illud, *viuificamur*; aliud enim eſt viuere, aliud viuificari, hoc enim ſupponit mortem. Tertio, addidiſti totam illam clauſulam: *Per quam terrenæ natiuitatis vinculis liberamur; & à primæ natiuitatis macula purgamur*; quia in Gregorio, & Auguſtino ſolùm dicitur: *Natiuitatẽ per quam terrenæ natiuitatis vinculis liberatus es*, vbi eſt ergo illud, *& à primæ natiuitatis macula purgamur*? Quarto, clauſulam illam, de qua expreſsè Auguſtinus affirmat, deſumptam fuiſſe, aliundè, *de Baptiſmo loquens*, tu continuaſti, cum verbis de Natiuitate Chriſti. Quinto, vbi Nazianzenus ex Auguſtino: *per hunc*, id eſt, Baptiſmum, *primæ natiuitatis maculæ purgantur, per quas in iniquitatibus concipimur, & in delictis genuerunt nos matres noſtræ*; tu Bandelle ſic: *Quia omnes in iniquitatibus concipimur, & in peccatis genuerunt nos matres noſtræ.* Sexto, tu Bandelle non tranſcripſiſti hæc verba ex tuo citato Gregorio Nyſſeno, quia in illo non ſunt; nec vidiſti Sanctum Gregorium

gorium Nazianzenum, vt in numero antecedenti demonstratum extat, sed solùm Sanctum Augustinum. Quo ergo fundamento, vel qua intentione, ex quatuor auctoritatibus, quæ extant in Augustino distinctæ, & separatæ, formasti vnam continuam, ac indiuisibilem Quater-auctoritatem? Septimo, prætermittamus omnia antecedentia: siuè ergo hæc auctoritas sit vna, siuè plures, siuè Nysseni, siuè Nazianzeni, signa verba, quæ expressè, & in particulari, ac nominatim dicant, Virginem Mariam contraxisse originale peccatum? Hic non nominatur Virgo Maria, nec peccatum originale. Vbi ergo est iudiciũ, & iudex, qui secundùm quod iustum est, iudicat?

Secundam auctoritatem sic adducit Anonymus: *Idem tenet Beatus Gregorius Nyssenus super Lucam, primo, & secundo capitulo.* Et nullam adducit auctoritatem. Vbi verò sit hæc Expositio, vel Tractatus Sancti Gregorii Nysseni super Lucam, hic opus, hic labor. In primis, in operibus Sancti Gregorii Nysseni talis expositio, seu tractatus non extat, neque aliquid scripsit super Lucam, nisi Orationẽ quamdam de Occursu Domini, de Deipara Virgine, & de Iusto Simeone, quæ extat fol. 469. & incipit: *Quí cœlestium rerum, &c.* in qua Nyssenus solùm habet hæc verba: *Solus enim ille ineffabiliter conceptus, & inexplicabiliter in vtero gestatus, eam quæ per nuptias primus aperta non fuerat, virginalem vuluã aperuit, etiam post nouum, & admirabile progressum, illæsa seruans, & inuiolata signacula Virginitatis, & solus masculus spiritualiter esse creditus est: quippè quum nullam contraxerit muliebris peccati contagionem, vndè etiam verè sanctus, vt par est, vocatus est. Quemadmodum etiam Gabriel bonum viuifici partus Deiparæ nuntium apportans, quasi ad mentem, & memoriã redigens eam, quæ de illo tum prædestinata erat, tum ad eum solùm spectabat legis cõstitutionem. Quamobrem etiã, quod nascetur Sanctum, inquiebat, vocabitur filius Dei, &c.* Hæc solùm verba habet Nyssenus in illa Oratione, quæ ad præsentem materiam pertinere videntur. Et hæc sunt verba, quæ numero antecedenti adduxit Bandellus pro Sancto Gregorio Nazianzeno, ex quibus ampliùs comprobatur falsitas illius. Sed hic, vt de se patet, nihil est contra immaculatam Virginis Conceptionem, nisi velint deducere hanc consequentiam: Christus nullam cõtraxit muliebris peccati contagionem: ergo Maria contraxit muliebris peccati contagionem; quæ esset ridicula consequentia. Sed dato, quòd esset bona illatio in sensu Gregorii Nysseni: hæc propositio: Maria contraxit muliebris peccati cõtagionem in sua generatione, nihil dicit; quia loquitur Nyssenus de Virginitate matris, corruptione integritatis, nuptiarum exercitio, atque indecentiis. Cùm ergo solus Christus fuerit conceptus ex Matre Virgine, & non ex nuptiis, solus ipse nullam contraxit muliebris peccati cõtagionem. Vbi obiter etiam nota, quòd amissionem Virginitatis, vocat Nyssenus muliebre peccatum. Ideò Bandellus, vt suprà vidimus, illud: *muliebris* Nysseni, seu, *fœmineitate*, S. Thomæ, transtulit in, *femineitate*, vt sic maternum defectum generantis reduceret ad seminis, & geniti culpam, vt filius portaret iniquitatem matris, contra Deum, Scripturam Mariam, & veritatem.

Redeundo ergo ad auctoritatem Anonymi, cùm Sanctus Gregorius Nyssenus non scripserit super Lucam, existimo, quòd ipsum adduxit, quia Sanctus Thomas in sua Catena aurea ipsum passim adducit, sed licèt omni diligentia semel, & iterum legerim omnia ibi relata ab Angelico Doctore, nunquam inuenire potui, non dico auctoritatem integram, sed nec vnum tantummodò verbum, in quo Nyssenus loquatur de peccato originali, vel de puritate Virginis Mariæ, aut saltẽ de immunitate Christi Domini à peccato: Vnde existimo, omnes illas citationes super Lucam, primo, & secundo capitulo, esse fictas chimericas, & penitùs falsas; quia in his similibus citationibus Sanctorũ Patrum solùm intendebant illud: Crescite, & multiplicamini, & replete terram.

GVALTERVS Anglicus, vel de Anglia, Cardinalis, Tituli S. Sabinæ, Ordinis Prædicatorum, in 2. part. suæ Summæ in Tractatu de peccato originali. *Ita Bandell. cap. 23. Deza fol. 39. Paul. Gryfald.*

VERITAS 98.

IN Hac Area, seu Cathalogo existimo Auctorem istum esse multiplicatum, non quomodocumque, sed quinquies: ideò rem expendo à fundamentis. Notandum ergo primo, quòd Pitseus in sua Bibliotheca Anglica fol. 240. loquendo de quodam Gualtero Anglico inquit: *Gualterus, natione, & cognomine Anglicus, quod cognomen antiquitus nostratibus pennè omnibus apud exteros degentibus plerumque fuit commune, &c.* Itaque hoc cognomen Anglicus, vel de Anglia, fuit semper commune, & quasi vniuersale Scriptoribus Anglicis. Secundo, notandum quòd in Religione Prædicatorum, secundùm Nomenclatores fuit Gualterus Vvinterbornus, patria Sarisburiensis, Eduardi Regis à confessionibus, & anno 1304. à Benedicto XI. in quatuor temporibus Aduentus, creatus Cardinalis Tituli S. Sabinæ, qui scripsit Summam Theologiæ, libr. 3. & de peccato originali librum vnum. Tertio notan-

notandum, quòd in eadem Religione fuit alius Gualterus Iorſius, ſeu Ioyce, quem Clemens V. anno 1306. creauit Archiepiſcopum Armachanum, totius Hyberniæ Primatem, qui ſcripſit de Summa Theologiæ libros quatuor, & de peccato originali librum vnum. De quo dicit Pitſeus: *De cuius virtutibus aliquid infrà in Thomà Iorſio breuiter tangemus*, in quibus verbis inſinuare videtur, Gualterum Iorſium, & Thomam Iorſium eſſe eundem Auctorem, & de Gualtero Anglico, qui floruit ad annum 1306. loquitur Leand. Albert. lib. 3. ſed nihil dicit de eius ſcriptis. Quarto, notandum, quòd in eadem Religione fuit Thomas Iorſius Ioyce, qui à Clemente V. anno 1305. in ieiuniis quatuor temporum Aduentus, fuit creatus Cardinalis Tituli Sanctæ Sabinæ, qui ſcripſit in Geneſim, in Cantica, in Magiſtrum Sententiarum, Quæſtiones Theologicas, ac tandem de Conceptione B. Mariæ Virginis librum vnum, de hoc Thoma Iorſio inquit Pitſeus, fol. 401: *Huic autem Thomæ vary libri adſcribuntur, quos aliqui putant à D. Thoma Aquinate compoſitos, alios etiam à D. Thoma inchoatos, ab iſto Iorſio completos multi aſſerunt, &c.* Hunc Antonius Senenſis, fol. 242. vocat Thomam Anglicum, & habet quamdam inſignem notam, circa opera huius Thomæ Anglici, & S. Thomæ Angelici, de qua nos infrà num. 301. Quintò, fuit etiam alius dictus Thomas Vvalleis, vel Guallenſis Anglus, qui ſcripſit ſuper quatuor libros Sententiarum, ſuper Geneſim, Pſalterium, Cantica, & alia, de quo latè Pitſeus folio 429. de hoc inquit Geſnerus, fol. 791. *Thomas Anglicus ſcripſit Summam Theologiæ, Poſtillam ſuper Pſalterium, duo Quodlibeta cum multis argutijs, de concordia librorum D. Thomæ, de vnitate formarum, de Relatione, Poſtillam ſuper Prouerbia Salomonis, & quædam in Beato Thoma compleuit. Tribuitur illi Summa Logicæ ſub Aquinatis nomine impreſſa.* Hæc Geſnerus, & fortè fuit error Typographiæ dicere, Summam Logicæ, quia Sanctus Thomas non ſcripſit hunc Tractatum, ſed Summam Theologiæ. Sextò notandum, quòd Nomenclatores antiqui, ex omnibus ſupra enumeratis Auctoribus Anglicis, ſolùm mentionem faciunt de Thoma Vvallenſi, vel Guallenſi Iorſio Anglico, Cardinali Sanctæ Sabinæ, qui inter alia plura ſcripſit ſuper Magiſtrum Sententiarum, ſuper Pſalterium librum vnum, qui incipit: *Beatus vir, qui cuſtodit veritatem*, & ſuper Prouerbia Salomonis, qui incipit: *In abſconditis Parabolarum*, & in Eccleſiaſten, qui incipit: *Dixi igitur in corde meo, vadã, &c.* Ex hoc ergo vnico Auctore, & operibus eius Bandellus de Caſtronouo fabricauit Auctores diuerſos pro ſuo libito, & cùm ab ipſo extraxerit Sixtus Senenſis ſuam Bibliothecam, & à Sixto Senenſi, Baleus, & Pitſeus ſuas, hinc eſt, quòd Auctores, & confuſiones multiplicatæ ſunt ſuper numerum.

Ventilãdo ergo ſupra poſita principia: quomodo eſt credibile, quod Vvinterbornus ex vna parte, & Iorſius ex alia, ambo eiuſdem nominis, *Gualterus*, ambo eiuſdem patriæ, vel nationis, *Anglus* ambo, eiuſdem Religionis, *Dominicani* ambo, viuentes eodem anno 1315. ambo ſcripſerint eundem Tractatum, *Summam Theologiæ*, ac ambo denique librum *de peccato originali*? Si tu credis hoc, ego non credo. Quomodo etiam eſt credibile, quòd Gualterus Vvinterbornus, & Thomas Iorſius, ambo *Anglici*, ambo *Dominicani*, eodem tempore, ſcilicet, *in ieiunijs quatuor temporum Aduentualium*, vnus anno 1304. fuerit creatus Cardinalis Sanctæ Sabinæ, & alter anno 1305. creatus etiam Cardinalis Sanctæ Sabinæ? Si tu credis hoc, ego nolo credere. Quomodo item eſt credibile, quod in eadem Prouincia *Angliæ*, in eadem Religione *Prædicatorum*, ſub eodem Pontifice *Clemente V.* in eodem anno 1305. ſcripſerint eundem Tractatum, id eſt, *Summam Theologiæ*, Gualterus *Iorſius Ioyce*, & Thomas Iorſius Ioyce? Si credis, crede; nam mihi nimis durum videtur. Quomodo eſt credibile, quod eodem tempore *Thomas* Iorſius *Anglus*, & *Thomas* de Vvalleis *Anglus*, atque *Thomas* Guallenſis *Anglus*, ſcripſerint *eoſdemmet tractatus* ſuper Geneſim, Pſalmos, Cantica, &c. & quod plus eſt, correxerint, & compleuerint opera *Sancti Thomæ Aquinatis*? Qui hoc crediderit, non erit tardus ad credendum. Quomodo denique eſt credibile, quòd Ioannes Capreolus, Sanctus Antoninus, & Ioannes de Turrecremata, qui omnes præceſſerunt Bãdellum, non adduxiſſent Gualterum Anglicũ, Cardinalem Sanctæ Sabinæ, ſi ipſe protuliſſet verba, quæ adducuntur à Bandello? Quæ ſic ſe habent: Idẽ tenenet Gualterus Anglicus, Cardinalis tituli Sanctæ Sabinæ, 2. parte ſuæ Summæ, in Tractatu de Peccato originali, ſic dicens: *Beata Virgo fuit in originali peccato concepta, ſed poſt animationem citiſſimè fuit per ſanctificationem mundata. Hæc ille.* Hanc auctoritatem fictam fuiſſe à Bandello non dubito, quia ſapit eius ſtyllum, & ex illa fuiſſe etiam Auctorem fictum, credo toto corde, anima, atque mente profiteor, quia talis Summa non inuenitur, & quando eſſet, quid indè? Cùm fuerit ex Patribus Dominicanis, qui in hac materia non augent numerum; quia tota Religio ſupponit pro vno tantum teſte, vt potè ſcribentes pro communi opinione tuenda, & non pro particulari veritate indaganda.

(***)

GVIDVS Archidiaconus Bononienſis, in Roſario ſuo capit. Firmiſsimè, de Conſecratione diſtinction. 4. verbo Natiuitas. *Turrecrem. parte 6. capit. 36. folio 329. Anonym. Auct. 183. Bandel. cap. 19. Dexa fol. 30.*

VERITAS 99.

GVIDVS De Bayſo, qui floruit ad anuum 1300. vel 1283. edidit Gloſſam Decreti, quam appellauit Roſarium, impreſſa Tridini cum diuerſis ſcholiis anno 1523. & Venetiis anno 1580. & alibi. Eius auctoritatem ſic adducunt Aduerſarii: Idem tenet Dominus Guido, Archidiaconus Bononienſis, in Roſario ſuo ſuper cap. Firmiſsimè, de Conſecratione diſt. 4. *Duæ*, inquit, *ſunt natiuitates; vna in videlicèt vtero, quando anima infunditur; alia ex vtero quando prodit in lucem. Beata autem Virgo Maria, & Ioannes Baptiſta, & Ieremias fuerunt cum originali peccato nati in vtero. Et hoc vult dicere littera in principio capituli, cùm dicit, omnem hominem cum peccato originali naſci: Vndè Conceptio Beatæ Virginis Mariæ non debet celebrari. Sed Natiuitas eius ex vtero benè colitur, & Ioannis Baptiſtæ, quia fuerunt ſanctificati in vtero, & eis dimiſſum originale peccatum. Hæc ille.* Auctoritas verò Archidiaconi in diſtinct. 4. capit. Firmiſsimè, folio 338. columna 4. explicans illud, cap. Firmiſsimè, inquit ſic: *In Gloſſa 1. à Natiuitate in vtero: Adæ: vt hoc melius intelligas, ſcias, quòd duæ ſunt natiuitates, ſcilicèt, in vtero, & alia ab vtero; in vtero naſci, eſt animam corpori infundi in vtero; ex vtero naſci, eſt ex vtero in lucem prodire: vndè Beata Virgo, & Ioannes Baptiſta, & Hieremias cum originali peccato nati fuerunt in vtero, & hoc vult dicere littera cap. In principio; ibi, omnem hominem, &c. Vndè Conceptio Beatæ Mariæ non debet celebrari, ſed natiuitas ex vtero benè celebratur, & Sancti Ioannis, quia fuerunt in vtero ſanctificati, & eis fuit dimiſſum originale peccatum, ſecundùm Hugonem.* Hæc ſunt ad litteram verba Archidiaconi, in quibus Aduerſarii, vitiarunt aliqua eſſentialiſsima. Primo, illud, *In Gloſſa, &c.* propter rationem mox aſsignandam. Secundo, eadem intentione prætermiſerunt ſequentia verba: *Adde, vt hoc melius intelligas*, quæ ſic extant in Gloſſa. Tertiò, deindè vbi Archidiaconus relatiuè, *quod duæ ſunt natiuitates*; ipſi abſolutè, *Duæ inquit, ſunt natiuitates.* Quartò, prætermiſerunt totam illam clauſulam, *ſcilicèt in vtero, & alia ab vtero.* Quintò, vbi Archidiaconus, *in vtero naſci, eſt in vtero animam corpori infundi*; ipſi ſic, *vna videlicet in vtero, quando anima infunditur*, addentes illud, *vna*, & tranſmutantes, *ſcilicèt*, in, *videlicèt*, tacentes illud, *corpori*, & mutantes illam præpoſitionem, *ab*, in, *ex*, Sextò, vbi Archidiaconus, *ex vtero naſci, eſt ex vtero in lucem prodire*; ipſi abbreuiantes, *alia ex vtero quando prodit in lucem.* Septimò, tacuerunt illud, *vndè*, & addiderunt illud, *autem.* Octauo, addiderunt vocem illam, *Maria.* Nonò, antepoſuerunt illud verbum, *fuerunt.* Decimò, addiderunt illud, *cum peccato originali naſci.* Vndecimò, prætermiſerunt illud, *&c.* quod etiam eſt notatione dignum, quia ſic eſt in Gloſſa, & ſic tranſtulit Archidiaconus. Duodecimo, addiderunt illud, *Virginis.* Decimotertio, addiderunt illud, *eius.* Decimoquartò, illud Archidiaconi, benè *celebratur*; ipſi, *colitur.* Decimoquintò, dereliquerunt illud, *Sancti.* Decimoſextò, addiderunt ilud, *Baptiſtæ.* Decimoſeptimò, prætermiſerunt ly, *fuit.* Decimooctauò, prætermiſerunt illa duo vltima verba eſſentialiſsima, *ſecundùm Hugonem.* Hæc ſunt vitia commiſſa in littera, & alia non minoris momenti, quæ prætermiſit Turrecremata. Nota ergo, Lector, quàdo ſic vitiarunt hanc auctoritatem, quòd intentio, & finis illorum erat ſine honore.

Dico ergo primo, hanc auctoritatem, ſeu Gloſſam eſſe expreſſam contra immaculatam Virginis Conceptionem; nam Auctor illius clarè in ipſa exprimit, Deiparam fuiſſe in originali peccato conceptam. Dico ſecundo, Turrecrematam cauillosè, prætermiſiſſe primum verbum, *In Gloſſa*, & vltimum, *ſecundùm Hugonem*, vt ſic, quantum fieri poſſet, occultaretur mens Archidiaconi. Bandellus autem, & eius Continuator videntes, quòd hoc non erat ſufficiens, ſi Gloſſæ auctoritas integra remanebat, quia omnes periti ipſam legentes, ſtatim agnoſcerent, illa non eſſe verba Archidiaconi, ſed Gloſſatoris, addiderunt, ac tranſmutarunt omnia ſupra inſinuata, vt ſic demonſtrarent, Archidiaconum fuiſſe ex propriis locutum, & non in ſententia Gloſſatoris. Tertio, dico, Aduerſarios ſine fundamento citaſſe pro ſe Archidiaconum; nam hic ſolùm ſe habet relatiuè, referendo ad litteram ſententiam Gloſſatoris, nullum addendo verbum ex propriis, nec ſaltem inſinuando, an illa opinio ſibi placeret, nec ne; & hoc ſæpè facit in ſuo Roſario; non enim omnia, quæ referunt ſcriptores in ſuis libris, illa amplectuntur, vel ſequuntur, eo vel maximè quando in principio adducunt Auctorem, & in fine addunt. Hæc dicta ſunt ſecundùm ſententiam illorum, vt hic facit Archidiaconus. Oſtendant ergo Aduerſarii in Archidiacono aliquod verbum ipſius circa illam ſen-

ſententiam, admittendo, vel ſaltem approbando illam, & tunc dicemus, quòd Archidiaconus ſecutus eſt veſtigia ipſorum. Quarto, hæc auctoritas eſt multiplicata, quia ipſam adducunt in Hugone, Hugutio, & aliis, vide numero 123. & 125. & 192. &c. Cùm ergo ex ſupra dicta auctoritate in rei veritate non poſsit aſſequi mens Archidiaconi, reuolui omnia eius opera, & ſolùm pro hac materia inuenire potui, quod in eadem diſtinctione capit. *Si Baptizata*, loquens de generatione, & regeneratione, ſiuè de prima, & ſecunda natiuitate, carnali, & ſpirituali, dicit ſic: *Prima natiuitas eſt ſecundùm carnem, & eſt triplex, ſcilicèt, in conceptione, & animæ infuſione, & in progreſſione ad lucem. Dicitur enim naſci homo, cùm eius caro concipitur, item dicitur naſci, cùm anima carni infunditur, item dicitur naſci, cùm de vtero progreditur ad lucem.* Hæc Archidiaconi verba nihil habent contra immaculatam Virginis Conceptionem, vt de ſe patet. Sed pro noſtro aſſumpto multùm iuuant; nam ex ipſis colligitur, quòd Antiqui Scriptores conceptionem ſolùm, & abſolutè vocabant, quando caro concipiebatur in vtero materno, ſiuè ſeminis receptionem in matrice; animationem verò nullo modo vocabant Conceptionem. En textus expreſſus in Archidiacono; nam bis diſtinguit Conceptionem ab animatione, & hinc exorta fuit omnis æquiuocatio tàm Theologorum, quàm Iuriſtarum; dicebant enim: Nata eſt Maria in ſua Conceptione cum peccato, & appellabant, iuxta ſuperius dicta, conceptionem ſeminis, vel carnis in vtero materno, quod eſt extra propoſitum noſtrum, & à noſtra controuerſia alienum: tranſeat enim, quòd in prima conceptione carnis, ſeu ſeminis conceptione, fuerit peccatum, vel culpa parentum concupiſcentiæ, libidinis, &c. Et inquirimus, an in ſecunda natiuitate, id eſt, animæ infuſione fuerit culpa, vel macula peccati? Et de hoc ſolùm vnus, vel alter loquitur, vt ſuis locis indicabimus. Aduerſarii verò videntes, quòd nunc in Eccleſia, & apud omnes Doctores modernos Conceptio Mariæ ſumitur pro animatione Mariæ; verba ab antiquis Scriptoribus dicta, & prolata de prima conceptione, adducunt pro ſecunda, & ſubuertunt à radicibus montes, & glebam reputant aurum. Demus enim, quòd Archidiaconus expreſsè, ac nominatim diceret: *In Conceptione Mariæ fuit peccatum*, hic nihil contra nos exprimeret, iuxta ſuum loquendi modum, niſi etiam adderet: *& in animæ infuſione*: ergo verbum, iſtud, Conceptio, apud antiquos habebat aliam ſignificationem, ſeu ſupponebat aliter, quàm apud modernos. Sed etiam notare debes, Lector, quod Gloſſa hìc adducta ab Archidiacono, quæ in iure eſt Marginalis, & extat ſub nomine Hugonis, non reperitur in omnibus impreſsionibus Decreti; nam in Venetiana facta ànno 1485. fol. 351. abſolutè deeſt: rationem huius defectus inueſtigare non potui. Item de alia Gloſſa eiuſdē Decreti etiam marginali præcedenti immediatè oppoſita. Vide infrà num. 125. & 247. fortè qui viderunt eſſe illegitimam, voluerunt de medio tollere illam petram ſcandali, & lapidem offenſionis.

GVIDVS Gallicus, Doctor Pariſienſis, Ordinis Prædicatorum, in Sermone Annuntiationis Beatæ Virginis. *Bandel. cap. 23. Deza folio 42. Petr. de Vincentia, & Paul. Gryſald.*

VERITAS. 100.

VERE, Ac realiter exiſtimo, hunc fuiſſe fictum à Bandello, quia in nullo Nomenclatore antiquo, de tali Guido Gallico magna, vel parua inuenitur notitia. Fuit quidam Guidus Gallicus, ſed non ſcripſit Sermones, ſed vitas Sanctorum, nec fuit Dominicanus, ſed Abbas Sancti Dionyſii Pariſien. Fuit etiam alter Guido de Cauliaco, Gallus, ſed fuit Medicus Sæcularis, non Theologus Prædicator. Dico ergo, quòd de hoc Guido Gallico, Ordinis Prædicatorum, Poſſeuinus, & Placentinus, notitiam ſumpſerunt ab Antonio Senenſi, & Senenſis à Bandello, & ſic principium eius Babylon magna eſt. Deindè de hoc Auctore nullam adducunt auctoritatem; ſolùm enim dicunt: *Idem tenet Magiſter Guido Gallicus, Doctor Pariſienſis, in Sermone Annuntiationis Beatæ Mariæ*: & nihil ampliùs. Et ſic ex omni parte videtur ſuſpectus, ſed quidquid ſit de Auctore, Sermone, & auctoritate, ipſum non adducit Turrecremata, eius opera non ſunt typis mandata, fuit ex Ordine Prædicatorum, & licèt appellent eum Doctorem Pariſienſem, Deus ſcit veritatem, quia in hac Area corruit, ſicut in platea, & facta eſt in obliuionem. Præcipuè quando Bandellus vtitur illis cognominibus, Gallicus, Anglicus, Theutonicus; quia rarus imò abſolutè nullus eſt ex his, qui non fuerit fictus, aut multiplicatus, aut mendaciter adductus, &c.

GVIDVS Maioricenſis, Epiſcopus, & poſteà Aluanenſis, Ordinis Carmelitarum, Quodlibeto 3. quæſt. 13. *Turrecrem. part. 6. cap. 34. fol. 124. à tergo. Anonym. Auctore 141. Bandel. cap. 26. Deza fol. 49. à tergo. Vincentia, Gryſald. Sanctus Antoninus, Barlete.*

VERITAS 101.

GVIDO Perpinianus, vel de Monte Perpiniano, Episcopus Maioricensis, postea Eluensis, non Aluanensis, vt dicunt Aduersarii, scripsit plura tempore Ioannis XXII. quando Ordo, Doctores, atque doctrina Fratrum Minorum fluctuabat in medio maris magno vento; &c. Huius ergo auctoritatem sic adducunt Aduersarii: Item ad idem est Ordinis Beatæ Mariæ de Carmelo famosus Pater Magister Guido, Episcopus Maioricensis primò, & postea Aluanensis in suo Quodlibeto 3. quæstion 13. in responsione dicit sic: *Sequendo auctoritates Sanctorum, & Canonis, salua eius puritate, & reuerentia teneo, quòd fuit concepta in originali peccato.* Et post allegationes multorum, Pauli, & Augustini, maximè de libro contra Iulianum, quæ superius per me numeratæ sunt, subdit sic: *Ex quo ergo ab vniuersali sententia neminem excipiunt isti Sancti, nec ego aliquem, vel aliquam auderem excipere. Et si dicam, quòd Beata Virgo præseruata fuit, & formaliter non contraxit originale peccatum, forsan dicet mihi vnus alius, quod Ioannes Baptista, quo maior, Christo teste, non surrexit de corrupta, præseruatus fuit, & formaliter culpam originalem non contraxit, quamuis magis aliquæ adaptationes humanæ possunt de Beata Virgine induci, quàm de alio; sed absit; quod humanam persuasionem præferam Sanctorum sententijs, & auctoritatibus. Item si sic dicerem, timerem nè Augustinus me sicut hæreticum vitandum doceret, qui ait in libro de fide ad Petrum capit. 23. firmissimè tene, & nullatenus dubites, omnem hominem, qui per concubitum viri, & mulieris concipitur, cum peccato originali nasci, &c. Hactille.* Ego absolutè dicerem, hanc auctoritatem, quoad dispositionem verborum, esse penitùs fictam à Bandello, quia sapit eius stylum, & non Guidonis, vt ex statim dicendis patebit; sed cùm non viderim, nec inuenire potuerim quodlibeta huius Doctoris, suspendo iudicium, & pronuntio veritatem. Obiecro tamen propter Virginis Mariæ gloriam, & tanti Doctoris honorem, vt si aliquis litteratus inuenerit Guidonis Quodlibeta, conferat eius verba cum istis ab Aduersariis adductis.

Guidus scripsit contra hæreses, & sectas, & extat opus in Escoriali 111. F. 4. Ac etiam super Euangelia, & ad illud: *Sanctũ vocabitur, &c.* (vt videre est in sua Concordia excussa Coloniæ 1631. folio 18.) sic inquit: *Credimus etiam, Beatam Mariam in vtero matris sanctificatam fuisse. Et si Ioannes sanctificatur in vtero matris, quia Præcursor Christi, & ostensor est electus; longè magis sanctificanda fuit in vtero Virgo, quæ electa est Mater Dei, & tabernaculum, quod sanctificauit Altissimus. Sed aliter sanctus Christus nascitur, aliter alij: quia Christus sic sanctus nascitur, quod nullam in Conceptione culpam originalem contraxit, alij autem, etiam Virgo Maria, quamuis in vtero matris sanctificati, sic Sancti nati sunt, quod tamen contraxerunt culpam originalem. Pro tanto enim concludit Angelus, Christum nasci Sanctum, quia non ex cognitione viri, sed quia ex operatione Spiritus Sancti, Virgo Maria, in qua se obumbrauit Dei virtus, ipsum concepit.* Et infrà: *Priuilegium fuit filij, vt de Virgine sine viro conciperetur, & sic secundùm Sanctos, absque macula originali. Igitur sicut non decuit Beatam Mariam concipi ex Virgine sine viro, vt hoc priuilegium soli Christo seruaretur; sic eam non decuit concipi sine peccato. Vndè dicit Bernardus, quia ipsa ex viro, & muliere concepta fuit, ideò in peccato originali fuit concepta, &c.* En quomodo Guidus ex omni parte videtur fauere opinioni Aduersariorum; sed si attentè considerentur verba eius, adhuc possunt ad congruentem sensum reduci verba ista; nam non affirmat Guidus, Virginem Mariam in sua animatione contraxisse originale peccatum, sed loquitur Antiquorum more, de peccato originali in prima generatione parentum, vt indicant omnia adducta verba, præcipuè illa: *Quia Christus sic sanctus nascitur, quod nullam in Conceptione culpam originalem contraxit.* Nota illud: *Nullam culpam originalem.* Admittebant enim antiqui plures culpas originales in conceptione prolis, alias ex parte parentum, alias, vel aliam ex parte filii geniti: Christus ergo nullam culpam originalem contraxit; quia non ex viro, non ex corrupta, sed ex Virgine, & operatione Spiritus Sancti. Virgo autem Maria fuit concepta ex viro, ex corrupta, & in sententia Guidi, cum peccato originali concupiscentiæ, libidinis, sensualitatis, ac carnalis delectationis, si in hoc sensu locutus est Guidus, vt hæc eius verba indicare videntur, nihil contra nos, si in alio, necesse erit dicere Guidoni: Quid dicitis de te ipso? Vt responsum demus his, qui arguunt nos.

GVIDVS Portogalensis de Arbona, Ordinis Cisterciensis, vel Sæcularis, in Sermone Natiuitatis Beatæ Virginis. *Anonym. viaz. ratione 9. Auctore 174. Bandel. cap. 22. Beza fol. 37. Vincent.*

VERI-

VERITAS 102.

HVNC Auctorem adducit Anonymus inter Doctores Presbyteros Sæculares, dicens: *Idem tenet Magister Guido Portogalen. de Arbona, in Sermone Natiuitatis Virginis.* Et fortè dicendum erat de Lisbona, vt Auctor ex omni parte videretur Hiſpanus. Bandellus verò ipſum adducit inter Doctores Ordinis Ciſtercienſis: cui autem credendum ſit, tu vide, ò Lector! ſed ſi meum conſilium in hac parte aliquid valet, nec vni, nec alteri credas; nam talis Guido Portugalen de Arbona, Sæcularis, aut Ciſtercienſis, nunquam fuit in rerum natura, quia in nullo Nomenclatore, omni diligentia, & cura adhibita, inuenitur, & ſic exiſtimo, penitùs eſſe fictum, atque ſuppoſitum, & adductum, vt compleret numerum, & menſuram Auctorum ab ipſis promiſſam.

Auctoritatem iſtius incogniti Auctoris nullam adducit Anonymus: Bandellus autem eam finxit ſic: Idem tenet Magiſter Guido de Arbona in Sermone Natiuitatis Beatæ Virginis, ſic dicens: *Licèt Beata Virgo fuerit in originali peccato concepta, fuit tamen ab eodem in vtero matris ante natiuitatem purgata.* Hanc auctoritatem eſſe ſuppoſitam, & fictam, nullo modo dubito; nam Bandellianus ſtylus ſe ipſum manifeſtat. Poteſt etiam eſſe, quòd Auctor, & auctoritas non ſolùm ſint fictæ, ſed etiam multiplicatæ, & quòd Guidus Maioricenſis, numero antecedenti relatus, nunc iterum deſcendat in arenam mutato nomine, & habitu, quia verba hìc relata, quoad ſubſtantiam integra reperiuntur in Guidone Carmelitano. Sed pro veritate laborando vſque ad vltimum, dico: quòd in Bibliotheca Sancti Ioannis Regum Toletan. extant duo originalia manuſcripta litteris antiquis, vnum littera X. numero 89. & alterum in eadem capſa, numero 92. abſque Auctoris nomine, & ſunt eiuſdem Auctoris; tantùm enim differunt in hoc, quòd vnum habet plures Sermones, quàm aliud, cuius Auctor fuit Hiſpanus, quia paſsim interponuntur plura verba Hiſpanica in hoc ergo manuſcripto ſunt Sermones de feſtiuitatibus Virginis Mariæ, præcipuè verò de eius Natiuitate, ſed in nullo ipſorum extant verba præallegata à Bandello. Solùm in Sermone, qui incipit: *Orietur ſtella ex Iacob, &c.* ſic inquit: *Beata Virgo primo eſt ſtella, per gratiam confirmationis, nam ſicut diuinitùs ſtellæ ſunt firmatæ in cœlo, taliter quòd non poſſint cadere, ſic Beata Virgo ita diuina diſpoſitione in gratia confirmata eſt, quod per peccatum mortale, aut veniale nunquam cadere potuit.* In Sermonibus verò Annuntiationis paſsim vtitur termino, ſanctificationis, affirmando fuiſſe ſanctificatam in vtero matris ſuæ, antequam naſceretur, ſed ſimul etiam affirmat fuiſſe præmiſſam priuilegiatam, ab omni regula generali, & exemptam inter omnes mulieres, quod ſæpè repetit, nũquam tamen expreſsè loquitur de originali peccato: cuius auctoritates non adduco, quia neſcio, an fuerit Auctor citatus ab Aduerſariis, & baptizatus ſub nomine Guidonis Portogalenſis de Arbona, vel non; concludo ergo affirmando pro certo, ac infallibili principio, talem Guidum Portogalenſem de Arbona, nec Sæcularem, nec Ciſtercienſem, nunquam fuiſſe nominatum in litteratura Eccleſiaſtica, & quòd iſtius Sermones nunquam fuerunt typis mandati; ſi verò manuſcriptus, ligatus manibus, & pedibus iacet ſepultus in aliqua mundi Bibliotheca: Lazare veni foras.

GVILLERMVS De Alcona, vel Alcono, Doctor Parienſis, Ordinis Prædicatorum, ſuper illud Eccleſiaſt. capit. 7. Virum de mille, &c. *Turrecrem. parte 6. cap. 29. folio 120. à tergo. Anonymus Auct. 64. Bandel. cap. 23. Deza fol. 42. Petr. de Vincent. & Gryſald.*

VERITAS 103.

QVANTVM Ad Auctorem Nomenclatores antiqui nullam de hoc mentionem faciunt, Neotherici verò; vt Geſnerus folio 299. Ioannes Balleus folio 232. Pitſeus folio 406. & ex Dominicanis Scriptoribus, Leander Bononienſis, Alphonſus Fernandez, Placentinus, & Antonius Senenſis fol. 99. mentionem faciunt de quodam Guilhelmo, vel Guillielmo de Alcono, vel Althono, ſinè Attonum, Ordinis Prædicatorum, qui ſcripſit in Eccleſiaſten Poſtillam, &c. Sed audi, quibus verbis. Senenſis inquit: *Poſtillam ſuper Eccleſiaſten, cuius meminit Bandellus in Tractatu de Conceptione Beatæ Virginis.* Balleus verò quaſi ironicè: *Iſtum ad aſtra euehunt Leander Bononienſis, ac Petrus Vincentius; quòd impensè Ariſtotelem coluerit, atque in Virginis Mariæ Conceptionem labem conceſſerit.* Pitſeus etiam inquit: *Quibus nominibus à Vincentio Bandello, Leandro Bononienſi, & Petro Vincentino Scriptoribus Italis multum laudatur, &c.* Ex quibus patet, quòd de hoc Auctore Anglico nullam notitiam habuerunt ipſimet Nomenclatores Anglici, niſi deſumptam à Bandello, & Vincentia, & ad iſtos dimanauit ex vno ſolo Turrecremata, qui auctoritatem iſtius adduxit

sic: Item ad idem est eiusdē Ordinis Pater Magister Guillermus de Alcona, Doctor Parisiensis, qui super illud Eccleſiast. 7. Virum de mille vnum reperi, ait: *Id est, Christum, in quo non fuit hæc concupiscentia, quia nec originale, neque inclinatio ad actuale. Mulierem ex omnibus non inueni, in qua, scilicet, non fuerit originale. Hæc ille.* En, ò Lector! qualis fuit Auctor, & qualis est auctoritas illius.

His ergo secundùm veritatem constitutis, vehementer existimo, Auctorem, vel saltem auctoritatem esse fictam. Primo, quia istius Auctoris opus super Eccleſiasten nullus alius vidit nisi Turrecremata: Nam licèt Fabianus Iustinianus in suo Indice vniuersali, folio 29. mentionem faciat de quodam Guillelmo, Parisiensi Scriptore super Eccleſiast. & fortè est præsens; tamen Fabianus non vidit hunc Auctorem, sed narrata à Turrecremata, & Bandello, narrauit, sicut fecerunt supra enumerati Nomenclatores. Secundo, quia nec ipse Turrecremata sciuit proprium nomen sui Auctoris; vocat enim Guillermum de Alcona, non autem sic vocatur ab aliis. Tertio, quia idemmet Turrecremata parte 5. cap. 1. refert ferè eandem auctoritatem super Eccleſiasten 7. ex Iacobo Lausanensi, etiam Ordinis Prædicatorum, vt videbimus infrà num. 135. & Sanctus Antoninus in Ioanne Dominico de Florentia, numero 169. ergo saltem, si non absolutè ficta, erit multiplicata. Quarto, quia Thomas de Vvalleis, etiam Anglus, & ex Ordine Prædicatorum, scripsit super Eccleſiasten: hunc citauerat Turrecremata super Psal. 17. de quo nos numero 301. post illum adduxit Guillermum de Alcona, & adscripsit illi Tractatum super Eccleſiasten. Fortè, vt alterum multiplicaret Auctorem; hoc enim fecit in aliis quam pluribus auctoribus, vt videbimus infrà in hac littera G. & alibi sæpè. Alias possem adducere coniecturas ad probandum, Auctorem, vel saltem auctoritatem esse suppositam, sed quia sunt coniecturæ, ab illis supersedeo, & adduco solùm rationem hanc, quæ coniectura non est. Auctor iste est ex Ordine Prædicatorum, cuius nomen nunquam fuit auditum, nec extat citatum in libris, nec eius opera fuerunt vnquam typis mandata: Quid ergo vis de hoc Auctore? Respondè, ò Lector! Pater, vt videam.

GVILLELMVS Altisiodorensis, Sæcularis, in Summa sua circa materiam tertii Sententiarum, &c. *Turrecrem. part. 6. capit. 28. à tergo. Anonymus Auctore 155. & Barth. de Spina.*

VERITAS. 104.

HIC Doctor non solùm est multiplicatus, sed etiam fictus, quia talis Guillermus Altisiodorēsis Sæcularis nullo modo fuit, sed tantùm Guillelmus Altisiodorēsis Episcopus, & sic Aduersarii adducentes hunc Auctorem, peccarunt ex vna parte, quia auctoritas ab ipsis adducta est ad litteram in Guillelmo Altisiodorensi Episcopo, ex altera etiam, quia argumentum Altisiodorensis adducunt pro ipsius conclusione, quod totum euidenter demonstro: Turrecremata sic ipsum citat: Item ad idem est Dominus Guillermus Altisiodorensis Sæcularis, & famosus Doctor antiquus Vniuersitatis Parisiensis, qui in Summa sua circa materiam tertii Sententiarum quærens, vtrum Christus fuit decimatus in lumbis Abrahæ sic dicit: *Beata Virgo fuit duobus modis in lumbis Abrahæ, per actum enim concupiscentiæ, & non de Spiritu Sancto concepta fuit, & ideò contraxit peccatum originale. Et ideò Mauritius, Episcopus Parisiensis prohibuit, ne festum de Conceptione ipsius celebraretur in Ecclesia Parisiensi. Hæc ille.* Anonymus similiter in classe de Doctoribus Presbyteris Sæcularibus, in scientia famosissimis sic inquit: Idem tenet Dominus Guillielmus Altisiodorens. Doctor Parisiensis antiquus in Summa sua circa materiam tertii Sententiarum dicens: *Quòd Beata Virgo contraxit originale peccatum, & propter hoc Mauritius Episcopus Parisiens. prohibuit, nè festum Conceptionis eius celebraretur Parisiis. Hæc ille.* Execrabilior omnibus est auctoritas adducta à Bartholom. de Spina, vide ipsam infrà in Mauritio, numero 215. licèt non expresserit, an fuerit Sæcularis, vel Episcopus. Hæc ergo, quæ de Guillermo, vel Guillelmo Sæculari citant Aduersarii, extant in Guillelmo Altisiodorensi Episcopo. Nam in libro ipsius, cuius titulus est: Summa aurea in quatuor libros Sententiarum, impress. Parisiis apud Franciscum Regnault. & altera à Guillermo de Cuercu, diligenti admodum correctione emendata, impressa etiam Parisiis, apud Nicolaum Vultier, & Durandum Gieler anno 1500. in fol. & ad finem habet: Aurea Summa Guillelmi Altisiodorensis Præsulis auricomis, &c. extat etiam Manuscripta in Bibliotheca Sanctæ Ecclesiæ Toletanæ, in fol. In hoc ergo Sententiarum opere lib. 3. cap. 3. fol. 115. cuius titulus est: Dicto de prædestinatione Filii Dei, dicendum est: Vtrum Christus fuit decimatus in lumbis Abrahæ, & vtrum eius Sacerdotium sit dignius Leuitico sacerdotio, quod probat Apostolus, &c. vbi sic ad litteram inquit Altisiodorensis.

Ad

Ad illam verò obiectionem, dicendum est, quòd Leui duobus modis fuit in Abraham, scilicèt materialiter, & formaliter; materialiter quia descendit ab eo, à quo deriuata est materia corporis sui; formaliter, quia per actum cõcupiscentiæ ab ipso descendit, & ideò peccatum originale contraxit, propter quod indigebat curatione à peccato originali, quæ curatio fiebat per circumcisionem, per decimationem, per ostias, & huiusmodi: Christus verò non fuit in lumbis Abrahæ nisi primo modo. Non enim descendit ab eo per actum concupiscentiæ sed operatione solius Spiritus Sãcti, per quem sine omni peccato fuit, & ideò curatio in eo locum non habuit, & ideò non fuit decimatus, quia non fuit curatus.

Contra dicta arguitur.

Sed obÿcitur: Christus fuit circunciſus, & in Templo oblatus, quare ſimiliter non dicitur decimatus fuiſſe, licèt non indigeret decimatione, ſicut nec circunciſione?

Solutio: Apoſtolus dicit, quod Christus nõ fuit decimatus in lumbis Abrahæ, propter hoc tantùm, quia Abram non dedit decimas pro eo effectiuè, quoniam nihil valeret Christo, qui nihil penitùs habuit de peccato, circunciſus autem fuit non pro ſe, ſed pro alÿs. Hæc ergo propoſitio, Leui decimatus fuit in lumbis Abrahæ, quia erat in eo, quando decimabatur, falſa eſt, ſi hoc quod dicitur eſſe in eo, intelligatur generaliter.

Sed contra probatur, quòd Chriſtus duobus modis fuit in lumbis Abrahæ. Quia B. Virgo quæ fuit eius caro, fuit duobus modis in lumbis Abrahæ, per actum enim concupiſcentiæ, non de Spiritu Sancto concepta fuit, & ideò contraxit peccatum originale. Et ideò Mauritius Epiſcopus Pariſien. prohibit, ne feſtum Conceptionis eius celebraretur in Eccleſia Pariſien. Si ergo tota caro B. Virginis fuit in lubis Abrahæ duobus modis: ergo & caro Chriſti duobus modis fuit in lumbis Abrahæ. Item tota caro B. Virginis fuit in lumbis Abrahæ decimata: ergo quælibet eius pars fuit decimata; quia non poteſt dici, quarè potius vna, quàm alia, ſed caro Chriſti fuit eius pars: ergo caro Chriſti fuit decimata in lumbis Abrahæ: ergo Chriſtus fuit decimatus in lumbis Abrahæ. Item, tota maſſa humani generis fuit corrupta in Adam; ſed caro Chriſti fuit de maſſa humani generis: ergo caro Chriſti fuit in Adam corrupta: ergo caro Chriſti fuit curabilis: ergo & decimabilis: ergo Chriſtus ſimiliter fuit decimabilis. ergo Chriſtus fuit decimatus cum alÿs decimatis in lumbis Abrahæ. Item cum dico caro Leui. &c.

Solutio. Dicimus, quòd hæc propoſitio: caro Chriſti fuit decimata in lumbis Abrahæ, vera eſt per accidens, ſub illo tropo loquendi, quo aliquid attribuitur materiato pro materia ſua, ſed per ſe loquendo, falſa eſt. Non enim caro Chriſti fuit, decimata in lumbis Abrahæ, in quantum caro Chriſti, nec etiam materia carnis Chriſti in quantum materia carnis, quia nunquam indigebat curatione. Secundùm hoc, non valet hæc argumentatio: omnis caro deſcẽdens ab Abraham fuit decimata in lũbis Abrahæ. ſed caro Chriſti fuit deſcendẽs ab Abrahã: ergo caro Chriſti fuit decimata in lumbis Abrahæ. Sicut hæc argumentatio non valet: omnis triãgulus habet tres angulos æquales duobus rectis, ſed Iſocheles eſt talis: ergo Iſoche. habet tres angulos æquales duobus rectis, licèt concluſio ſit vera per accidens, &c. Hæc ſunt omnia verba Altiſiodorenſis pertinẽtia ad hãc materiam; ex quibus patet. Primò, quòd Aduerſarii finxerunt hunc Guillermum Altiſiodorenſem Sæcularem, vt multiplicarent alterum Auctorem pro ſua ſententia, quia ex ipſomet libro conſtat, hunc fuiſſe Epiſcopum, ſed de hoc vide numerũ ſequentẽ. Secundò, patet quòd Turrecremata vitiauit textum, prætermittendo totum illud: *Sed contra probatur, quòd Chriſtus duobus modis fuit in lumbis Abrahæ, quia Beata, &c.* ſed incepit abſolutè, & ſimpliciter ab illis verbis; *Beatâ Virgo*; ſi autem hoc fecit dolosè, tu iudica. Item eadem intentione tacuit illa verba, *quæ fuit eius caro*, quia poſitis iſtis, ſtatim cognoſceretur aliqua deeſſe verba. Tertiò, colligitur, quòd Anonymus totam adulterauit auctoritem à primo vſque ad vltimum verbum quæ nõ eſt neceſsè ſiguillatim exprimere, quia de ſe patet. Quartò, conſtat etiam, quod Aduerſarii omnes tam Turrecremata, quàm Anonymus hic citati, quàm numero ſequenti citandi, falsò (vt non dicam iniquè) argumentum Altiſiorenſis factum contra ſuam concluſionem, adducunt pro reſolotione, & concluſione Altiſiodorenſis. Vide num. ſequentem; nam hic ſat eſt oſtendiſſe illud: Quòd vani filii hominum, & mendaces in ſtateris ſuis, vt decipiant ipſi de vanitate in id ipſum.

GVILLIELMVS, Altiſiodorenſis Epiſcopus, in Summa ſua de Diuinis officiis, cap. de Natiuitate B. Virginis, & in 3. lib. ſuæ Summæ. *Turrecremat. part. 6. cap. 28. fol. 112. à tergo Anonym. Auctore 161. Bandel. cap. 21. Deza fol. 35. à tergo. Petr. de Vincẽtia. Gryſald. Socin. Capreolus.*

VERITAS 105.

ATTENDE, ò Lector! & videbis mirabilia. Anonymus, qui numero 155. adduxerat Guillelmum Altiſiodorenſ. Sæcularẽ, vt vidimus, infrà Auctore 161. iterum inquit: *Idem tenet Dominus Guillelmus Altiſiodoren. in Summa de Diuino officio cap. de Natiuitate Virginis*, & nullam adducit auctoritatem. Turrecremata, qui

in

in principio cap. 28. adduxerat Guillermum Altisidonen. ad finem eiusdem cap. sic inquit: Item ad idem est Dominus Guillermus, Episcopus Antesidorien. in Summa sua de Diuinis officiis, qui in cap. de Natiuitate B. Virginis, ita prosequitur: *Quarta solemnitas est de Natiuitate eiusdem, quando mundo nata est ea, quæ sanctificata fuit in vtero, sicut dicitur in Psalmo: sanctificauit tabernaculum suum Altissimus. De Conceptione enim eius non faciunt festum multæ Ecclesiæ, quia concepta fuit in peccato originali. Hæc ille.* Nota ergo, o Lector! quòd Turrecremata, & Anonymus, vt in nullo dicerent veritatem; verba, & auctoritatem, quæ erant Guillelmi Altisiodorensis Episcopi, tribuerunt cuidam Guillermo Sæculari ab ipsis fictò. Peruenientes verò ad Auctorem verum hunc, vt non iterum repeterent auctoritatem sui Guillermi Sæcularis, existimantes, quòd ex ipsa statim deprehenderetur fraus, finxerunt aliam auctoritatem, quam hic apposuerunt, desumentes eam ex alio tertio Guillelmo, scilicèt Durando; Guillelmus autem Durantus est ab Aduersariis septies multiplicatus in hac area, vt videbimus, latè numeris sequentibus, & sic iam iste est octies multiplicatus.

Redeundo ergo ad auctoritatem adductam à Turrecremeta pro Altisiodorensi Episcopo, dico, quòd Guillelmus Altisiodorensis nullo modo scripsit Summam de Diuinis officiis (& circa hoc nihil est curandum de Antonio Possseuino fol. 698. quia deceptus fuit ex verbis Gesneri fol. 290. & Gesnerus ex Turrecremata & Bandello) sed scriptor illus Summæ de Diuinis officiis fuit Guillelmus Durandus, Mimatensis Episcopus. Hic ergo in Rationale Diuinorum officiorum, siuè Summa de Diuinis officiis lib. 7. cap. 23. de Natiuitate B. Mariæ fol. mihi 449. sic inquit: *Festum Natiuitatis B. Mariæ Virginis, quando videlicèt in mundo nata est, ideò celebratur, quia fuit in vtero sanctificata, iuxta illud Psalmi: sanctificauit tabernaculum suum Altissimus, in hoc festo legitur Genealogia Saluatoris, &c.* Ex hoc Auctore, libro, capite, & verbis suâ auctoritatem fabricauit Eminentissimus Cardinalis Turrecremata, sed qua fidelitate, tu vides: Nam primò addidit ex propriis omnia verba illa: *Quarta solemnitas est de Natiuitate eiusdem*, quæ in Guillelmo sic extât: *Festum Natiuitatis B. Mariæ Virginis.* Secundò, omnia sequentia verba vitiauit, mutando, ac transmutando, de quibus pro nunc non curo. Tertia verò, ac præcipua adulteratio, fuit illa vltimæ clausulæ, vbi ex prorio cerebro addidit: *De Conceptione enim eius non faciunt festū multæ Ecclesiæ, quia concepta fuit in peccatu originali.* Quorum verborum nec minimum extat in Guillelmo Durando. Patres, nollem dare vobis vllam offensionem, vt non vituperetur ministerium nostrum apud hæreticos, sed necesse est pro veritate clamare, & exaltare vocem contra mendacia.

Videntes ergo Bandellus, Deza, ac Vincentia, omnia hæc Turrecrematæ, & Anonymi esse aperta figmenta prætermiserunt sub silentio illum Guillermum Sæcularem fictum, & auctoritatem ex Summa Diuinorum officiorum, & solùm adduxerunt Guillelmum Altisiodorensem Episcopum sic: Multi etiam alii Doctores antiqui in Theologia famosissimi, qui glorioso in Ecclesia libros ediderunt protestati sunt, propter prærrogatiuam Saluatoris, B. Virginē in originali peccato fuisse conceptam. Dominus Guillelmus Altisiodorensis Episcopus in 3. libro suæ Summæ sic dicit: *Quia B. Virgo Maria fuit in lumbis Abrahæ secundùm rationem seminalem, & ab eo descendit per actū concupiscentiæ, contraxit in sui Cōceptione peccatū originale. Et propter hoc Mauritius Episcopus Parisiensis prohibuit, ne festū Cōceptionis ipsius Parisiis celebraretur. Hæc ille.* Eadē verba habet Petrus de Vincētia, nulla mutata syllaba. Ex his Aduersariorum verbis iterum comprobatur, omnia supra posita à Turrecremata, & Anonymo, fuisse chymericam fictionem, excogitatam solùm ad multiplicandum Auctores.

Restat nunc ventilare, qua veritate fideles illi circa Auctorem, Bandellus, Deza, & Vincentia, transcripserunt Altisiodorensis auctoritatē; Auctoritas iterum repetita sic se habet: *Sed contra probatur, quòd Christus duobus modis fuit in lumbis Abrahæ. Quia B. Virgo, quæ fuit eius caro, fuit duobus modis in lumbis Abrahæ. Per actum enim concupiscentiæ, non de Spitu Sancto, concepta fuit, & ideò contraxit peccatum originale, & ideò Mauritius Episcopus Parisien. prohibit, nè festum Conceptionis eius celebraretur in Ecclesia Parisien.* Hanc auctoritatē vitiarunt in sequentibus: Primò, prætermiserūt totum illud, *sed contra probatur, quòd Christus duobus modis fuit in lumbis Abrahæ.* Secundò, eodē modo tacuerunt illud, *quæ fuit eius caro.* Tertiò, vbi Altisiodorensis, *fuit duobus modis in lumbis Abrahæ*; ipsi absolutè, *fuit in lumbis Abrahæ.* Quartò, pessimè addiderunt illud, *secundùm rationem seminalem.* Quintò, finxerūt illud, *& ab illo descendit per actum concupiscētiæ*, mutantes sic sensum, & orationem. Sextò, prætermiserunt illa verba, *non de Spiritu Sancto concepta fuit*, quæ clausula cardo est, & fundamentum totius auctoritatis. Septimo, addiderunt vocem illam, *in sui Conceptione.* Octauo, vbi Altisiodorensis, *in Ecclesia Parisien.* ipsi ad maiorem latitudinem apposuerunt, *Parisiis*, vt sic comprehenderent, non solùm Ecclesiam, sed totam ciuitatem. Si ergo in vna auctoritate habente quatuor lineas sunt septem adulterationes capitales, & si addas num. ante-

ce-

cedenti patratas à Turrecremata, & Anonymo erunt quatuordecim; & quomodo hæc pauperrima auctoritas, dilacerata tacebit?

Ex doctrina contenta in illo primo argumẽto Altisiodorensis duo colliguntur. Primum, quòd conclusio ipsius erat hæc: Leui fuit in lũbis Abrahæ materialiter, & formaliter; materialiter, quia descendit ab eo; formaliter, quia per actum cõcupiscentiæ fuit genitus: Christus autem solùm fuit materialiter, quia ab illo descendit, non autem formaliter, quia non fuit cõceptus per concupiscentiam, sed operatione Spiritus Sancti; ideò Leui fuit cum peccato originali, non autem Christus, Leui decimatus, nõ Christus. Contra hanc doctrinam argumentabantur Aduersarii (vel nomine ipsorum ipsemet Altisiodorẽsis) sic: Sed contra probo, quòd Christus fuit duobus modis in lũbis Abrahæ materialiter, & formaliter, sicut Leui: & probo sic; quia B. Virgo, quæ fuit caro Christi, fuit duobus modis in lumbis Abrahæ, materialiter, & formaliter; materialiter, quia descendit ab Abrahã; formaliter, quia fuit genita per actum concupiscentiæ, non de Spiritu Sancto, & ideo Maria contraxit peccatum originale, quare Mauritius, &c. Et ad hoc argumentum respondit Altisiodorensis, vt supra vidimus numero antecedenti, quis ergo sanæ mentis dicere audebit, contenta in tali argumento esse sententiam Altisiodorensis? Secudùm quod colligitur est, quòd Mauritius prohibuit, nè in Ecclesia Parisiensi celebraretur festiuitas Conceptionis, quare? ratione assignant Aduersarii, & Altisidiorẽsis sic; quia Maria *per actũ cõcupiscentiæ, non de Spiritu Sancto, concepta fuit, & ideò contraxit peccatum originale. Et ideò Mauritius prohibit; nè festum Conceptionis celebraretur.* Et quando Ecclesia Parisiensis volebat celebrare festiuitatem illam Conceptionis? die octaua Decembris, sicut celebrabat Ecclesia Lugdunensis, sed noluit, quòd celebraretur; quia in illo die fuit concepta per actum concupiscentiæ Ioachimi, & Annæ: ergo antiqui generationem Mariæ, & actum carnalem parentum vocabant Conceptionem? Hæc consequẽtia est euidens sicut & hæc: Ergo Mauritius existimabat, quòd Lugdunenses die octaua Decembris celebrabant actum carnalem, vel actum concupiscentiæ, quo Maria fuerat genita, vel concepta à parentibus? Quid ergo mirũ quòd sub hac æquiuocatione prohiberet, nè festum Conceptionis celebraretur? Sed de hoc latiùs infrà in Mauritio num. 215.

GVILLIELMVS Canonista in Summa sua Titulo de Feriis. *Ita Turrecremata par. 6. cap. 36. fol. 126. S. Antonin. Serm. de Concept.*

VERITAS 106.

TVRRECREMATA Prælegato capite 36. in quo agit de Canonistis Doctoribus, sequentibus suam opinionem, adducit primo Guillielmum Durantum, in Speculo Iudiciali. Secundo, citat pro Auctore distincto Speculum Iuris, quod dicitur Summa Summarum. Tertio, immediatè infra adducit hunc Guillielmum sic: Item ad idem est Guillielmus in Summa sua de Iure, titulo de Feriis, ita dicit: *Festum Annuntiationis B. Virginis celebre est, sed de eius Conceptione non debet fieri, quia concepta fuit in peccato. Hæc ille.* Quarto, Infrà citat, & adducit Guillielmum Episcopum Metensem, in apparatu super Raymundum. Quinto, cap. 28. inter Auctores Theologos, adducit Guillermũ Durandi in Rationale de Diuinis officiis. Sexto, in Guillermo Antisiodorensi adducit auctoritatem Guillielmi Duranti ex Summa de Diuinis officiis, vt vidimus numero antecedenti, sicque Turrecremata ex vno indiuisibili Auctore fabricauit sex distinctos, quibus adde Compilatorẽ Speculi, quem adducit Anonymus, de quibus egimus supra num. 61. Item Speculatorem, de quo num. 288. & etiam adde Vvilliermum in Summa sua, de quo loquemur infrà num. 313 & sic inuenies Auctorem istum non solùm septies, sed octies esse multiplicatum, & etiam addere possumus nonum, scilicèt Guillielmum Cancellarium, de quo num. 113. Nam Aduersarii in hac materia quasi contendebant in agone, quis eorum videretur esse maior in multiplicationibus.

Quantum ad auctoritatem adductam à Turrecremata vno verbo dico, esse fictam, quia tota illa clausula: *Festum Annuntiationis B. Virginis celebre est, sed de eius Conceptione non debet fieri,* est supposita, est solùm extant in Guillielmo illa: *quia concepta fuit in peccato*: vide numerum sequentem. Cùm ergo Auctor iste fuerit toties multiplicatus, & ex Ordine Prædicatorum, vt in sequentibus patebit, cùm omni solemnitate dicere possumus: Requiescat in pace.

GVILLIELMVS Durandi, Miniatensis Ecclesiæ Episcopus, Cancellarius Parisiensis, in suo Rationali de Diuinis officiis titulo, vel cap. de Purificatione. *Turrecrem. cap. 28. fol. 112. Anonym. Auctore 159. Bãdel. capit. 20. Dezafol. 35. Gryfald. atque Barelete.*

VERI-

VERITAS 107.

QVIS, Vel qualis fuerit hic Auctor, numero sequenti latiùs examinabimus, simulque comprobabitur esse multiplicatum, non quomodocumque, sed octies, & sic absque alio examine transeo ad auctoritatem, quam sic adducit Turrecremata: Item ad idem est Dominus Guillermus Durandi, qui in suo Rationali de Diuinis officiis, loquendo de festis B. Virginis in titulo de Purificatione eiusdem, ita ait: *Quidam etiam faciunt quintum festum, scilicèt, de Conceptione B. Mariæ dicentes, quòd sicut celebratur de morte Sanctorum, non propter mortem, sed quia tũc recepti sunt in nuptiis æternis, similiter celebrari potest festũ Conceptionis, non quia sic concepta sancta, quia in peccato est cõcepta: Sed quia Mater Domini est concepta; asserentes, hoc fuisse reuelatum cuidam Abbati in naufragio constituto: quod tamen non est authenticum; vndè non est approbandum, cùm concepta fuerit in peccato. Verum licèt cõcepta fuerit in peccato, dimissum est ei illud originale peccatum, & sanctificata fuit in vtero, sicut Hieremias, & B. Ionnes Baptista, quare meritò eius Natiuitas, & B. Ioannis celebratur. Hæc ille.* Bandellus verò sic illam adducit: Idem tenet Dominus Guillielmus, Sanctæ Miniatensis Ecclesiæ Episcopus, Doctor in Iure, & in sacra Doctrina peritissimus, in Rationale Diuinorum officiorum, in 7. part. cap. de Purificatione B. Virginis sic dicens: *Quidam faciunt festum de Conceptione B. Virginis dicentes, quòd sicut celebratur de morte Sanctorum, non propter mortem, sed quia recepti sunt in æternis nuptijs, sic & de Conceptione Virginis celebrari potest, non quia sit concepta, quia in peccato concepta est, sed quia concepta est Domini Mater: asserentes, hoc fuisse reuelatum cuidam Abbati in naufragio constituto, quod tamen authenticum non est. Vndè prædictum festum non est approbandum, quia concepta fuit in peccato originali, veruntamen licèt in peccato originali cõcepta fuerit, illud peccatum fuit ei dimissum, quando fuit in vtero sanctificata, sicut Hieremias, & Ioannis Baptista, & ideò meritò eius Natiuitatis, & Ioannis Baptistæ ab Ecclesia celebratur. Hæc ille.* Huic auctoritati addit Bandellus: *Et nota quòd quidã dicunt, hũc fuisse Auctorẽ Speculi, qui post cõpositionẽ illius operis, iam senior effectus edidit hoc opus glorioſum.* Ecce quomodo hic fatetur Bãdellus Durandũ Auctorem Speculi, esse etiã Auctorem Rationalis Diuinorum officiorũ, quod alibi negat. Gryſaldus vocat istum Cancellariũ Parisiensem, & in hoc fallitur, quia Cãcellarius fuit alter Guillelmus, de quo infrà num. 113. & si fuit idem cum vno solo Auctore isto, impleuerunt multiplicationis suæ perfectum nouenarium.

Opus hoc de Diuinis officiis cõmunissimũ est, siquidem fuit impressum Romæ anno 1473. in fol. magno. Neapoli 1478. in fol. Antuerpiæ 1570. Lugduni 1540. in 4. & 1575. & 1605. & 1612. in 8. & 1516. & 1551. & 1574. cũ Ioan. Beleth. Venetiis, & alibi, & sic non transcribo eius auctoritatem, sed ipsam supponendo, ex lib. 7. cap. 7. quod incipit: *Inter cunctos Sãctos*, dico Turrecrematam vitiasse sequentia. Primò, vbi Durandus, *non quia sit concepta*; ipse sic, *non quia sit concepta sancta*, addens malitiosè illud, *sancta*. Secundò, vbi Durandus, *cum concepta fuerit in peccato, scilicèt, per concubitum maris, fœminæ*; Turrecremata abstulit hæc vltima verba, *scilicèt, per concubitum maris, & fœminæ*, videns, quòd ex his verbis euidenter constabat, Durandum hic locutum fuisse de peccato generationis, tenente se ex parte parentum, non ex peccato animationis, quod est ex parte prolis, de quo nostra est controuersia: in aliis benè transcripsit Turrecremata. Bandellus verò more suo super addidit alia grauiora vitia, scilicèt, primum prætermisit illud aduerbium, *etiam*, atque illud, *quintum*, & illud, *scilicèt*, & illud, *similiter*, & illud, *festum*. Item vbi Durandus loquẽdo de miraculo, *quod non est authenticum, vndè non est approbandum*, id est, miraculum; ipse sic, *vndè prædictum festum non est approbandum* vbi Durandus, *cum*, aduerbialiter; ipse, *quia*, cau saliter, & vbi Durandus: *fuerit*, ipse: *fuit*, vbi Durãdus, *in peccato*; ipse addit, *in peccato originali*. Deindè, prætermisit sicut Turrecremata totũ illud *scilicèt, per cõcubitũ maris, & fœminæ*, & etiã illud, *de Cõsecrat. dist. 4. Firmissimè*. Iterũ vbi Durandus, *cõcepta in peccato*; ipse, *in peccato originali*. Item, vbi Durandus, *dimissum est ei illud originale peccatum*; Bandellus sic, *illud peccatum fuit ei dimissũ*, quod enim supra passim addidit, scilicèt vocem illam *originale*, hic prætermisit, quia faciebat relationem de peccato originis. Etiam vbi Durandus, *cùm sanctificata fuerit in vtero*, ipsi sic, *quando fuit in vtero sanctificata*. Item illud, *Natiuitatis*, non facit grammaticam. Denique addidit illud, *ab Ecclesia*. Considera quot, quantaque vitia cõmissa sunt in vna auctoritate, nec possunt dicere, quòd in aliquo originali extant sic verba, quia omnia vidimus, & omnia munda sunt, & habent eadem verba.

Posita veritate, restat ferre iudicium circa sensum adductæ auctoritatis, & sententiã Durandi. nam ex hoc inter omnes antiquos celeberrimo Iurisconsulto, cuius verba prima facie videntur expressè, & clarè contrariã opinionẽ defẽdere, enidãter deducitur, qualis fuerit mens antiquorum Doctorum circa Conceptionẽ B. Mariæ, & celebrationẽ ipsius festiuitatis. Pro

qua

qua ſuppone, aduerſarios malitiosè prætermiſiſſe immediata ſequentia verba, ad ſupra poſitam auctoritatem, quæ ſic ſe habent. *Quare meritò Natiuitas eius, & B. Ioannis Baptiſtæ celebratur. Natiuitas dico ex vtero, quãdo videlicèt in lucem, ſeu in mundo prodierunt. Sed natiuitas eorum in vtero, ſcilicèt, quando infuſæ ſunt animæ in corporibus eorum, non celebratur, vt præmiſſum eſt.* Hæc prætermiſerunt verba Aduerſarii, quia, vt docti, cognouerunt ex illis totam ſuam ruere machinam. Dicit ergo Durandus; Natiuitas Mariæ, & Ioannis merito celebratur, quia fuerunt ſanctificati in vtero: *Sed Natiuitas eorum in vtero, ſcilicèt, quando infuſæ ſunt animæ in corporibus eorum, non celebratur*: ergo Durandus pro certo, & infalibili principio ſtatuit, quod Eccleſiæ illæ celebrantes feſtum Conceptionis Mariæ, non celebrabant infuſionem animæ Mariæ in corpore, ſed aliquid aliud. Compone hoc: Durandus in ſuo Speculo, quod elaborauit iuuenis, affirmat, multas Eccleſias celebrare Conceptionem Virginis, & hic etiam idem affirmat. *Quidam etiam faciunt quintum feſtum, ſcilicèt, de Conceptione, &c.* Et ipſe millies tàm in Speculo, quàm hìc impugnat hanc celebrationem, & ſimul affirmat, quòd Natiuitas Mariæ in vtero, quãdo infuſa fuit anima ſuo corpori, non celebratur: ergo aliam Conceptionẽ impugnat Durandus? ſicut omnes antiqui, qui communiter arma ſua vertebant contra illam primam Conceptionẽ carnis, factam die 8. Decembris, non contra animationem, quia antiqui non vocabant animationem conceptionem, imò illam diſtinguebant à Cõceptione, vt videre eſt ſupra apud Guidonem Archidiaconum num. 99. nam communiter generationem vocabant Cõceptionem, & animationem ſanctificationem. Illam ergo primam Conceptionem impugnabat Durandus, & quod hæc ſic mens eius patet. Primo, ex ipſius verbis, illa conſidera attentè. Secundò, ex malitia Aduerſariorum omnium illa prætermittentium. Tertiò, comprobatur ex illis verbis: *Vndè non eſt approbandum, cùm concepta fuerit in peccato, ſcilicèt, per concubitum maris, & fœminæ*: ergo loquebatur de Conceptione illa facta in concubitu maris, & fœminę. Ioachimi, & Annæ, quàm dicit eſſe cum peccato. Quartò, quia Durandus ſolùm dicit, quòd concepta fuerit cum peccato præcisè, ideò Bãdellus ſollicitè addidit illud: *originale*, & ſi Durandus ſemel nominet originale dicens: *Verũ tamen licèt fuerit concepta in peccato, dimiſſum eſt et illud originale peccatum*: nota verba: *dimiſſum eſt et illud originale peccatũ*, in quo fuerat concepta per concubitum maris, & fœminæ, & hic erat communis modus loquendi antiquorum, qui appellabant peccatum originale, illud peccatum, ſeu peccata commiſſa in generatione, quia generatio illa erat origo prolis. Denique, & vltimo, quia Durandus nunquam dixit, Virginem Mariam contraxiſſe peccatum in ſua animatione, ſed in ſua Cõceptione, cùm vtrumque nominet: ſi ergo eſt verum, vt eſt, atque indubitatum, quòd antiqui Scriptores vt plurimũ, & ferè ſemper, nedũ ferè ſemper, ſed vocabant Conceptionem, illam primam generationem, ſeu concubitum viri & fœminæ, in hac acceptione, quamuis ipſi dixerint millies: Maria fuit concepta in peccato, Mariæ conceptio non eſt celebranda, quid pro vobis, vel quid contra nos?

GVILLIELMVS Duranti in 2. parte Speculi, Titulo, vel Rubrica de Feriis: *Ita Turrecremata part. 6. cap. 36. fol. 125. à tergo. Anonym. via 3. Rat. 9. Auctore 186. Bandell. cap. 19. Dezafol. 29. à tergo. Petr. de Vincent. Gryſal.*

VERITAS 108.

MVTATA In nomine vna ſola littera, Durandi in Duranti, & ſub alia citatione, & auctoritate, iterum adducunt Aduerſarii Guillielmum Durandum ad ſuam aream. Sed nota, quòd hic eſt diſtinctus à Ioanne Stephano Duranto, qui ſcripſit de Ritibus Eccleſiæ Catholicæ, &c. libro 3. impreſſ. Coloniæ annno 1592. in 8. Suppono ergo, hunc Auctorem fuiſſe ex Ordine Prædicatorum, Epiſcopum Miniatenſem, ſcripſiſſeque Rationale, ſiuè Summam Diuinorum officiorum, Speculum Iuris, de Concilio, & alia. Anton. Senenſis fol. 110. latiſsimè probat, hunc fuiſſe ex Ordine Prædicatorũ, & pro hoc adducit varios Auctores. Placẽtinus in ſua Bibliotheca Ordinis Prædicatorum fol. 364. ſic inquit: *Guillielmus Durandus, cognomine Speculator, qui fuit Mimatenſis Epiſcopus, ob inſignem omnium ſcientiarum, etiam Iuris Canonici cognitionem, ſcripſit Summam vtiliſsimam, quã Speculum appellauit, edidit etiam aliud volumen prænotatum, Rationale Diuinorum officiorum, in octo libros diſtributum, &c. claruit circa annum 1279. ſub Nicolao III.* Valentinus Froſterius fol. 627. ſic inquit: *Guillielmus Durandus, Prouincialis Ordinis Prædicatorum, audiuit Hoſtienſem, conſcripſit deindè Speculũ Iuris, quod edidit ann. 1261. &c.* Aubertus Myreus fol. 255. eadem ferè habet, & concludit: *Ad demum Romæ obiit in Cœnobio Dominicanorũ ad Mineruam cõditus.* Michael Pius part. 2. lib. 1. col. 78. ipſum enumerat inter viros illuſtres Ordinis Prædicatorum, ſic dicens ad annum 1279. Italicè: *F. Guglielmo di Durando, Franceſe, fù Veſcouo Menatenſe. Egli fù diſcepolo del gran Giuriſta*

rista Ostiense, & fù huomo eminente in Ciuile, in Canonico, & in Theologia. Hebbe il cognome di Speculatore, da vn libro da lui composto, intitulato, Speculum Iuris. Et adducit Onuphrium, Bergomensem, & Sylueſtrum in Summa, verbo votum, Henr. Spondan. in ſuis Annal. ad ann. 1274. num. 5. inquit: *De Guillielmo Duranto Gallo, Epiſcopo Mimatenſi eximiæ doctrinæ viro, Speculatore dicto à Speculo Iuris in tria volumina, &c.* Ex his, & aliis patet Guillielmum Durandum ſcripſiſſe Speculum Iuris, ab Aduerſariis quater in diuerſis locis hic adductum: & etiam Sūmam de Diuinis officiis, bis etiam adductam: ex eodem libro, ac capite, atq; etiam conſtat, fuiſſe ex Ordine Prædicatorum; licèt aliqui apud Poſſeuinum fol. 702. ipſum faciant Auguſtinianum, quarè autem Aduerſarii adducendo ſeptiesDurandum, ſub expreſſo nomine occultauerint, quod fuerit ex Ordine Prædicatorum, fuit magnum myſterium, ſed non inſcrutabile.

Auctoritatem ſic adducit Turrecremata: Itē ad idem eſt Guillielmus Duranti, in Speculo Iudiciali, qui in Rubrica de Feriis dicit: *Solemnes ſunt feſtiuitates omnes Virginis glorioſæ, non dico de feſto Conceptionis eius, quia concepta fuit in peccato, licèt in multis locis celebretur, nec talem deuotionem reprobo.* Bandellus illam adducit ſic: *Omnes feſtiuitates Virginis glorioſæ ſunt celebrandæ, non dico de feſto Conceptionis, quod celebrandum non eſt, quia concepta fuit in peccato originali, licèt in multis locis ex deuotione celebretur, nec talem deuotionē improbo. Hæc ille.* Legitima verò auctoritas prælegato lib. 2. par. 1. fol. 55. col. 4. & ex originali impreſſo Venetiis anno 1483. & Francofurti 1592. Correctore Alexādro de Neuo tom. 2. fol. 153. ſub hoc titulo: Incipit Speculū Guillielmi Duranti, Epiſcopi Mimatenſis, cum additionibus Ioannis Andreæ, & Baldi ſuo loco vndique poſitis, &c. agens de feſtiuitatibus celebrandis talis eſt: *Omnes feſtiuitates Virginis glorioſæ, non dico de feſto Conceptionis eius, quia concepta fuit in peccato, licèt in multis locis celebretur, nec talem deuotionem reprobo.* Patet ergo, quomodo Aduerſarii gratis addiderunt illud, *ſolemnes ſunt feſtiuitates omnes Virginis glorioſæ*, & illud, omnes feſtiuitates Virginis *ſunt celebrādæ*, quia nullum ex illis extat in Speculo. Præcipua verò, & vnica adulteratio eſt illa Bandelli, *quod celebrandum nō eſt*, hoc deſiderabat Bandellus, quòd diceret Durandus, item eadem intentione addidit illud, *ex deuotione*. Et hæc de littera. Quantum ad ſententiā Durandi, dicimus, hic loquitū fuiſſe, ſicut in auctoritate antecedentis numeri, & ſicut loquebātur omnes antiqui, qui ſumebant cōceptionem, pro generatione facta die 8. Decēbris, quam dicebant non eſſe celebrādam, quia tunc interfuit concupiſcentia, & libido, & quia ibi non dum erat Maria. In hac ergo auctoritate, ſi alia clarior non extat, vacua eſt ſpes illorum, & labor ſine fructu.

GVILLIELMVS, Epiſcopus Metenenſis in Apparatu ſuper Summam Raymundi. *Ita Turrecrem. par. 6. cap. 36. fol. 126. Anonymus Auctore 191. Bandel. cap. 19. Deza fol. 30. à tergo. Petr. de Vincent.*

VERITAS. 109.

PRO Hoc Auctore toties multiplicato, ſub nomine, cognomine, Epiſcopatu, ac libro vt vidimus ſupra num. 61. & 104. & 106. & 107. & 108. atque in hoc 109. & infrà num. 288. & 313. & fortè etiam cum Guillielmo Cancellario exiſtente num. 113. Scire debes Lector, quod circa annū 1250. fuit quidam Ordinis Prædicat. ſcriptor vocatus Ioannes Theutonicus de Friburgo, qui renuntiato Epiſcopatu Boſsinenſi reddidit ad Ordinem, & electus fuit Generalis Magiſter poſt B. Raymundū de Peñafort. & compoſuit Sūmam Confeſſorum, quæ manuſcripta, & impreſſa communiter circumfertur, vt videbimus infrà num. 193. In quadā ſubſcriptione Sum. manuſ. ſic dicitur: *Nota quòd Lector iſte Ioannes, ante compoſitionem huius Summæ Confeſſorum, fecerat Tabulam ſuper Summam Raymundi, & Apparatum eius, &c.* Item in Prologo 1. eiuſdem Summæ Confeſſorum, qui incipit: *Quoniam dubiorum.* Sic inquit ipſemet Ioannes de Friburgo, *Tàm de textu, quàm de apparatu, ſeu Gloſſa Sūmæ venerabilis P. F. Raymundi quondam Magiſtri Ordinis noſtri, qui Pœnitentiarios dirigit, Regiſtrum, ſiuè Tabulam ſecundum Ordinem Alphabeti cum diligentia ordinaui. Secundo, ea, quæ ad emendationem, vel declarationem tàm textus, quàm apparatus eiuſdem Sūmæ à poſterioribus approbatis tradita Doctoribus vtilia videbantur, ipſi Summæ in ſpatio ad ſcripſi, &c.* Ex quibus conſtat, quòd Ioannes nō fecit Sūmæ Gloſſam, ſeu apparatum, ſed tantū Tabulam Alphabeticam, & aliquas additiones interlineales, in Summa ipſa, & in Apparatu. Vide ergo, qua veritate dixit Mic. Pius par. 2. lib. 1. fol. 137. & cum eo alii Nomenclatores Dominicani loquentes de hoc Ioanne Theutonico de Friburgo: *Screſe ſopra la Sōma Raymundina, & vifece la Tauola, & Alpparato, per dicharatione dell vno, & altro texto.* Apparatū enim, ſeu Gloſſam laborauit quidā Vvillielmus, ivt affirmat ipſemet Ioannes de Friburgo, dicēs in 2. Prologo, qui incipit: *Saluti animarū &c. ſic. Similiter cum nominatur hic Gloſſa, ſemper intelligendum eſt de Gloſſa Vvilielmi ſuper Summam Raymundi, niſi alia Gloſſa ſpecificetur, &c.* Si autem hic Vvilielmus eſt Guillielmus

mus Episcopus Metensis, vt hic affirmant Aduersarii, vel alter Guillielmus Celdonensis, vt indicant Anton. Senensis fol. 102. & Placent. fol. 364. incognita res est.

Et solùm mihi interest videre, qua veritate ipsam transcripserunt. Turrecremata sic inquit: Itē ad idē est Dominus Meten. Episcopus Guillielmus in apparatu super Summam Raymundi adiiciens: *Quod quidam dicunt, quòd festum istud est potiùs de sanctificatione eius in vtero, quàm de carnali eius conceptione.* Bandellus verò sic dicit: Idem tenet Dominus Guillielmus Metensis Episcopus, in apparatu super Summā Raymundi, titulo de Feriis: *Festum, inquit, Cōceptionis non debet celebrari, quia fuit concepta in peccato originali: Quidam tamē dicunt, quòd festum illud Conceptionis potiùs est de sanctificatione eius in vtero, quàm de eius carnali conceptione. Hæc ille.* Auctoritas verò formalis in titulo de Feriis, & festis, ac diebus Ieiuniorum fol. 110. loquens Glossator Summæ Raymundi de festo Conceptionis sic se habet: *Quidam tamen dicunt, quòd festum est potiùs de sanctificatione eius in vtero, quàm de carnali conceptione.* Cùm ergo labium veritatis firmum sit,

Dico, Turrecremată fideliter transcripsisse; Bādellum verò iniquè, nam addit totā illam clausulā: *Festū Conceptionis non debet celebrari, quia fuit concepta in peccato originali.* Et alia etiam mutauit, licèt parui momenti. Bene enim cognouerat Bādellus auctoritatē Apparatus nō esse ad rē, nisi addita tota illa clausula. Deindè tā Turrecremata, quā Bandellus, falsò, & absq; fundamēto adduxerunt hunc auctorem, & Auctoritatē; nam Glossatoris verba sunt: *Quidam tamen dicunt, quòd festū, &c.* si ergo volebant adducere pro se hanc auctoritatem, iuxta veritatē loquendo, debebant sic dicere: *Idem tenet Dōminus quidam de Tamen dicunt, &c.* nam aliter qua ratione, vel causa possunt adducere pro se hūc Apparatū? loquitur enim Auctor illius secūdùm aliorum sententiam, non suam; si in Scholasticis disputationibus est bona illatio, quidam dicunt Virginem Mariam fuisse conceptam in peccato originali: ergo fuit. Adducite pro vestra opinione omnes Doctores nostros & nos adducemus vestros, quia omnes dicunt. Sed admittamus auctoritatem; & ventilemus ipsam. Auctor iste antiquus affirmat, quòd suo tempore quidam dicebant; in festiuitate Conceptionis potiùs celebrari sanctificationem Mariæ in vtero, quàm eius carnalem conceptionem: ergo omnes alii, exceptis illis quibusdam, vnanimiter affirmabant in festiuitate Conceptionis Mariæ celebrari eius carnalem conceptionem in vtero: hæc autem erat ignorantia crassa, & pessima, & sic opinantes barbari, contra hos rectè, sanctè, ac doctè insurgebant Doctores periti, dicentes, quòd illa carnalis conceptio nō erat celebranda; quia illa fuit in peccato concupiscentiæ, libidinis, carnalis delectationis, &c. sed si dies illa erat festiuanda, hoc debebat esse per ordinem ad sanctificationem, vel animationē. Videtis nè Patres, clarè, & aperte ex ipsismet vestris Doctoribus, quid intelligebant antiqui nomine Conceptionis? Et quid impugnabant, quando dicebant, festiuitatem Conceptionis non esse celebrandam? Qui hoc non vidit, & intelligit, nec videre, nec intelligere vult. Quis approbabit hāc cōsequentiā: festiuitas Cōceptionis celebratur propter sanctificationem: ergo Maria contraxit originale, vel illam: prima carnalis coceptio non debet celebrari: ergo nec secunda animationis? Quia eodem modo diceretis Conceptio non debet celebrari, quia fuit in peccato: ergo neque Natiuitas.

GVILLIELMVS, De Gannaco, vel Gaanco, Ordinis Prædicatorum, in Tractatu de vera innocentia Matris Dei. *Ita Ioann. Capreolus fol. 13. & ex illo Paul. Soncinas.*

VERITAS 110.

AVCTOR Iste, vt diximus in Tritulatione num. v. adducitur à Ioanne Capreolo, & Paul. Soncinate in 3. Sent. dist. 3. Referendo enim Doctores pro sua opinione sic dicunt: *Richardus de Media-Villa; & multi alij, quorum dicta recitat Frater Guillielmus de Gannaco in Tractatu, quem super hac materia edidit, & intitulatur de vera innocentia Matris Dei.* Et nihil amplius. Eiusdem mentionem faciunt ex modernioribus Paulus Cortesius Prothonot. Apostolicus super Senten. lib. 3. fol. 27. à tergo, & Ægidius à Præsentatione lib. 3. de Concept. quæst. 1. artic. vnico fol. 156. sed vocat eum Ioānē de Guanaco, nescio quo fundamēto, nam Capreolus, & Sōcinas in omnibus originalibus appellant illum Guillielmum, non Ioannem; Cortesius, & Ægidius huius incogniti Scriptoris notitiā sumpserunt ab vno Capreolo; nam nullus alius, Doctor seu Nomenclator antiquus in tota litteratura Ecclesiastica communi, nec particulari Dominicana de tali Guillielmo de Gannaco mentionem facit: quod sic demonstro.

Primo, Anton. Senensis in Biblioth. fol. 101. adducit quendam Guillielmum de Caneo, qui scripsit super Sententias, & aliqua alia, & floruit ad ann. 1312. folio verò 98. meminit cuiusdam alterius Guillielmi Parisiensis, confessarii Philippi Regis Francorum, qui scripsit solùmmodo, Tabulam, seu Repertorium Decretalium. De hoc, vel alio Guillielmo, Ordinis Prædicatorum, & Episcopo Ebroicensi, confessario Caroli VI. qui ad annum 1387. cum aliis Monti-

ſoniſtis acriter, & non abſque magno ſcandalo in Vniuerſitate Pariſienſi ſuam conatus eſt defendere opinionē; inquit ſpondanus in Annal. num. 7. fol. 636. circa finem. *Inter eos qui palinodiam canere compulſi ſunt, fuit Guillielmus de Valone ex eodem ordine, Epiſcopus Ebroicienſis, Regis Cōfeſſarius, qui & propterea tanquā infamis pulſus eſt: Statuitque Rex nunquā deinceps ex eo Ordine confeſſarium eligere, &c.* De hoc etiam mentionē facit Robert. Gaguinus in ſua Hiſtor. Gallica, & in Prohæmio ſui tract. de Conceptione editi contra Vincentiū Bādellū de Caſtronouo. Hic præceſſit Capreolum, fuit ex Ordine Prædicatorū, & appellatus Guillielmus, actandē ſuſtinuit opinionem minus piam, ſed nō cōſtat ipſum cognominatū fuiſſe de Gannaco, nec ſcripſiſſe tractatum illum de vera innocentia Matris Dei. Sed potuit eſſe, quòd illud cognomen *de Valone*, eſſet nationis, illud vero *de Gannaco* proprium natalitii. Sed quidquid ſit de nomine, ſi iſte abiurauit publicè ſuā opinionē, & vt ab infamia liberaretur, ſuſtinuit noſtrā, ſentētiam inter noſtros debet computari, Placentinus fol. 364. meminit etiam cuiuſdam Guillielmi de Cāneo. Ioan. Mich. Pius, par. 2. lib. 1. col. 130. ad ann. 1309. adducit Guillielmum de Cāneo ſcriptorē ſuper Sententias, & infrà col. 136 ad ann. 1312. adducit alterum Guillielmum de Canneo, vel de Cunneo, qui ſcripſit itidem ſuper Sententias, & aliqua ſpiritu alia; ac demum par. 2. lib. 2. col. 165. ad ann. 1335. refert alterū Guillielmum de Guanto, primo Magiſtrum ſacri Palatii, & poſteà Epiſcopum Vienenſem, ac tandem Archiepiſcopum Toloſanū; ſed de eius ſcriptis nihil dicit. Petrus Frizon in ſua Gallia purpurata lib. 3. fol. 398. & Monſiur de Aubery in Hiſt. generali Cardinalium tom. 1. fol. 557 & Ciaconius tom. 1. col. 944. mentionē faciūt de quodam Guillielmo de Chanaco, Lemouicenſi, qui obiit Auinione ann. 1394. Sed iſte fuit Cardinalis Benedictinus, non Dominicanus, Decretorum Doctor, non Theologus, nec ſcimus quod aliquid ſcripſerit. Non ergo cōſtat de hoc Guillielmo de Gannaco, & multo minùs de opere illo, ſeu tractatu de vera innocentia Matris Dei.

Secundò Auctor iſte etiam fuit ignotus Turrecrematæ, Bandello, Anonymo, atque Vincentiæ, & Gryſaldo, &c. qui poſt Capreolum omnes, & poſt Soncinatem aliqui, ſcripſerunt libros, & integra opuſcula, pro ſua opinione de ſanctificatione Virginis, recolligendo Auctores, præſertim ex ſuis à dextris, & à ſiniſtris, & tamen de propoſito Guillielmo de Gannaco nullam faciunt mentionem: vrgetur hoc: quia opera Ioann. Capreoli, & Paul. Soncinatis ſemper fuerunt cōmuniſſima inter Scholaſticos, maximè Thomiſtas, inſuper in originali Bandelli correcto à Deza manuſcripto exiſtente in Biblioth. S. Eccleſiæ Toletanæ ad finem extat tota quæſtio Capreoli de verbo ad verbum. Quare ergo nullus Aduerſariorum ex ſupra enumeratis adduxit Guillielmum de Gann. co pro ſua opinione? Tantum me premit hæc difficultas Gannaca, quòd niſi ipſam reducam ad poſſibile inuenire no poſſum ſolutionē adęquatā: Dicere, quòd tanti doctiſſimi Scriptores non viderunt ſuum Capreolum, videtur temeritas, ſed eſt poſſibile, & magis poſſibile, ſi conſideras, o Lector! quòd illi peritiſſimi Scriptores in ſuis fecūdiſſimis Cathalogis nec ipſummet Capreolum adducūt, vt videbimus infrà num. 161. Dicere, quod exiſtimarunt iſtū Auctorem adductum à ſuo Capreolo, fuiſſe fictum, ac ſuppoſitum, durum videbitur, ſed eſt poſſibile, & magis poſſibile, quia nullus Nomenclator Dominicanus de ipſo mentionem facit, Dicere, quòd illum prætermiſerunt, quia ille tractatus, *de vera innocentia Matris Dei*, erat pro noſtra ſententia & noluerunt occulta producere in lucem, videtur res difficilis; attamen poſſibilis eſt, & magis poſſibilis, videndo quod tractatus ille in ipſomet ortu ſepultus eſt à Patribus Dominicānis, & obliuioni traditus, tanquam mortuus à corde.

GVILLIELMVS OKam, Ordinis Minorum in 2. Sentent. diſt. 3. quæſt. 1. in ratione 6. alii diſt. 30. artic. 1. *Anonym. Auctore* 102. *Bandel. cap. 24. Deza fol. 45. Spina par. 6. cap. 4. Vincētia. Capreol. Soncinas, Gryſal*

VERITAS. III.

GVILLIELMVS OKam, vel Occhamus, Ordinis Minorum, & Scholæ Nominalium Princeps, qui floruit ad annum 1320. notiſsimus Auctor eſt inter Theologos. Eius auctoritatem ſic adducit Anonymus: Idem tenet Doctor Guillielmus Ocham, Doctor ſubtilis, qui vt fertur, ſubtili elemento purgatus vitam finiuit. Hic in 2. Sentent. diſt. 3. in ratione 6. argumenti, ſic dicit: *Dico, quòd B. Virgo fuit concepta in originali peccato, tum quia Gloſſa ad Rom. 5. dicit, quòd omnes homines ab Adam ſeminaliter propagati, ſunt ſub peccato originali geniti. Tum quia dicit Auguſtinus, quòd omnes, qui fuerunt per Chriſtum viuificati, fuerant per Adam ſpiritualiter mortui. Tum quia Auguſtinus, & Magiſter dicunt, quòd originale peccatum omnes homines trahunt, qui per concupiſcentiam viri, & mulieris naſcuntur. Tum quia, & non fuiſſet redempta, nec indiguiſſet medico, imò ſi Chriſtus non fuiſſet natus, nec mortuus regnum cœlorum intraſſet, quia ſemper fuiſſet iuſta. Tum etiam quia mori non debuiſſet ſicut probat Anſel-*

ſelmus in libro, Cur Deus homo. Nec dicant, quòd in talibus communibus locutionibus ſemper excipiatur Virgo Maria, quia pari ratione poſſemus excipere Hieremiam, & Ioannem Baptiſtam, cum de illis ſit ſcriptum, quod fuerunt in vtero ſanctificati. Hoc etiam quod dicunt, eius derogare dignitati non eſt verum, quia ita deberent conſequenter dicere, quòd derogat eius dignitati, quòd fuerit concepta ex virili ſemine & cum libidine parentum, imò pertinet ad eius dignitatem, & officiũ, quòd de tam humili ſtatu, qualis eſt ſtatus noſter, in ſui Conceptione, qui eſt ſub ſeruitute peccati, ſit ad tantàm excellentiam per mortem Filij ſui Saluatoris noſtri perducta, quod ſit ſuper omnes Angelos exaltata. Hæc ille. Bandellus verò, atque Spina ſic hanc auctoritatem tranſcribunt: Idem tenet Guillielmus Ocham, Doctor Pariſienſis, eiuſdem Ordinis Minorum, in 2. Senten. diſt. 30 Articul. 1. ad ſextum dicens: *Concedo, quòd Beata Virgo Maria fuit concepta in peccato originali; ſicut ſatis patet per auctoritates Auguſtini, & Anſelmi allatas. Veriſimile tamen eſt, quòd modico tempore, & quaſi per inſtans fuerit in peccato, & poſteà ſanctificata.* Iſtæ ſunt auctoritates adductæ ab Aduerſariis ex Guilielmo OKamo, quæ à primo vſque ad vltimum verbum ſunt fictæ, falſæ, ac ab ipſismet fabricatæ, nec ſolùm ipſas ſecundùm ſe totas, ſed etiam ſecundùm partes, quia auctoritates Gloſſæ, Auguſtini, & Anſelmi etiam ſunt fictæ.

Conſtat hoc: nam Ochamus in ſuo opere in quatuor libros Sententiarum impreſ. Lugduni anno 1495. in 4. regali, non procedit per diſtinctiones, niſi ſolùm in primo Sententiarum, nec habet articulos; in ſecundo, tertio, & quarto, tantum per quæſtiones. Quæſtio verò 3. ſecundi Sent. talis eſt: *Vtrum ex hoc, quòd aliquis moueat, vt finis, ſequatur ipſum habere aliquid reale eſſe extra animam, &c.* qui ergo ex hac quæſtione finxit auctoritatem ſupra poſitam, certè quòd habuit eſſe extra animam! Itẽ Ochamus in illo ſecundo Sententiarum non peruenit ad quæſtionem 30. ſed ſolùm ad 26. Cõcludo ergo affirmãdo, quòd neque in 1. neque in 2. neque in 3. nec deniq; in 4. Sentẽt. non extant tales auctoritates, nec illarum vmbræ. Ideò quæſiui alia Ochami opera, Theologica & in Quodlibetis impreſsis Argẽtinæ anno 1491 lib. 3. quæſt. 9. fol 31. excitat hãc quæſtionem. *Quæſtio 9. vtrũ B. Virgo poterat extitiſſe in peccato originali, tantũ per inſtans.* Ad quã ſic reſpõdit: *Et videtur primo, quòd ſic, quia nõ includit contradictionẽ, eam ſic extitiſſe: ergo, &c. Cõtra, quia ſi ſic, tunc inſtans fuiſſet immediatũ inſtanti, quia peccatum illud, & gratia, non extitiſſent ſimul in eodem inſtanti: ergo in alio nõ mediato, quia in tempore intermedio, nec fuiſſet in peccato, nec in gratia, &c. Secundo, circa ſecundùm articulum, dico, quòd ſi placeret Deo, deleret culpam originalem, per non imputationem, & non obligationem ad aliquam iuſtitiam, poſſet tunc Beata Virgo extitiſſe in originali peccato tantum per inſtans; quia nullam contradictionem includit, quod in primo inſtanti ſit debitrix iuſtitiæ originalis, & tamen quòd in illo inſtanti nec ante velit Deus ab ea exigere illam iuſtitiam, ſiuè non imputare ſibi carentiam iuſtitiæ ad culpam. Et accipio hoc imputare largè, prout imputatur culpa originalis, quia propriè nõ imputatur aliquod peccatum alicui, niſi quod eſt in eius poteſtate. Hoc patet, quia nullam includit contradictionem; quod Deus nolit in aliquo inſtanti poſt primum inſtans, ſi perſeueret in via eam punire pro delictis parentum: ergo nõ eſt conditio, quod peccatũ originale, ſic remaneat tantùm per inſtans. Secundo dico, quòd ſi peccatum originale deleatur per gratiam creatam, & gratia ſit indiuiſibilis, ita quòd non poſsit acquiri per motum, quod non potuit ſtare in peccato originali tantùm per inſtans, quia hoc includit contradictionem: cuius ratio eſt, quia omne indiuiſibile habet primum inſtans ſui eſſe: ergo cum peccatum, & gratia non poſsint eſſe in eodem inſtanti, propter contradictionem, oportet, quòd ſint in diuerſis, & non poſſunt eſſe in inſtantibus mediatis, quia tunc tempore medio neque eſſet ſub peccato, neque ſub gratia: ergo ſunt in inſtantibus immediatis, quod eſt contradictio. Tertiò dico, quòd ſi gratia ſit diuiſibilis in infinitum, ita quod poſſet induci per motũ, non includit cõtradictionẽ, quòd tunc eſſet in peccato originali per inſtans, & in nullo inſtanti poſteà careat omni parte gratiæ: ſic nõ includit cõtradictionẽ, quòd aliquid careat albedine in primo inſtãti, vel careat aliqua parte loci, & quòd in nullo inſtãti pòſt careat omni parte albedinis, & omni parte loci: & ſecundũ hoc oportet dicere, quòd acquiſitio charitatis eſt verè motus, & nõ creatio propriè dicta, quamuis poſsit dici creatio pro tãto, quia à ſolo Deo poteſt cauſari. Ad argumentũ principale patet ex dictis, quòd ſi originale peccatũ deleatur per gratiã indiuiſibilem, non potuit extitiſſe in peccato originali per inſtans.*

Hæc ſunt quæ habet OKamus in illa quæſtione 9. ex quibus Anonymus, & Bandellus occaſionem ſumpſerunt ad fabricandas ſuas prorſus iniquas auctoritates. Et nota, quòd opera iſtius Doctoris ſemper fuerunt communiſsima in Scholis, ſiquidèm fuit Princeps Nominalium, ſicut Scotus Realium, & hoc ſtante, Turrecremata, nec verbum adducit de OKamo, ſed potiùs illum allegat pro noſtra ſententia, vt infrà dicemus. Neque ex hac quæſtione poteſt colligi, qualis fuerit eius mens, nam inquirere, an Virgo Maria potuerit eſſe in peccato originali per ſolum vnicum inſtans, non eſt ali-

quid poteſtatiuum opinionis contrariæ, nam hoc etiam ventilauit Scotus in propriis terminis, & alii quam plurimi qui noſtram ſecuti fuerunt ſententiam, quia hoc ad controuerſiam vocabant propter Henricum de Gandauo, vt ſuo loco videbimus. Imò qui inquirit, an potuerit eſſe in originali per vnicum inſtans, videtur ſupponere, quòd nec in illo fuerit.

Deindè OKamus quæſtione 10. inquirit: An in Beata Virgine fuerit fomes peccati? Ad quam reſpondit ſic: *Et videtur primo, quòd ſic; quia omnis conceptus in originali peccato, habet fomitem peccati: ſed Beata Virgo fuit concepta in originali peccato, ergo, &c. Contrà nulla fuit in ea inclinatio ad peccatum: ergo non fuit in ea fomes peccati. Hic primò videndum eſt, quid ſit fomes peccati, ſecundo dicetur ad quæſtionem circa primum, &c. Circa ſecundum articulũ dico, quòd B. Virgo nõ habuit talẽ fomitẽ peccati; quia vigilando, nec dormiẽdo habuit aliquẽ actũ turpem, vel deformẽ, nec aliquam qualitatẽ inclinantem ad talem actũ vitioſum, ſed hoc per rationem probari nõ poteſt, ſed tantũ auctoritatibus Scripturæ, & Sanctorũ. Sed hic ſunt aliqua dubia, &c. Ad ſecundùm poteſt dici, quòd ſi fomes vnquam fuit in Virgine, quod in prima ſui ſanctificatione Deus mitigauit, & debilitauit eum, quod nunquam potuit inclinare appetitum ſenſitiuum ad peccatum mortale; ſed antè ſecundam ſanctificationem, antequam concepit filium, fortè potuit inclinare ad peccatum veniale. Sed in ſecunda ſanctificatione fuit illa qualitas ita ablata, & fomes totaliter extinctus, quod nec potuit inclinare ad peccatũ veniale, nec mortale. Vel ſi remanſit iſta qualitas in aliquo gradu, ita fuit diminuta, quod ad nullum actum turpem, vel vitioſum potuit inclinari. Ad argumentum principale dico, quod neſcio, vtrum vnquam habuit fomitem, vel non; & ſi aliquando habuit, patet ex dictis; quomodo extinctus fuit.* Hæc ſunt omnia, & nihil aliud, quæ extant in Guillielmo OKamo directè, vel indirectè pertinentia ad hanc materiam. Ex quibus colligere potes, Lector, quanta, & qualis fuerit Aduerſariorum audatia, temeritas, &c. in fabricatione fictæ auctoritatis ſupra poſitæ? Ipſam iterum lege, amore Dei, & fortè exclamabis: Vindica, Domine, ſanguinem innocentium, & honorem Matris tuæ.

Quòd autem OKamus in hac materia Conceptionis Virginis Mariæ, & eius innocentiam tutatus fuerit, edito ſpeciali Quodlibeto pro eius immunitate, ipſemet Turrecremata fatetur, in ſuo libro de veritate Conceptionis part. 13. cap. 3. fol. 264. à tergo, vbi enumerãs auctores ex Ordine Minorum certos, ac indubitatos pro Immaculata ſententia, dicit fuiſſe iſtos. Aureolum, Petrum Thomam, Mayronium, Petrum de Candia, Aſtenſem, Landulphum, OKamum. Vide infrà num. 202. & ſi hic negauit fomitem, ergo & originale.

Obiter nota etiam, Lector, illud malitioſum Aduerſariorum verbum contra OKamũ: *Qui, vt fertur, ſubtili elemento purgatus vitã finiuit.* O Fratres mei! Guillielmus OKamus Monachi in Conuentu Ordinis ſui mortuus eſt, & ibi ſepultus in Choro, ad dextrum cornu Altaris cum honorifica inſcriptione, non ſubtili elemento purgatus: purgati autẽ non ſolùm ſubtili, ſed ſubtiliſſimo elemẽto fuerunt illi quatuor ex veſtris Bernæ in confinibus Heluetiorum, in publica platea anno 1509 propter ſacrilega, atque hæreticalia delicta, ac patrata contra myſterium Immaculatæ Conceptionis (& hoc no vt fertur, ſed vt fuit, quia acta iudicialia, typis mandata Bernæ, apud nos habemus.) Et ſicut illi ſubtili elemento purgati fuerũt propter ſuas fictiones, heus tu Frater mi, qui adduxiſti OKamum in 2. Sententiarum diſt. 3. vel 30. quæſt. 6. articulo 1. quomodo vides feſtucam in oculo Fratres tui, & trabem, quæ in oculo tuo eſt, non conſideras?

GVILLIELMVS, Paraldus, Epiſcopus Lugdunenſis, Ordinis Prædicatorum, in Sermonibus 1. & 4. Natiuitatis Virginis Mariæ, & in Sermon. Purificationis. *Turrecrem. par. 6. cap. 29. fol. 120. Anonym. via 3. Auctore 55. Bandel. cap. 23. Dezа fol. 40. Vincent. & Gryſald.*

VERITAS 112.

DE Auctore nihil ſpeciale occurrit; eſt enim notiſsimus, propter illam Summam virtutum, ac vitiorum à ſe editam, millies typis mandatam, Antuerpiæ 1571. Venetiis 1557. Lugduni 1554. & 1580. & 1571. & alibi, vixitque Auctor ad annum 1255. Hanc Iacobus de Voragine poſtea in epitomen redegit. Huius ergo auctoritatem ſic adducit Turrecremata: Item ad idem eſt, eiuſdem Ordinis Dominus Guillermus, qui, vt legi, Archiepiſcopus fuit Lugdunenſis, qui fecit Summam de vitiis, & virtutibus, & Poſtillas plures, & Sermones notabiles, qui in Sermone Natiuitatis B. Virginis Ser. 1. ſub themate: Crietur Stella, & in Quarto ſub themate: fons hortorum, expreſiſsimè idem dicit, vnde Sermon. 4. ita in forma loquitur: *Aqua enim fontis habet amaritudinem cum à mari exiit, ſed antequam hauriatur eam amittit; itaque aqua dulcis eſt, vbi hauritur. Sic Beata Virgo exiens à parentibus amaritudinem peccati originalis in ſua Conceptione habuit, ſed cum in vtero ſit ſanctificata ante Natiuitatem, eam amiſit, & gratiæ dulcedinem recepit; itaque in ſua Natiuitate Deo grata fuit. Hæc ille.* Bandellus verò hunc adducit

ducit ſic: Idem tenet D. Guillielmus Paraldus Epiſcopus Lugdunenſis, in ſermone Purificationis, & Natiuitatis ſic dicens: *Beata Virgo fuit antequam naſceretur, à peccato originali adhuc in vtero exiſtens, purgata. Hæc ille.* Vide, & attentiùs conſidera, quanta ſit differentia inter has duas auctoritates? Sentiens enim Bandellus, quòd auctoritas, vt adducebatur à Turrecremata, nihil probabat, eam diſpoſuit in forma, & figura, ac tali diſpoſitione, & mēdaci artificio, vt in ea nullum relinqueret veritati locum, ſuperaddens illud, *in Sermone Purificationis*, vt legentes exiſtimarent, hanc fuiſſe tranſcriptam à ſermone Purificationis, non ab illo Natiuitatis, à quo ſuam extraxerat Turrecremata. Sed non opprimaris Lector, nec acquieſcas verbis mendacibus, & fictis.

Huius Auctoris prodierunt Sermones impreſsi Auinione, per Ioannem de Channei anno 1519. in 8. & incipiunt: *Dicite filiæ Sion, &c.* Et etiam alii ibidèm excuſsi, qui incipiunt: *Hora eſt iam nos, &c.* Sed omnes Sermones iſti ſunt de tempore, & ſic in iſtis non extant verba ab Aduerſariis præallegata. Sicut nec in quodam manuſcripto Sermonum exiſtentè in Bibliotheca S. Ioannis Regum Toletan. littera Z. num. 82. qui etiam ſunt huius Guillielmi. In Bibliotheca Regia Scorialis inter manuſcriptos Pluteo VI. littera E. num. 18. in 8. extat in pergameno antiquis characteribus ſcripta, Summa Peraldi de virtutibus, ac vitiis, in quo etiam extant Sermones eiuſdem Peraldi, de Sanctis, & de Natiuitate Virginis ſunt quatuor (ſecundum quod, benè dixit Turrecremata) Ex illis, primus incipit: *Orietur Stella* (in hoc etiam veritatem dixit Turrecrem.) Secundus incipit: *Fons paruus.* Tertius: *In me omnis gratia.* Quartus verò: *Tranſite ad me.* Sed in his Sermonibus nec minimum verbum extat ex adductis ab Aduerſariis; aut ergo oſtēdendum erit ipſis aliud Sermonarium de Sanctis Peraldi, aut dicemus, totum eſſe fictum. Sermonem de Purificatione non inueni, benè tamen de Annuntiatione, vbi Peraldus habet hæc verba: *Vndè Aue ſine culpa, & magnum eſt quod ſine culpa fuit Virgo, quia plena gratia, quia non eſt locus culpæ, vbi eſt plenitudo gratiæ, omnis autem gratia ſingularis culpam excludit, &c.* Hæc ſunt quæ inuenire potui in veſtro Guillielmo Peraldo, de aliis vos ipſi iudicate quod iuſtum fuerit.

Sed reuerentiæ cauſa admittamus auctoritatē Turrecrematæ (nam illa Bādelli & Sermo exſe patet, quod fuerint ficta, & falſa) & in ea ventilemus, quid habet Peraldus contra Immaculatam Virginis Conceptionē. Inquit enim ſic: *Beata Virgo exiens à parētibus amaritudinem peccati originalis in ſua Conceptione habuit.* Quis dubitare poteſt, quòd Maria exiit à parentibus in ſua generatione, ſeu quando concepta fuit in matrice ſecundùm carnem, quam antiqui vocabant abſolutè Conceptionem: tunc ergo exiit à parentibus cum amaritudine peccati originalis, libidinis, concupiſcentiæ, ac carnalis delectationis: ſed quid hæc cum animatione? Hoc videns Bandellus conſtare ex verbis Peraldi, adulterans adulterauit, & finxit ſermonem & aliam auctoritatem, vt vidimus: lege pro hac auctoritate ſupra dicta ex Gregorio Magno num. 95. auct. 3.

GVILLIELMVS, Pariſienſis Cancellarius, antiquus Doctor, in Summa ſua in materia de Virginitate. *Turrecrem. part. 6. cap. 28. fol. 112. Anonym. Auctore 157. Bādel. cap. 21. Deza fol. 35. Vincen. Gryſal.*

VERITAS 113.

ITA Sub generalibus, & obſcuris verbis adducitur Auctor iſte, vt niſi ex eius adducta auctoritate non poterimus cognoſcere, quis, vel qualis fuerit. Turrecremata ſic eum adducit. Item ad idem eſt M. Guillermus, Cancellarius antiquus Vniuerſitatis Pariſienſis in Summa ſua, in materia de virginitate, quærens diffinitione, virginitatis, data ab Auguſtino, videlicèt: Virginitas eſt in carne corruptibili perpetua incorruptionis meditatio; facta diſtinctione de duplici corruptibilitate, ſcilicèt, pœnæ, & culpæ, dicit ſic: *In Chriſto ſolùm fuit corruptibilitas pœnæ ab initio, & hæc aſſumpta: in Beata autem Virgine antè gratiam corruptibilitas vtraque contracta eſt; poſt gratiam verò tantùm corruptibilitas pœnæ, & ſecundùm hoc diffinitio communiter conuenit & Adæ, & nobis, & Chriſto, & B. Virgini. Hæc ille.* Bandellus illam adducit ſic: Idem tenet Dominus Guillielmus, antiquus Cancellarius Pariſienſis in Summa ſua ſic dicens: *Chriſtus enim ab initio ſuæ Conceptionis aſſumpſit corruptibilitatem pœnæ ſine culpa. B. autē Virgo contraxit corruptibilitatē culpæ, & pœnæ, ſed poſt ſanctificationis gratiā remanſit in ea tantū corruptibilitas pœnæ. Hæc ille.* Eadem veba nulla mutata ſyllaba habet Vincētia; cōfer ergo Lector! vnā auctoritatem cum alia, &, videbis in quātis differat? ſed expecta, reſpecta, modicū ibi, modicum ibi, quia maiora videbis Quatuor ſigna, licèt vniuerſalia, & obſcura proponūt Aduerſarii, ex quibus præſentis Auctoris notitiam indagare poſſumus. Primum, quòd appellatus fuerit Guillielmus: Secundùm, quòd fuerit Cancellarius: Tertium quòd ſcripſerit Summam: Et quartum, quòd in materia de Virginitate habeat ſupra poſitam auctoritatem. Diſcurrendo ergo per ſingula, perueniēmus ad rei veritatem. Quantum ad primum de

Guillielmo, circa annum 1380. fuit quidam Guillielmus Parisiensis Episcopus, & fortè etiã Cancellarius Vniuersitatis, quia ipse cum tota Academia damnauit propositiones Ioannis de Montesono Ordin. Prædicat. & suorum sequatium, editas contra Immaculatam Virginis Conceptionem, vt videre est ad finem operis Magistri Sententiarum. Sed hic Guillielmus nec scripsit Summam, nec fuit pro ipsis, quomodo enim poterat dicere, ac defendere in suis scriptis, quòd damnauit vt impium, temerarium, ac detestandum in Montesono? Corr. Gesnerus in sua Biblioth. fol. 306. col. 2. adducit quendam Guillielmum Lugdunensem, Ordinis Fratrum Prædicatorum, & vt ferunt, eiusdem Ecclesiæ Episcopum, qui scripsit Summã virtutum, & vitiorum. Folio vero 308. col. 2. adducit alterũ Guillielmũ, Episcopum etiã Parisiensem, patria Aluernum, qui etiam scripsit Summam virtutum, & vitiorum. Tandèm fol. 309. col. 1. adducit Guillielmum Peral, vel de Petra alta, natione Gallum, Ordinis Prædicatorum, & Episcopum Lugdunensem, qui scripsit Summam vitiorum, vt virtutum. Sed hanc Gesneri numerationem existimo esse solùm nominum multiplicationem, quia in tota Nomenclatura Ecclesiastica tantummodò inuenitur vnicus Guillielmus Paraldus, ex Ordine Prædicatorum, & Episcopus Lugdunen. qui floruit anno 1255. & scripsit Summam virtutum, atq; vitiorum, quam post modum Frater Iacobus de Voragine in epitomen redegit, vt dixi numero antecedenti. Summa hic citata ab Aduersariis *in materia de virginitate, quærens diffinitionem virginitatis data ab Augustino, &c.* videtur esse illa Guillielmi Peraldi, nã tom. 1. tract. de Temperantia cap. 11. fol. 345. habet titulum de Virginitate & incipit: *Circa primum notandũ, quòd nomẽ virginitatis, &c.* & §. de descriptione virginitatis, explicans Augustinum, sic inquit: *Circa secundùm notandum, quòd virginitas sic describitur: Virginitas est in carne corruptibili, perpetua incorruptionis meditatio, id est, propositum seruandi perpetuam incorruptionem. Carnem verò incorruptibilem intellige carnem possibilem corrumpi: siuè necessariò corrumpatur, vt in statu peccati, siuè possibilem corrumpi, & non corrũpi, vt fuit caro Adam in statu innocentiæ, &c.* Ex nomine Auctoris Guillielmo, citatione, signis, & aliquibus verbis, illa Sũma Guillielmi Peraldi, est eadẽ cum ista citata ab Aduersariis. Nam Turrecremata (à quo omnes alii transcripserunt Auctorem istum) in classe Ordinis Prædicatorum adduxit Guillielmum Peral in opere Sermonum, sed vt multiplicaret alterum Auctorem, ex Summa eiusdem Peraldi, inter Doctores Sæculares dixit: *Item ad idem est M. Guillielmus, Cancellarius antiquus Vniuersitatis Parisiensis in Summa sua in materia de virginitate, &c.* sic que multiplicauit Guillielmum Magistrum, Cancellarium antiquum, ex Domino Guiliermo, Ordinis Prædicatorum, & hanc existimo esse veritatem irrefragabilem, vt statim ex tertio signo, & auctoritate constabit.

Secundùm signum est, quòd fuerit Cancellarius, & pro hoc nota, quod Paulus Gryfaldus in classi 3. de Doctoribus Theologis Neotericis Auctor. 8. sic inquit. *Guillielmus Cancellarius Parisiensis in Rationale Diuinorum officiorum part. 2. &c.* In quibus verbis expressè affirmat, quòd Guillielmus Durantus, vel Durandus, Auctor notissimus, atque indubitatus libri dicti. Rationale Diuinorum officiorum, fuerit Cancellarius Parisiensis. Si ergo Guillielmus Durandus est idem cum Cancellario Parisiensi adducto à Turrecremata, & aliis (Gryfaldus enim nullum alium adducit Guillielmum Cancellarium Parisiensem) iam Auctor iste nouies est multiplicatus, vt videre est supra in hac eadẽ littera G. sed cum de scriptis Gryfaldi parum sit curandum, transeamus ad alia. Antonius Senẽsis fol. 100. adducit quendam Guillielmum de Melitona, Cancellarium Parisiensem, Ordinis Prædicatorum, qui scripsit Postillam super Prophetas Minores, & super Epistolã ad Hæbreos, & floruit secundùm Pium, & alios circa annũ 1300. sed nihil dicunt de Summa, vidi in Conuẽtu Ioann. Reg. Toletan. AA. 87. manusc. Sũmam de virtutibus, & vitiis, sed est Anonyma & ligato sermone, & incipit: *Hoc nomen liber iste loco non continet vllo,* & ex quodã minutissimo charactere videtur, quòd sit scriptũ: *Frater Innocentius, de vitijs, ac virtutibus.* Ex nullo ergo capite potest esse iste. Item fuit alter Guillielmus de Damiano, Cancellarius Parisiensis, & antiquus Doctor, quem aliàs Aduersarii citant pro sua opinione. Repeto verba Alani Parisiẽsis, & Ioannis Vitalis in suis Defensoriis lib. 4. Ancil. 1. vbi posito argumento de excellentia redemptionis præseruatiuæ sic inquiũt: *Ad hoc dicit Ioannes Thomæ vbi supra, concedendo maiorem, sed negat minorem simpliciter: quoniam redemptio, & præseruatio distinguuntur è contrario; & ideò, nec perfectus, nec qualitercũque eam præseruare à casu est eam redimere; quoniam secundùm leges ciuiles, redimere aliquam rẽ, est ipsam prius venditã nouiter emere; cuius veritatis vt dicit, fuit Dominus Guillielmus de Damiano quondam Cardinalis Belvacensis, & Cãcellarius Frãciæ, qui corã Rege Carolo super ista disputatione in die Cõceptionis Virginis, cũ vnus respõdendo distingueret, quòd duplex est redẽptio scilicèt, subleuans à casu, & præseruans à casu; argumentatum fuit per alium, quòd ipse abuteretur isto termino, quia redemptio, & præseruatio ex opposito distinguuntur, quia propriè loquendo, redemptio est à casu, qui est, vel*

qui

qui fuit, quod dictus Cardinalis per Iura, Ciuilia, & Canonica confirmauit. Hæc Alanus, & Vitalis in nomine Ioannis Thomæ Dominicani: ex quibus (si tali credendum est, nam de hoc Guillielmo de Damiano, Cardinali Beluacensi, & Franciæ Cancellario; nec Onuphrius Panbinus, nec Alphon. Ciaconius; Mouit de Auberyvat, Petrus Frizon mentionem vllam faciunt, licèt enumerent triginta Guillielmos Cardinales Gallos, solus Frizon lib. 3. fol. 271: adducit Guillielmum de Forges, qui fuit Cardinalis Sancti Cosmi, & Damiani, creatus anno 1305. & sepultus apud Franciscanos anno 1311. sed hic non potuit attingere tempus Caroli V. Francorum Regis, qui vitæ debitum soluit anno 1380) ex quibus, inquam, colligitur quòd tempore prædicti Caroli Regis iam erat communis in Gallia Conceptionis festiuitas, ac publicæ disputationes; ac controuersiæ de eodem mysterio: non ergo hanc festiuitatē instituit Sixtus IV. Ordinis Minorum, vt suæ faueret opinioni, vt sine fundamento passim reclamant Aduersarii. Ad rem verò nostram: Guillielmus iste de Damiano Cancellarius Parisiensis, si fuit, non scripsit Summam, neque ex hac disputatione infertur Guillielmum fuisse pro sua opinione, nam in publicis disputationibus solēt magnates vel exercitii causa, vel ad sui ingenii; atque litteraturæ ostentationē aliqua proponere argumenta contra sustentantis sententiam. Fuit etiam quidam Simon Cācellarius Parisiensis, qui scripsit librum de Coceptione Virginis tempore Concilii Basilien. contra Patres Dominicanos, respondens ad ipsorum argumenta, vt refert Ludouic. de Prusia in Triloglo animæ, parte 5. cap. 8. littera F. sed hic licèt fuerit Cancellarius, non fuit antiquus, sed cōtemporaneus Turrecrematę, nec Guillielmus, sed Simon, nec scripsit Summam, sed Tractatū pro immaculata Conceptione. Non ergo constat de hoc Guillielmo Cancellario quis fuerit.

De tertio signo, dico, quòd talis Summa, vitiorum, & virtutum nunquam fuit excussa, extat tamen manuscripta antiquissimis characteribus absque Auctoris nomine in Bibliotheca Regali Sancti Ioannis Toletan. capsa & litt. Z. num. 93. sub hoc titulo, *Summa vniuersalis Theologiæ edita à præcipuo Cancellario Parisiensi, &c.* incipitque ista Summa: *Vadam in agrum, & colligam, &c.* Sed cùm ibi non dicatur, quis fuerit ille præcipuus, Cancellarius adhuc res manet obscura, & admisso, quòd nominaretur Guillielmus, vt dicūt Aduersarii, adhuc restat inquirendū, an fuerit Guillielmus Peraldus, Ordinis Prædicatorum, Auctor antiquus, & fortè Cancellarius Parisiensis ista verò Summa vitiorum, ac virtutum ab ipso elaborata, illa autem, quæ communiter circumfertur sub huius Auctoris nomine, an fuerit illa abbreuiata, & in epitomen redacta a Iabolanuensi, eiusdē Ordinis, quia sic Auctor iste est, multiplicatus cū antecedēti, sed cum iam habeamus Summam, & auctoritatem formalem, vt statim videbimus parum refert, quod Auctor illius sit. G. vel H. quia licèt tria antecedentia signa sint obscura, quartum est euidens.

Auctoritas ergo citata ab Aduersariis extat in prædicta Summa, non in titulo de Virginitate, sed titulo de continentia, sobrietate, & modestia, in quo agit latè eius Auctor de Virginitate mentis, & corporis, ac de continentia Virginum, coniugatorum, ac viduarum: Et explicans diffinitionem Virginitatis, scilicèt: Virginitas est in carne corruptibili perpetua incorruptionis meditatio, inquit: *Dupliciter potest considerari Virginitas, secundùm statū pugnæ, & secundùm statum non pugnæ, secundùm statum pugnæ, & hic status est corruptionis, & secundùm pœnam, & secundùm culpam, quia ex hac corruptione caro procliuis est ad pœnam, & caro concupiscit aduersus spiritum, vt ad Galat. 5. & in hoc pugna; status autem non pugnæ, attenditur secundùm statum naturæ incorruptæ, vt in primis parentibus, secundùm statū naturæ etiam corruptæ in quibusdam, scilicèt, in paruulis propter innocentiam, & infirmitatem ætatis secundùm statum naturæ corruptæ, secūdum per gratiam in bonum confirmatæ, vt in Christo, & Beata Virgine. Dico ergo quod diffinitio data ab Augustino, & Hieronymo: ..... tantum ad statum pugnæ, quia ibi intendit de merito virginitatis; vndè caro corruptionis hic accipitur pro carne corrupta, non solùm corruptione pœnæ, sed pronitate ad culpam. Vndè non conuenit paruulis virginitas sic dicta, quorum non est status pugnæ adhuc, licèt ad illum statum sint possibiles, nec est eorū meditatio huiusmodi: similiter nec Adæ conuenit, nec Christo, nec B. Virgini, nec eis qui in gloria. Vel posset corruptibilitas ita accipi, quod non haberetur respectus ad statum pugnæ, & caro corruptibilis acciperetur pro corruptione culpæ, vel pœnæ in generali, & illa quæ est pœnæ; vel culpæ fuit in Adam, & in nobis, sed in Adam innata, quia secundùm quod possibilis erat corrumpi: in nobis aliter quia contracta: in Christo sola corrubtibilitas pœnæ ab initio, & hæc assumpta: in Beata Virgine ante gratiam, corruptibilitas vtraque contracta, post gratiam tantum corruptibilitas pœnæ, & secundùm hoc diffinitio conuenit communiter & Adæ, & nobis, & Christo, & B. Virgini, licèt non extenditur ad paruulos, propter illud verbum: perpetua meditatio, &c.* Hæc est integra auctoritas illius Guillielmi, ex qua Aduersarii relicto toto principio, & vltima clausula finali, sua extraxerunt verba, vel, vt melius dicam, illa ad suum modum condiderunt, ex-

cep-

cepto Turrecremata, qui, quantum ad ſubſtantiam benè tranſcripſit: nam de bono opere nullus debet lapidari.

Bandellus, & Vincentia, Deza, & alii adulterarunt ſequentia. Primò, truncarunt ſimul, & ſemel, verba, & ſenſum, qui incipit ab illa diſtinctione; *vel poſſet corruptibilitas ita accipi, &c.* Secundò, vbi Guillielmus, *in Chriſto*, per ordinem ad antecedentia, ipſi in nominatiuo, *Chriſtus*, quaſi ibi inciperet littera, & ſenſus. Tertiò, prætermiſerunt illud: *ſola corruptibilitas pœnæ*, vt ſic non intelligerent legentes, de quo loquebatur Guillielmus. Quarto, vbi Guillielmus præcisè, *ab initio*, ipſi auerſa intentione addiderunt: ab initio *ſuæ Conceptionis*, quo totum macularunt textum, nam initium, quod ibi eſt per ordinem ad Adam, reduxerunt ad Chriſti Conceptionem, vt ſequentia verba de Beata Virgine viderentur tendere ad eundem finem, & initium Conceptionis. Quintò, eadem intentione addiderunt illud, *aſſumpſit corruptibilitatem pœnæ ſine culpa*, quæ non extant in textu. Sextò, prætermiſerunt illud, *& hæc aſſumpta*, quia verba hæc faciebant relationem de corruptibilitate, & illis poſitis neceſſariò indicarent defectum ab ipſis commiſſum. Septimò, vbi Guillielmus, *in Beata Virgine*, conſecutiuè ad numerationem antecedentium; ipſi in nominandi caſu, *Beata autem Virgo*. Octauo addiderunt illud, *autem* quod emphaticum eſt. Nonò, prætermiſerunt illud, *ante gratiam*. Decimò, addiderunt illud, *contraxit*, ad emendam totam malitiam: nam in Guillielmo facit diuerſum ſenſum illud, *corruptibilitas vtraque contracta*, quàm illud, *contraxit corruptibilitatem*, quia hoc appellat ſupra Virginem, illud videtur reſpicere naturam. Vndecimò, extraxerunt illud, *culpæ, & pœnæ* à ſuo loco, anteponẽtes illud, vt facerent ſenſum iuxta ſuum deſiderium. Duodecimò, vbi Guillielmus, *poſt gratiam*; ipſi, *ſed poſt ſanctificationis* gratiam, quomodo enim in hoc ſplendido cõuiuio poterat abeſſe ſanctificatio? Decimotertiò, vbi Guillielmus, *tantum corruptibilitas pœnæ*; ipſi addiderunt, *remanſit in ea* tantum corruptibilitas pœnæ. Decimoquartò, prætermiſerunt malitioſè in ſuperlatiuo gradu, illa verba ſequentia: *Et ſecundùm hoc diffinitio, &c.* quia ex illis tota declarabatur mens Guillielmi. Eſſet ne hoc credibile, quòd in vna auctoritate vix quinque lineas habẽte, eſſent quatuordecim adulterationes capitales, niſi veritas mathematicè ante omnium oculos educeret?

Quantum ad verum ſenſum verborum Guillielmi non eſt immorandum, quia clariſsimus eſt, nam loquitur de virginitate, ac carnis integritate; hæc habuit duplicem ſtatum, primum non pugnæ, vt fuit in primis parentibus antè lapſum, & ſtatus non pugnæ, qui poſt lapſum Adæ remãſit ſolùm in pueris, Chriſto, & Maria, quia in omnibus aliis poſt lapſum Adæ, fuit in alio ſtatu, ſcilicèt pugnæ, & pro hoc ſtatu, dicit eſſe diffinitionem virginitatis. Deindè inquirit, quomodo hæc virginitatis diffinitio potuerit conuenire Adamo, pro illo ſtatu nõ pugnæ, ac ſimiliter paruulis, Chriſto, & Mariæ, qui non fuerunt in ſtatu pugnæ? Ad hanc difficultatem reſpondit, quòd ſi caro corruptibilis accipiatur communiter, vel in generali, abſque reſpectu ad pugnam, vel non pugnam particularem, etiam diffinitio virginitatis poteſt conuenire Adæ, paruulis, Chriſto, & Mariæ. Nam Adam in ſtatu innocentiæ poterat corrumpi, & hæc poſsibilitas, quæ in ipſo fuit innata, & congenita in noſtra carne, fuit contracta ab illa poſsibilitate, ſecundùm vtrumque, ſcilicèt, pœnæ, & culpæ, & hoc modo generaliter loquendo etiam habent illam paruuli, licèt non habeant pugnam particularem: Chriſtus autem Dominus ab initio, id eſt, ab illo primo inſtanti generationis ſuę carnis, habuit ſolam corruptibilitatẽ pœnæ, ſed aſſumptam, quia aſſumpſit illam carnem, quæ pœnalitatibus erat ſubiecta: in Beata Virgine Maria antè infuſionem gratiæ caro habebat vtramque corruptibilitatem, ſed poſt infuſionem gratiæ ſolùm remanſit in ea corruptibilitas pœnę, & ſic communiter loquendo, diffinitio virginitatis conuenit Adę, pueris, Chriſto, & Mariæ, ſed quid hæc Patres, cum peccato originali? Cancellarius ſolùm intendit probare, quòd Chriſtus, & Maria, imò & pueri, quibus non eſt vſus rationis verè, & realiter debent dici virgines, licèt non fuerint in carne corruptibili, habente pugnam, ſicut nos habemus; quomodo ergo ex hoc deducitis peccatum originale Mariæ contractum in vtero matris? An nunc ventilamus, vtrum Dei Mater fuerit Virgo? Quomodo ergo adducitis auctoritatem à primo vſque ad vltimum verbum de eius virginitate? Quando controuerſia eſt de peccato originali?

Sed iam pro maiori veritatis oſtenſione, mẽdaciique confuſione, cõcedamus hìc, Guillielmum locutum fuiſſe, non de virginitate, ſed de peccato originali, non de corruptibilitate carnis, ſed de animæ macula, ac tandèm quòd in illis verbis: *In Beata Virgine ante gratiam, corruptibilitas vtraque contracta, poſt gratiam tantum corruptibilitas pœnæ*, fateatur Guillielmus expreſsè, & clarè, Mariam in ſua Conceptione contraxiſſe originale peccatum: explicate ergo nunc continuata, ac ſequentia verba? *Et ſecundum hoc diffinitio conuenit cõmuniter, & Adæ, & nobis, & Chriſto, & Beatæ Virgini, licèt non extenditur ad paruulos, propter illud verbum: perpetua meditatio.* Interrogo, de qua diffinitione agitur hìc, an etiam de diffinitione peccati originalis, duriſsima equidèm

dèm res, ſed tranſeat: ergo diffinitio peccati originalis conuenit *Adæ*, poteſt hoc tranſire? ſed tranſeat, conuenit etiam, *& nobis*, tranſeat libentiſsimè, *& Chriſto*? Hoc, fratres mei, nullomodo poteſt tranſire, *& Beatæ Virgini*, hoc eſt, quod deſideratis, quòd tranſeat, tranſeat ergo, *licèt non extenditur ad paruulos*, hoc, fratres mei, quomodo poteſt tranſire? Nam quomodo peccatum originale non extenditur ad paruulos? Igitur ſi vt introducatur in hac auctoritate Guillielmi vna veſtra propoſitio ficta, debetis ſimul introducere etiam duas hereticas, niſi fortè ſint tres, ſcilicèt, quòd Chriſtus habuit peccatum originale, & quòd paruuli illud non habent: Et quòd Adam etiam illud habuit? Videte, quò vos perduxit veſtra opinio.

GVILLIELMVS De Roma, Doctor Pariſienſis, Ordinis Prædicatorum in Sermone de Natiuitate Domini. *Ita Bandell. cap. 23. Deza folio 42. Petr. de Vincentia, & Gryſald.*

VERITAS 114.

SI Credendum eſt Anton. Senenſi in ſua Bibliotheca fol. 97. in Religione Fratrum Prædicatorum fuit quidam Scriptor, vocatus Guillielmus Romanus, qui ſcripſit ſuper quatuor libros Sententiarum, & Sermones plures de Tempore, ac de Sanctis. Hunc eundē Placentinus, fol. 363. ex Michaele Plodio lib. 1. (ſed malè quia dicitur Ioann. Michael Pius, non Plodius) vocat Doctorem Pariſienſem. Bandellus verò ex hoc vno Scriptore Romano ſuper Sententias, & Sermonum, duos facit diſtinctos, nam fol. 41. inquit: Idem tenet Magiſter Romanus in 3. Sent. diſtinct. 3. & adducit quamdam auctoritatem, de qua ſuo loco infrà num. 278. folio verò ſequenti, ſic inquit: *Idem tenet Magiſter Guillielmus de Roma, Doctor Pariſienſis in ſermone Natiuitatis Domini.* Et nihil amplius, quia nullam adducit auctoritatem. Sicque vnus, & idem Doctor Pariſienſis, Ordinis Prædicatorum, qui ſcripſit ſuper Sententias, & Sermones, bis adducitur ad Aream iſtam, ſemel ſine nomine, ſed tantùm cognomine de Roma, vel Romanus, in 3. Sent. diſtinct. 3. & cum auctoritate, vt ſic defectum nominis ſuppleret auctoritas; & iterùm ſub nomine Guillielmi de Roma, &c. Sermone Natiuitatis Domini, ſed abſque auctoritate, vndè ex hac parte eſt duplicatus. Hæc de ſe patent; ſed vltra progrediendo, exiſtimo, Auctorem iſtum eſſe non ſolùm bis, ſed quinquies adductum contra immaculatam Virginis Conceptionem, ſub nominibus Hanibaldi Romani, & Sinebaldi Romani, vt ſuis locis videbimus; quia longum requirit examen; ac ſic per conſequens hoc nomē Guillielmus de Roma fuit fictum à Bandello, quia nullus Nomenclator antiquus, vel modernus, neque ipſemet Turrecremata, neque Anonymus de tali Guillielmo de Roma mentionem faciunt; alii verò Placentinus, Senenſis, & Poſſeuinus folio 711. tranſcripſerunt quod inuenerunt in Bandello, & fortè hic fictus eſt ex Ægidio de Roma, Auguſtiniano, vt dixit num. 4.

Sed quidquid ſit de Auctore, Aduerſarii de ipſo nullam adducunt auctoritatem; nec illius opera fuerunt typis mandata, nec ab aliquo Eccleſiaſtico Scriptore viſa, nec citata fuerunt, ac denique fuit ex Ordine Prædicatorum, & ſic vt ſuſpectus teſtis, ſpica vana, & infructifera imò ariſta nullius momenti penitùs eſt releganda. Quia qui ventum ſeminant, turbinem metent, & germen non faciet farinam.

HAYMO, Alberſtatenſis Epiſcopus, Sanctitate clarus, in 1. & 2. libro ſuper Apocalypſim. *Ita Bandel. cap. 20. Deza fol. 33. à tergo. Paulus Gryſaldus.*

VERITAS. 115.

HIC Notus Auctor Monachus Fuldēſis, Rabani Mauri diſcipulus, & Epiſcopus Alberſtatenſis, Germanus, qui vixit ad annū 853. ſcripſit inter alia plura, libros ſeptem in Apocalypſim, ex quibus Aduerſarii quatuor adducunt auctoritates ad comprobandam illam concluſionem: Maria Virgo contraxit peccatum originale, quarum prima ſic ſe habet: Idem tenet Doctor eximius, ſcientientia, & religione clarus D. Haymo in 2. libro ſuper Apocalypſim: *Chriſtus*, inquit, *ſingulariter Sanctus dicitur, quia peccatum non fecit, quamuis enim multi alij Sancti ſint, comparatione tamen illius, qui ſine peccato eſt, omnes homines iniuſti ſunt; licèt enim ſint Sancti, tamen quia puri homines ſunt, peccato carere non poſſunt. Chriſtus ſingulariter Sanctus eſt, quia peccatum non habuit, nec vllum vnquam mendacium ab ore ſuo protulit. Hæc ille.* Auctoritas verò Haymonis fol. 44. in principio libri 2. ſic ſe habet: *Non deficiet Princeps de Iuda. Et Moyſes quoque ait: Prophetam vobis ſuſcitauit Deus veſter de fratribus veſtris. Sic Iſaias, Hieremias, & cæteri, qui omnes vtique teſtes fideles fuerūt, vel veri, quia verū teſtimonium de Chriſto protulerunt. Quarè hoc Dominus ſpecialiter de ſe dicit, cùm ſint etiam multi teſtes veri, atque fideles; quia videlicèt ipſe ſingulariter eſt teſtis verus, qui non mutatur aliquando, ſicut enim*

ſpecia-

ſpecialter ſanctus dicitur, cum & alij ſancti multi ſint, qui videlicèt comparatione illius qui eſt ſine peccato, homines iniuſti ſunt. Licèt enim iſti ſunt Sancti, tamen quia homines ſunt puri, peccato carere non poſſunt, & aliquando mentiuntur. Chriſtus autem eſſentialiter eſt Sanctus, & verus, quia peccatum non fecit, id eſt, mendacium vnquam nullum, ab, ore ſuo proceſsit. Teſtis autem eſt Chriſtus, qui ſibi, & Patri teſtimonium perhibuit: ego, & pater vnum ſumus, &c. In hac auctoritate ſolùm habēt adulterationes ſequentes. Primo, vbi Haymo, *ipſe ſingulariter eſt teſtis verus: ſicut enim ſpecialiter ſanctus dicitur*; Aduerſarii abſolutè, *Chriſtus ſingulariter ſanctus dicitur*, faciunt enim diuerſum ſenſum, quia Haymo affirmat, Chriſtum eſſe ſingulariter teſtem verum, ſicut ſpecialiter dicitur ſanctus. Secundo, addiderunt illud, *quia peccatum non fecit*, vt ſic inciperent introducere ſuum propoſitum. Tertio, totam ſequentem clauſulam in aliquibus vitiarunt, licèt parui momenti. Quarto, poſt illud, *peccato carere nō poſſunt* calidè prætermiſerunt ſequentia verba: *aliquādo mentiuntur*, vt ſic occultaretur Haymonis mens loquentis de mendacio. Quinto, vbi Haymo: *Chriſtus eſſentialiter eſt Sanctus*, ipſi: *Chriſtus ſingulaliter Sanctus eſt*, mutantes illud, *eſſentialiter*, in, *ſingulariter*, quia ad ſuum intētum terminus iſte erat neceſſarius, non ille, nihil enim deducere poterant ex eo, quòd Chriſtus eſſet eſſentialiter Sanctus, benè tamē ex eo quòd eſſet ſingularis, quia ſic excludebāt Mariā. Sexto, à ſingularitate prætermiſerunt illud, *& verus*. Septimo, vbi Haymo, *quia peccatum non fecit*, ipſi, *quia peccatum non habuit*, & verbum hoc ſæpiſsimè mutarunt in aliis Doctoribus, quia facere, reſpicit ſolùm peccata actualia, habere autē etiam originale. Octauo, vbi Haymo: *Id eſt, mendacium, &c.* ipſi, *nec* mendaciū, &c. quia illud, *id eſt*, exprimebat, de quibus peccatis loqueretur Haymo. Nono, malitiosè etiā prætermiſerunt illud, *teſtis autem eſt Chriſtus, &c.* quia his verbis tota manifeſtabatur Haymonis ſententia, qui in hac auctoritate, ſolùm intendit probare, Chriſtum ſuper omnes alios Prophetas, ac veteris legis teſtes, eſſe teſtē eſſentialiter veracem, ſicut eſt eſſentialiter ſanctus, & quod nec mendacium dixit, ſicut nec peccatum fecit; velle autem ex his deducere, Virginē Mariam contraxiſſe originale, neſcio quomodo poſsit eſſe, fateor enim quòd ſtultiſsimus ſum virorum, & ſapientia talium hominum nō eſt mecum.

Secundam auctoritatem ſic adducunt: Item idē in primo libro: *Quia*, inquit, *peccauit Adā, filios genuit mortales, ac peccatores, Chriſtus autem veniens in carnem, peccatum nū habuit. Dilexit nos, & vt à peccatis nos mūdaret, mortē ſuſtinuit: dilexit autē nos pulcher fœdos; pius impios; ſine peccato peccatores; & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo. Hæc ille.* Auctoritas Haymonis fol. 9. pag. ſic ſe habet: *De quo adhuc ſequitur, qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo. Quo enim amore filius Dei nos dilexit, paſsiones illius oſtendunt, quas pro nobis pertulit. De hac dilectione ait Apoſtolus: Chriſtus dilexit Eccleſiā, & tradidit ſemetipſum pro ea. Ad cuius etiam dilectionē imitandā hortatur fideles, dicēs: Ambulate in dilectione, ſicut & Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis. Dilexit autē nos, pulcher fœdos, pius impios, ſine peccato peccatores, nec quales eramus, nos dilexit, ſed quales ipſa dilectione nos fecit. Vndè & ſubditur, & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo, &c.* Duas orationes habet auctoritas adducta ab Aduerſariis, prima eſt illa: *Quia peccauit Adam, filios genuit mortales, & peccatores, Chriſtus autē veniens in carnem, peccatum non habuit.* Hæc tota eſt ficta, & ſuppoſita, ita vt illius nec verbum ſit in Haymone; ex alia quę remanet, ipſi videant quomodo deducitur ipſorum intentum, niſi fortè ſic: Chriſtus dilexit Eccleſiam, & peccatores, & lauit illos in ſanguine ſuo: ergo Maria contraxit peccatum originale: ſi hæc valet, non grandis eſt culpa: ſin autem, maximum peccatum fecit populus meus, &c.

Tertiam auctoritatem adducunt ſic: Item idem in eodem: *Angelus*, inquit, *ille qui perſonam Chriſti gerebat, idcircò non filius hominis, ſed ſimilis filio hominis appellatur, quia & ſi carnē noſtram accepit, non tamen peccatum habuit, ſed apparuit in ſimilitudine carnis peccati. Proprium enim hominis eſt, non carere peccato. Vndè quia Chriſtus peccatum non habuit, ideò per Prophetam dicitur: Ego ſum vermis, & non homo. Hæc ille.* Auctoritas autem in Haymone libro 1. folio 15. pagina 1. ſic extat: *Intuendum eſt autem, quia non abſolutè dicit, ſe vidiſſe filium hominis, ſed ſimilem filio hominis. Ille enim Angelus (vt ſæpè dictum eſt) perſonam Chriſti gerebat, qui idcircò non iam filius hominis, ſed ſimilis filio hominis appellatur, quia deuicta morte, iam non moritur, mors illi vltrà non dominabitur. Vel certè ſimilis filio hominis vocatur, quia & ſi carnem noſtram accepit; tamen non fecit peccatum, ſed apparuit in ſimilitudine carnis peccati, proprium eſt hominum peccato non carere. Vndè & quia ipſe peccatum non fecit, per Pſalmiſtam dicitur: Ego autem ſum vermis, & nō homo, &c.* Hæc auctoritas in præcipuis, ac eſſentialibus verbis eſt vitiata. Primo, vbi Haymo, *quia & ſi carnem noſtram accepit, tamen non fecit peccatum*; ipſi verò ſic; non tamen peccatum *habuit*, quod verbum millies tranſmutarunt. Secundo, vbi Haymo, *ipſe peccatum non fecit*; Aduerſarii iterum, peccatum non *habuit*. Quomodo ex hac auctoritate,

de

deducatur, Virginem Mariam contraxiſſe originale peccatum interroga, ſi fortè eſt, qui reſpondeat tibi.

Quartam auctoritatem ſic adducunt. Item idem in libro 2. *Tota*, inquit, *Eccleſia cantat: ſola tua victoria, Chriſte, digna iudicatur, cuius in ſingulari Paſsione de mortis principe á maledicto legis ſumus redempti, vndè Sancti clamant: Redemiſti nos Deo, qui captiui tenebamur diabolo.* Haymonis auctoritas lib. 2. cap. 5. fol. 63. pag. 1. *Vndè in Euangelio legimus, qui cùm guſtaſſet acetum, dixit: Conſumatum eſt, omne ſcilicèt, quod in me opportebat fieri vſq; ad mortem. Acſi dicerent; ad comparationem victoriarum noſtrarum tua ſola digna iudicatur victoria, cuius ſingulari paſsione de mortis Principe à maledicto legis redempti ſumus. Si quis autem dubitauerit, in quatuor animalibus, vel viginti quatuor ſenioribus, totam Eccleſiam poſſe comprehendi, ſicut ſupra dictum eſt, attendat iſtorum verba, quibus dicunt: Redemiſti nos Deo, quia captiui tenebantur à Diabolo, ex omni tribu, id eſt, ex omni ordine, &c.* In primis tota auctoritas eſt vitiata, vt de ſe patet. Deindè ſi in iſtis verbis dicitur expreſsè, ac nominatim, ac in particulari, Virginem Mariam contraxiſſe originale peccatum, ad quid teritis tempus, dicite vno verbo: omnes Sancti, imò tota ſacra Scriptura, præcipuè nouum Teſtamentum dicit, Virginē fuiſſe conceptam in originali peccato, quia tota illa agit de Chriſti morte, hominum redemtione, ac de ipſius victoria obtenta à diabolo. Denique quomodo Haymo dixit, Mariam in ſua Conceptione contraxiſſe, vel habuiſſe originale peccatum, vel maculam? ſi Haymo in præallegatis quatuor auctoritatibus nec nominat Virginem Mariam, nec peccatum originale, nec maculam, nec Conceptionem, imò nec verbum illud contraxit, vel habuit, nec aliquod aliud prædictis ſimile? In hoc ergo Auctore nullum inuenit fraudulentus lucrum.

HENRICVS De Gandauo, Magiſter Pariſienſis, Quodlib. 15. quæſt. 13. *Turrecrem. cap. 28. fol. 112. Anonym. Auctor. 156. Bandel. cap. 21. Deza fol. 36. Capreol. Vincentia, Soncinas, Barelete, Sanctus Antoninus.*

VERITAS 116.

HVIVS Auctoris proprium nomen fuit Henricus Goetalius, ſiuè Bonicolius, Doctor Sorbonicus, & obiit Tornaci anno 1293. qui inter alia plura ſcripſit Quodlibeta Theologica impreſſ. Pariſiis anno 1518. in fol. vide Franc. Sweertium in Athænis Belgicis, fol. 328. huius auctoritatem ſic adducunt Aduerſarii. Idem tenet Magiſter Henricus de Gandauo, Doctor Pariſienſis in 15. Quodlib. quæſt. 13. ſic dicens. *Beata Virgo Maria, loquendo de Conceptione perfecta, quæ dicitur Natiuitas in vtero, contraxit in primo inſtanti, quo fuit concepta originale peccatum, licèt rationabiliter teneri poſsit, quòd non niſi per inſtans in peccato originali ſteterit.* Hæc auctoritas quoad verborum diſpoſitionē eſt ficta, quia talia verba formalia non extāt in Henrico Gandauenſi. Totum enim aſſumptū illius Quæſtionis eſt, inquirere, an Virgo Maria potuerit eſſe ſub originali per vnicum ſolùm inſtans. Et quia hic fuit Doctor antiquus (nam ſcripſit poſt Diuum Thomam, & ante Scotum) decreui principaliora ipſius verba hic tranſcribere, vt ex illis cognoſcatur, quid ſentiebant Antiqui, & quomodo loquebantur de myſterio Conceptionis Virgineæ, præcipuè circa celebrationem illius feſtiuitatis.

Inquit ergo Gandauenſis in reſolutione fol. 584. *Aſpiciendo autem per intellectum ad Conceptionis actum. Quæſtio eſt de cauſa celebrandi Virginis Conceptionem, ſcilicèt, an ipſe actus Conceptionis ſit cauſa celebrandi feſtum Conceptionis, an aliquid aliud. Aſpiciendo autem per intellectum ad tempus, horam, vel momentū Conceptionis, eſt quæſtio de menſura durationis, pro qua celebrari intenditur feſtum Conceptionis. An ſcilicèt, feſtum Conceptionis, quod à Normannis celebratur 8. die Decembris, celebrandū ſit pro tempore, hora, vel momento, in quo eſt facta ipſa conceptio Virginis, an pro aliquo alio tempore, hora, vel momento, &c.* Circa hanc clauſulam Gandauenſis duo notanda ſunt: Primum, quod Mariæ generationem, ſeu actum carnalem Ioachimi, & Annæ, ſemper, & abſolutè vocat Conceptionem, quod etiam facit per totam quæſtionem: Secundum, quòd quæſtio exagitata illis temporibus erat: an Normāni celebraſſent Conceptionis feſtum pro illo die, hora, ac momento, quo die 8. Decembris Anna conceperat in matrice materiam, ex qua formanda erat Maria; & in hac duplici æquiuocatione laborabant antiqui, etiam poſt centum quinquaginta annos à morte Sancti Bernardi, & poſt Sanctum Bonauenturam, & S. Thomam.

Pergit Gandauenſis dicens: *Secundùm ergo hoc ad propoſitam quæſtionem dico, quòd Cōceptio Virginis celebranda eſt, & hoc per ſe non, niſi ratione ſanctificationis, quam aut in ſua Conceptione recepit, aut continuò, vel in breui ſuſcepturā erat, prout iam declarabitur, &c. Si ergo quæſtio intelligatur de Conceptione, qua Virgo concepta eſt Deo, dico, quòd proculdubio Conceptio eius digne celebranda eſt, & etiam ratione ipſius Conceptionis, quia ipſa ſancta eſt, & hoc propter ſanctificationem, quam Virgo in illa ſuſcepit, &*

hoc

hoc quemadmodum celebrantur natalitia Sanctorum, quibus nascuntur Deo per sanctificationem gloriæ, quam in illis recipiunt; est enim spiritualiter loquēdo, sanctificatio per gratiā, quasi quædam Conceptio viatoris in vtero, qui concipitur Deo, & sanctificatio per gloriam est quasi quædam natiuitas in vtero, qua comprehensor nascitur Deo. Si verò quæstio intelligatur de Cōceptione, qua virgo concepta est mundo, de qua principaliter intelligenda est quæstio, nunc distinguo, quia est quædam cōceptio seminis, & est quædam conceptio hominis formati in semine secundùm formam corpoream. Si ergo quæstio intelligatur de conceptione seminis, qua Virgo concepta est mundo in nudo semine deciso per coitum viri, & mulieris, Annæ scilicèt, & Ioachim parentum suorum: Dico, quòd conceptio Virginis simpliciter sit celebranda, nequaquam tamen celebranda est ratione talis Conceptionis, quia enim Virgo in illa nec sancta fuit, nec sanctificata, & quòd in hora illius conceptionis nihil Virginis fuit, nisi sola materia sub forma seminis, quæ gratiæ, aut sanctificationis susceptiua non fuit, propter hoc nec illa conceptio sancta fuit, nec celebrationis alicuius causa, vel ratio, quarè cum dies 8. Decembris, videlicèt 6. idus Decembris, quo à Normanis festum Conceptionis Virginis celebratur, erat tempus Conceptionis Virginis in nudo semine, nequaquam ergo debent illud celebrare ratione illius Conceptionis, in cuius anniuersario ipsi semper illud celebrant. Nota, ò Lector! hæc vltima verba, si vis percipere mētem ferè omnium antiquorum dicentium, festiuitatem Conceptionis Virginis non esse celebrandam. Supponebant enim, quòd Normanni celebrassent Conceptionem seminis factam die 8. Decembris, vt expressè fatetur etiā Gandauensis; contra hoc insurgebant, & meritò, omnes antiqui Theologi, & Canonistæ, dicentes, quòd illa Conceptio facta die 8. Decēbris nullo modo erat festiuanda, quia fuit cum peccato, libidine, concupiscentia, &c. ac percōsequens nec sancta, nec digna veneratione: illud ergo pondus belli factum contra conceptionem seminis, seu generationem, vertunt omnes Aduersarii contra Conceptionem Mariæ, seu eius animationem, & sic de hac re cancellatis manibus, & confundentes verba, & vera loquuntur.

Prosequitur immediatè Gandauensis: *Et hoc neque secundùm primum modum, neque secundùm intelligendi quæstionem prædictos. Et hoc, quia ab illo die 8. Decembris, vsque ad diem Natiuitatis eius ex vtero 8. die, hoc est 6. idus Septembris, fluxerunt decem menses vsuales, præter quatuor dies, qui sunt regulariter tempus periodale, partus mulieris inter conceptum seminis nudi, & partum prolis. Sed si celebratur illud ratione Conceptionis, debent intendere quòd ratione alicuius alterius Conceptionis, vt iam videbitur. Sed ratione talis Conceptionis, secundùm vtrumque modum quæstionis, competenter celebratur festum Conceptionis Christi, quod vocatur festum Annuntiationis, & celebratur die 25. Martij, videlicèt 8. Kalendas Aprilis, quousque ad diem Natiuitatis Domini, quæ est 25. die Decembris, &c.* Et postquam plura de instātanea Conceptione Christi, prosequitur sic: *Propter quod & Conceptio illius sancta fuit. Secus autem de Conceptione B. Virginis in semine, quia ipsa concepta est in semine, & generata more aliorum, & non statim in hora conceptionis seminis fuit homo, perfecta ex anima rationali, & carni, sicut nec alij, sed per temporum interualla, ac ratione naturæ ad illam perfectionem perducta, &c.* En quomodo exprimit Gandauensis totam æquiuocationis rationem circa celebrationem festi Conceptionis Mariæ, ex Christi Conceptione dicens: Ecclesia celebrat die 25. Martii Conceptionem Christi, & post nouem integros menses, scilicèt die 25. Decembris eius Natiuitatem. Normanni similiter celebrant Conceptionem Mariæ die 8. Decembris, & Natiuitatem eius etiam post nouem integros menses die 8. Septembris. Hoc suppositō, in Conceptione Christi fuerunt duo, scilicèt administratio materiæ, seu conceptio seminis, & vnio animæ, seu conceptio hominis, quę est propria conceptio; in Mariæ productione etiam fuerunt alia duo, scilicèt, conceptio seminis, & conceptio hominis, sed aliter quàm in Christo; primo, quia in Annuntiatione Christi fuerunt eadem die, hora, & puncto conceptio seminis, & conceptio hominis; in Mariæ verò productione, conceptio seminis, & hominis non fuerunt in eodem puncto, nec hora, imò neque in eodem die; nam conceptio seminis fuit die illa 8. Decembris, conceptio verò hominis, post quadraginta dies, scilicèt die 11. Ianuarii. Secundo differunt, quia in Annuntiatione Christi tàm conceptio seminis, quàm hominis, fuerunt sancta, pura, immaculata, & prorsus diuina, & sic rectè celebrat Ecclesia illam Christi Conceptionem die 25. Martii, sed in productione Mariæ illa, quæ contigerunt die 8. Decembris, scilicèt, in conceptione seminis, non fuerunt sancta, pura, & immaculata, sed immunda, fœda, carne, libidine, & concupiscentia maculata: ergo errant Normanni celebrādo Conceptionem Mariæ die 8. Decembris, & si non volunt errare, debent celebrare die 8. Decembris per ordinem, & respectum ad aliquid aliud, id est, ratione *alicuius alterius Conceptionis*, scilicèt, ad sanctificationem factam die conceptionis hominis, scilicèt 11. Ianuarii. Tertiò, differunt istæ Conceptiones Christi, & Mariæ in hoc, quòd die 25. Martii, eodem puncto, ac instanti, quo facta fuit materiæ administratio,

ſtratio, facta fuit etiam conceptio hominis, & eodem puncto Chriſtus factus eſt perfectus homo. At in productione Mariæ aliter res ſe habuit, nam die 8. Decembris, licèt fuerit conceptio ſeminis, non tamen fuit illo die perfecta Maria, ſed poſt quadraginta dies, quando eius anima corpori fuit infuſa: ergo etiam ex hac parte errant Normanni celebrando Conceptionem Mariæ, quando non erat Maria, & ſic nullo modo eſt celebranda illa feſtiuitas (dicebant antiqui, & verè, ac rectè, iuxta eorum ſenſum) Conceptionis die 8. Decembris; & ſi voluerint celebrare, debet eſſe per ordinem ad alterum diem, ſeu relationem ad conceptionem hominis, atque ſanctificationē, quia tunc fuit Maria, & ſanctitas digna celebratione. Hæc erat, ò Patres mei! controuerſia antiquorum; hoc impugnabant; ſed vos dicta contra conceptionem ſeminis retorquetis ad conceptionem hominis, & ſic confuſio magna ruit ſuper omnes.

Hoc ampliùs declarat Gandauenſis tendens ad quæſtionis punctum, & ſic dicens: *Si ergo loquamur de iſta Conceptione Virginis, qua concepta eſt homo perfecta, vndecima die Ianuarij, id eſt, tertio idus Ianuarij, quæ Conceptio fuit eius Natiuitas in vtero, vlteriùs diſtingo; quia Virgo, aut in illo inſtanti, quo ſic concepta eſt mundo, & originali peccato infecta, ſimiliter fuit concepta Deo, etiam per gratiam ſanctificationis: hoc contingere potuit dupliciter, aut quia ſtatim tempore continuato ſtanti, quo in originali concepta eſt mundo, ſanctificata, & concepta eſt Deo; aut quia in alio inſtanti poſteriori, quàm fuit concepta mundo; concepta eſt Deo, & fluxit tempus medium inter illa duo inſtantia: nec curo, an longum fuerit, an breue, dum tamen ſanctificata fuerit in vtero ante eius Natiuitatem ex vtero*, &c. Et poſt aliqua reſpondit ſic: *Et dico ad quæſtionem, quòd Conceptio Virginis, ratione conceptionis, intelligendo iſtū conceptionis actum, nequaquam celebranda eſt, quia actus ille Conceptionis Sanctus non fuit; eo quòd inſtanti Conceptionis ipſa non potuit ſanctificari, neque eſt ſancta, imo fuit vitioſus, pro quanto ipſa fuit concepta in vitio*, &c. Hæc eſt concluſio ſententiæ Henrici Gandauenſis: ex quibus verbis ſuam auctoritatem fabricarunt Aduerſarii, ſed eam penitùs fingendo, quoad verba, & quoad ſenſum; quia Gandauenſis non loquitur abſolutè, ſed conditionatè, nec aſſertiuè, ſed dubitatiuè, vt particula illa, *ſi*, ſæpè repetita indicat. Audi eius verba: *Si ergo ſanctificari potuit, ac mundari à peccato, vt non niſi per inſtans, ſiuè momentum, in macula peccati originalis fuerit, recta ratione determinante (vt mihi videtur) hoc piè ſentiri poteſt. Sed quod eſt, fuit nè poſsibile ſecundùm naturam, Virginem verè, ſicut cæteros puros homines, in inſtanti, quo concepta eſt homo, ex ſemine ſecundùm corpus, & anima illi eſt vnita, peccatum originale contraxiſſe, & illo non niſi per illud inſtans permanſiſſe? Et videtur mihi, quod hoc benè poſsibile eſt*, &c. Deindè probat latè, quòd in eodem indiuiſibili inſtanti, ſeu momento, potuit eſſe culpa originalis in Virgine, & ſanctificatio eius per gratiam, & concludit: *Sic igitur videtur mihi, quòd originale in Virgine per ſolùm momentum inſtantis fuiſſe potuit, rerum natura non repugnante, ſed an ita factum ſit, Deus nouit, quod nec ſcio, nec aſſero, ſed rationabile videtur mihi, ſecundùm prædicta, ita factum fuiſſe.* Hæc ſunt præcipua verba Gandauenſis in ſua latiſſima quæſtione de Conceptione Virginis: ex quibus conſtat, auctoritatem adductam ab Aduerſariis eſſe fictam, & quod Henricus ſuſtinuit, quod Virgo Maria in illo primo inſtanti, ac momento ſuæ Conceptionis fuit in peccato, & in gratia. Aduerſarii lætantur, audientes, quòd in illo inſtanti fuerit in peccato, quia dicunt: tu affirmas, quòd in illo inſtanti Maria fuit in peccato, hoc ſufficit nobis; quia in illo inſtanti non potuit eſſe in gratia, & ſic velis, nolis, nobiſcum ſentis. Noſtri verò è contra dicunt: Henricus affirmat, quòd in illo primo inſtanti Conceptionis Maria fuit in gratia: ergo nobiſcum ſentit; quia in eodem inſtanti non potuit eſſe in peccato. Et ſic manet Henricus de Gandauo in medio poſitus, & quo ſe vertat nèſcit; quia eſt ad vtrumque paratus. Sed ſi eius verba radicitùs enucleentur, magis ſe inclinare videtur in noſtram ſententiam: hocque vnum ſaltem negare non poſſunt Aduerſarii, ſcilicèt Gandauenſem ſolùm impugnaſſe celebrationem feſtiuitatis Conceptionis primæ, & carnalis, vt clarè exprimit illa reſolutio: *Et dico ad quæſtionem*, &c.

HENRICVS De Huri, Ordinis Sancti Auguſtini, in Sermone Natiuitat. Virginis. *Ita Anonym. Auctore* 137. *Bandel. cap.* 25. *Dezà folio* 49. *à tergo, Petrus de Vincentia.*

VERITAS 117.

OMNES Auctores relati, Anonymus, Bandellus, Deza, ac Vincentia, poſtquam in claſsi Erèmitarum Sancti Auguſtini adduxiſſent Henricum de Vrimaria in ſermone Natiuitat. Virginis, ſtatim infrà in eadē claſsi adducunt Henricum de Huri, in ſermone etiam Natiuitatis, & de nullo iſtorum adducunt auctoritatem, cauillosè, vt non deprehenderetur eorum fraus nam Auctor iſte eſt fictus, & ſimul, & ſemel du-

plicatus, ac triplicatus: etenim ex Religione, Sermonis cita, nec non ex ipſomet nomine conſtat, Henricum de Huri, eſſe vnum, & eundem cum Henrico de Vrimaria, de quo nos ſtatim infrà numero 119. & cum ſequenti Henrico Minorita. Ad impinguandam enim Eremitarum claſſem, quæ paucos videbatur habere Doctores, Henricum de Vrimaria condiderunt ſuo modo ſic: addiderunt in cognomine letteram H. & abſtulerunt illam dictionē: maria, & ſic ex vno Henrico de Vrimaria fecerunt alterum Henricum de Huri. O dictio veneranda! maria, quid egiſti? Sed quid mirum? Maculatur Maria, & ſic adhuc peccatur in maria, vbi eſt Vri-maria, ab Vri aufertur maria, & ſic diuiſerunt aquam ab aquis, Auctorem ab Auctore, diuiſioneſque appellarunt Vri-maria. Sed nota, quòd Leander Albert. lib. 4. fol. 139. facit hunc Henricum de Vri, Scriptorē Ordinis Predicatorum, & in eodem folio à tergo etiam adducit alium Henricum Siculum, ſui Ordinis Scriptorem, ſicque ex vno Henrico de Vrimaria fecerunt duos Auguſtinianos, duos Dominicanos, & vnum Franciſcanum. O fœcunda palearum Area!

Bandellus, & Deza ita hunc Auctorem adducunt: *Idem tenet Magiſter Henricus de Huri, eiuſdem Ordinis Eremitarum in ſermone Natiuitatis Virginis. Multi etiam Doctores clariſsimi eiuſdem Ordinis, hanc noſtram veritatem teſtantur, quos cauſa breuitatis omitto.* Hæc Aduerſarii. De Henrico latè loquemur infrà num. 119. ſuprà citato. Nunc verò dimicando pro veritate dico, claſulam illam: *Multi etiam Doctores clariſsimi eiuſdem Ordinis hanc noſtram veritatem teſtantur*, eſſe falſam, & abſque vllo fundamēto, vel veritate dictam, quia facta omni diligentia nullum reperio Doctorem ex ſacra Eremitarum Familia (præter illos ab ipſis adductos) qui ſuam ſuſtinuerit ſententiam, ſaltem apparenter. Niſi fortè hoc dixerint propter vnum, & vnicum Simonem de Caſsia, quē tantummodò non inuenio in ipſorum Cathalogo Eremitarum, & cum aliquali fundamento poterant ipſum pro ſua opinione adducere, in libro de Religione Chriſtiana lib. 2. cap. 1. fol. 19. col. 4. Excepto ergo hoc Doctore, ſecundùm veritatem nullum alium adducere poterant, & ſic eſt falſum, quòd multi alii Doctores Eremitarum ſuam veritatem teſtentur. Et confirmatur; quia ſi in hac claſſe Eremitarum, ferè omnes Doctores ſunt ab ipſis multiplicati, vt hic Henricus, ſuprà Ægidii Romani Quodlibeta, infrà Iordanus, & ſic de aliis, clarum eſt, quòd ſi haberent alios Doctores Eremitas, non multiplicarent iſtos, ſed illos adducerent.

Hoc tetigi, vt videat Lector, quòd Bandellus nunquam in veritate ſtetit.

HENRICVS N. Ordinis Minorum, de Natiuitate Virginis. *Ita Paulus Gryſaldus, Alphab. 6 fol. 245.*

VERITAS. 118.

SOLVS Paulus Gryſaldus hunc citat Auctorem, in claſſe de Fratribus Minoritis, ſic dicens: *Henricus, de Natiuitate Beatæ Virginis*; & nihil amplius. Ex quibus conſtat, Gryſaldum in hoc Auctore proceſsiſſe ſicut in aliis à ſe adductis, de quibus egimus ſuprà num. 10. & num. 79. & infra agemus latiùs numero 310. nihil dicens ſecundum ſcientiam, nec ſaltem veritatem; prætermiſit enim cognomen Auctoris, non expreſsit, an illud, de Natiuitate eſſet Sermo, vel Tractatus, nec denique adduxit auctoritatem. Ego exiſtimo, hunc Henricum non eſſe ex Ordine Minorum, ſed Auguſtinianum, ſcilicèt Henricum de Vrimaria, de quo numero antecedenti egimus, & latiùs agemus numero ſequenti. Cùm ergo Gryſaldus vidiſſet Henricum de Huri, & Henricum de Vrimaria fuiſſe nō aptè coniunctos in eadem claſſe Eremitarum tranſtulit illum ad alteram Minoritarum, mutando illi habitum, tacendo cognomen, atque Sermonem, vt ipſum ter introduceret ad ſuam Areā. Licèt enim in Ordine Minorum fuerint aliqui Auctores vocati Henrici, & ſcriptores Sermonū feſtiuitatum, nullum tamen inuenio aſſerentem, Virginem Mariam fuiſſe conceptam in peccato originali. Nam Hēricus Herph in libro Sermonum ſuorum impreſſ. Agenau. 1509. ſuper illa verba: *Ecce nubecula parua*, habet Sermonē pro immaculata Virginis Cōceptione. Nec eſt Henricus Helmeſius Germipolitanus, quia hic etiam in ſuis Homiliis, ſeu Sermonibus impreſſ. Pariſiis ann. 1557. in 8. fol. 22. habet Sermones duos pro Immaculata Conceptione. Nec eſt ille dictus Hungarus, quia in Sermonario Impr. Agenau. anno 1515. in 4. Serm. 6. ad illa verba: *Domū tuā decet ſanctitudō*, habet ſimiliter Sermonem pro Immaculatā Conceptione. Henricus Oxonius, Anglus, ſcripſit Sermones feſtiuitatum (Poſſeuinus, fol. 731. affirmat, Sermones fuiſſe Dominicales, & Feriales) ſed Radingiæ perierunt tempore Henrici VIII. Henricus Vvilotus impreſsit aliquos Sermones, ſed nullus eſt de Natiuitate Virginis, nec de Conceptione: item hic eſt modernus Auctor, & acerrimus propugnator Myſterii Immaculatæ Conceptionis. Henricus Pipinus edidit Sermones de Sanctis, ſed nunquam fuerunt typis mandati. De Henrico Vverlio etiam dicitur, quòd elaborauerit Sermones de Sanctis; ſi ergo Henricus ab ipſis citatus, eſt aliquis ex his tribus vltimis, illum oſtendant, quia inuolutæ ſunt ſemitę

greſ-

greſſuum eorum. Sed ego exiſtimo, quòd in hoc Auctore Gryſaldus ambulauit in vacuum, ſicut in multis aliis.

HENRICVS De Vrimaria, Ordinis Sancti Auguſtini, in Sermone Natiuit. Beatæ Virginis. *Turrecremata capit. 33. folio 124. Anonymus, Auctore 134. Bandel. cap. 25. Deza folio 49. à tergo, Vincent. & Gryſaldus.*

VERITAS 119.

DE Hoc Auctore ſit ſe habet veritas Henricus de Vrimaria, Ordinis Sancti Auguſtini, Germanus, qui vixit ad annum 1340. de quo latè Trithemius de Illuſt. vir. German. folio 144. inter plura alia ſcripſit in 4. libr. Sentent. & Sermones de Sanctis, qui fuerunt typis mandati Hagenau. anno 1513. in 4. incipit opus: *Aſcendam in palmam, & apprehendam, &c.* & habet Sermones quatuor, à fol. 125. vſq; 128. primus, qui eſt in ordine 125. incipit: *Sapientia ædificauit.* Secundus incipit: *Tertio, templum vteri virginalis.* Tertius incipit: *Priuſquam te formarem.* Et quartus: *Virgam virtutis ſuæ.* Aduerſarii verò aſtutè citarunt ſermonem Natiuitatis, tacendo, an eſſet primus, vel ſecundus, &c. atq; eadē intentione nullus ipſorum adducit auctoritatē huius Doctoris. Primus enim eorum ſcriptor, ac præcipuus Turrecremata, ſic inquit: *Item ad idem eſt eiuſdem Ordinis Pater Magiſter Henricus de Vrimaria, qui in opere ſuo ſolemni de Sanctis, in ſermone Natiuitatis B. Virginis, eiuſdem planè eſt ſententiæ.* Cùm ergo is nullam adduxiſſet auctoritatem, Bandellus, & alii ipſum ſequentes, nullam etiam afferunt; vndè credo, quòd nullus ipſorum vidit, nec legit Henricum de Vrimaria, & ideò cœcè ipſum multiplicarunt cum Henrico de Vri, & cum Henrico Minorita, vt viſum eſt in duobus Auctoribus præcedentibus. Et hæc de Auctore, & opere dicta ſufficiant, vt non palpemus in meridie, ſicut palpare ſolet cœcus in tenebris. Pro auctoritate verò, & ſententia

Dico, quòd Henricus de Vrimaria in illis quatuor Sermonibus non habet verbum, quòd directè, vel indirectè dicat, Virginem Mariam fuiſſe conceptam in peccato originali, ſed potiùs inſinuat contrarium; nam Serm. 1. inquit: *De tertio patet: nam ſingularis eius dedicatio, hoc eſt, interna eius ſanctificatio, fuit alijs celerior, & copioſior: de celeritate patet, quia ſanctificatio Ioannis fuit facta ſexto menſe, Hieremiæ adhuc tardiùs, ſed Beatæ Mariæ fuit facta, quaſi tempore imperceptibili, ita quòd quidam dicant, quòd in eodem inſtanti, quo originale contraxit, per gratiam ſanctificata fuit. Nonnè ſanctiùs, rectiùs, & meliùs dicemus, quòd per gratiam ſanctificationis præuenta, ab ipſo originali præſeruata fuit? Certè rationabiliùs, & honeſtiùs hoc dicitur, quàm quòd in inſtanti eodem etiam & maculata, & purgata, vel ſanctificata fuerit. De eius copioſitate poteſt intelligi, &c.* Hucuſque Henricus in illo primo Sermone, vbi expreſsis verbis cōtra ſententiam ſupra poſitam Henrici de Gandano approbat, & defendit ſententiam præſeruationis à peccato originali, & incidenter notet Lector illa verba: *Nōnè ſanctiùs, rectiùs, & meliùs dicemus, quòd per gratiam ſanctificationis præuenta, ab originali peccato præſeruata fuit?* Ex quibus deducitur, quòd adhuc ponentes præſeruationem, dicunt, hoc factum fuiſſe per gratiam ſanctificationis. Et ſic malè Aduerſarii vbicumque audiunt, vel legunt hanc nudam propoſitionem: Maria fuit ſanctificata in ſua Conceptione, exiſtimant, iam ſe comprehendiſſe brauium.

Sermone verò ſecundo hæc habet Henricus, ad illud Fiat lux: *Per iſtam lucem conuenienter deſignatur glorioſæ Virginis ortus, quia iſta lux fuit quædam nubis lucida de materia prima informi, de qua poſtmodum quarta die, ſol iſte corporalis creditur eſſe factus. Ita hodiè Beata Virgo fuit producta de materia informi, id eſt, de noſtra natura, per culpam deformata, de qua tamen poſt modum verus Sol fuit propagatus, &c. Propter quod etiam ipſum Verbum æternū Conceptionem Beatæ Virginis ſibi adſcribit, Eccleſiaſt. 24. Ego feci in cœlis, id eſt, parentibus Beatæ Virginis, ad cœleſtia eleuatis, vt oriretur lumen indeficiens, &c.* Etiam in his verbis fauet Vrimaria myſterio Immaculatæ Conceptionis, præcipuè in hac vltima clauſula: nā ſi Verbum ſibi adſcripſit Conceptionem Mariæ, & illa fuit quaſi lumen indeficiens: ergo abſque culpa, & macula. In tertio Sermone nihil dicit nec pro vna, nec pro altera parte. In vltimo habet hæc: *Primo dico, quòd Beata Virgo dicitur virga gracilis per puritatem innocentiæ; fuit enim in materno vtero per gratiam ſanctificata, & indè per virtutis exercitium, &c.* Hæc verba nihil habent contra myſterium, nam æqualiter nos, & Aduerſarii fatemur, Mariam fuiſſe in vtero ſanctificatam, & controuerſia ſolùm eſt, an fuerit in primò, vel ſecundo inſtanti; de quo nihil dicit Vrimaria. Conſtat igitur euidenter, quòd Aduerſarii abſque vllo fundamento citant Hēricum de Vrimaria, in ſermone Natiuitatis, decepti fortè omnes ab vno Turrectemata. Viæ enim populi iſtius non ad ventilandum, & ad purgandum.

Hucuſque locuti ſumus veritatem per ordinem ad verba, & citationes Aduerſariorū; nunc autem illam inquirendo, abſolutè, & ſimpliciter dico: Henricū de Vrimaria, in præallegato

opere habere duos Sermones de Conceptione Virginis, quorum primus incipit: *Sanctificauit tabernaculum ſuum Altiſſimus*, qui eſt in ordine 5. & alter incipit: *Secundo videndum*: in primo ergo ſe inclinat in Aduerſariorum opinionem, dicēdo, eſſe probabiliorem. Do eiuſdē verba. Poſtquam enim ſtatuit triplicem Conceptionem Virginis, ſeminis, animæ, & gratiæ, inquit: *Licèt autem prima conceptio non ſit celebrabilis, quia in ea nulla ſanctitas apparet, eo quòd illa maſſa corporalis, cùm ſit inanimata etiàm anima ſenſitiua, non eſt gratiæ ſuſceptiua. Nec etiam ſecunda celebrabilis eſt, quia ſtatim, vt anima illa benedicta fuit corpori vnita in eodem inſtanti ex contactu eius ad corpus, fuit per peccatum originale maculata, & infecta, & hoc propter morbidam infectionem præexiſtentem in corpore, ex corruptione fomitis, vt communiter tenetur à Doctoribus.* Et infrà: *Propter primum, eſt ſciendum quod licèt aliqui Doctores, ob reuerentiam Virginis, voluerunt dicere, quòd Beata Virgo nunquam contraxerit peccatum originale, quia ab hoc, vt dicunt, fuit præſeruata ex ſpeciali priuilegio gratiæ, hoc tamen communiter non tenetur, quia repugnat ſacræ Scripturæ, Apoſtolo dicente, quod ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificantur. Vndè licèt hoc dictum videatur tendere in quamdam ſpecialem reuerentiam Virginis gloriosæ, tollit tamen maiorem reuerentiam in ipſo Chriſto, qui ex hoc eſt communis Redemptor omnium hominum, quòd omnes homines per ipſum ſunt liberati à damnatione primæ præuaricationis, quod non habuiſſet locum in Beata Virgine, quia nulla redemptione indiguiſſet, ſi in peccato originali concepta non fuiſſet. Et ideò alij dicunt, quòd licèt concepta fuerit in originali, in eodem tamen inſtanti, realiter, ſed in alio ſigno inſtantis fuerit emundata per gratiam. Sed neque hoc ſtare poteſt, quia propter repugnantiam culpæ, & gratiæ impoſsibile eſt, quod in eodem inſtanti realiter anima ſit ſub culpa, & gratia. Et ideò alij dicunt probabiliùs, quòd non in eodem inſtanti, quo fuit per originale infecta, ſed in alio inſtanti proximo, ſicut naturæ poſsibile fuit, eſt per gratiam purgata, & ſanctificata.* Hæc ſunt omnia, quę habet Henricus pro contraria ſententia. Sed audite, Patres, iudicium filii.

Verè, ac realiter exiſtimo, Sermonem iſtum, ac verba non eſſe Henrici de Vrimaria, ſed ab aliquo fuiſſe ſuppoſitum. Primo, quia hæc verba non conueniunt cum illis eiuſdem Henrici ſuprà adductis ex Sermone 1. Natiuitat. Secundo, & efficaciùs; quia hoc opus Henrici, vel viderunt, vel non viderunt Turrecremata, Anonymus, Bandellus, Deza, Vincentia, & Gryſaldus; ſi non viderunt, mali fuerunt Scriptores, & omni reprehenſione digni; ſi viderunt, quomodo ſex Doctores grauiſsimi tractantes ex profeſſo hanc materiam, citant ſermonem Natiuitatis, vbi nihil eſt pro ſua ſententia, ſed potiùs contra ipſam, & dereliquerunt hunc Sermonem, & verba ita expreſſa? Dicere, quòd non inuenerunt illos duos Sermones, ridiculum eſſet, quia ſunt in principio libri, & latiſsimi. Vndè dicendum, vel credendum eſt, tales Sermones non fuiſſe in originalibus ab ipſis recognitis: & confirmatur: quia in Magiſt. Sentent. impreſſ. anno 1513. Pariſiis in folio, ex recognitione Danielis Agricolæ in 3. diſtinct. 3. folio 116. in quodam Scholio aliter ſenſit Henricus de Vrimaria de Peccato originali, quàm in prælegato Sermone, inquit enim: *De corruptione vitij, quo caro fecit animam ſibi coniunctam pronam ad peccatum, hoc eſt idem quòd fomes, & idem quod originale.* Nonnè vides, quomodo Vrimaria vocat corruptionem exiſtentem in carne vitium, fomitem, ac peccatum originale? Et ſecundùm hanc craſſam, & antiquam acceptionem fomitis, & peccati originalis, proſequitur ſic: *Et hoc ideò, quia magis debilitat fomitem, quæ eſt contraria diſpoſitio vſui virtutum: à corruptione ergo vitij mundata fuit Beata Virgo in vtero. Pſalm. ſanctificauit tabernaculum ſuum Altiſsimus.* Igitur Vrimaria ſenſit, quòd originale erat corruptio vitii exiſtens in carne, à qua inficiebatur anima in coniunctione: ſi ergo ab hac corruptione vitii exiſtente in carne mundata fuit Beata Virgo in vtero: ergo Beata Maria non contraxit illam maculam, quæ ſecundùm Theologos reſultat ex illa corruptione carnis vitiatæ, & eſt poſterior illa? Tertiò, quia hìc etiam Henricus de Vrimaria ſcholiauit opus Sententiarum Petri Lombardi, vt videre eſt in impreſsione facta Baſileæ anno 1616. in fol. & in 3. Sentent. diſtinct. 3. ad quæſtionem de carne, quam verbum aſſumpſit ex Maria Virgine, in additione ſecundà dicitur ad marginem: *Pro Immaculatâ Virginis Mariæ Conceptione defenſio.* Quomodo ergo hæc verba ex vtroque Scholio Magiſtri Sententiarum, & illa dicti primi ſermonis Natiuitatis, poſſunt ſtare cum ſermone Conceptionis, & verbis ipſius? Vel ergo Sermo ille de Conceptione falsò eſt adſcriptus Henrico, vel ipſe varius fuit, & problematicus, vel denique ſuam ſententiam retractauit.

HER-